This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


HARVARD
DIVINITY
SCHOOL
Andover-Harvard
Theological Library

CORPORIS

HAERESEOLOGICI

TOMUS TERTIUS.

CORPORIS

HAERESEOLOGICI

TOMUS TERTIUS

CONTINENS

DIONYSII PETAVII

ANIMADVERSIONES

IN

S. EPIPHANII PANARIUM.

ACCEDUNT

A. JAHNII

SYMBOLAE

AD

EMENDANDA ET ILLUSTRANDA

S. EPIPHANII PANARIA.

BEROLINI

APUD A. ASHER ET SOCIOS.

MDCCCLXI.

Epiphanius Constantiensis. Anacephaleo

S. EPIPHANII

EPISCOPI CONSTANTIENSIS

PANARIA

EORUMQUE ANACEPHALAEOSIS.

AD VETERES LIBROS RECENSUIT ET CUM LATINA
DION. PETAVII INTERPRETATIONE ET INTEGRIS
EIUS ANIMADVERSIONIBUS

EDIDIT

FRANCISCUS OEHLER.

TOMI POSTERIORIS

PARS POSTERIOR

CONTINENS

DIONYSII PETAVII ANIMADVERSIONES
IN S. EPIPHANII PANARIUM.

ACCEDUNT

A. JAHNII SYMBOLAE AD EMENDANDA ET
ILLUSTRANDA S. EPIPHANII PANARIA.

BEROLINI
APUD A. ASHER ET SOCIOS.
MDCCCLXI.

603.5
E30 O

1-98
24

DIONYSII PETAVII

ANIMADVERSIONES

IN

EPIPHANII PANARIUM.

DIONYSII PETAVII E SOCIETATE IESU ANIMADVERSIONES IN EPIPHANII OPUS QUOD PANARIUM INSCRIBITUR.

ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

Si cum exquisita rerum, quae in hoc opere tractantur, varietate ac copia adaequare commentationes nostras instituissem, non brevibus iisce notis et animadversionibus, sed ingentibus libris committenda res fuerat. Quoniam autem neque me commentariorum moles illa delectat, et eruditorum lectorum fastidiis occurrendum potius hoc in genere est, quam aliorum tarditati consulendum, nulla est obtinendae a me ratio praetermissa brevitatis. Ea vero visa est imprimis eiusmodi, ut diversas ex veterum exemplarium comparatione aut ex coniectura lectiones ad oram contextus adscriberem, tum ut leviora quaeque ac faciliora, vel commode ab aliis explicata, ne attingerem omnino, aut carptim breviterque perstringerem. Quamobrem certa potissimum argumenta delegimus, in quibus elaborandis atque illustrandis plusculum operae disputationisque consumptum est, quae nimirum talia esse consideremus, ut ad eorum minuendam obscuritatem nonnihil opera nostra posset accedere. Fuerat iamdudum animus, omnium haereseon, quae in hoc opere commemorantur, τὰ ἱστορούμενα primum, deinde opiniones ac dogmata omnia separato libello persequi et cum iis, quae Epiphanius perscripsit, quae ab aliis sunt Patribus exposita, conferre: sed ab eo consilio revocavi ipse me, quod eum mihi laborem iamdudum aliorum industria sublevasset. Etenim praeter veteres illos, Irenaeum, Augustinum, Philastrium, Damascenum, Tertullianum, Clementem Alexandrinum, Hieronymum ac caeteros, qui aut de haeresibus nominatim scripserunt aut earum in libris suis utcumque neminerunt, recentiores aliquot eodem in argumento summa cum laude versatos memineram; imprimis autem Gabrielem Prateolum atque illustrissimum magnorum Annalium conditorem. Quorum ille haereseon omnium luculentissimum catalogum literato ordine contexuit, hic in Annalibus suo quamque tempore consignatam reliquit: uterque uno in conspectu quae apud veteres illos dispersa erant ac dissipata proposuit. Hac igitur cura et cogitatione solutus hunc unum ad scopum commentandi laborem istum conferam, ut qui Latine iam, hoc est minus, ut spero, barbare studio nostro loquitur Epiphanius, idem Notis istis et Animadversionibus qua castigatus, qua illustrior factus, dilucide atque intelligenter id faciat, omni obscuritate detersa.

DE INSCRIPTIONE OPERIS AC XX PRIORUM HAERESEON PARTITIONE. p. 2.

Cum adversus LXXX haereses, quae ad suam aetatem extiterant, susceptum a se hoc opus profiteatur Epiphanius, duo quaedam occurrunt in eo negotio considerauda. Alterum haeresis nomen latissime in quibusdam usurpari, nec ad

theologorum normam vocabuli usum istius exigi, a quibus quid proprie sit haeresis, et quantum reliquis ab sectis differat subtilius atque enucleatius declarari solet. Nam neque priores illae sectae, Barbarismus, Scythismus, Iudaismus, quatenus Christi ortum antecessit, inter haereses merito recensentur; neque ullae propriae sectae Barbarorum aut Scytharum fuerunt. Atque, ut diligentius in Hellenismi, Iudaismi ac Samaritismi species inquiratur, pleraeque forsitan e numero sectarum, sive haereseon, eximendae erunt: de qua re sparsim ac suis locis opportunius agetur. In Hellenismo quidem, cum quatuor tantummodo sectas Epiphanius numeret, infinitae adiungi aliae potuerunt: quarum plerasque in calce huius operis, in Fidei Catholicae Compendio prosecutus est. Alterum hoc in negotio considerandum est, quamvis omnes illae sectae inter Haereses haud immerito censeantur, nequaquam tamen Epiphanio octogenarium illum constare numerum. Etenim in partitione ipsa contra dividendi praecepta non mediocriter peccatum est, cum principio quinque ante Christum sectarum fastigia proponuntur: Barbarismus, Scythismus, Hellenismus, Iudaismus, Samaritismus; ac deinde posteriora tria genera in alias species tribuuntur. Et nihilominus genera cum subiectis sibi partibus eundem in numerum summamque conferuntur, quod est in divisione vitiosissimum. Neque enim genus πρὸς τὰ εἴδη ἀντιδιαιρεῖται. Ut si anima vitaque praeditum corpus primum in animal ac plantam partiare: tum animal in terrestre, aquatile, volatile: plantam in herbam fruticem, et arborem; ac deinde collectis omnibus, octo corporis animati partes esse constituas, nimirum animal, plantam, terrestre animal, aquatile, volatile; herbam, fruticem et arborem. Ita enim inter divisionis partes genera ipsa, quae dividuntur, perperam referas. Quod in illa haereseon distributione commisit Epiphanius. Quippe tres illae, quas dixi, Hellenismus, Iudaismus, Samaritismus, cum suis partibus con-
p. 3. iunctae summam conficiunt. Unde subductis recte omnibus, XVII duntaxat ante Christum, universe vero LXXVII haereses, non LXXX numerantur. Praeterea XI priorum haereseon alium in Epistola ad Acacium et Paulum presbyteros et in Anacephalaeosi, quam in ipso decursu operis, ordinem instituit. Utrumque nos in sequenti tabula proposuimus.

XX priorum haereseon ordo in Anacephalaeosi.

	1. Barbarismus
	2. Scythismus
	3. Hellenismus
	4. Iudaismus
	5. Samaritismus
Hellenismi	6. Pythagorei
	7. Platonici
	8. Stoici
	9. Epicurei
Samaritismi	10. Gortheni
	11. Sebuaei
	12. Esseni
	13. Dosithei
Iudaismi	14. Scribae
	15. Pharisaei
	16. Sadducaei
	17. Hemerobaptistae
	18. Ossaei
	19. Nazaraei
	20. Herodiani

XX priorum haereseon ordo ex opere Panarii.

	1. Barbarismus
	2. Scythismus
	3. Hellenismus
	4. Iudaismus
Hellenismi	5. Stoici
	6. Platonici
	7. Pythagorei
	8. Epicurei
	9. Samaritae
	10. Esseni
	11. Sebuaei
	12. Gortheni
	13. Dosithei
Iudaismi	14. Sadducaei
	15. Scribae
	16. Pharisaei
	17. Hemerobaptistae
	18. Nazaraei
	19. Osseni
	20. Herodiani

In posteriori serie Stoici ante caeteras philosophorum sectas collocantur, aliter atque in priori fecerat, quae longe hac in parte tolerabilior est. Hinc est, quod Stoicorum secta τρίτη ἀπὸ Ἑλληνισμοῦ sit inscripta. Nam tertium ab Hellenismo locum habet in serie, ut Platonici quartum, atque ita deinceps; non ut in inscriptione Latina est: *tertia Hellenismi secta;* pro quo scribe: *tertia ab Hellenismo secta.*

AD TOTIUS OPERIS PRAELUDIUM.

N. II. ἄφατα γάρ ἐστι καὶ φατά.] Expungo posteriores hasce voculas, quae sententiam infuscant, καὶ φατά. Dixit quidem Hesiodus initio Ἔργων, p. 4.

Ὅν τε διὰ βροτοὶ ἄνδρες ὁμῶς, ἄφατοί τε φατοί τε,
Ῥητοί τ' ἀῤῥητοί τε,

sed alio sensu, quam ut huic loco congruat. Nam hoc unum Epiphanius significat, se non omnia complecti hoc in opere cupere, cum innumerabilia sint nec oratione comprehendi possint.

Τουτέστι βασιλείας Οὐαλεντινιανοῦ.] Est hic annus Christi CCCLXXIV, quo suum opus aggressus est Epiphanius, Gratiano III, et Equitio Coss. Valentinianus enim et Valens imperium auspicati sunt anno CCCLXIV bisextili, qui Ioviani et Varroniani Consulatu notatur in Fastis. Ideo annus utriusque XI Christi est CCCLXXIV. Gratiani annos praetermisit, ut opinor, librarius. Quare substituendum est καὶ Γρατιανοῦ ὀγδόου. Gratianus Lupicino et Iovino Coss., ut autor est Socrates lib. IV, cap. X, Imperator et Augustus a patre renunciatus est, anno Christi CCCLXVII. Itaque undecimus Valentiniani et Valentis est Gratiani octavus. In Manichaeorum haeresi LXVI, n. XX, annos Gratiani commemorat. Quem in locum caetera reservamus.

Οὐκ ἀθεεὶ διασκοπήσαντας.]. Hic coniecturae locus est, nam de vitio constat. Scribe διασκοπήσας τὰς ψήφους, et εἶσω παρελθεῖν. Vel: διεσκόπησα τὰς ψήφους, et retinendum εἰς ὅ. Cum ad susceptum opus aggrediendum consentientia vestrum omnium suffragia viderem.

N. III. Πάμφιλός τε.] Rei herbariae scriptores aliquot recenset, quorum plerosque Dioscorides in Praefatione commemorat, et Plin. lib. I. In his Pamphilus ille ipse videtur esse, de quo Suidas; qui inter caetera Georgicorum tres libros edidit, patria Amphipolita, vel Sicyonius, vel Nicopolita. Ex quo nonnulla passim excerpta leguntur in Constantini Geoponicis. Meminit et alicubi Photius.

Καὶ Ἡρακλείδης ὁ Ταραντινός.] Citatur a Galeno in libris de Compos. Medicam. κατὰ τόπους καὶ γένη: nec non et ab Athenaeo lib. III. Heraclides Tarentinus. Idem et Andreae medici meminit.

Βᾶσσος ὁ Τύλιος.] Tylus Messeniae urbs, quam nonnuli Oetylum vocant, ait Strabo lib. VIII. Sed corrupta hoc loco vox est, legendumque ex Dioscoride Βᾶσσος ὁ Ἰούλιος.

Καὶ Πετρώνιος Νίγερ.] Dioscorides *Petronius Niger* coniunctim habet; Plinius vero *Petronium Diodotum* copulat, quasi eiusdem sint appellationes ambae.

N. IV. δι' ἐτῶν δισχιλίων.] Non igitur vulgatam in nostris editionibus LXX Seniorum rationem secutus est, annorum MCCXLII, sed castigatam ac germanam, quae ad priorem annos addit XX. Magna iam tum olim Graecorum exemplarium non cum Hebraeis Latinisque modo, sed secum etiam discordia fuit. De priori disserit Augustinus Lib. de Civit. dei XV, cap. XIII. Hieron. Quaest. Hebr. aliique maxime recentiores. De posteriori vide Eusebii excerpta chronologica, ubi varie annorum summa concipitur. Ac propter immanem absurditatem, quae ex Mathusalem annis oritur, animus est ad numerorum emendationem adiectus. Nam p. 5.

si LXX Interpretum communem editionem sequare, quae annos Mathusalemo ante genitum Lamechum arrogat CLXVII, Lamecho vero CLXXXVIII, confient additis Noëmi sexcentis anni ante diluvium IↃCCCCLV. Vixit autem Mathusalem in totum annos IↃCCCCLXIX. Igitur XIV annis post diluvium superfuit; quod est ineptum. Quare Africanus Mathusalem annos ante Lamechum susceptum tribuit CLXXXV, qui ad Lamechi Noëmique totidem, quod proxime numeravimus, adiuncti summam conficiunt annorum IↃCCCCLXXII. Itaque tribus quatuorve annis diluvium mors illius antecessit. At vero idem Africanus ab orbe condito ad diluvium annos colligit CIↃ CIↃ CCLXVII. Quippe Enos CXCV confert, cum LXX duntaxat CXC numerent. Subtractis quinque illis superfluis crediderim in reliquis Epiphanium Africani, sive LXX apud Africanum Interpretum calculum secutum annos computasse CIↃ CIↃ CCLXII.

Ἐν τοῖς ὄρεσι Ἀραράτ.] Chaldaeus Cordu, id est Γορδαῖος. Iosephus lib. I, cap. IV, ἀποβατήριον τὸν τόπον τοῦτον Ἀρμένιοι καλοῦσι. Mox Berosum Chaldaeum citat: Λέγεται δὲ καὶ τοῦ πλοίου ἐν τῇ Ἀρμενίᾳ πρὸς τῷ ὄρει τῶν Κορδυαίων ἔτι μέρος τι εἶναι. Item ex Nicolao Damasceno: Ἔστιν ὑπὲρ τὴν Μινυάδα μέγα ὄρος κατὰ Ἀρμενίαν βάρις λεγόμενον, εἰς ὃ πολλοὺς συμφυγόντας ἐπὶ τοῦ κατακλυσμοῦ λόγος ἔχει περισωθῆναι: Franciscus Iunius pro Βάρις rescribendum existimat Λούβαρις, a quo non abhorreo. Sed idem solennia deliret, cum Lubar Armenio et Aegyptiaco sermone dicit idem esse atque ἀποβατικὸν sive ἀποβατήριον: id est locum editissimum, ex quo descensus patet, a verbo *Labar*, descendere. Unde et *Labarum* et *Labra* apud Epiphanium in Ariomanitis. Sed de Labra caeterisque nugis dicemus ad illum Epiphanii locum. Quod quidem ad praesens negotium attinet ἀποβατήριον Iosepho nuncupatur locus ille, in quo Noemus τὴν ἀπόβασιν, hoc est exscensionem ex arca fecit; sive quod ibidem τὰ ἀποβατήρια sacra persolvit. Haec enim vis est horum vocabulorum, ἀποβατήρια, διαβατήρια et caeterorum. Valde igitur aberrat Iunius, cum ἀποβατήριον interpretatur arduum et excelsum, ex quo descendere oporteat; quod a Graecae vocis usu alienum et absonum est.

Οὐ γὰρ ἔτι ἐμφαίνει.] Putidissimi Iudaei Noëmum a Chamo exsectum nugantur: ut inter alios R. Selomo, qui et alia quaedam adiicit nefanda et ἄῤῥητα.

N. v. ἔνθα του ἐπελέξαντο.] Fortasse τόπον ἐπελέξαντο.

Ἦν δὲ τοῦτο πάλαι Ἀσσυρίων.] Ager Sennaar et Babylon ipsa primum, inquit, ad Assyrios pertinuit. Respexit autem ad id, quod Genes X, II. legitur: *De terra illa* (Sennaar) *egressus est Assur, et aedificavit Niniven et plateas civitatis et Chale.* Verum *Assur* quidam proprium esse nomen existimant: ut R. Selomo, qui se ab impiorum consuetudine ac convictu segregarit, eundemque Aben
p. 6. Ezra Iaphet filium extitisse memorat. Equidem Assur hoc loco de Assyrio populo, vel Nino ipso regni Assyrii conditore libentius interpretor. Eodem porro spectare videtur, quod est apud Esaiam cap. XXIII, 13: *Ecce terra Chaldaeorum; Talis populus non fuit: Assur fundavit eam. In captivitatem traduxerunt robustos eius, suffoderunt domus eius, posuerunt eam in ruinam.* Sed Hebraica aliam sententiam praeferunt: *Iste populus non erat illic olim. Assur fundavit eam naribus;* vel, ut alii, *deserti incolis; qui erexerunt arces illius. Sed* (Chaldaei) *contriverunt palatia illius,* etc. Quod ita R. David exponit. Non est mirum aut incredibile, quod de Tyri eversione praedicitur. Ecce tibi Babylon et Chaldaea ipsa non eosdem semper incolas habuit; sed et ipsa vicissitudinem est experta. Nam Chaldaeorum populus olim ibi sedem non habuit, sed Assyrii principio tenuerunt et in ea urbes excitarunt. Tum Chaldaei pulsis Assyriis occuparunt,

qui a Chasad Nachoris filio oriundi, ait Kimchius, ex cap. XXII. Gen. com. 21. Haec ex Hebraeis, quamquam aliter Aben Ezra, et ex Latinis Hieroymus. Nam LXX diversi prorsus abeunt. Ex iis colligitur Assyrios olim tenuisse Babylonem. Ac nonnullis placet Sennacheribi maiores Babylonem invasisse, propterea quod lib. IV, Reg. cap. XVII, 24. rex Assyriorum Sennacherib de Babylone et de Cutha caeterisque regionibus incolas Samariam transtulerit. Sane Babyloniorum rex Assyrius in Scripturis interdum vocatur, et Babylonium sub Assyria fuisse comprehensam autores sunt geographi.

Ἐκωνομάσθησαν πάντες.] Scytharum nominis origo ab Hebraica voce שׂרת cum puncto semos, quod est *declinare, errare*. Potest et a שׂרת cum puncto dextro derivari, quod *discurrere et obambulare* significat. Utraque notio Scytharum moribus apprime congruit: quos πλανήτας, errabundos, et ἀμαξοβίους fuisse constat. Sed ea vocabuli ratio, quam Epiphanius affert, quod scilicet ἀπὸ τοῦ κλίματος τοῦ πρὸς Εὐρώπην εἰς Ἀσιαν declinaverint, non valde mihi probatur. Neque enim verum puto, Scytharum nomine priscos illos insignitos, qui post diluvium turrim illam architectati sunt. Etymologicon Magnum σκύζεσθαι, quod est irasci et supercilium contrahere, παρὰ τοὺς Σκύθας nominatum scribit: quoniam iracundi Scythae. An potius Σκύθας Graeci ἀπὸ τοῦ σκύζεσθαι deduxerunt?

Καὶ ἀπὸ μιᾶς εἰς ἑβδομήκοντα δύο.] De eadem linguarum gentiumque distributione agit haec. XXXIX, „uae est Sethianorum: ubi et LXXII linguas totidem, quod κεφαλαιῶται erant, et autores stirpis efflоruisse dicit. Vulgatus est hic matricum linguarum populorumque numerus, de quo certatim chronologi disputant. Quorum quidem ratio mihi non satis explorata certaque videtur; non modo quod Graeci codices a Latinis et Hebraeis in numero dissident, sed etiam quod plerique κεφαλαιῶται cum posteris suis ac filiis in numerum cencentur. Non est autem credibile distinctum ab iis populum ac linguam illos constituisse. Certe enim Heber a Phaleg lingua diversus non fuit, ut etiam Augustinus existimat. Deinde Chananaei omnes populi idioma commune sortiti sunt. Itaque labat illa LXXII lingnarum partitio. Sed nec in eo laborare admodum necesse est, ut totidem illis p. 7.
nationibus domicilium cuique suum ac regionem assignemus. In quo multi nominum similitudines nimis ambitiose consectantur. Est enim verisimile, plerosque finibus iis, quos occuparant, relictis ac sedibus alio sese contulisse. Nam quod Moyses narrat, ab iis propagatas esse nationes omnes, non sic accipiendum est, ut eas per sese primum καὶ ἀμέσως regiones insederint atque in earum possessionem pedem ipsi posuerint, sed ut eo saltem illorum posteri commigrarint. Verum haec discutere longioris et operae et alterius instituti fuerit.

Ψοῦς τὰ Ἀξιωματικά.] Mendose pro Ἀξουμιτικὰ: ut est in Sethianorum haeresi; nec minus emendandum ψοὺς, pro quo φοὺθ legendum. Sive ut est Esaiae cap. LXXI, 19. פּוּל, φουλ. De Axumitis alius erit dicendi locus.

Ῥεγμᾶ καὶ Σαβᾶ, καθᾶ.] Corr. Σαβαθακὰ; qui inter filios Chus recensetur. Pro ἑλοὺδ fortasse Λοὺδ, quippe Λουδιείμ inter filios Mestraim numerantur.

Τὰ πρὸς τῇ μαράμων χώρα.] An Ἀράβων? an potius Γαραμάντων, nam haec vicina sunt nomina. Est qui Regamam Ptolomaei, quae est in Arabia felice ad Regma transferat: de qua Ezech. XXVIII, 22. רכלי שבא ורעמה.

N. VI. Νεβρὼθ γὰρ βασιλεύει.] Quem plerique omnes chronologi, imo et antiqui Patres, Belum fuisse censent, Babylonis conditorem. Huius filium Assur Epiphanius facit: quem quidem Ninum fuisse par est, si Nembroth idem cum Belo fuerit: et eadem utrobique colligendi ratio. Nam Belus Babylonem extruxit, et Ninus Niniven. Atqui priorem a Nembroth, posteriorem ab Assur civitatem

conditam Moyses affirmat. Verum Assur Genes. x, ii. gentis nomen esse, non viri proprium existimant alii; quibus libenter subscripserim. Sed haec annalium ac chronologiarum paginas implent, nec sunt pluribus hoc loco disceptanda.

Τούτου ἡ βασιλεία ἐν Ὀρὲχ.] Pro Ἀρφὰλ LXX. Ἀρχὰδ, Hebraei אַכַּד.

Κτίζει δὲ καὶ τὴν Θειράς.] Nescio unde haec expiscatus sit, quae in Genes. x illo capite non leguntur. Ubi hoc duntaxat habetur: Principium regni Nembroth fuisse Babylonem, καὶ Ὀρέχ, καὶ Ἀρχὰδ, καὶ Χαλάννη in terra Sennaar. Unde Assur egressus ᾠκοδόμησε τὴν Νινευὶ, καὶ τὴν Ῥοωβὼθ πόλιν, καὶ τὴν Χαλάκ. Pro Ῥοωβὼθ πόλιν Hebraice scriptum est רְחֹבוֹת עִיר, quod Hieronymus vertit: *plateas civitatis*, et quo appellativo habuit, quod Graeci proprium fecerant. Intelligit autem urbis Ninives plateas, quas Ninus extruxerit. De Epiphanio quid dicam aliud occurrit nihil, nisi voces istas, Θειρὰς et Θόβελ, alienum in locum translatas esse. Nam Thiras et Thubal inter Iaphethi posteros numerantur com. 2. *Thubal, et Mosoch, et Thiras.* Fortassis enim cum Regma, Sabatacha caeterisque quosdam alios recensuit Epiphanius, et inter illos Thubal et Thiras. Nisi haec coniectura placeat, pro Θειρὰς, et Θόβελ, ac Λόβος propria urbium illarum nomina substituenda sunt, quas Assur aedificavit. Certe in Λόβος vestigium quoddam apparet vocabuli Ῥοωβὼθ, et in Thiras vocis עִיר, puae civitatem significat. Unde ita depravari vox ista potuit Ῥοωβωθίρα.

Οὐ πολὺ δὲ ἀλλήλων τῷ χρόνῳ διεστήκασιν.] Bactrianorum rex ille, quocum Ninus conflixit. Oxyartes a Diodoro vocatur; a Iustino, Arnobio ac caeteris Zo-
p. 8. roastes. Neque dissentit Plinius, ut Scaligero videtur. Neque enim dubitat ille, sitne magus idem cum rege Bactriano, sed utrum unus hic fuerit, an et alius postea, quod Salianus noster recte in Annalibus animadvertit. Vanissima Magorum natio Zoroastrem illum antiquissimum putat, utpote qui Troianum excidium quinque annorum milibus antecesserit, ut Plinius et Plutarch. Tract. de Iside testantur. Apud Laertium Xanthus Lydius sexcentis duntaxat annis ante Xerxis διάβασιν extitisse Zoroastren asseverat. Unde merito plures eiusdem nominis fuisse suspicatur Scaliger.

Τὸν Σεροὺχ ἑρμενευόμενον ἐρεθισμὸν.] Variae sunt apud Epiphanium Hebraeorum nominum origines et interpretationes partim obscurae, partim subabsurdae. Multa enim vel eruditissimis per imprudentiam excidunt. Neque propterea Hebraismi fuit imperitus Epiphanius, quem Graecae, Syrae, Hebraeae, Aegyptiacae, et ex parte Latinae linguae scientem fuisse confirmat Hieron. Apol. II. contra Ruff., quem argute bilinguem nominat, quod Graece Latineque nosset. Inter falsas originationes haec ipsa vocabuli Serug interpretatio a Calvinista quodam profertur cum aliquot aliis; ut cum caeteros Patres erroris haud expertes fuisse colligat, tum vel imprimis Epiphanium in explicandis nominibus aberrasse. Nos de reliquis, quae in hoc scriptore notat, sparsim ac suo loco videbimus. Quod ad praesens vocabulum spectat, male ab Epiphanio putat σεροὺχ ἐρεθισμὸν verti: cum ita scribendum sit hoc nomen, σεροὺγ, et *propaginem*, non irritationem significet. Haec ille. Verum purgandi hoc quidem loco Epiphanii facilis est et explicata ratio. Primum enim σεροὺχ, non σεροὺγ scribendum illi fuit, cum priore modo LXX conceperint. Et fieri potest, ut Hebraice quoque saltem aliquot in exemplaribus שְׂרוּךְ non שְׂרוּג lectum sit: ex quo Graece σεροὺχ ediderunt LXX. Nam ךְ per X plerumque reddi solet: ut in נָחוֹר et חָם, *Nachor* et *Cham*. Utcunque vero scriptum extiterit, potest commoda aliqua interpretatione Epiphanii glossema defendi. Imprimis שָׂרַג *perplexum esse* atque *intricatum* significat, unde שָׂרִיג *propago*, non שָׂרוּג, ut Calvinistae placuit. Quare perperam et ipse σεροὺγ,

sive שרוג *propaginem* vertit, cum ratio postulet, ut sit *intricatus* et *perplexus*. Et quoniam quae eiusmodi sunt, hoc est implicata et perplexa, tricis suis ἐρεθίζειν, provocare atque irritare solent; inde fortasse שרוג τὸ ἐρεθίζον vel ἐρεθισμὸς dicitur, ex reconditiore lingua. Non enim omnes omnium vocum potestates in sacris literis expressae sunt. Sin est ut סרוח LXX in Hebraeo repererint, qui σιρούχ scripserunt; bellissime ad hunc modum quadrabit. סרח Chaldaeis et Rabbinis est *perverse agere* Sam. II. cap. XIX de Semei די סרח *perverse egit, rebellavit*. Hinc שורדן *iniquitas, peccatum, rebellio:* סירדין *rebelles*. Vide Eliam in Thisbi. Indidemque σιρούχ hoc est a rebellione, contumacia et ἐρεθισμῷ. Eadem vox Hebraice idem est ac superfluum esse, redundare, quod et aliam eiusdem notionis originem indicat: quasi sit ἐκ περιουσίας ὑβρίζειν lasciviri, et insultare ac procaciter irritare. Est illa vero Epiphanii interpretatio longe prababilior, quam quae apud Hieron. lib. de Nom. Hebr. legitur: ut sit *corrigia, vel perfectus*. Nam שורוך non שורוג corrigiam sonat, unde Seruc, σιρούχ non Serug legendum esset. Quanquam litera Caph in fine cum Raphe aspirate pronunciatur, ideo Graece σιρούχ. An ita in Hebraeo legerat Hieron. aut LXX Seniores divinare non p. 9.
libet. Alterum glossema, quod addit Hieronymus, nempe *perfectus*, non capio, neque ad rem pertinere puto. Quis autem nesciat multa Hebraeorum vocabula, quod aliter Graece perscripta essent et ab origine detorta, doctissimis interdum Patribus fraudi fuisse, minus ut rectas illis significationes affingerent? Exemplo sit quod cum haec scriberemus fortuito nobis occurrit. Idem Hieron. Epist. ad Ageruch. *Noëmi*, cuius in libro Ruth historia commemoratur, *consolationem* interpretatur, quod Hebraice est נעמי a נעם, non a נחם.

Καὶ ἤρξατο εἰς ἀνθρώπους.] Hausit haec ex Eusebii Chronico, quae in Graeca editione Scaligeriana leguntur pag. 13. Sed ibi Iaphethi non Semi filius Seruch dicitur, ut etiam apud Suidam in vocabulo Σερούχ, ubi eadem fere declarantur. Quin et illud contra atque Eusebius scripsit ab Epiphanio subjungitur: Nondum aetate Seruch lapides, ligneave simulacra, aut aurea argenteave fabricata; sed in picturis et coloribus omnem, ut Tertullianus loquitur, Idololatriae paraturam constitisse. Eusebius vero: Αὐτὸς γὰρ, inquit, καὶ οἱ σὺν αὐτῷ τοὺς πάλαι γενομένους ἢ πολεμιστὰς, ἢ ἡγεμόνας, καί τι πράξαντας ἀνδρίας ἢ ἀρετῆς ἄξιον ἐν τῷ βίῳ τοῦ μνημονεύεσθαι, καὶ ὡς ὄντας αὐτῶν προπάτορας ἀνδριάσι στηλῶν ἐτίμησαν. Quae fortassis in concordiam redigi ita possunt, ut Epiphanius idola ac simulacra duntaxat affabre facta et caelaturis effigiata per illud tempus extitisse neget; non autem informes truncos aut lapides sive columnas: de quibus Eusebius accipiendus est, cum eas vocat ἀνδριάντας στηλῶν. Ab iis enim rudibus et impolitis statuis et columnis idololatria coepit. Clem. Alex. Strom. 1. Πρὶν γ' ἂν ἀκριβωθῆναι τὰς τῶν ἀγαλμάτων σχέσεις, κίονας ἱστάντες οἱ παλαιοὶ ἔσεβον τούτους, ὡς ἀφιδρύματα τοῦ θεοῦ. Quod ad eius columnae, quae Israelitis in solitudine praeibat, imitationem expressisse Daemones ibidem disputat. Sic Athenienses pro foribus columellas et obeliscos Apollini consecrabant, quem ἀγυιᾶ vocabant. Aristoph. Scholia ad Σφῆκας. Ἀγυιεὺς κίων εἰς ὀξὺ λήγων, ὃν ἱστᾶσι πρὸ τῶν θυρῶν· ἰδίους δέ φασιν αὐτοὺς εἶναι Ἀπόλλωνος, οἱ δὲ Διονύσου, οἱ δὲ ἀμφοῖν. Hi sunt θυραῖοι et ἀντήλιοι θεοί. Tertull. Apolog. *Etiam apud Graecos Apollinem* θυραῖον *et Antelios daemones ostiorum praesides legimus*. Hesychius Ἀντήλιοι θεοὶ, οἱ πρὸ τῶν θυρῶν ἱδρυμένοι. Est igitur propius vero, informes illas moles initio pro diis erectas. Tum paulatim artem ac διάρθρωσιν accessisse, authore, ut ferunt, Daedalo. De quo Themistius Orat. XV: ac demum expressas coloribus imagines et picturas, licet contra sentiat Epiphanius.

Περιέστη δὲ ὁ ἀγὼν.] Scrib. ut est in Regio, αἰὼν. Ab Adamo ad Thare xx γενεαὶ sunt, quia Cainan in numerum venit. Ese colligunt, ut hic Epiphanius indicat, annos 3332. Reipsa autem, ex LXX Seniorum editione, annos 3364. Ab Adamo ad diluvium supra numerati sunt 2262. Hinc ad Thare ortum anni sunt 1102. Fiunt anni 3364. Quare annis minus 32 dixit Epiphanius. Vide sequentem numerum.

Ἐξότε Θάῤῥα.] Suidas in Σερούχ. Ἐντεῦθεν εἰςήχθη ἡ πολυθεία καὶ ἡ εἰδωλολατρεία, τοῦτο δὲ διέμεινε παρ' αὐτοῖς μέχρι τῶν χρόνων Θάῤῥα τοῦ πατρὸς Ἀβραάμ· ἦν γὰρ ἀγαλματοποιὸς, ἀπὸ διαφόρων ὕλῶν εἰκόνας ἐργαζόμενος etc.

N. VII. καὶ μετέπειτα ἐθεοποιήσαντο.] Haud absimilem idolorum eorumque cultus originem disce ex lib. Sapientiae cap. XIV. Lactantio lib. I, cap. XIV.

p. 10. Ἔπειτα δὲ ἀκινάκην σέβοντες.] Martem imprimis coluere Scythae, cuius effigies erat acinaces ferreus, ait Herodotus lib. IV. Huic templum ex virgultorum fasciculis extruebant, ubi et captivos mactabant. Sed quoniam in eum Herodoti locum incidimus, obiter hic a nobis emendandus atque illustrandus erit. Cum templum illud describit pag. 152. ait sarmentorum ab illis fasces comportari, exaggerarique ἐπὶ σταδίοις τρεῖς μῆκος καὶ εὖρος, ὕψος δὲ ἔλασσον: *longitudinis ad stadia tria, totidem latitudinis, altitudo vero minor.* Nonne otiosum est admonere minorem tribus stadiis altitudinem fuisse? Quis tam alte erectum cumulum suspicari posset? Plane igitur mendosus hic locus est, et pedum cubitorumne certus deest modus, quo minorem fuisse exaggerationem illam scripserat. Ad haec paulo ante, cum sacrificiorum rationem explicat ac quemadmodum hostias immolarent, quaedam leguntur partim ab interpretibus ignorata, partim corrupta. Τὸ μὲν ἱρήϊον αὐτὸ ἐμπεποδισμένον τοὺς δύο πόδας τοὺς ἐμπροσθίους ἕστηκε· ὁ δὲ θύων ὄπισθεν τοῦ κτήνεος ἑστὼς, σπάσας τὴν ἀρχὴν τοῦ στρόφου καταβάλλει μιν· πίπτοντος δὲ τοῦ ἱρηίου ἐπικαλέει τὸν θεὸν, τῷ ἂν θύῃ· καὶ ἔπειτα βρόχῳ περιὼν ἔβαλε τὸν αὐχένα: *Victima ipsa primoribus alligata pedibus sistitur. Cuius a tergo stans sacrificulus, funis extremum trahens pecudem prosternit. Mox ea cadente Deum illum nominatim invocat, cui sacra facit. Inde laqueo collum circundat.* Haec verba σπάσας τὴν ἀρχὴν τοῦ στρόφου Laurentius perperam vertit; *amota imprimis infula.* Ista vero περιὼν ἔβαλε τὸν αὐχένα vitiosa sunt. Scribe περὶ ὧν ἔβαλε pro περιέβαλε; quod Ionicum est. Sic alibi κατ' ὧν ἐκάλυψε: et κατάμε ἐφάρμαξας. De Acinace vide Alexandrinum Clementem in Protreptico, Lucianum in Toxari.

Ἐξοῦ τὸ γένος κατάγεται Φρυγῶν.] A Thracibus originem traxere Phryges. Dardanus certe primum in Samothracia consedit, unde in Phrygiam traiecit. Sed et a Moesis vel Mysis Europeis Mysos Asiaticos propagatos asserunt. Diserte idipsum Strabo lib. X. καὶ οὐκ ἀπεικός γε, ὥσπερ αὐτοὶ οἱ Φρύγες Θρᾳκῶν ἄποικοί εἰσι, οὕτω καὶ τὰ ἱερὰ ἐκεῖθεν μετενηνέχθαι.

Μετηνέχθαι δὲ ταῦτα εἰς Ἕλληνας.] Euseb. in Chronico A. CCCCLXIV. *Primus Cecrops bovem immolans Iovem appellavit.*

Καὶ ἦν μὲν κατὰ τοῦτον τὸν καιρόν.] Abraamum anno Nini XLIII natum esse docuit in Chronicis Eusebius, idque posteris omnibus persuasit. Nam nemo est veterum post Eusebium, qui non pro certo id habuerit ac tanquam ἀναπόδεικτον ἀρχὴν Chronologiae suae praefixerit. Sed in digerendis Assyriorum ac Medorum intervallis variat Eusebius. In posteriore Chronicorum libro, qui annos expansos complectitur, ab ortu Abraami, quem vult esse Nini XLIII, ad Sardanapali mortem anni sunt CIↃ CXCVI. Additis Nini XLII, qui Abraami natalem antecedunt, et Beli LXV (alibi LV idem autor numerat), confiunt anni CIↃ CCCIII, quibus Assyriorum monarchia tenuit. Sequuntur Medi: quibus annos imputat CCLX. Itaque

Cyri ac Persarum initium ponit numero CIↃ CCCCLVII. Hic Scaliger nullum insectandi Eusebii finem facit eique pene omnibus paginis insolenter illudit. Accusationis caput est, quod Assyriorum reges aliquot praeterierit et de annis illorum detraxerit. Cum enim ex Africano regum illorum seriem et annos uniuscuiusque descripserit, apud Africanum vero reges numerentur XLI, iisdemque mille quadringenti octoginta quatuor anni tribuantur; Eusebius IV reges, annos CLXII expunxit. Tum aliis rursum annis detractis eo calculum perduxit, ut mille circiter ac trecentis annis Assyriorum imperium circumscriberet. Quod eo animo fecisse putat Scaliger, ut ad institutum suum ac πρόληψιν regum illorum tempora dirigeret. Quamobrem immanis hic est anachronismus Eusebii, si Scaligero creditur; ex quo factum est, ut anno Nini XLIII natalem Abraami posuerit; cum ad Beluchi XXXI reiiciendus fuerit, qui est a XLIII Nini fere CCLIX. Sed vanissima est haec Scaligeriana ratio, ex qua perabsurdum illud sequitur, Assyriorum regum initium ante diluvium extitisse. Mundum enim creatum existimat anno per. Iul. 764., a quo ad Christi eatalem Dionysianum, qui anno eiusdem periodi 4713. convenit, anni sunt 3950. Idem porro Sardanapali necem et Assyriorum finem in annum coniicit period. Iul. 3840., qui est mundi 3077. Rursus diluvium accidit, ut ille putat, anno mundi 1657. Quibus de 3077 detractis, reliqui sunt 1420. Atqui regnatum est ab Assyriis annos 1484. Igitur anno ante diluvium 64. Belus imperium adiit. Nullum hic proleptici temporis methodus locum habere potest: ubi historica veritas ac verorum regum verique imperii tempus exquiritur. Quid enim peccavit Eusebius, qui eos annos omisit, ex quibus absurditatis tantum sequebatur? An non Ctesiam, Diodorum, alios denique, quam Africanum autores habere potuit, ex quibus numerum illum regum Assyriorum conficeret? Sane Diodorus, quem Euseb. lib. I. Chron. pag. 29. edit. Graecae profert, Sardanapalum a Nino quintum ac tricesimum numerat; ita fiunt additis Nino ac Belo, reges XXXVII, quot Eusebius percensuit. Quod si quatuor illi reges ab Eusebio praetermissi nihilo secius intrudendi fuerant, intererat eius, qui ludibrium vereretur, de singulorum sultem spatiis aliquot annos deducere, ut Assyriorum primordia intra diluvii metas continerentur. p. 11.

Nos ut obscurissimi vetustissimique imperii vestigia persequamur, certam epocham deligemus, de qua apud omnes ferme chronologos constet. Ea est Cyri ac Persici regni, cuius initium omnes statuunt Olymp. LV. anno primo. Coepit haec Olympias, ut alias ostendetur, anno per. Iul. 4154. Quare vel hoc ipso anno vel sequenti, labente scilicet Olymp. anno primo, Persarum imperium iniit. Nos certis de causis annum 4155. Cyri exordio praefinimus. Iam vero Medis, qui Persas antecesserunt, annos cum Diodoro et Ctesia imputamus CCCXVII. Quare illorum initium convenit anno per. Iul. 3838. Mundus, ut opinio fert nostra, conditus est per. Iul. 730. autumno, siquidem ad Dionysianum Christi natalem annos ab orbe condito putamus fere 3483. Accidit itaque diluvium anno per. Iul. 2386., mundi 1656. A quo ad Persarum exordium anni colliguntur 1769, ad Medorum 1452. Quocirca si, ut Diodoro et Eusebio placuit, Assyriorum imperium ad annos 1300 propagatum est, merito Beli a nobis initium statuitur anno post diluvium 153., mundi 1809., periodi Iulianae 2539. Indidem vero consequens est annum primum Beli natalem Abraami praecedere annis 140, si annos Belo quinque et exagenos attribuas. Abraamum denique non anno Nini 43., sed Semiramidis 23. natum esse, cum eius ortus incidat in annum a diluvio 292., period. Iul. 2678., mundi 1948. Haec de Assyriorum intervallo et initio proponenda modo; alibi probanda nobis erunt. p. 12.

Αἰγυπτίων τε ὀκτωκαιδεκάτη.] Longissima de Aegyptiorum dynastiis deque Scaligeri in Eusebium intemperantia disputatio hoc loco institui poterat. Nam et hic quoque proleptici temporis commentitiarumque dynastiarum methodus vestigia omnia veritatis permiscuit. Sed animadversionum nos brevitas libare ista leviter admonet neque vehementius ad eas quaestiones incumbere. Dynastias Aegyptiorum ex Manethone Africanus unam et triginta commemoravit, quibus annos assignat 5354. Ab eo diversissimus est Eusebius tam in dynastiarum ordine, quam in annorum summa. Propterea odiose hominem insectatur Scaliger, et Manethonis dynastiis omnibus explicatis, earum caput ultra mundi primordia longissime promovet. Quod ad fabularum institutum opportunum, ad historiae veritatem indagandam frivolum ac ridiculum est. Non enim mediocris ineptiae est, hisce nugis ac quisquiliis locum in historia chronologiaque tribuere, atque Eusebium proterea culpare, quod a fabulosis deliriis abstinens certam inierit viam, qua haec ad historiam accommodaret. Quoniam igitur Aegyptiorum, uti diximus, initia obscurissima sunt, harum dynastiarum novissima tempora consideremus, quorum historia certior, ut effusam fabularum lasciviam quibusdam terminis ac limitibus coerceamus. Cambyses anno, ut autor est Herodotus, regni sui quinto expugnavit Aegyptum, paulo post Amasidis obitum. Ad hoc tempus sex et viginti dynastiae ab Africano numerantur, anni 5159. De Cambysis exordio dubitari non potest, cum et ex hystoria et ex astronomicis observationibus apud Ptolemaeum liquidissime constet. Convenit autem anno per. Iul. 4185. Ergo annus eius imperii septimus coepit anno 4189, quem esse definimus mundi 3459. A diluvio ad hoc tempus anni decurrerunt 1803, quo spatio continenda dynastiarum intervalla, quibus ab ortu Abraami ad Cambysis quintum Eusebius imputat annos 1491. Sed Abraamo nascente XVI. dynastiam inchoatam scribit; a quo discedit Epiphanius, qui XVIII posuit, ut eodem tempore, quo Assyriorum monarchia coepit, Aegyptios regnasse dixerimus, cum illorum primordium circa annum a diluvio 153. inciderit, detractis totidem annis ab intervallo, quod a diluvio ad quintum Cambysis elapsum est, anni supererunt 1650 ab Aegyptiorum initio ad Cambysen usque et Persarum in Aegypto dominatum, per Africani dynastias, si lubet, dispensandi; quod otiosum ac nugacissimum est. Ad summam qui Aegyptiacarum originum historiam veritatemque consequi studet, postulatitias illas Scaligeri periodos et omnem dynastiarum pompam reiiciat necesse est, ac certis se annorum intervallis adstringat.

Οἱ ἐκ Σικυῶνι δὲ μόνοι.] Ex eodem Eusebio sumpsit. Sed hoc parum fideliter, quod primum Sicyoniorum regem facit Europem, cum sit apud Eusebium secundus. Nam primus est Aegialeus, qui annis LII regnavit. Huic Europs successit, cuius anno XXII nascitur Abraamus. Antiquissimum hoc in Europa regnum fuit. Cuius in annis minime autores consentiunt. Sed parum admodum fere omnes absunt a millenis, quot Apollodorus apud Eusebium numerat. Huius regni si initium explorare volumus, eadem, qua supra, methodo, considerandus est finis.
p. 13. Postremus Sicyoniorum regum Zeuxippus fuit, cuius post obitum Agamemnon regnum illud invasit: ita ut deinceps reges nulli proprii fuerint, sed sacerdotes: tametsi post Zeuxippum Pausanias Hippolytum regnasse scribit, quo imperante Sicyoniis potitus est Agamemnon. Addit et Lacestadem regem, sub quo a Doriensibus Sicyonii subacti sunt. Constat igitur propemodum sub Troianum excidium Sicyoniorum desiisse regnum. Tempus ἁλώσεως Troianae annus est in per. Iul. 3230., mundi 2800., post diluvium 1144. Quare cum Agamemnon XV annos regnaverit, ex quibus X Troianae obsidioni decerpendi sunt, quinque primis

Sicyonem expugnavit. Coepit autem Agamemnon, ut eodem anno desiisse fingamus, quo Troia est excisa, per. Iul. 3516., mundi 2786., post diluvium 1130. Quare si anno regni primo Zeuxippum vicit, ac primi illi regum anni terminati sint, affirmandum est Sicyoniorum imperium iniisse anno post diluvium circiter CLXIV., paulo post Assyriorum exordium. Ita falsum erit, quod Eusebius operis initio praefixit, ortum esse patriarcham Europis anno XXII., qui est ab initio regni Sicyonii LXXIV: nam centum prope ac triginta anni inter utramque epocham interiecti sunt.

Καὶ ἦν τῆς τοῦ κόσμου καταβολῆς.] In superiore numero ab orbis initio ad εἰκοστὴν γενεὰν numerabat annos 3332: cui summae duos et triginta deesse ad LXX Seniorum ratiocinia monuimus. Vicesima γενεὰ, quia Cainan comprehenditur, est Thare ortus, Abraami vero XXI. Ad hanc anni sunt ex LXX. 3434, nempe additis Thare septuaginta, quot erat natus, cum Abraamum genuit. Ad Abraami porro circumcisionem anni fluxerunt 3532. Atqui Epiphanius ab orbe condito ad Abraami XC, quo circumcisionis praeceptum editum est et Iudaismus occoepit, nonnisi 3432 annos enumerat. Aut igitur πεντακόσια pro τετρακόσια restituendum est: aut certe summam illam non ad Isaaci natalem vel circumcisionem Abraami, sed ipsius ortum Abraami perduxit, hoc est ad XXI ab Adamo γενεάν. Hoc si ita est, tum in viam redierit Epiphanius, et XXX fere illos annos restituerit, quos a superiore calculo abesse docuimus: nisi quod tres omnino anni desiderantur, quod nullius est momenti.

Σκυθισμὸς γὰρ ἀπὸ τοῦ κατακλυσμοῦ.] Ad Seruch, inquit, et turrim: quasi Babylonica turris Seruchi tempore sit extructa. Quod secundum Latinos defendi potest, Graecorum vero rationibus repugnat. Etenim Geneseos X, 25. Heber Phalego filio nomen imposuit ab eventu: *Quod in diebus eius divisa sit terra.* Hoc partim Heberis ipsius tempore, paulo ante Phaleg ortum accidisse censent, partim sub Phaleg, et *in diebus ipsius.* Qui posteriorem sectam tenent, Heberem dicunt afflatu prophetico praesensisse divisionem illam, quam post Phalegi ortum quamlibet longe, impune certe summovent. Tertius a Phalego Seruch est, qui anno apud Latinos aetatis XXX. Nachorem genuit, cum Phaleg XCII ageret. Quare sub Serucho turris aedificari potuit. Verum hoc LXX Seniorum ratiocinia non ferunt. Nam ab ortu Phaleg ad Seruchum anni sunt apud Graecos CCLXII. Vixit autem Phaleg annos non amplius CCXXXIX. Non potest igitur sub Serucho excitata esse turris si quidem vivo adhuc Phalego, *et in diebus eius divisa sit terra.* p. 14.
Ideo πλατυκῶς Epiphanius dixit, ἄχρι τοῦ πύργου καὶ τοῦ Σερούχ; quia secundum turris aedificationem Seruchi temporibus idololatria grassata est.

Animadvertenda et hoc loco et alibi sparsim constituta apud Epiphanium religionis ac sectarum progressio. Principio enim Barbarismum ab orbis initio ad diluvium decurrisse putat. Inde ad ortum Seruchi Scythismum. A Serucho deinceps Hellenismus obtinuit. Tum Abraamiaeorum ab Abraamo secta. Exinde Iudaismus ab anno patriarchae XCIX. Quae partitio maxime ob Scythismum fautorem me non habet. Neque enim fando unquam est auditum, Noemi posteros ante turrim conditam Scythas appellatos, aut aliis denique, quam Scythiae incolis, post nationum utique divortia Scytharum vocabulum attributum. Hanc Epiphanio partitionem peperit arguta illa Pauli interpretatio ad Rom. I., ubi Barbarorum, Scytharum, Graecorum, Iudaeorumque fit mentio. Sed quam alienus ab Epiphanii mente sit apostoli locus ille, res ipsa loquitur.

Ζεμβρὰν καὶ Ἰέζαν.] Hebraice Iecsan LXX Ἰεκτὰν. Mox Ἐμμαδὲμ corrupte apud Epiph. pro Μαδὰν. LXX Μαδάλ.

Ἐξ ὧν αἱ φυλαὶ.] De Sarracenorum φυλαῖς et φυλάρχοις frequens apud Procopium aliosque mentio.

Ἐξ οὗπερ πέμπτος.] De Iobi stirpe et origine non eadem fuit antiquorum opinio. Sed quam Epiphanius sequitur, ea communis maximeque probabilis est: Iob eundem esse cum Iobab, de quo Genes. XXXVI, 33. Quod in editione LXX ad calcem libri Iob adnotatum est: ὥστε εἶναι αὐτὸν πέμπτον ἀπὸ Ἀβραάμ, excluso scilicet Abraamo, ut Epiphanius interpretatur. De quo vide cum alios, tum Salianum nostrum, qui de Iobi historia, ut et de caeteris, luculente eruditeque scripsit.

Ἐπὶ τὴν Μεσοποταμίαν Φαδάν.] Mesopotamia פַּדַּן אֲרָם, *Padan Aram* appellatur Genes. XXV et XXVIII. Sed quae sit altera Mesopotamia Susoba, nondum comperi, nec ulla eius nominis occurrit.

N. IX. Ἐν ἑβδομήκοντα ψυχῶν.] Corr. ψυχαῖς. De numero dissident Hebraei Latinique codices a LXX Senioribus, secundum quos Act. VII, 14. Stephanus LXXV animas enumerat: quanquam iidem illi LXX Deuter. X, 22 non plures animas quam septuaginta posuerunt. De hac quaestione vide Hieron. in Tradit. et Augustin. Quaest. CLII. in Genes. et XVI. de Civit. Dei cap. 40.

Ἐν χρόνοις Μωϋσέως.] Prava interpunctio falsissimam sententiam hoc loco peperit: nempe quinta γενεᾷ utrobique tam in stirpe Levi, quam Iudae, Israelitas ex Aegypto migrasse. Dixit enim paulo ante: mansisse illos in Aegypto γενεὰς πέντε, quas deinde singillatim percenset. Atqui de sola id Levitica utcunque verum est; in Iudae stirpe falsum. Haec enim est utriusque series.

p. 15.

Iacob	
Levi	Iuda
Caath	Phares
Amram	Hesron
Moyses	Ram
	Aminadab
	Naasson

Aegyptum ingressus est Iacob, cum iam Caath nepotem ex Levi filio suscepisset. Quamobrem prius illud falsum est, πέντε γενέας in Aegypto commoratos Israelis posteros, cum duae aut ad summum tres duntaxat intercesserint. Posterius, quod ait quinta γενεᾷ liberatum esse populum, commoda interpretatione sic adiuvandum est, ut quintum caput per γενέαν intelligat. Nam Moyses a Iacobo quintus est. Neutrum in stirpe Iudae procedere potest. Siquidem Naasson a Iacobo septimus est. Ergo ita locum Epiphanii concipiemus: ἐν χρόνοις Μωϋσέως καὶ Ναασσών· πέμπτῃ γενεᾷ κατὰ τὸν Λευὶ ἔξεισιν etc. *Quinta generatione duntaxat in serie Levi.* Quod adiiciendum ideo fuit, quia ambas inter se familias permiscuerat. Ad eumque modum corrigenda et Interpretatio nostra.

Huc illa celebris et a chronologis vexata quaestio pertinet: quot annos in Aegypto Israelitae permanserint; quam ne attingam hoc loco, cum eorum, a quibus est tractata diligentia et copia, tum instituta notarum brevitas hortatur.

Ἦν δὲ κατ' ἐκεῖνο καιροῦ.] Veteribus ante Eusebium omnibus persuasissimum erat, Moysis σύγχρονον Inachum fuisse; ut Iosepho, Clementi, Tatiano, caeteris denique. Quorum quidem errorem castigavit Eusebius et Inachum ante Israelitarum migrationem annis ferme CCCXLVI extitisse docuit. Quare vehementer miror, Epiphanium, qui Eusebium in omnibus, quae ad temporum rationem attinent, perpetuo sequitur, ibi, ubi minime oportuit, ab eius autoritate descivisse

ac falsam veterum opinionem veritati praetulisse. Atque ut verum Inachi et Argivorum regni initium eruatur, huius extrema tempora perscrutanda sunt, atque in termino aliquo defigendus est gradus, unde ad anteriora progredi liceat. Duae apud Eusebium dynastiae in eiusdem propemodum regni successione ponuntur: Argivorum una Regum, Mycenaeorum altera. Argivorum regum series ab Inacho coepta ad Acrisium usque perducta est, quanquam Inachi stirpem ac familiam Sthenelus claudit: quo mortuo, in Danaum peregrinum atque Aegyptium ius est ab Argivis imperii translatum. Deinceps a Danao ad Acrisium propagata successio est. Quem cum Perseus nepos per imprudentiam occidisset, Mycenas sese contulit, ubi vel ab ipso vel ab eius filio Sthenelo continuatum est Argivorum regnum et Mycenaeum appellatum. Ultimus regum istorum, cuius quidem rationem Eusebius habeat, Agamemnon fuit: quo interempto Mycenaeorum regnum in secundo Chronico terminatur anno eodem, quo excidium Troianum accidit. Vide Pausaniam Corinthiacis. Iam Argivorum Mycenaeorumque regum successio annique, quibus imperarunt, varie ab Eusebio traduntur in utroque Chronic. lib. 20. Nam in posteriore ab exordio Inachi ad Troianum ἅλωσιν anni numerantur 675, in priori 655. Secundum posterioris libri ratiocinia, quem praecipue sequimur, cum Troianum excidium congruat anno periodi Iul. 3530., mundi 2800., Inachus ab anno ante hunc sexcentesimo septuagesimo quarto coepit periodi Iul. 2856., mundi 2126: post diluvium 471., post Abraami ortum 179. Cumque Israelitae anno per. Iul. 3183., mundi 2453., ex Aegypto migraverint, Inachi primordium Moysis principatum antecedit annis fere CCCXXV. Tantum veterum scriptorum et Epiphanii chronologia a veris temporum rationibus aberrat. p. 16.

Οὗ θυγάτηρ Ἴω.] Haec ex Eusebii Chronicis interpolata sunt. Eusebius ad annum CLX haec notat: *Inachi filia Io, quam Aegyptii mutato nomine Isidem colunt. A patre Inacho Inachus fluvius apud Argos, a filia Ione Bosporus nuncupatur.* At anno CCCCLXXXI: *Io*, inquit, *Iasi filiae Iupiter mixtus est, qua in borem, ut dicitur, versa, Bosporus appellatus est; et secundum nonnullos in Aegyptum profecta Isis nuncupata.* In Graecis, quae ex Georgio Monacho Scaliger concinnavit, pro Iasi scriptum est Ἰνάχου. Itaque duas eiusdem nominis apparet fuisse. De priore loquitur Epiphanius. Sed hoc de suo perperam adiecit, eandem Atthidem nominatam. Nam Eusebius anno ΙΟΧΙ Cranai secundi Atheniensium regis filiam Atthidem extitisse scribit, a qua Attica cognomen obtinuit, cum hactenus Acta vocaretur.

Καὶ αὐτοῦ τοῦ Ἰνάχου, Ἄπιδος.] Multum discrepant Inachus et Apis. Nam hic ab illo tertius est in Argivorum regum serie, quare imprudenti hoc Epiphanio excidit.

Καὶ εἰς αἱρέσεις συσταθέντα.] Quis hoc praeter Epiphanium dixit, mysteria illa, quae ab Orpheo, caeterisque Athenas importata fuerant, philosophorum sectas ac dogmata propagasse? Plane hoc inauditum ac mirum: neque, ut quod res est fatear, speciem ullam probabilitatis continet.

Ἕως τῶν Μακεδονικῶν χρόνων.] Susque deque miscet ac perturbat omnia, non minus temporum quam veritatis et historiae securus. Nam Macedonica tempora, quibus imperium istud floruit, a Xerxis aetate nimium distant, multo magis a Nabuchodonosore. Et tamen ad illa tempora sectarum principes Philosophos extitisse docet. Haec sunt inextricabilia.

Πλάτων γὰρ κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρόν.] Toto, inquit, illo spatio Plato et ante hunc Pythagoras, ac post illum Epicurus emersit. Xerxisne ac Nebuchodono-

sori temporibus? Unus ex iis, quos recensuit Epiphanius, antiquissimus Pythagoras diu post Nabuchodonosorum, ante Xerxen floruit, nempe Olympiade LX, ut Diogenes testatur, Cyro adhuc superstite.

AD STOICORUM HAERESIN.

N. I. Μεταγγισμούς τε ψυχῶν.] Stoici animam putabant esse corpoream, videlicet πνεῦμα ἔνθερμον, ut ait Diogenes, ideoque interire post mortem, tametsi aliquamdiu post obitum maneret. Μετεμψύχωσιν vero defendisse Stoicos nusquam a me lectum est. Et hallucinationem hanc esse crediderim, quaemadmodum et quod sequitur: immortalem a Stoicis animam esse constitutam. Quod falsum est. Vide sis Diogenem et Plutarch. de Placitis Phil.

p. 17. Οἱ μὲν γὰρ αὐτὸν ἔφασαν.] Zeno Stoicae sectae conditor Mnaseae sive Demae F. Cittiensis, ex oppido Cypri insulae, ut Laërtius et Suidas narrant; de Cleanthe Tyrio Zenonis patre nihil comperi. Quamquam scio ἄνωθεν fuisse Phoenicem, quod Cittiense oppidum a Phoenicibus colonis frequentatum fuerit. Quinetiam civem illum vendicasse sibi τοὺς ἐν Σιδῶνι Κιττιεῖς autor est Laërtius. Ergo Citium aliud in Phoenice oppidum. Denique Zenonem Poenulum ob id appellat Cicero lib. IV. de fin: *Postea tuus ille Poenulus (scis enim Citiaeos clientes tuos e Phoenicia profectos).*

Ἐν Ῥώμῃ δὲ βεβιωκέναι.] A quo haec didicerit Epiphanius, beasset nos, si docere voluisset. Crediderim Ῥώμην ab eo pro Italia sumi; et Eleatem Zenonem cum Citiensi confundi. Nam dubitat, duone fuerint ambo isti, an unus Stoicorum pater. Fuit autem Zenonum alter Eleates ex Italia; sed quod ambos dicit eadem habuisse dogmata, satis ex Diogene aliisque refellitur.

AD HAERESIN VI., PLATONICORUM.

Τῇ μετενσωματώσει.] Socrates apud Platonem in Phaedone de hoc dogmate disputat. Sed et Chrysostomus Homilia I. in Ioan. Platonis dogmata de anima redarguens: νῦν μὲν γὰρ αὐτὴν τῆς τοῦ θεοῦ φησιν οὐσίας εἶναι. νῦν δὲ οὕτως ἀμέτρως καὶ ἀσεβῶς ἐπάρας μεθ' ἑτέρας καθυβρίζει πάλιν ὑπερβολῆς, εἰς χοίρους καὶ ὄνους εἰσάγων, καὶ τὰ ἔτι τούτων ἀτιμότερα ζῶα.

AD HAERESIN VII., PYTHAGOREORUM.

Πρὸ δὲ τούτου Πυθαγόρας.] Verum est Pythagoram Platone superiorem fuisse, de Peripateticis absurdum. Quos perperam sane cum Pythagoreis commiscet. Quinque enim sectas commemorat, Stoicorum, Platonicorum, Pythagoreorum, sive Peripateticorum, et Epicureorum. Ad haec Peripateticos τὴν μετεμψύχωσιν propugnasse ridiculum est, et hoc Pythagorae figmentum reiicit Aristoteles lib. I. de Anima cap. III.

Οὗτος δὲ τέλειος ἐν τῇ Μηδίᾳ.] In Media Phythagoram obiisse nemini unquam auditum. Scribendum ἐν τῇ Ἰταλίᾳ. Mortuus enim est in Magna Graecia. Vide Laërtium.

AD EPICUREORUM HAERESIN.

Εἶναι δὲ ἐξ ὑπαρχῆς.] Vide Diodorum Siculum lib. I. et Euseb. Προπάρασκ. lib I.

Ἕως τοῦ Σεροὺχ καὶ Ἀράμ.] Pro Ἀρὰμ corr. Θαρέ.

Ἐντεῦθεν τὸ πᾶν γένος τοῦ Ἰσραήλ.] Non tam vetus est Iudaeorum appellatio pro universo Israelitarum genere, ut Davidicis temporibus usurpare coeperit. Audi Iosephum lib. XI. Ἀρχ. cap. V. Ἐκλήθησαν δὲ τὸ ὄνομα ἐξ ἧς ἡμέρας ἀνέβησαν

ἐκ Βαβυλῶνος ἀπὸ τῆς Ἰούδα φυλῆς, ἧς πρώτης ἐλθούσης εἰς ἐκείνους τοὺς τόπους αὐτοί τε καὶ ἡ χώρα τῆς προσηγορίας ταύτης μετέλαβον. Quare post Babylonicam captivitatem Iudaeorum vocabulum obtinuit.

Καὶ φιλισταίᾳ οὕτω κληθείσῃ τότε.] Quasi duae ac discrepantes appellationes istae sint. Enimvero una eademque vox est פלשתים. Sed τὸ Φ olim, ut apud Arabes, ita apud Hebraeos perpetuo cum Raphe pronuntiatum. Graeci διὰ τοῦ Π expresserunt.

N. v. Καὶ Ἰουδαῖοι ἐγένοντο.] Ἰουδαῖοι hoc loco idem est atque *abundantes, copiosi fuerunt.* Epiphanius vero perinde hoc vocabulum accipit ac si *viles et contemptos* significaret. Nam ea vocis est potestas. Hinc dactylorum genus divis sacrum per contemptum a Iudaeis chydaeum vocatum. Plinius lib. XXIII. cap. IV. *Nam quos ex iis honori deorum dicamus, Chydaeos appellavit Iudaea, gens contumelia numinum insignis.* p. 18.

N. VI. Διὰ τὸ διπλοῦσθαι.] Nam libri duo Regum priores, quos Samuelis vocant, volumen unum constituunt, itemque Regum duo posteriores unum. Tum liber Ruth cum Iudicum libro volumen unicum facit. Sic et libri Paralipomenon duo, totidemque Esdrae, singula apud Hebraeos volumina faciunt. Ita v expunctis voluminibus, constat XXII librorum numerus. Vide Hieron. in Prologo Galeato, Cyrillum Catech. IV. Euseb. lib. VI. Histor. cap. XIX.

N. VII. ἢ τις ψυχὴ οὐκ ἀκούσεται.] Solet plerumque Scripturae verba non iisdem, quibus concepta sunt, citare verbis, sed immutatis, ut hoc loco factum est.

Βασιλευόμεναι ὑπὸ τοῦ Ἱεροβοάμ.] Samaria regionis interdum nomen est, interdum oppidi. Priori modo etiam ante conditam Samariam usurpatur III. Reg. cap. XIII, 32: *Profecto enim veniet sermo, quem praedixit in sermone domini contra altare, quod est in Bethel et contra omnia fana excelsorum, quae sunt in urbibus Samariae.* At cap. XVI, 24 Amri rex Israëlis *emit montem Samariae a Somer duobus talentis argenti et aedificavit eum, et vocavit nomen civitatis, quam extruxerat, nomine Semer domini montis Samariam.* Apud Epiphanium ergo ratio postulat, ut Samaria regionis potius, quam oppidi vocabulum sit. Nondum enim Ieroboamo regnante condita erat Samaria. Et tamen cum Hierosolymis opponatur, pro oppido sumi videtur.

Ἰωσίας Ἰεχονίαν, τὸν καὶ Σελούμ.] Multis modis implicata et obscura est postremorum Iudae regum successio, quam impediliorem facit Matthaei genealogia. Nos utrumque nodum breviter hoc loco dissolvemus. Iosias Amon filius regni haeredes filios habuit omnino tres, ut ex lib. IV. Reg. constat. Primus post parentis mortem regnavit Ioachaz mensibus tribus: IV. Reg. 23, 30, qui et Iechonias in apocrypho Esdrae libro tertio dicitur, cap. I, 34. Perperam enim Maldonatus noster id ad Ioacim accommodavit. Secundus est Ioakim, qui et Eliacim vocatus est, lib. IV. Reg. cap. XXIII, 34, qui annos regnavit XI. Tertius fuit Sedecias, ante quem Ioachin sive Iechonias Ioacimi filius tribus mensibus imperavit: cap. XXIV, 17. At I. Paral. cap. III, 15 Iosiae filii nominantur quatuor: Iohanan, Ioakim, Sedecias, et Sellum. Cum hic multa ab interpretibus et chronologis afferantur, placet Hebraeorum sententia, imprimisque Aben Hesrae in I. cap. Dan., R. Levi ben Gerson et R. David ad lib. IV. Reg. cap. XXIII, Sellum eundem esse cum Ioachaz, qui paternum imperium populari factione, non iure successionis obtinuit, quod et Scriptura cap. XXIII, 30. declarat his verbis: *Tulitque populus terrae Ioachaz filium Iosiae: et unxerunt eum et constituerunt eum regem pro patre suo.* Nam si aetatis ordinem spectes, post Iohanam, qui ante patris obitum praereptus videtur, maximus natu fuit Ioacim sive Eliacim. Quod et Iosephus

lib. x. cap. vii. Orig. docuit. Etenim Ioachaz cum ad regnum evectus est, viginti
p. 19. trium annorum erat; cap. xxiii, 31. Ioakim vero, qui post tres menses regnum capessivit, annorum erat xxv; biennio itaque maior fuit. Unde et Ioakim anno Iosiae circiter vi natus est, Ioachaz vero ix. Tertius natalium ordine debet esse Sedecias, qui post xi annos et vi menses a morte Iosiae a Nabuchodonosore regno praepositus est. *Actum vicesimum et primum aetatis annum habebat.* Cap. xxiv, 18. Quare Ioachazo iunior est, natusque anno Iosiae xxi vel xxii. Atqui in lib. i. Paralipom. postremus numeratur Sellum, quem Ioachaz esse diximus. Non desunt coniecturae, cur postremum in locum coniectus sit Sellum, quas, ne longiores simus, chronologi suppeditabunt. Quanquam Hebraei quidam, ut Aben Ezra in cap. i. Dan., Sellum sive Ioachaz postremum Iosiae liberorum esse velint, et quod Sedecias, cum regnare coepit, xxi annos natus fuisse dicitur, interpretari student. Scribit enim ille triennio ante Iosiae necem Sedeciam regem esse consalutatum: unde cum Iosias mortuus est annum egit xxiv. Idque ex eo probat, quod Hier. xxvii in principio regni Ioakim iussus est propheta vincula praeparare ac regum nunciis dare, qui venerant Ierusalem ad Sedeciam regem Iuda: nimirum quod finitimi reges Sedeciam, quem ab hinc triennio regem esse factum didicerant, mortuo patre adhuc regnare sibi persuaserant ad eumque legatos miserant. Ita Aben Ezra. Quae mihi interpretatio non magnopere placet. Sed utut ea se res habet, omnino Sellum est Ioachaz. Nam Ierem. xxii, 11 *Sellum filius Iosiae pro Iosia patre suo regnasse* dicitur; is autem est Ioachaz. Cum haec partim certissima atque e sacrorum librorum autoritate deducta, partim probabilia sint, ex iis nonnulla ab Epiphanio commissa castigari necesse est. Primum quod Iechoniam ait Iosiae filium eundem esse cum Sellum. Nam Matthaeus Iechoniam quidem a Iosia genitum asserit, sed Iechoniae filium non Iechoniam alterum, sed Salathielem appellat. Atqui Sellum sive Ioachaz prolem habuit nullam; neque Iechonias ab altero quam ab apocrypho Esdrae libro nominatur. Quamobrem Epiphanius per Iechoniam Iosiae filium Ioacimum sive Eliacimum intellexit; cuius filius Iechonias idemque Ioachim appellatus יְהוֹיָכִין: Pater autem יְהוֹיָקִים. Verum Ioakim nusquam Iechonias vocatur; haec prima est hallucinatio. Altera, quod Amasiam eundem Iechoniam sive Ioakimum nominat, quod unde hauserit, nescio. Tertia omniumque gravissima, quod Iechoniam, hoc est Ioacimum, genuisse Sedeciam ac Ioacimum existimat. Lib. i. Paral. cap. iii, 15. ex quatuor Iosiae filiis Ioanan, Ioakim, Sedecia, et Sellum, secundus, nempe Ioakim, genuit Iechoniam et Sedeciam, Iechonias Salathiel. Duo ergo fuere Sedeciae, neuter Iechoniae filius; sed prior Iosiae, qui et postremus ex Davidis stirpe regnavit, alter Ioakimi filius, qui nunquam rex fuit: quos quidem ambos Epiphanius permiscuit. Nam qui ab eo commemoratur Sedecias, ille est ipse, qui regum novissimus imperavit. Cuius etiam fratrem Ioakimum appellat, quae quarta est hallucinatio; nisi quis Sedeciam alio nomine Ioacimum ab Epiphanio nominari censeat, ut καὶ Ἰωαχεὶμ ad καλούμενον referatur. Quod et nihilo secius falsum est: Ioakimi quippe filius Ioachin fuit, qui male hic Ἰωαχεὶμ concipitur, cuius patruum Sedeciam Scriptura vocat. Hieron. in cap. i. Dan.
p. 20. Ioacimum Iosiae F. per kim, Ioacimi vero filium scribi per chin observat. Totidem paucis illis verbis a sanctissimo eruditissimoque viro Epiphanio peccata sunt; quorum admonere lectorem officii est institutique nostri, excusare, humanitatis, dissimulare aut tueri velle neque officii neque humanitatis est.

N. viii. Καὶ μηδεὶς περὶ τούτου.] Hic illa gravis agitatur quaestio, sitne in Matthaei genealogia alicuius nomen praeteritum. Etenim Matthaeus generatio-

nibus recensitis omnibus tria intervalla distinguit, quibus singulis XIV generationes assignat. Ut puta ab Abrahamo ad Davidem XIV: totidem a Davide ad transmigrationem Babylonis: ac postremo totidem a transmigratione ad Christum. In duobus intervallis prioribus constat numerus; in tertio XIII duntaxat capita numerantur. Nam generationum nomine personas ipsas Matthaeus intelligit, quae aut gignunt, aut gignuntur. Quare unum aliquod nomen sive generatio una desideratur. Cum hunc Matthaei locum Christiani nominis hostes tanquam inextricabilem obiicerent, quaestionis difficultas nostrorum excitavit ingenia, et innumerae rationes excogitatae sunt: quarum haec plerisque commodissima videtur, ut librariorum culpa nomen aliquod exciderit. Quamobrem Epiphanius Iechoniam bis a Matthaeo positum arbitratur; quam eiusdem vocabuli repetitionem exscriptores vitiosam rati praepostere correxerunt. Ergo ita Matthaeum scripsisse putat: *Iosias autem genuit Iechoniam, et fratres eius in transmigratione Babylonis: Iechonias autem genuit Iechoniam, Iechonias autem genuit Salathiel* etc. Iam scimus quis ex Epiphanii mente sit Iechonias iste. Prior enim est Ioakim sive Eliacim, Iosiae F. Posterior alio nomine Sedecias dictus est. Sed quam absurdum illud sit, e superioribus constat. Nam si de Sedecia rege loquatur, quod ex regii stemmatis successione videtur velle, Sedecias non Iechoniae neque Ioakimi, sed Iosiae filius est. Sin alterum Sedeciam intelligat, qui privatus vixit, est ille quidem Ioakimi filius, sed non Iechoniae. Nam lib. I. Paral. cap. III, 15 Ioakim Iosiae filius Iechoniam et Sedeciam genuit, Iechonias Salathielem. At Epiphanius Iechoniam et Sedeciam, quos tam perspicue Scriptura distinguit, in eundem virum conflavit. Non dubium est, quin Iechonias ille, qui Salathielem a Matthaeo genuisse dicitur, idem sit cum eo, quem Paralipomenon liber commemorat. Sed alius ei pater quam Iechonias quaerendus est. Maldonatus noster Ioakim pro iterato Iechonia substituit atque ita legit: *Ioacim autem genuit Iechoniam: Iechonias autem genuit Salathiel.* Quod Scripturae consentaneum est.

Ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ τῆς αἰχμαλωσίας.] Multiplex error, quo vix ullus ab Epiphanio gravior est commissus. Non enim post Hierosolymorum excidium,' sed tanto ante, post X videlicet tribuum deportationem, coloni in Samariam submissi, idque a Salmanassaro, non a Nabuchodonosore. Vide IV. Reg. cap. XXIV. Neque vero solus in eo errore fuit Epiphanius. Nam et Procopius in Esaiam a Nabuchodonosore Samariam et Iudaeam expugnatas ait. Atqui Com. 24 dicitur Assyriorum rex de Babylone et de Cutha caeterisque regionibus transtulisse colonos in Samariam. An tum Salmanassar Babylonem obtinebat, ut qui tunc in ea regnabat Assyriorum vectigalis esset? Hoc quidem probabile est. Nam p. 21.
post Assyriorum vetus illud ac diuturnum imperium extinctum Babyloniorum primordia a Nabonassaro coeperunt, anno per. Iul. 3967., centum fere annis a constituta Medorum monarchia, quae iniit anno 3838. Porro Salmanassar X tribus captivas abduxit circiter annum per. Iul. 3993., anno Ezechiae VI. A quo ad Nabopolassarum Nabuchodonosori patrem anni sunt XCVI. Initus enim Nabopol. convenit anno per. Iul. 4089., sub quo, imo ante ipsum, Babyloniorum imperium florere excitarique coepit, cum iam Assyriorum secundum illud occidisset. Etenim post Assaraddon nulla fit amplius regum Assyriorum mentio, sed Merodachi filii Baladan Babyloniorum principis, IV. Reg. XX, 12., anno Ezechiae XIV. Ideoque post Merodach Babylonios reges crediderim ab Assyriorum dominatu se in libertatem asseruisse.

Τοὺς τε Χουθαίους καλουμένους.] Quatuor hosce populos longe aliter Scriptura

concipit: *Adduxit*, inquit, *rex Assyriorum viros de Babylone, et de Cutha, et de Hava, et de Emath, et de Sepharuaim.* Graece ita: Καὶ ἐκ Χυθὰ, καὶ ἀπὸ Ἀουὰν, καὶ ἀπὸ Αἰμὰθ, καὶ ἀπὸ Σεμφαρουαίμ. Quod ad Chuthaeos attinet, Iosephus l. IX. Ἀρχαιολ. c. XIV, a Chutha Persidis regione et cognomine fluvio nominatos affirmat. Vide Eliam Thisbitem, vocabulo כּוּת. Ab iis nihil, opinor, discrepant Κουδαῖοι, licet Epiphanius secernat; nisi quis Αἰμαθαίους eius loco reponendum censeat. Nam pro Ἀναγωγαναίους fortasse Ἀουαναίους melius erit, pro Havaeis; cum LXX Ἀουὰν scribant. At Scaliger Ἀνάγνους Γαναίους leg. ariolatur: quia גִּבְאֵי sunt ἄναγνοι, *obscoeni*. Verum nationum hic nomina, non morum ac vitiorum propria commemorantur.

Ἔσδραν τινὰ ἱερέα.] Mirifica rerum temporumque perturbatio. Esdram asserit a Nabuchodon. missum, qui Samariae inquilinos Mosis legem doceret, idque anno XXX Babylonicae captivitatis accidisse. Non videtur alterum Esdram ab eo intellexisse qui Hecaliae filius legis scriba dicitur. Sed alium tamen, si verum illud est, oportet fuisse. Non melioris est notae, quod Israeliticam, hoc est X tribuum captivitatem, cum altera confundit, quae sub Nabuchodon. contigit. Quid enim aliud facere potuit qui Nabuchodon. eundem cum Salmanassaro constituerat?

AD HAERESIN SAMARITANORUM.

Hactenus sectae illae, quae vel ante scripturam extiterunt vel gentilium fuere propriae. Sequuntur eae quae utcunque scripturas usurpantes multiplicibus sese erroribus implicarunt. Quarum duo capita sunt, Samaritae ac Iudaei. Samaritanorum καθ' ὑποδιαίρεσιν factiones sunt IV, Iudaeorum VII. Samaritani sunt Esseni, Gortheni, Sebuaei, Dosithei; Iudaeorum Saducaei, Scribae, Pharisaei, Hemerobaptistae, Nasaraei, Osseni, Herodiani. Haec Epiphanius; qui, ut alias saepe, sic in harum sectarum partitione ac descriptione aequum magis ac benignum quam accuratum et severum lectorem exigit. Permulta enim istic falsa, minimeque cohaerentia disputat; quae nos invitissimi sane, pro eo ac sanctissimi viri pietatem eruditionemque veneramur, sed necessario tamen eruere, ac
p. 22. ne fraudi cuiquam sint, castigare debuimus. Hegesippus porro apud Eusebium l. v. cap. XXII. Iudaeorum sectas percensens Samaritanos inter illas retulit. Sunt autem istae: Essaei, Galilaei, Hemerobaptistae, Masbothaei, Samaritae, Saducaei, Pharisaei.

N. I. Ἑρμηνεύονται δὲ Σαμαρεῖται.] Non unius Epiphanii est otiosa illa ac nimis arguta vocis interpretatio. Paene omnes antiqui tam Graeci quam Latini eam amplexi sunt, ac mirificas ex ea sententias procuderunt. Sed accuratior omnibus Epiphanius noster, qui ita communem illam attulit, ut veriorem ac germanam non praeteriret; quae est lib. III. Reg. cap. XVI, 24.

Τὴν νῦν Ἰουδαίαν, ἢ Σαμάρειαν.] Saepenumero hoc inculcat, Cham in fratris sui possessionem invasisse ac Iudaeam occupasse; cuius pars, latius diffusa vocabuli notione, Samaria fuit.

Ἐκ τε τοῦ φυλάττειν τὴν γῆν.] Primus hoc Eusebius in Chronicis scripsit; a quo mutuatus est Epiphanius; si haec tamen Eusebii, non Hieronymi sunt, qui istiusmodi origine saepius lusit. Huic Epiphanius non bellae nominis interpretationi deteriorem adjecit alteram, Samaritas ob id appellatos esse quod legem custodirent.

N. II. Ἐν τῷ ὄρει τῷ παρὰ τοῖς Γαρίζειν.] De duorum montium istorum, Garizin et Hebal sive Gebal, situ idem sentit Epiphanius quod Eusebius, si is

autor est libri de Locis Hebr. quem Latine vertit Hieron. Ibi enim ad Hierichuntem collocat, et Samaritanos mendacii arguit, qui eosdem prope Sichem sive Samariam constituebant. At Iosephus lib. IV. cap. VIII. Samaritanorum opinioni suffragatur: nec non et lib. XI. c. VIII., ubi de templo, quod Alexandri Magni tempore a Samaritanis in Garizin extructum est, historiam explicat: quam tu consule. Sed omnium accuratissime de Garizim et Hebalis situ disserit eruditissimus Masius ad cap. VIII. Iosue, et adversus Mercatorem Samariae propinquos istos esse colles pluribus argumentis affirmat.

No. IV. Ἀπὸ γὰρ τούτου τοῦ ἄρθρου.] Arguta haec observatio Graeci articuli, qui ad νεκροῦ vocabulum appositus est, vim habet omnino nullam; ut neque loca caetera quae illustrandi gratia congerit.

No. V. Παραδόσει τῇ προαχθείσῃ.] Reg. προσαχθείσῃ.

AD ESSENORUM HAERESIN.

Quid in mentem Epiphanio venerit, ut Essenos Samaritanis accenseret, divinare non possum. Nam quod occurrere potest, genus quoddam Essenorum fuisse a notis illis et sanctioribus diversum, probarem equidem, si apud Philonem aut Iosephum, qui de Essenorum generibus, institutis ac moribus accuratissime scripserunt, vestigium aliquod novorum istorum ac posteriorum existeret. Nunc cum neque isti nec alius quisquam vel levissime significarit Essenos cum Samaritanis commune quippiam habuisse, cumque inter Iudaeorum sectas a Iosepho recenseantur Esseni, apparet primum neque Essenorum ullam inter Samaritanos fuisse sectam, neque Epiphanium aliud Essenorum genus, cum Samaritanis adscriberet, intellexisse, quam celeberrimum ac laudatissimum illud quorum instituta Philo ac Iosephus uberrime perscripserunt. Quamquam Osse- p. 23.
nos postea inter Iudaicas sectas commemorat, qui iidem cum Essenis videntur.

Μετὰ τούτους Γορθηνοὶ διεφώνησαν.] Quomodo Gortheni πρὸς ἀλλήλους dissentire coeperunt? Nam nulla hic Gorthenorum divortia, sectas nullas enumerat: et ἐπεξήγησις illa quae subiicitur: φημὶ δὲ μέσον Σεβουαίων καὶ Ἐσσηνῶν καὶ Γορθηνῶν, arguit τὸ πρὸς ἀλλήλους non ad solos Gorthenos, sed ad tres ὅλας sectas pertinere. Atqui διαφωνεῖν πρὸς ἀλλήλους Graece non est πρὸς ἄλλους. Fortasse igitur ἄλλους pro ἀλλήλους substituendum. Postulabat ἡ ἀκολουθία ut pro Γορθηνοὶ scriberetur οἱ λοιποὶ, vel sectae tres recenserentur.

Ὁ νόμος ἐκέλευεν.] Mirum est quod hoc loco narrat: Samaritanorum inter se dissidium ab odio et iurgiis manasse, quod ea natio cum Iudaeis exercet. Nam si cum praetereuntibus Iudaeis rixabantur, quae causa fuit cur a se invicem dissentirent? Non id explicat Epiphanius, et aliud agit omnino. Etenim συμπληγάδες istae non sunt τῶν Σαμαρειτῶν πρὸς ἀλλήλους, sed πρὸς τοὺς Ἰουδαίους.

Ἀλλὰ καὶ ὅτε ᾠκοδόμει Ἔσδρας.] Duo hic in Epiphanio reprehendit Scaliger, alterum, quod ab Esdra instaurata Hierosolyma dixerit, cum Neemias, non Esdras, id egerit; alterum, quod Samaritanos operam suam ad eam refectionem detulisse scribat, quod contra Scripturam esse credit. Sed in altero κακοήθειαν, in altero stuporem suum arguit. Etenim praeterquam quod Esdras cum Neemia vixit et urbi instaurandae praefuit, ut ex Neemiae cap. VIII, 2. et XII, 26. probat Serrarius, illud ᾠκοδόμει Ἱερουσαλὴμ comiter accipiendum est, ut ad urbis partem aliquam, cuiusmodi templum erat, pertineat. Illud vero dementissimae caecitatis est, negare Samaritanos operis participes se esse velle prae se tulisse,

cum id diserte lib. I. Esdrae cap. IV, 1 et 2. Scriptura testetur. Sed ea Serrarius in Minervali iam occupavit.

'Επετράπησαν ὑπ' αὐτοῦ.] Deest negativa particula, quod vel mediocriter peritus animadvertere potuit. Ideo frustra hac in parte calumnia struitur Epiphanio in Elencho Scaligeriano, quasi contra Scripturam dixerit Samaritanos in communionem operis admissos. Nam et infra, cum de Sebuaeis agit, scribit Esdrae illos odio festa sua praepostere ordinasse.

AD SEBUAEORUM HAERESIN.

Iebussaeos perperam Damasceni codices habent. Hos ab Hebraïca voce שִׁבְרִיץ, quae hebdomadem significat, appellatos שִׁבְרִיאִי, quasi ἑβδομαδίτας verisimile est, quod pag. 218. in Isag. Canon. scribit Scaliger. Sed in eius vocis reddenda ratione sibi non constat. Nam in eo loco iccirco ἑβδομαδίτας nominatos putat, quia omnem δευτέραν τῶν ἑπτὰ τῆς πεντηκοστῆς ἑβδομάδων eadem religione qua ipsum πεντηκοστῆς diem colunt. Etenim τῇ δευτέρᾳ τῶν 'Αζύμων Omer, sive manipulum, offerebant; a qua die sabbata omnia, quae ad Pentecosten usque sequebantur, nomen obtinebant, puta δευτερόπωρτον, δευτεροδεύτερον, et caetera, ut alibi disputatur. Samaritani vero δευτέρας appellabant omnes deinceps dies quae in eandem feriam incurrunt in qua erat δευτέρα: ita ut inter oblationem Omer et solenne Pentecostes incurrant septem δευτέραι. Vide caetera in quibus δευτέρας appellari celebrarique duntaxat illas a Samaritanis significat, quae ad Pentecosten, sive עֲצֶרֶת, succedunt. Unde σιβουαίους et ἑβδομαδίτας dici Samaritanos a Iudaeis asserit, quod omnem δευτέραν τῶν ἑπτὰ τῆς πεντηκοστῆς ἑβδομάδων eadem religione qua ipsum πεντηκοστῆς diem colunt. At idem in Elencho Trihaeresii cap. I. Sebuaeos ait septies in anno Pentecosten instaurasse, indeque factum ut in autumnum, in hiemen et in ver incideret; propterea quod hoc loco scribit Epiphanius Pentecosten illos in autumno celebrasse, non solum id autumno, sed in quatuor anni articulis egisse. Quod est aenigmatis simile. Quomodo enim Pentecosten in quatuor anni temporibus instaurabant, si in spatio illo tantum, quod ab Omer ad Pentecosten intercedit, τὰς δευτέρας septem festas ac solennes ducerent? Drusius a Sebaïa, qui cum R. Dosthai ad novos Samariae inquilinos erudiendos ex Assyria missus est, derivat. Probabile est a שִׁבְרִיץ, id est hebdomade, dictos esse, quod, ut Samaritani caeteri, τὰς δευτέρας septies illo duntaxat intervallo celebrarent, quod ad Pentecosten intercedit.

p. 24.

Διὰ μῆνιν καὶ ὀργὴν μετέθηκαν.] Supra dixerat πρὸς ἀλλήλους iras ac rixas suscepisse, nunc cum Iudaeis simultates illas intercessisse non obscure colligitur. Siquidem odio illorum praepostere solennium istorum tempus usurpare coeperunt.

Τάττουσι δὲ οὗτοι τὸν νέον μῆνα.] Utrum primus mensis apud Samaritanos et Sebuaeos Tisri fuerit non satis explicat. Ait enim μετὰ τὸ νέον ἔτος, post annum novum, ab illis statui; cuius anni novi caput est μετὰ τὸν Θισρὶ ἐν τῷ μετοπώρῳ. Porro Tisri cum Augusto comparat. Haec igitur salebrosa ac perplexa sunt. Si in autumno novus annus iniit, non utique in Tisri, qui Augusto respondet. Cur ergo tam diligenter hunc ipsum mensem variis circumscribit nominibus, si non anni primordium est? Cur deinde ita loquitur? ἀπεντεῦθεν οὗτοι τὴν ἀρχὴν τοῦ ἔτους ἡγοῦνται καὶ εὐθὺς τὰ Ἄζυμα ἐπιτελοῦσι. Nimirum in eo mense, de quo locutus est, hoc est Tisri. Sequitur enim ἐν δὲ τῷ μετοπώρῳ τὴν πεντηκοστὴν ποιοῦσι, quinquagesimo post die. Quare ante μετόπωρον et in Tisri Azyma celebrantur, adeoque caput anni Tisri. Et μετὰ idem erit atque *inchoato*, *ineunte*.

Ὃς Αὔγουστος παρὰ Ῥωμαίοις.] Imo vero September. Sed nescio utrum isti Iuliani ac solaris anni primum mensem in Augusto defixerint.

Γορπιαῖος δὲ παρὰ Μακεδόσι.] In Alogorum Haeresi No. XXIV. longe aliam Graecorum mensium ordinationem sequitur. Nam Graecorum, sive Syrorum, Audynaeus Ianuario, Dius Novembri respondet. At hoc loco quoniam Apellaeus cum Augusto confertur, Ianuarius erit Artemisius, et Dystrus November. In Macedonicis mensibus magis sibi consentaneus est. Nam illic Apellaeus Octobris die XXIV. coepit. Unde consequens est Gorpiaeum Augusti partem occupare. Est autem Macedonicorum ac Syromacedonicorum, quos Graecorum nomine appellat, mensium varia admodum nec satis explicata dispositio: de qua agemus ad Alogorum haresin pluribus. Interim valde suspicor pro Apellaeo hoc in loco substituendum esse Loum; nisi in eo quoque hallucinatus sit Epiphanius.

Καὶ εὐθὺς τὰ Ἄζυμα ἐπιτελοῦσι.] Potuit haec certis ex autoribus comperire, vel coram observare ipse. Quare non temere de Epiphanii fide dubitandum est, quod in Elencho facit Scaliger. p. 25.

Οὐ μὴν δὲ ἐπείσθησαν τοῖς Σεβουαίοις.] Haec vel aliena ab hoc loco, vel parum sincera videntur. Quae ita forte restituenda sunt: Οὐ μὴν δὲ ἐπείσθησαν τοῖς Σεβουαίοις Γορθηνοὶ, καὶ οἱ ἄλλοι, hoc est Dosithei. Cornarius ita legerat: Οὐ μὴν ἐπεισ. τοῖς Σεβ. οἱ ἄλλοι, expuncta voce Γορθηνοί.

AD HAERESIM XII. GORTHENORUM.

Γορθηνοὶ δὲ, καὶ οἱ ἄλλοι Ἐσσηνοί.] Mire implicatus et involutus hic locus est. Nam quos repetitis hisce vocibus, ἄλλοι, ἄλλων et ἐκείνοις, intelligat, extricari vix potest. Nonnihil assequeremur, si de Essenis istis constaret, quos inter Samaritanos unus Epiphanius annumerat. Atqui veri et γνήσιοι Esseni, quos Philo ac Iudaeus exhibent, nihil cum istis moribus atque ea festorum perturbatione commercii habuerunt. Divinandum igitur nobis est, et in tenebris attrectanda veritas, quod minime desperamus. Serrarium hic agitat Scaliger Elenchi cap. XX., et miram ei hallucinationem obiicit, quod ex iis Epiphanii verbis, καὶ οἱ ἄλλοι Ἐσσηνοὶ, duplex ab illo genus Essenorum agnosci in Trihaeresio scripserat. Ipse autem nullos alios Essenos videre se dicit, praeter eos quos decima haeresi posuit. *Nam recta*, inquit, *erat locutio* Γορθηνοὶ, καὶ οἱ ἄλλοι: *sed quia inter Essenos et eos de quibus loquitur Gorthenos medii interiecti sunt Sebuaei, ne de Sebuaeis videretur loqui, adiecit* ἐξ ἐπιμέτρου *Essenos.* Idem Scaliger ἐγγὺς τῶν ἄλλων de Sebuaeis exponit. Quae interpretatio non inepta modo, sed Epiphanio ipsi contraria est. Nam ex ea sequitur Epiphanium velle Gorthenos et Essenos Sebuaeorum vicinos eadem cum ipsis facere, τὰ ἴσα ἐκείνοις πράττειν. Ad quos enim τὸ ἐκείνοις, nisi ad Sebuaeos pertinebit? Hoc autem absurdissimum est, cum et antea dixerit, et subinde moneat, Gorthenos saltem a Sebuaeis magnopere dissensisse. Cum igitur manifeste hic in mendo locus haereat, videamus quemadmodum recenseri possit. In Anacephalaeosi, quae summam haereseon complectitur, Samaritanorum tres priores sectae ita breviter explicantur: Γορθηνὸι, οἱ ἄλλοις καιροῖς τὰς ἑορτὰς ἄγοντες παρὰ τοὺς Σεβουαίους. Σεβουαῖοι διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν τῶν ἑορτῶν πρὸς τοὺς Γορθηνοὺς διαφερόμενοι· Ἐσσηνοὶ μηδ' ὁποτέραις ἐναντιούμενοι, τοῖς δὲ παρατυγχάνουσιν ἑορτάζοντες ἀδιαφόρως: *Gortheni, qui diversis a Sebuaeis temporibus festa celebrant: Sebuaei, qui ob illa ipsa festa a Gorthenis dissident: Esseni neutris adversantes, in quoscumque inciderint, sine ullo discrimine festa cum ipsis obeunt.* In Breviario tomi huius, quod operis initio praefixum est, in Gorthenis pro eo quod est παρὰ τοὺς Σεβουαίους, perperam legitur

παρὰ τοὺς Ἑβραίους. Nam et Damascenus libro de Haeresibus, qui nihil aliud est quam Epiphanii Anacephalaeosis, paucis ademptis aut immutatis, ita ut supra proposuimus, exscripsit; licet vitiose, ut monuimus, *Iebussaei* pro *Sebuaeis* legantur. Quamobrem quod Essenorum institutum fuerit ex eo loco constat, nempe ut se in utramque partem versantes ad amborum mores consuetudinemque fingerent. Ideo Gorthenos solos ac Dositheos cum Sebuaeis simultates exercere dixit. Quibus animadversis ita locus iste conformandus mihi videtur: Οὐ μὴν ἐπείσθησαν τοῖς Σεβουαίοις Γορθηνοὶ, καὶ οἱ ἄλλοι. Ἐσσηνοὶ δὲ ἐγγὺς τῶν ἄλλων γινόμενοι τὰ ἴσα ἐκείνοις πράττουσιν. Ubi τῶν ἄλλων idem est atque ἑκατέρων, *alterutrorum*. Caeterum Gorthenorum vocabulum varie solet exprimi. Nam aut Γορθηνοὶ dicuntur, aut Γορθαιηνοὶ. In Anacephalaeosi Γοροθηνοὶ, mendose ut arbitror; ut et apud Eusebium Γορθηωνοὶ ab autore qui Γορθαῖος appellatur. Quare Γορθαιηνοὶ rectius videtur Scaligero.

p. 26.

Καὶ νηστείας τῆς παρ' αὐτοῖς.] Expiationum festum, sive Kippurim intelligit, quod x. Tisri celebrabant.

Οἱ δὲ ἄλλοι οὐχ οὕτω ποιοῦσιν] Ἄλλοι debent esse Σεβουαῖοι, sed vox Ἐσσηνοῖς inducenda, aut ἀλλ' Ἐσσηνοῖς scribendum; quia nonnunquam Esseni cum illis Pascha celebrant. Verum ecce de Essenis supra haer. X. scripsit: ἐνέμειναν γὰρ οἱ Ἐσσηνοὶ τῇ πρώτῃ ἀγωγῇ μηδὲν ὑπερβαλλόμενοι, *in priore instituto permanserunt, nulla in re transgredientes*. Hic autem et in Anacephalaeosi plerumque cum Sebuaeis festa praepostere celebrant. *Quo teneam vultum mutantem Protea nodo?* An duo sunt Essenorum genera, ut Serrario placuit reclamante Scaligero? Ut alii cum Sebuaeis, alii cum Gorthenis et Dositheis habitarint, et eorum quibuscum degerent ritus in obeundis duntaxat solennibus imitarentur. Quod quidem studio pacis ac concordiae Essenos praestitisse horum disciplina persuadet, quae nihil otio ac quiete antiquius habuit.

AD HAERESIN XIII. DOSITHEORUM.

Δοσίθεοι δὲ τούτοις διαφέρονται] Supra Dositheos a communibus Samaritanorum odiis ac contentionibus excipere visus est: πλὴν τῶν Δοσιθέων μόνον. Verum contrarius ex hoc loco sensus superioribus illis attribuendus est: nimirum ἐν βραχεῖ καὶ ἔν τινι ποσῶς, paucis ac levissimis in rebus Samaritanorum factiones a se invicem dissentire, praeter Dositheos, non qui nihil a caeteris discreparent, sed qui non leviter, ut illi, sed gravissime dissiderent. Dosithei porro tam ante Christum, quam post eum complures extiterunt; et nonnullorum apud Hebraeos mentio. Nam דוסתאי Dosthai est Dositheus, quod frustra negatum a Scaligero. At in cap. III. Pirke Aboth quoddam Dosthai Ianai F. dictum memoratur, quod a R. Meir didicerat. Sed is ab hoc nostro diversus est. Quemadmodum et alter ille, cuius aliquoties Origenes meminit eumque Samaritanum appellat lib. IV. περὶ Ἀρχῶν cap. II., nec non et aliis in locis, praecipue contra Celsum lib. II. Verum antiquior est Epiphanianus iste, a quo Sadducaeos propagatos esse mox indicat, qui quidem Christi ortum antecessit. De Dositheo et Dositheanis lege quae erudite Serrarius noster in Minervali disputat lib. IV. cap. X, XI et XII.

p. 27.

Ἐγκρατεύονται ἀπὸ γάμων μετὰ τὸ βιῶσαι.) Potest illud μετὰ τὸ βιῶσαι duobus modis accipi; utrobique ἐλλειπτικῶς. Alter ut ἐν τῷ γάμῳ subaudiatur, alter, ut ad γυναῖκα pertineat. Prior interpretatio simplicior est, eamque Cornarius secutus est. In altera τὸ βιῶσαι idem est ac *mortuum esse*, ut apud Latinos *vixit*, βεβίωκε apud Plutarch. in Cicerone. Nos utramque cum agnovissemus, posterior in contextum recepta.

Καὶ τῆς πλάνης τὰ βοσκήματα.] Fortasse τὰ σχήματα.

AD IUDAISMI HAERESES.

Ἰουδαϊσμὸς λοιπὸν μερισθείς.] De Iudaicis factionibus deinceps agit, quas ante Christi adventum septenas recenset. Quod πλατυκῶς et pingui Minerva dictum est. Nam tres constat apud Iudaeos fuisse sectas; caeteras, quae a Philastrio, Isidoro et hoc nostro numerantur, partim Iudaeorum non esse proprias, partim ne haereses quidem videri, partim denique a tribus illis matricibus non esse distinctas, quae sunt Pharisaeorum, Sadducaeorum, Essenorum. De quibus quoniam summa cum eruditione ac diligentia Serrarius noster tribus libris disseruit, et quae de iis observari a me possent occupavit omnia, cupidum earum rerum lectorem ad illius lucubrationem dimittendum potius arbitror quam otiosa repetitione detinendum. Conferat etiam si lubet cum Serrarii Trihaeresio ac Minervali, quae Drusius et alii quidam de eodem argumento scripserunt. Nos enim hic ea tantum adnotabimus quae ad illustrandum Epiphanium necessaria videbuntur.

DE SADDUCAEIS HAERESIS XIV.

Πρῶτοι Σαδδουκαῖοι ἀπόσπασμα ὄντες.] Quantum ex his, quae Epiphanius in his sectis prodidit, colligi potest, duo fuere Dosithei. Alter, idemque tempore posterior, Samaritanus, cuius meminit Origenes, alter longe antiquior; a quo propagatos esse Saducaeos non Epiphanius solum, sed etiam Hieronymus testatur, Dialogo contra Lucifer. *Taceo*, inquit, *de Iudaismi haereticis, qui ante adventum Christi legem traditam dissiparunt: quod Dositheus, Samaritanorum princeps, prophetas repudiavit, quod Sadducaei ex illius radice nascentes etiam resurrectionem carnis negaverunt.* Ex Dosithei ergo radice nati sunt Sadducaei; quod est idem atque ἀπόσπασμα fuisse τῶν Δοσιθέων. Ut mirari Scaliger desinat ab Epiphanio id esse scriptum. Itaque Dositheus a Iudaeis ad Samaritanos deficiens peculiarem illic sectam condidit. Quam postea Sadokus interpolavit, cum et ipse ad Samaritanos a Iudaeis transiisset.

Ἐπονομάζουσι δὲ οὗτοι ἑαυτούς.] Saducaei passim, apud Graecos maxime, geminato δ scribuntur, quasi esset צַדִּיק. Apud LXX. antiquissimus ille sacerdos, Σαδούκ. De quo copiose Serrarius ac Drusius. Sadoci porro extitere duo: quorum unus duntaxat ab Epiphanio memoratus, qui Davidis et Salomonis aetate vixit, alter Antigni discipulus, cuius socius et condiscipulus fuit Baithos, ut autor est Elias in Thisbi. Ab hoc posteriore Saducaei cum origine nomen acce- p. 28.
perunt. Etenim ambo illi a praeceptore desciscentes legem ore tenus traditam abnegarunt, neque alteri, quam quod legis scripto esset expressum, adhibendam fidem putarunt; ex quo קְרָאִים Karraïm, quasi *Textuales* dicti. Haec Elias. Addit Abraham Zachuth Sadoc et Baiethos ad Samaritanos et Garizitanum templum receptum habuisse. Sed fieri potest, ut Saducaei ipsi a priore illo ac vetustissimo pontifice oriundos sese profiteri mallent quam a posteriore transfuga, vel etiam ut ad *iustitiae* vocabulum et nominis interpretationem alluderent, idque crebris usurparent sermonibus, quod unum ideo, praetermissa altera ac veriore Saducaeorum origine, commemoravit Epiphanius.

Πνεῦμα δὲ ἅγιον οὐκ ἴσασι.] Actuum cap. XXIII, 8. *Sadducaei enim dicunt non esse resurrectionem, neque angelum, neque spiritum:* οὔτε ἄγγελον, οὔτε πνεῦμα. Spiritum sanctum hoc loco non unus Epiphanius intellexit, sed et Philastrius. Quare temere et imprudenter in Elencho Scaliger: *Asinitas*, inquit, *mera est et*

impietas haec fateri. Proinde execranda illa sententia Serrarii, qui non minus impie quam ridicule eam tuetur. Nam quod ait πνεῦμα illic sine articulo positum universe sumi, cum ut spiritum sanctum significaret, τὸ πνεῦμα scribendum fuerit, quod diu ante Scaligerum Salmero noster observaverat, nihil ad rem pertinet. Etenim saepe πνεῦμα sine articulo pro spiritu sancto in scripturis usurpatur; ut Ioann. III, 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu:* ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος; et aliis in locis, quorum nonnulla profert in Minervali Serrarius. Quare non improbanda haec Epiphanii interpretatio videtur, tametsi de solo spiritu sancto praecise locutum putaret evangelistam. Quod necesse non est. Hanc enim Saducaeorum mentem fuisse suspicor, ut spiritum omnem, hoc est πνευματικὴν οὐσίαν, funditus tollerent, ideoque corporeum esse deum assererent, ut Lyranus existimat. Ex quo consequitur etiam spiritum sanctum illos abnegasse. Unde merito ab Epiphanio aliisque dictum est Sadducaeos spiritum sanctum ignorasse, ut eam ex toto genere τῶν πνευμάτων speciem deligerent, qua negata maius illi sibi impietatis crimen arcesserent.

Τὰ πάντα δὲ ἴσα Σαμαρεῖταις φυλάττουσι.] Etiamne sacros omnes libros praeter Pentateuchum repudiarunt? Affirmant veteres omnes praesertim Origenes, Tertullianus, Hieronymus, Beda, Elias quoque Thisbites, aliique, quos Serrarius testes citat. Negat autem Scaliger et contrarium asseverare Iosephum existimat. Sed tantum abest ut contra Iosephus sentiat, ut is communem illam lib. XIII. Orig. cap. XVIII sententiam videatur adstruere. Docet enim Pharisaeos multa populo tradidisse, ἅπερ οὐκ ἀναγέγραπται ἐν τοῖς Μωϋσέως νόμοις· καὶ διὰ τοῦτο ταῦτα τὸ Σαδδουκαίων γένος ἐκβάλλει, λέγων ἐκεῖνα δεῖν ἡγεῖσθαι νόμιμα τὰ γεγραμμένα, τὰ δὲ ἐκ παραδόσεως τῶν πατέρων μὴ τηρεῖν. Sadducaei igitur autore Iosepho sola haec asciscenda observandaque dicebant quae essent scripta ἐν τοῖς Μωϋσέως νόμοις. Quod et lib. XVIII, cap. II his verbis expressit: φυλαχῆς δὲ οὐδαμῶς τινων μεταποίησις αὐτοῖς, ἢ τῶν νόμων. Sane aut haec Iosephi verba Sadducaeos indicant nullos alios quam Mosis libros admisisse, aut saltem non illud quod a Scaligero tam pertinaciter pugnatur, efficiunt, ut sacros omnes scripturae libros amplexi sint, τὰς ἀγράφους δευτερώσεις reiecerint. Agit enim illo loco praecipue Iosephus περὶ πραχτικῶν νομίμων, de ritibus ac consuetudinibus sive
p. 29. legibus, quibus agendum aliquid praescribitur, quae in solo fere Mosis Pentateucho continentur. Unde cum Sadducaei exciperent, ea duntaxat quae scripta erant observari debere, solos Moysis libros, quibus τὰ νόμιμα comprehenduntur, intelligebant, non historicos aut propheticos libros, quibus novae nullae, aut perpaucae, cerimoniae praecipiuntur. Caetera apud Serrarium vide.

AD HAERESIN XV., QUAE EST SCRIBARUM.

Scribarum ordo neque Iudaismi haeresis fuit, neque πρὸς Φαρισαίους ἀντιδιαστελλόμενος. Nam et Scribae plerique Pharisaei, non tamen omnes; quemadmodum inter theologos nonnulli monachi et arctioris vitae professores. Theophylactus in Lucam cap. XI. *Sane alii erant Legisperiti, et alii Pharisaei. Nam Pharisaei videbantur ut monachi, et qui ab aliis se segregebant. Legisperiti vero Scribae erant et doctores, qui solvebant quaestiones legis.* Tostatus in cap. XXIII. Mat. Quaest. XII. *Sciendum quod licet ponantur hic Scribae et Pharisaei tanquam distincti, non distinguntur inter se sicut Pharisaeus et Sadducaeus, sive sicut opposita, quia nullus Pharisaeus est Sadducaeus, neque e contrario, quia erant sectae disparatae et quasi oppositae: sed distinguntur sicut grammaticus et dialecticus; quia licet aliud sit grammaticum esse, aliud dialecticum, tamen idem potest*

esse grammaticus et dialecticus. Sic enim aliud est esse Scribam quam Pharisaeum; quia Scribam esse est esse sapientem in lege, Pharisaeum esse erat habere modum certum vivendi et sectam. Et tamen accidit eundem esse Pharisaeum et Scribam, id est doctum in lege. Maldonatus vir doctissimus ad cap. II. Mat. *Scribas proprie notarios publicos fuisse docet, quorum duplex erat officium, alterum publica instrumenta conficiendi, alterum sacras Scripturas interpretandi et a corruptela vindicandi.* Unde iidem νομικοὶ, et νομοδιδάσκαλοι, et γραμματεῖς appellantur. Epiphanius vero in sequenti haeresi νομικοὺς a Scribis discernere videtur. Ait enim Pharisaeos eadem cum Scribis sensisse. Γραμματεῦσι δὲ, φημὶ, τοῖς ἑρμηνευομένοις νομοδιδασκάλοις· συνῆσαν γὰρ αὐτοῖς καὶ οἱ Νομικοί. Hanc non modo Epiphanii opinionem esse, verum etiam Lucae testimonio comprobari Drusius arbitratur lib. II. de tribus Sectis cap. XIII. Nam cum Christus com. 45. dixisset, Οὐαὶ ὑμῖν Γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι ὑποκριταὶ, ὅτι ἐστὲ ὡς τὰ μνημεῖα τὰ ἄδηλα, etc. *Vae vobis Scribae et Pharisaei hypocritae, quia estis ut monumenta, quae non apparent,* statim quidam τῶν νομικῶν *respondens ait illi: Haec dicens etiam contumeliam nobis facis.* Tum Iesus καὶ ὑμῖν τοῖς Νομικοῖς οὐαί, *Et vobis Legisperitis vae:* quasi diceret Legisperitus: Non solum Scribas et Pharisaeos, sed etiam nos νομικοὺς, id est Legisperitos, notas: Ergo diversi aliquantum νομικοὶ a Scribis. Scaliger vero in Elencho cap. XI. in eodem Epiphanii loco Serrario arroganter insultans νομικοὺς ait *proprie formulas iuris et actiones civiles docuisse, ac forensia magis tractasse.* Et postea eundem Serrarium insequitur, quod scribas legis cum scribis populi et actuariis publicis confuderit. Duo enim scribarum genera constituit, γραμματεῖς τοῦ νόμου, καὶ γραμματεῖς τοῦ λαοῦ, et hos posteriores actores vel actuarios publicos fuisse putat. Nos attente consideratis omnibus non dubitamus quin νομικοὶ iidem sint cum scribis et νομοδιδασκάλοις apud evangelistas. Nam de Epiphanii loco postea viderimus; adeoque foedissime Scaliger hallucinetur cum νομικοὺς actuarios publicos esse docet; quo nihil ineptius excidere potuit. Nam ut Lucae illo ipso loco, de quo paulo post, utar, cum cap. XI, 46. ad νομικοὺς oratione conversa ita eos Christus exagitat: καὶ ὑμῖν τοῖς νομικοῖς οὐαί, *quia oneratis homines oneribus, quae portare non possunt, et ipsi uno digito vestro non tangitis sarcinas:* num tandem actuarios publicos et civilium actionum formularios intellexit, ac non potius legis interpretes ac doctores? Cum praesertim Matth. XXIII. idem Scribis et Pharisaeis, quod apud Lucam τοῖς νομικοῖς, obiectum sit, nempe *quod alligarent onera gravia et importabilia etc., digito autem suo nollent ea movere.* Quare νομικοὶ ad Scribas, vel Pharisaeos, vel utrosque pertinent. Sane qui Matth. cap. XXII, 35. νομικὸς, a nostro interprete *Legis doctor* dicitur, idem Marci XII, 28. εἷς τῶν Γραμματέων nominatur. Atque adeo Tertull. lib. IV. c. Marc. cap. XXVII. νομικοὺς, quorum in illo XI. cap. Lucas meminit, Legis doctores interpretatur. Alibi vero passim vulgatus interpres νομικὸν vertit *legisperitum.* Unde persaepe νομικοὶ cum Pharisaeis copulantur, ut Luc. XIV, 3: *Et respondens Iesus dixit ad Legisperitos et Pharisaeos:* Graece τοὺς νομικοὺς et cap. VII, 30. Οἱ δὲ Φαρισαῖοι καὶ οἱ Νομικοί. Qui cap. V, 17. Φαρισαῖοι καὶ νομοδιδάσκαλοι vocantur. Quare νομικοί a νομοδιδασκάλοις non discrepant, iidemque Legis interpretes sunt, ut et Bezae placuit; et falsissimum est τοὺς νομικοὺς proprie circa actiones civiles ac formulas occupari. Par est Scaligeri delirium, cum scribas populi sic a scribis legis secernit, ut illi actuarii vel actores publici fuerint. Quippe Matth. II, 4 Herodes, cum Magorum adventum et Christi nativitatem inaudisset, ut quo in loco Christus nasceretur inquireret, *principes sacerdotum et scribas populi* convocat, et eorum responsum expetit.

p. 30.

Quinam igitur alii esse possunt quam Legis interpretes et doctores? Certe non illi pragmatici, aut formularii, sive actuarii fuerunt: quos nemo de re tanta ac tam recondita consuleret, ad quam scilicet intelligendam disceptandamque non mediocris sacrarum literarum usus ac scientia requiratur. Quod ad Lucae testimonium illud attinet cap. XI., singulare est in eo quiddam de quo nullus, quantum scire possum, interpres admonuit. Etenim Graece ita legitur: Οὐαὶ ὑμῖν, Γραμματεῖς, καὶ Φαρισαῖοι ὑποκριταὶ, comm. 44., quod et Latina Bibliorum Regiorum interpretatio retinet. At in Latinis aliis codicibus et apud Ambrosium et Hieronymum ita legitur: *Vae vobis, qui estis ut monumenta, quae non apparent, etc.* Neque vocabula ista reperiuntur, *Scribae et Pharisaei hypocritae.* Et apparet in quibusdam olim Graecorum codicibus illa defuisse. Quae si expungantur, peribit argumentum illud, quo fretus Drusius νομικοὺς a Scribis distinxerat. Et quamvis ita ut in Graecis extat, *Scribae et Pharisaei,* legamus, non inde tamen discrimen illud evincitur. Ita enim interpretari licet: cum hactenus in solos Pharisaeos invectus esset, postremo comm. 44, ad Pharisaeos etiam Scribas adiecisse. Quod cum indigne tulisset quidam qui Scriba tantummodo, non Pharisaeus esset, de ea re conquestum, quod non modo Pharisaeos, verum et ordinem suum incesseret. Haec esse potest simplicissima huius loci aptissimaque sententia. Nam omnino νομικοὺς pro Scribis, et vicissim, evangelistae omnes usurpant. Scriba-
p. 31. rum porro munus et officium praeclare descripsit Epiph. cum ait: δευτερωτάς τινας τοῦ νόμου fuisse, ὡς γραμματικήν τινα ἐπιστήμην ὑφηγουμένους. Quos quidem ex Levitica tribu extitisse perperam adnotat Beza, nam e qualibet esse poterant, ut et Pharisaei.

Πυγμῇ μὲν τὰς χεῖρας νιπτόμενοι.] Πυγμῇ non aliter accepit Epiphanius ac vulgatus Interpres pro eo quod est *crebro, frequenter:* pro quo Beza novitatis intempestivo studio *pugno* redditit, sane imperite. Sed de Iudaico quodam abluendi genere, quo ad summos usque digitos manus lavabant, vide Serrarium nostrum lib. II. cap. III.

Καὶ φυλακτήρια παρ' αὐτοῖς.] Deuteron. VI. com. 8. cum mandatorum suorum iugem et assiduam meditationem praeciperet deus: *Et ligabis,* inquit, *ea quasi signum in manu tua, eruntque et movebuntur inter oculos tuos:* Hebraice והיו לטוטפות בין עיניך. Chaldaeus לתפלין. De Totaphoth tam ab Hebraeis quam a nostris varie disputatur. LXX pro ea voce ἀσάλευτα reddunt: καὶ ἔστωσαν ἀσάλευτα πρὸ ὀφθαλμῶν σοῦ: Et sint *immobilia.* At Scaliger inepte credidit ἀσάλευτα idem esse atque *amuleta. Quam vocem,* inquit, *grammatici nondum in sua lexica retulerunt. Itaque idem est* ἀσάλευτον, καὶ φυλακτήριον. Sed unde hoc tandem habet? Nam ἀσάλευτα non substantive, neque ad rem certam significandam, sed adjective, et ἀορίστως usurparunt. *Erunt,* inquit, *immota ante oculos tuos.* Quare friget haec novae vocis observatio. Locus est Matth. XXIII, 5. in quo ad Totaphoth et frontalia Christus respectum habuisse videtur. Nam Pharisaeos perstringens, *Dilatant,* inquit, *phylacteria sua, et magnificant fimbrias.* Quem ad locum Hieronym. Pharisaeorum superstitionem notat, qui quod simpliciter a deo mandatum erat, ut in lege meditanda observandaque assidue versarentur, utique illa ante oculos perpetuo quasi monimentum quoddam extaret, ita interpretati sunt, quasi descriptam in membranis legem et frontibus alligatam gestari praeciperet. Quocirca haec opinio Hieronymi fuit nullum Iudaeos mandatum habuisse de phylacteriis ac frontalibus membranis, sed crasse illos et imperite divinum monitum accepisse. Quam ob caussam acerrime a Scaligero reprehensus est, qui ex ipsis legis verbis pugnat in Elencho cap. VIII. ea ipsa phylacteria

praescripta fuisse. Non inficior idem et plerisque PP. videri, et imprimis Iustino in Dialogo cum Tryphone, de gestandis alligandisque frontalibus mandatum Iudaeis editum. Sed ex legis hoc verbis aperte colligi posse, quod putat Scaliger, hoc vero pernego. Et multo mihi probabilior Hieronymi sententia videtur, cum antiquissima Iudaeorum consuetudo non maius hac in parte praeiudicium afferat, quam sexcenti alii ritus ac δευτερώσεις nugacissimae, quos iam tum Christi domini tempore ex legis verbis non minus stolide quam pertinaciter eliciebant. De fimbriis aliter sentiendum. Etenim Num. xv, 38. conceptis verbis iubentur *fimbrias per palliorum angulos habere*, iisdemque *vittas hyacinthinas* adiungere. Fimbrias Hebraice Moses צִיצִית, LXX κράσπεδα. Vittas autem ille פְּתִיל, isti κλῶσμα vocant. De quibus non solum Hebraei, sed et nostrates critici copiose p. 32.
disserunt.

Τουτέστι πλατέα σήματα πορφύρας.] Mira vocabuli huius τῶν φυλακτηρίων interpretatio, clavos esse purpureos latos qui colobiis et epomidibus insuerentur, ad eundem modum quo Romani senatores sui ordinis insigne gestabant. Hoc vero, inquam, admirandum potius quam aut sine alio idoneo autore nimis amplectendum, aut acrius reprehendendum quod in Elencho Scaliger instituit. Atqui utrum dalmaticas istas et colobionas clavatos Pharisaei olim gesserint, eaque phylacteria plerique nominaverint, necne, aliunde constare non potest, et ex reconditis Iudaeorum libris ac ritibus multa Epiphanius potuit addiscere quae hoc saeculo et hodiernis Iudaeis ignota sunt. Esto igitur, clavos etiam istiusmodi φυλακτήρια nuncupaverint, vulgo tamen φυλακτήρια illa, quorum Matthaeus meminit, cum Hieronymo pittaciola et membranacea frontalia eruditi homines interpretantur.

Ῥοΐσκους γάρ τινας ἐπὶ τὰ τέσσαρα.] Ridicule Scaliger ut Epiphanium erroris arguat, *Si mala punica*, inquit, *non igitur* κράσπεδα. Quasi non etiam ῥοΐσκοι τοῖς κρασπέδοις alligari potuerint; ut et spinas adhibuisse, quo cruorem elicerent, testatur Hieronymus. Nec obstat quod ῥοΐσκους summus sacerdos ἐν ἀρχιερατικῇ στολῇ gestaverit. Nam diversos ab illis cum numero, tum materia aliisque id genus Pharisaei, cum in casto essent, usurpare poterant. Sic paludamentum cum Romanorum Impp. proprium fuerit, etiam militibus attribuitur. Atque ut a Iudaeis non recedam, quis nescit inter summi sacerdotis vestes ephod, sive τὴν ἐπωμίδα, ac superhumerale fuisse? Et tamen non modo sacerdotes ac Levitae caeteri, sed etiam laici Ephod induebant, uti David lib. II. Reg. cap. VI, 14. Sed hoc videlicet lineum erat, alterum illud pontificum proprium quatuor ex coloribus constabat, hyacintho, bysso, cocco, purpura; sed et auro contextum erat. Vide Hieron. Epist. ad Fabiolam. Nimis igitur insulse adversus Epiphanium nostrum argumentatur Scaliger.

Δευτέρα δὲ εἰς τὸν διδάσκαλον αὐτῶν.] Eadem δευτερώσεων genera percenset haeresi XXXIII, n. IX. Quo ex loco Ῥαββὶ Ἀκιβᾶν pro Βαρακιβᾶν legendum hic admonemur. Hic est ille nisi fallor R. Akiba de quo in Iudaeorum Kalendario v, die Tisri haec adscripta sunt: *R. Akiba filius Ioseph coniicitur in vincula, ubi moritur.*

AD HAERESIN XVII. PHARISAEORUM.

Συνῆσαν γὰρ αὐτοῖς καὶ οἱ Νομικοί.] De Scaligeri hallucinatione supra vidimus, qui νομικοὺς *actuarios* esse ac *formularios* credidit. Proximus huic error est quod praesentem Epiphanii locum sic interpretatus est, ut τὸ αὐτοῖς ad Pharisaeos referret, quibuscum versabantur οἱ νομικοί. *Epiphanius*, inquit [illegible]νὺς

νομικοὺς *distinguit* ἀπὸ τῶν νομοδιδασκάλων, τῶν καὶ γραμματέων. *Eosdem enim facit* γραμματέας et νομοδιδασκάλους; *a quibus distinguit* τοὺς νομικοὺς, *quos accenset Pharisaeis. Ideo recte ait,* συνῆσαν γὰρ αὐτοῖς καὶ οἱ νομικοί. *Eodem,* inquit *loco censebantur Pharisaei et* νομικοὶ, *qui quamvis unum corpus* καὶ ταγμά *efficiebant, tamen erat discrimen quoddam inter Pharisaeos* καὶ τοὺς νομικούς; *quod severius institutum esset Pharisaeorum quam* τῶν νομικῶν. Hinc Serrarium im-
p. 33. peritiae arguit, quod ita vertit: *Cum ipsis enim iidem erant et Nomici, seu Legisperiti.* Sed Epiphanii sensum pessime interpretatus est Scaliger. Etenim τὸ αὐτοῖς non alios quam scribas, sive νομοδιδασκάλους, significat, οἷς συνῆσαν καὶ οἱ νομικοί. Quia saepius evangelistae Scribas et Νομικοὺς quasi distinctos nominant, tametsi ex eodem essent ordine, idque vel κατ' ἐπεξήγησιν, vel quia Scribarum complures erant gradus et officia, cum et civilibus forte contractibus ac stipulationibus praeessent iidem, et legem interpretarentur: Idcirco συνῆσαν, inquit, τοῖς γραμματεῦσιν οἱ νομικοὶ, hoc est *coniuncti erant,* unum τάγμα et corpus efficiebant. A quo non admodum abhorret Serrarius. Nam μεταληπτικῶς Epiphanius indicat eosdem cum Scribis esse τοὺς νομικοὺς, licet συνεῖναί τινι proprie non sit idem esse cum aliquo. Postremo perperam αὐτοῖς ad Pharisaeos referri docent quae proxime subiiciuntur. Ἀλλὰ καὶ παρὰ τούτους, tam Νομικοὺς scilicet quam Γραμματέας.

Ἀηδῆ τε ῥύσιν σώματος ἀπεργαζομένην.] Scribendum pronunciat Scaliger ἀήθη ἔκκρισιν σπέρματος ἀπεργαζομένων. Audax nimis emendatio, minimeque necessaria. Nam ἀπεργαζομένην passive, ut alibi saepe, hoc loco sumpsit. Est enim Graecae proprietatis parum alioqui diligens Epiphanius, ut et Photius observat. Quod si commutationis nonnihil opus videatur, ego ita concipiam: ἀηδῆ ῥύσιν σώματος ἀπεργαζομένων. Intelligit autem קְרִי, sive ἐξονειρωγμόν. Super hac ἐκκρίσει extat Athanasii epistola ad Ammum monachum: qui quantumvis praeter voluntatem accideret, utrum culpa careret addubitaverat.

Ἐνήστευον δὲ δίς.] Secundam et quintam feriam Theophylactus aeque atque Epiphanius adnotat, et Hebraeorum libri fidem faciunt. Ut ea de re vir doctus frustra dubitaverit.

Ἀπεδεκάτουν δὲ τὴν δεκάτωσιν.] Proprium hoc fuit Levitarum, qui decimarum, quas populus praestabat sacerdotibus eximebant, Numerorum XVIII. Atqui non omnes Pharisaei erant Levitae, quod tamen Epiphanium sensisse ex hoc loco suspicari aliquis posset. Quae enim alioqui decumarum sunt decumae, cum praeter Leviticum ordinem decumas nullus acceperit? Primum omnium ab Israelitis primitiae de spicis, uvis et oleis afferebantur, tum de frugibus elaboratis Theruma, et decimae. Theruma in lege definita non erat. Sed a magistris praescriptus modus est, ut ne minus sexagesima penderetur. Quare qui liberales erant, quadragesimam, parci sexagesimam, medii inter utrosque ad hos aut illos accedebant. De qua re extat Iosephi Scaligeri opusculum inter Posthuma. De iis itaque Therumis fortean accipiendus Epiphanius, cum τριακοντάδας et πεντηκοντάδας persolutas a Pharisaeis esse scribit. Quod si verum est, egregia illorum liberalitas extitit, utpote qui praefinitum a magistris terminum τῶν τεσσαρακοστῶν superaverint. Tria porro decumarum apud Hebraeos genera praeter Therumas et primitias fuere. Prima illa fuit quam Leviticae tribui quotannis pensitabant. Num. XVIII., 20. et deinceps. Altera, quam singulis annis penes se quisque retinebat, ut ibi, ubi sanctuarium erat, illa vesceretur, adhibitis ad convivium Levitis Deut. XIV. Tertia demum, quam tertio quoque anno in Levitas et pupillos viduasque distribuebant; eod. Deut. cap.

Καὶ γυναικικῶν ἱματίων.] Magnopere mirandum, si modo verum est, muliebribus palliolis usos esse Pharisaeos. Quod sequitur, ἐν πλατείαις, ταῖς κρηπῖσι, latas eosdem crepidas habuisse significat, nec aliter Cornarius. Quidam tamen ita corrigendum putant, ἐν πλατείαις, ἐν ταῖς κρηπῖσι, καὶ γλώτταις, etc. Ac plateas intelligunt, in quibus ostentabant se Pharisaei. Ego nihil innovandum censeo. p. 34.

Φάρες γὰρ κατὰ τὴν Ἑβραΐδα.] Reg. codex φέρες, quasi sit φέρις, et legendum sit ἀφωρισμένος. Quanquam ἀφορισμὸς res est ipsa quam vocabulum significat; non ut τὸ φάρες vel φέρες praecise sit verbale substantivum ἐνέργειαν sonans. Est enim potius *separatus* quam *separatio*.

Οἷον ἥλιος Ἧμα καὶ σάμες.] De his Hebraeorum appellationibus agit eruditissimus Serrarius noster l. i. de Tribus Sectis c. ii., et in Minervali lib. iv. c. iii. Ea sic Hebraice concipienda sunt: חמה vel שמש: ירח vel הלבנה. Duorum sequentium nomina, quod eorum origo sit incerta, non satis ἐξεβραΐζεσθαι queunt: Χωχὶβ Ὀκμὼλ, et Χωχὶβ Ὀχμόδ. Quorum prius Ὀκμὼλ forte a קמל, quod est succidere, alterum a חמד quod est concupiscere, quia Mercurius lucrionibus et negotiatoribus quaestus avidissimis praesidet. Nam quod Scaliger Ocmol ad Camulum, qui in veteri inscriptione extat, pertinere defendit, non probat. Sequitur כוכב בעל, Veneris stella σειρούα, vel λουσίδ. Prior vox a זרע, ut Serrario visum est, deducta quasi זרוע; posteriorem a ילד malim, quam a לחם. Nam et Assyrii Ἀφροδίτην Μύλιττα, Arabes Ἀλίττα nuncuparunt. Autor Herodotus Clio; מולדתא, ἡ γενέτειρα. Denique כוכב שבתי sabbati stella recte Saturnus dicitur.

Ἀλλὰ καὶ τὰ ματαίως νομιζόμενα.] Vellem clarius haec ipsa στοιχεῖα declarasset. Nam valde est obscurum quomodo XII haec Signorum vocabula εἰς ἀριθμὸν στοιχείων νομιζόμενα dicantur. An hoc voluit, haec a gentilibus velut elementa, et στοιχειώδη, vel συνέχοντα τοῦ ἀνθρωπίνου βίου esse constituta? An id potius quod interpretatione nostra expressimus? Nam Signa Zodiaci dividuntur vel κατὰ διάμετρον, vel κατὰ τρίγωνον, vel κατὰ τετράγωνον; de quibus Geminus p. 21. Ex iis partitionibus, secunda quae est κατὰ τρίγωνον, quadrifariam signiferum orbem dividit: primum segmentum boreale dicitur, secundum australe, tertium zephyricum, quartum subsolanum. Quae quidem ad nativitates, συμπάθειας τῶν γενέσεων, a genethliacis accommodantur, et ait Geminus: quod in certis sideribus mutua quaedam consensio et conspiratio inesse credatur. Eadem illa segmenta suis quaeque elementis assignarunt. Quae omnia in hoc diagrammate intueri licet.

Βόρειον τμῆμα.		Νότιον.		Ζεφυρικόν.		Ἀφηλιωτικόν.	
Ignis		Terra		Aër		Aqua	
Aries	♈	Taurus	♉	Gemini	♊	Cancer	♋
Leo	♌	Virgo	♍	Libra	♎	Scorpius	♏
Sagittarius	♐	Capricornus	♑	Aquarius	♒	Pisces	♓

Ad hunc itaque sensum duodecim signa pro elementorum numero partita scribit Epiphanius. Iam haec verba ἃ ζώδια καλοῦσι. Cornarius ita vertit: *quae animalia vocant*. Ex quo manasse puto ut viri quidam eruditi scripserint Epiphanium referre Pharisaeos astra coeli animata constituisse, hac ipsa haeresi XVI, quod in Ecclesiast. Annal. ad a. CLX. legitur. Sed id secus se habet. Nam ne litera hoc quidem ulla significavit Epiphanius. Sed hoc unum docuit, Pharisaeos coelestibus signis ac sideribus certa indidisse nomina, quae fere a gentilibus usurpabantur, maxime duodenis illis signis quae vulgo ζώδια vocantur. Quare nos ambiguitatis cavendae gratia *zodia* quam *animalia* vertere maluimus. Nam p. 35.

ex hoc fonte non satis cautae interpretationis falsa de Epiph. testimonio sententia profluxit. Quanquam non illud ignoramus, a nonnullis Hebraeorum doctoribus coelestes orbes anima intelligentiaque praeditos existimari. Quam Rabbi Mosis opinionem David Kimchi in Psalm. XIX his verbis explicat: והרב מורה צדק החכם רבי מושה פירוש בספרים על השמים כי דעתו ודע הפילוסופים כי הגלגלים חיים משכילים עובדים לאל ומשבחים אותו שבח גדול: *Rabbi Moses*, inquit, *vocem illam*, enarrant, *sic exponit, ut ad coelestes orbes referat, quoniam haec illius ac philosophorum opinio est, coelestes orbes vivere et intelligere ac deum colere, summisque laudibus afficere.* Hinc *caelicolas* Iudaeos ab Imperatoribus Cod. de Iudaeis et Caelicolis appellari censet Baronius loco citato, quod astra coelumque colerent. At Scaliger nominis rationem affert aliam. De qua ad ultimam haeresin opportunius disseremus. Caeterum huc referri potest, quod apud Orig. lib. I. Celsus Iudaeis obiiciebat: λέγων αὐτοὺς σέβειν ἀγγέλους, καὶ γοητείᾳ προςκεῖσθαι.

Ταῦτα δέ μοι οὐκ εἰς στρόβησιν.] Pharisaei etsi fatum agnoscerent, non humana tamen omnia ex eo pendere statuebant; neque liberam hominis voluntatem atque arbitrarii potestatem e medio tollebant, uti pluribus explicat Iosephus lib. XVII. Orig. cap. II., et lib. II Ἁλώσ. cap. XII. Quare nihil erat cur Epiphanius sequentem adversus assertores fati disputationem contra Pharisaeos potissimum dirigeret, quatenus ea res ad humanas actiones earumque libera consilia pertinet, quae Pharisaeos nequaquam sustulisse Pharisaeus asserit Iosephus.

AD HAERESIN XVII., QUAE EST HEMEROBAPTISTARUM.

Commune Iudaeis omnibus, et imprimis Pharisaeis fuisse Marcus evangelista testatur cap. VII, 3 et 4., ut et manus frequenter abluerent, et a foro redeuntes baptizarentur. Quare non videtur peculiaris haec secta Iudaeorum extitisse; nisi ita dicamus, nonnullos, qui se sanctitate praestare caeteris vellent, non modo quoties a foro redirent, verum etiam tametsi pedem domo non extulissent, de die saepius lavare consuevisse. Cuiusmodi Banus ille fuit, cui se Iosephus in disciplinam tradidit, ut in vita sua scriptum reliquit. Hunc enim refert ψυχρῷ ὕδατι τὴν ἡμέραν καὶ τὴν νύκτα πολλάκις λουόμενον πρὸς ἁγνείαν. Sic Esseni apud eundem Iosephum lib. II. cap. VII. corpus ante cibum abluebant frigida. Quid igitur Hemerobaptistae illi, quos Epiphanius refert, meruerint, ut distinctam ab aliis sectam efficerent, non satis discernimus.

p. 36. Οὐ μὴν ἐξισουμένη τοῖς Σαδδουκαίοις.] Qui prima specie verborum istorum sensus occurrit, is est, quem non modo nos ipsi sed etiam Cornarius expressit. Hemerobaptistas non solum in neganda mortuorum resurrectione, verum in reliqua omni dogmatum falsitate concordare cum Sadducaeis: οὐ μὴν ἐξισουμένη μόνον, inquit, τοῖς Σαδδουκαίοις ἐν τῇ τῶν νεκρῶν ἀναστάσει, ἀλλὰ τῇ ἀπιστίᾳ καὶ τοῖς ἄλλοις. Sed haec sententia ab iis, quae paulo ante leguntur, tum in Breviario sectarum hujus libri, et in universarum Anacephalaeosi reperiuntur ab Epiphanio, vehementer dissidet. Nam ubique constanter asseritur Hemerobaptistas a Iudaeis reliquis nulla in parte discrepare; sive, ut hoc loco scripsit, a Scribis et Pharisaeis. Quod si communem cum Sadducaeis negationem resurrectionis habuerint, aliaque dogmata, quibus isti a Pharisaeis et scribis tantopere abhorrebant, ut ad Samaritanos accederent, quemadmodum in illorum declaranda haeresi testatus est, profecto multum cum a reliquis Iudaeorum factionibus, tum a Pharisaeis ac Scribis Hemerobaptistae separati sunt. Quae me ratio commovet,

ut aliter Epiphanii verba interpretanda judicem, adeoque contrario sensu, ac prior ille est quam in Latina versione posui. Οὐ μὴν ἐξισουμένη, inquit, τοῖς Σαδδουκαίοις: *Non tamen cum Sadducaeis congruens,* hoc uno capite, quod mortuorum resurrectionem non, ut illis visum est, abneget, quanquam reliqua in perfidia, et adversus Christum praecipue contumacia Sadducaeorum ac caeterarum Iudaismi haereseon gemina sit.

AD HAERESIM XVIII., QUAE EST NAZARAEORUM.

Nazarenī quinam veteri in lege fuerint nemini est ignotum. Sed ii fere ad tempus, non perpetuo sibi delectum ciborum indicere consueverant. Tametsi perpetui quidam erant Nazaraei; cuiusmodi Sampson extitit. Deinde non usque eo impietatis processerant, ut Pentateuchum Mosis ac Legem repudiarent; quod Nazarenos istos factitasse scribit Epiphanius. Qui non modo inter Iudaeorum sectas Nazarenos recenset, sed etiam Christianis adscribit. Vide haeresin XXIX. Quamvis hoc interest, quod Iudaicos istos Ναζαραίους, Christianos Ναζωραίους appellet. Sane Christianos Iudaei נוצרים nominant, ut Elias in Thisbi docet, a Nazaretho Galilaeae oppido; Christus ipse Nazarenus appellatus est et Nazaraeus, tam נזירי, quam נוצרי, ut Hieronymus indicat in cap. III. Matth. Nazaraei veteres נזירים proprie vocati, quasi *sancti et separati.* Sed cum Epiphanius duo illa genera discernat, suspicor priores et Iudaicos נזירים *Nazaraeos,* posteriores, qui in Christum crediderant, נוצרים *Nazaraeos,* nominari. Vide Hieron. in cap. XI Esaiae. Philastrius Nazaraeorum haeresin inter Iudaicas sectas numerat, sed legem et prophetas amplecti scribit, neque quicquam iis aliud attribuit quam quod Nazaraei veteres observare solebant. Quo nomine inter haereses cooptari non debuerunt. At Ναασαραῖοι, quos hic describit Epiphanius, legem Mosis abnegabant; quod est idem ac Iudaismum ἀπὸ τῆς ἀκροπόλεως evertere. Unde ne ad posteriores quidem Nazarenos, qui Christo nomen dederunt, quique privatam in Christianismo sectam instituerunt, possunt referri. Siquidem Nazaraei illi, quibuscum usum et consuetudinem habuit Hieronymus, quibusque XXIX. haeresim assignat Epiphanius, vetus omne testamentum admisere, ut ambo illi Patres affirmant; quod Iudaica ista secta funditus reiecisse videtur, quandoquidem Pentateuchum Mosis Iudaismi medullam funditus proscripsit. Sed eiusmodi Iudaici nominis haeresin haud scio an alius praeter Epiphanium commemoraverit. p. 37.

Καὶ ὅπου ἡ ὀρῦς Μαμβρῆ.] Celeberrimus apud posteros locus ille fuit ad usque Constantini Magni tempora, quibus tam a Iudaeis et Christianis quam a gentilibus frequentes religionis ergo conventus ac mercatus illic habiti, quos Constantinus edicto sustulit. Sozomenus l. II. c. 3.

AD HAERESIM XIX., QUAE EST OSSENORUM.

Quos Ossenos hic appellat Epiphanius, Ὀσσαίοις haeresi XXX. et LIII. nominat, ut Scaliger observat; quemadmodum Ἐσσαῖοι et Ὀσσηνοὶ pro iisdem accipiuntur. Ex quo nimirum colligit τὸ ν̄ nonnisi κατὰ παραγωγὴν in Graeco esse, neque radicale videri, uti nec in Essenorum vocabulo. Addit Ὀσσηνοὺς eosdem esse cum Ἐσσηνοῖς: utrosque enim esse אסאי, quia saepenumero holem pro scheua, et vicissim scheua pro holem usurpatur. Hanc coniecturam duobus potissimum argumentis adstruit, alterum, quod multa in eorum instituto veterum Essenorum vestigia comparent, utputa ἡ τῶν ἀγγέλων θρησκεία, cibus ex sale et pane, potus ex aqua, tum quod Osseni solem adorarunt, unde et Sampsaei dicti. Nam Sampsaei, quorum est haeresis LIII., iidem cum Ossenis viden-

tur. At Essenorum proprium hoc fuit, oriente sole preces fundere. Alterum est, quod Elxai impostor ille, qui ad Ossenos transiit, Essenus fuerit. Nihil enim aliud est Ἐλξαὶ quam ὁ Ἐσσαῖος, אל חסאי, ut id sectae non hominis proprium extiterit. Sed ea Scaligeri coniectura eatenus a nobis probatur, ut nihil supra coniecturam ac probabilem opinionem habeat. Et quidem cum tria apud Iudaeos ante Christum sectarum capita fuerint, Pharisaeorum, Sadducaeorum et Essenorum, caeterae omnes, quae ab Epiphanio vel aliis memorantur, haereses ad illarum quampiam merito revocantur a qua initio profluxerunt. Quanquam paulatim novis ad institutum ritibus ac dogmatibus adiiciendis, aut contra veteribus reiiciendis, multum a priore forma deflexerint. Quamobrem ab Essenis Ossenos istos manasse credibile est; tametsi plurima illis contraria dogmata Osseni postmodum adstruxerint, quod ex Epiph. constare potest.

Ὥρμηνται δὲ οὗτοι.] Unde et Sampsaei profecti. Qui meri sunt Osseni, nisi quod ad communem superstitionem utcumque Christiani nominis professionem adiunxerant. Horum igitur domicilium in Peraea fuit, ut haeresi LIII. scriptum est; πέραν τῆς Ἀλυκῆς, ἤτοι Νεκρᾶς καλουμένης θαλάσσης, ἐν τῇ Μωαβίτιδι χώρᾳ περὶ τὴν χειμαῤῥοῦν Ἀρνῶν καὶ ἐπέκεινα, ἐν τῇ Ἰτουρέᾳ καὶ Ναβαττίδι. Ex quibus fortassis emendanda vox τῆς Ἀρηϊλίτιδος, quae hoc loco legitur, quae nusquam reperitur, proque ea substituendum Ἀρωηρίτιδος ab Aroer, quae et Ar vocatur, Moabitarum urbe frequentissima, quae Graecis est Ἀρεόπολις, ad torrentem Arnom, ut ad c. XII. Iosue Masius observat. Possumus et Ἀρνωνίτιδος a torrentis nomine suspicari scriptum.

Τούτο δὲ τὸ γένος τῶν Ὀσσηνῶν.] Quasi a verbo עשן profectum sit, quod in Aramaea lingua *fortem esse* vel *roborare* significat, alii ab Hebraeo ערן deducunt. Scaliger non dubitat quin Ὀσσηνὸς, ut Ἐσσηνὸς κατὰ παραγωγὴν conceptum sit ἀπὸ
p. 38. τοῦ חסאי, ut idem sit Ὀσσαῖος et Ὀσσηνός. Nam eiusmodi patronymicae inflexiones in ηνὸς Arabum et Asianorum propriae sunt, ut idem ex Stephano in Ἀβασηνὸς docet, cum Europaei aliter forment.

Συνήφθη δὲ τούτοις μετέπειτα.] De Elxai meminit, ut dictum est, in Sampsaeorum haeresi. Quod sectae nomen esse, non hominis, proprium ariolatur Scaliger. Etenim Arabicus articulus אל cum appellatione sectae, hoc est חסאי, Ἐσσαῖος nomen illud peperit אל-חסאי Ἐλξαῖος, ὁ Ἐσσαῖος. Qua etiam ratione eiusdem frater Ἰεξαῖος pro Ἐξαῖος ab Epiphanio nuncupatur, sicut Ἰεσσαῖος pro Ἐσσαῖος. Sed haec mera Scaligeri divinatio est.

Ἅλας καὶ ὕδωρ, καὶ γῆν, καὶ ἄρτον.] Friget Scaligeri coniectura, qui in ElenchoTrihaeresii cap. XXVII. superstitiosum Ossenorum iusiurandum per salem, panem et aquam ad Essenorum victum refert, qui pane, sale et aqua constabat. Porro et haec et quae deinceps sequuntur documento esse possunt Ossenorum sectam ab Essenis valde diversam fuisse.

N. II. Διὰ τὸ Ἰὴλ καλεῖσθαι.] Hebraice ita concipienda sunt חיל כסי, vel כסא *virtus abscondita.*

N. III. Εἴκοσι τεσσάρων μὲν σχοινίων.] Hac ratione schoenus miliaribus constat IV stadiis, ut in miliaria singula XVI imputentur LXIV. Herodotus Euterpe: Ὅσοι μὲν γὰρ γεωπεῖναί εἰσιν ἀνθρώπων, ὀργυίῃσι μεμετρήκασι τὴν χώρην· ὅσοι δὲ ἧσσον γεωπεῖναι, σταδίοισι· οἳ δὲ πολλὴν ἔχουσι, παρασάγγῃσι· οἳ δὲ ἄφθονον λίαν, σχοίνοισι· δύναται δὲ ὁ μὲν παρασάγγης τριήκοντα στάδια· ὁ δὲ σχοῖνος ἕκαστος μέτρον ἐὸν Αἰγύπτιον ἑξήκοντα στάδια.

Ἄβαρ Ἀνιδ μωϊβ·] Non est facile ex Hebraicis hisce verbis eam sententiam elicere, quam subiecit Epiphanius. Nos ita tentavimus: יעבר עני דמאברתי

נכילא דאסנון עני דאסנון נכילא מאבותי עני דעבר בשלידות שלם Hoc est: παρελθέτω ταπείνωσις ἐκ πατέρων μου, τῆς δολιότητος, τῆς καταπατησάσης αὐτοὺ, καὶ πόνους καταπατήσαντος αὐτοὺς, τῆς δολιότητος ἐκ πατέρων μου, τῆς ταπεινώσεως τῆς παρελθούσης, ἐν ἀποστολῇ τελειώσεως· Ubi nonnulla necessario commutavimus, quod aliter extricari sententia non poterat. Sed imprimis τὸ ωχιλὲ, quod κατάκρισιν nullo modo significat. Nisi quid aptius ac melius Hebraicae linguae peritiores repererint, quod non desperamus. At Scaliger loco citato nullam in ista verborum conceptione precandi formulam inesse putat, sed tres γνώμας ac magistrorum sententias. Prima est בעבר עני מובא נכילא, hoc est ταπεινοφροσύνης παρελθούσης ὑπεισάγεται δολιότης: *Qui humilitatem abdicavit, saepe fit fraudulentus.* Secunda דאשים עני דאשים נכילא καταπατοῦντες πενίαν καταπατοῦσι δολιότητα: *Qui conculcant paupertatem, conculcant fraudem.* Tertia denique מובא עני עבר שלם: ὑπεισελθούσης ταπεινότητος ὤχετο ἀσπασμός *Qui ex divite pauper factus est, non salvatur ut ante.* Quocirca ab Hebraeo illo, quem Epiphanius consuluerat, fucum esse factum existimat. De qua re amplius videndum. Apparet autem in priore sententia, quam Epiphanius exponit, ante שלם deesse vocabulum, quod τὴν ἀποστολὴν significet; pro quo שלידות substituimus.

AD HAERESIM XX. HERODIANORUM.

Herodianos, quorum in evangelio mentio est, alii ab Herode Magno, alii ab eius filio Herode Antipa nominatos existimant. Priorem sententiam tuetur Epiphanius, qui et Herodianorum sectam ac dogma copiose persequitur. Cum autem p. 39. de Herode deque Herodianis accuratissime eruditissimeque Serrarius noster peculiari in opere disputaverit, neque quicquam quod eo pertineret intactum indictumque reliquerit, supervacuum existimamus verbum amplius ullum super ea re facere, cum ad manum sit liber ille in quo de Herodis genere, conditione, deque Herodianis ac caeteris, quae hoc loco attigit Epiphanius, diligenter explicavit, ac Scaligeri ἀναπόδεικτα de Herode somnia validissime refutavit.

Ἐπειδὴ πὰρ ὁ Ἡρώδης υἱός.] De Herodis parente avoque a Iosepho dissentiunt Africanus, Eusebius, Epiphanius, aliique Patres omnes. Etenim ille Antipatrum Idumaeum Herodis patrem praedivitem ac potentem fuisse scribit, avum autem Antipam Idumaeae ab Alexandro rege praepositum. At Patres avum Herodis et parentem obscurissimos ac pauperrimos extitisse memorant, ut cum Antipater, a quo Herodes genitus est, captus ab Idumaeis esset, redimi a patre suo propter inopiam minime potuerit. De hac quaestione consule quae Serrarius citato loco tradidit.

Ὕστερον δὲ ἐφιλιώθη Δημητρίῳ.] Demetrius iste cognomento Εὔκαιρος a Iudaeis Alexandro regi suo infensis ad auxilium vocatus cum eo pugnavit et praelio superavit. Sed cum Alexander in montes sese recepisset ad eumque plurimi confluxissent, territus Demetrius relicta Iudaea contra Philippum fratrem bellum aggressus est. In quo a Parthis captus morbo apud eosdem extinctus est. Quamobrem nihil cum eo Herodis parens Antipater commune habuit, nedum ut ab illo Iudaeae praefecturam obtinuerit. At Herodis avus Antipas, quo parente natus est Antipater, Alexandro regi percarus ab eoque Idumaeae praepositus est, autore Iosepho lib. XIV. cap. II. Suspicamur itaque multipliciter hallucinatum Epiphanium; primum quod Demetrium pro Alexandro posuerit; tum quod Herodis parentem pro avo, Iudaeam pro Idumaea imprudens usurpaverit. Quamvis quod ad praefectaram attinet, alibi saepe Antipatrum Herodis parentem

Iudaeae procuratorem ab Augusto factum asseverat. De quo ad haeresim LI. dicturi sumus.

Περιτέμνεταί τε καὶ αὐτός.] Negat hoc Scaliger in Eusebianis Animadversionibus quod Idumaeus esset Antipater. At Idumaei omnes ante plures annos inter Iudaeos adscripti. Sed haec erudite a Serrario nostro refelluntur.

Pag. 47. Ἐνδημία Χριστοῦ.] Quae hic ab Epiphanio de Salvatoris ortu, cunabulis ac postremo passione dicuntur, nec non et de Augusti atque Herodis annis, opportunius ad haeresim LI. explicantur. Ubi de anno dominici natalis ac passionis, ac reliquis, quae eodem spectant, agendum erit pluribus.

AD HAERESIM XXI., QUAE EST SIMONIANORUM.

N. I. Σίμωνος δὲ γίνεται.] Vide Iustinum Apolog. II., Irenaeum lib. I. cap. XX., Philastr., Augustinum, Theodoretum, Clement. Alexandr. II. Strom., Eusebium lib. II. Hist. cap. XI., Niceph., Ruff. et alios. Sed mirum est, quod in calce VII. Strom. Clemens asserit Simonem Marcione posteriorem fuisse. Ubi Catholicam Ecclesiam haeresibus universis aetate superiorem esse docens, Κάτω δὲ περὶ
p. 40. τοῦ Ἀδριανοῦ τοῦ βασιλέως χρόνους οἱ τὰς αἱρέσεις ἐπινοήσαντες γεγόνασι, καὶ μέχρι γε τῆς Ἀντωνίνου τοῦ πρεσβυτέρου διέτειναν ἡλικίας. Tum Basiliden et Valentinum enumerat. Moxque subiicit: Μαρκίων γὰρ κατὰ αὐτὴν αὐτὴν τοῖς ἡλικίαν γενόμενος ὡς πρεσβύτης νεωτέροις συνεγένετο. Μεθ' ὃν Σίμων ἐπ' ὀλίγον κηρύσσοντος τοῦ Πέτρου ὑπήκουσεν. Ergo Simon Marcione posterior est? Manifestus itaque error est. Ut et illud quod scribit, haereticos omnes sub Adriani extitisse tempora. Constat enim Simonem vivente adhuc Petro sub Nerone mortuum esse. Sed quid est quod idem Clem. Strom. II. de Simonianis loquens iis verbis significat? Οἱ δὲ ἀμφὶ τὸν Σίμωνα τῷ ἑστῶτι, ὃν σέβουσιν, ἐξομοιοῦσθαι τρόπον βούλονται. An stantes orabant? aut quippiam aliud ad eum modum agebant?

Ἀπὸ Γιτθῶν.] Steph. Γίττα, πόλις Παλαιστίνης. Πολύβιος ἐκκαιδεκάτῳ τὸ ἐθνικὸν Γιτταῖος. Ita et Iustinus Apol. 2. Theodor. Γιτθῶν.

Λογισάμενος δώσειν.] Expungenda vox δώσειν, atque ita deinceps scribendum: λογισάμενος πολλὴν δὴ ἀντὶ ὀλίγου. Nisi retenta voce δώσειν sensus ille quem expressimus magis arrideat.

N. I. Ἀπὸ τῆς ἐν τῇ μαγείᾳ.] Hinc Simoniani omnes magi. Irenaeus: *Et quaecunque sunt alia parerga, apud eos studiose exercentur.* Corrigendum *perierga:* ut Act. XIX, 19: *Qui erant curiosa sectati.*

Ἑλένην τοὔνομα.] Selenen vocant alii, ut Iren. l. I. cap. XX., Cyrillus, Aug. et alii. Vide Tertul. l. de An. c. 34.

Ἢ καὶ Προύνικος.] Dicam de ea voce ad Nicolaitarum haeresim.

Βαρβηρὼ ἤτοι Βαρβηλώ.] Syriaca vox esse videtur Barbelo בר בעלא, filius Bahalis, id est Iovis. Ut enim Verbum aeterni Patris Filius, sic impurus iste Ἔννοιαν suam, hoc est Helenam, videri voluit velut fetum quendam esse suum, ut Iustinus narrat, τὴν ὑπ' αὐτῷ Ἔννοιαν πρώτην γενομένην.

Εἰς συλαγωγίαν.] Ita ex Reg. Cod. emendavimus pro eo quod erat ψυχαγωγίαν.

N. III. Τοῦτο γάρ ἐστι τὸ γεγραμμένον.] Tert. *Hanc igitur esse ovem perditam ad quam descenderit pater summus, Simon scilicet, etc.*

N. IV. Ὀνόματα δέ τινα ὁ αὐτός.] Tert. de Praescr. c. 33: *Simonianae autem magiae disciplina angelis serviens utique et ipsa inter idololatrias deputabatur, et a Petro apostolo in ipso Simone damnabatur.* Haec est angelorum λατρεία, quam Magis usitatam esse docet Clem. Alex. III. Strom. Ἀμέλει διὰ φροντίδος ἐστὶ

καὶ τοῖς μάγοις οἴνου τε ὁμοῦ καὶ ἐμψύχων, καὶ ἀφροδισίων ἀπέχεσθαι λατρεύουσιν ἀγγέλοις καὶ δαίμοσιν. Hinc Conc. Laod. Can. XXXV. Ὅτι οὐ δεῖ Χριστιανοὺς ἐγκαταλείπειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ, καὶ ἀπιέναι, καὶ ἀγγέλους ὀνομάζειν, καὶ συνάξεις ποιεῖν etc. Quae angelorum ὀνομασία ad magorum praestigias superstisiososque cultus referri debet. Ut et illud Pauli ad Coloss. c. 2: μηδείς ὑμᾶς καταβραβευέτω θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων. Ex quo illud apparet, quam inepte ab haereticis ad stolidissimi erroris patrocinium uterque ille locus afferatur. Mirum est vero quod in Ecclesiasticis Annalibus legitur, de illa angelorum θρησκείᾳ nullam ab Epiphanio mentionem esse factam. Quid enim clarius quam quod Epiphanius hoc loco narrat Simonem angelorum nescio quas appellationes esse commentum, nec aliter obtineri posse salutem asseverasse, quam si quis summo Parenti per easdem illas Potestates ac Dominationes sacrificium offerret? An non haec est θρησκεία τῶν ἀγγέλων?

Atenim angelos, quos mundi conditores fecit, detestatus est Simon suisque p. 41.
vetuit προσέχειν τούτοις, ut ait Theodor. et Irenaeus. Qui igitur convenit, ut θρησκείαν illis adhibuerit? Sed nimirum utrumque verum est. Angelos mundi conditores contemnendos esse docuit eatenus, ut supra illos attollendos se esse crederent, et ad summum illum Patrem emersuros, ac nihilominus tamen, quamdiu in hac vita degerent, execrandis illis mysteriis ac ritibus placandos, ne evolantes e corporibus animas pro suo iure retinerent. Quod Gnostici postmodum arripuerunt. Quorum illud erat, τὰ σαρκικὰ τοῖς σαρκικοῖς ἀπαδοτέον.

Ἤ τίνι τῷ λόγῳ τὸ ἐπίθετον.] Quid tandem sibi vult Epiphanius? Negat enim Simonem ullam sibi appellationem indidisse. At quis is trium sibi personarum nomina vindicabat, et δύναμιν inter cetera θεοῦ sese nominabat, hoc est, ut ego interpretor, dei filium. Vide Iren.

Ἐν μέσῃ τῇ τῶν Ῥωμαίων πόλει.] Hanc historiam veteres omnes Patres post Iustinum referunt, Eusebius, Cyrillus, et alii. Sed de statua Simoni cum hac inscriptione posita, SIMONI DEO SANCTO, vir quidam eruditus addubitat, qui Iustinum Graecum hominem errore deceptum putat, cum vulgarem illam ac passim extantem ἐπιγραφὴν legisset SEMONI DEO SANCTO, Simonem pro Semone accepisse. Quae mihi coniectura sane probabilis est visa.

AD HAERESIM XXII., QUAE EST MENANDRI.

De Menandro Tertul. de Praescr. c. XLVI. *Post hunc Menander discipulus illius, similiter magus, eadem dicens quae Simon ipse, quicquid se Simon dixerat, hoc se Menander esse dicebat, negans habere quenquam posse salutem nisi in nomine suo baptizatus fuisset.* Vide Euseb. lib. III. Hist. cap. 20., Iustinum Apol. 2., August., Philast. etc.

N. 1. Ὃς ἀπὸ Σαμαρειτῶν ὁρμώμενος.] Iustinus: ἀπὸ κώμης Καππαρεταίας. Theodoretus: ἀπὸ Χαβραὶ κώμης οὕτω καλουμένης.

Ἑαυτὸν δὲ ἔλεγε δύναμιν.] Atqui Iren. lib. I. cap. XXI. scribit Menandrum dixisse primam virtutem incognitam omnibus esse, se vero ad hominum salutem ab angelis esse missum. Quare non μεγάλην illam se esse δύναμιν asseruisse videtur, ut ipsius magister et erroris architectus, sed minorem quandam. Quod et diserte Theodor. asserit. Ἑαυτὸν δὲ, inquit, οὐ τὴν πρώτην ὠνόμασε δύναμιν. Ἄγνωστον γὰρ ἔφησε ταύτην· ἀλλ' ἐπ' ἐκείνης ἀπεστάλθαι βρενθυόμενος. Quod si ita est, qui verum esse potest quod subiicit Epiphanius, maiorem se Menandrum antecessore suo ac praeceptore iactasse? Nisi forte mendacii hac in parte Simonem arguens eumque in ordinem redigens, sibi ipsi inferioris illius δυνάμεως

nomen ac dignitatem arrogavit. Quem ad sensum revocanda sunt Tertull. verba, ut quia δύναμιν se esse dicebat, etsi non eandem, quam Simon, pra ferret, idem de se professus fuisse dicatur.

Εἰς τὸ ἑαυτῶν μυστήριον.] Privatum quoddam baptismi genus Menan habuit; quo qui initiati essent immortales fore hac in vita persuaserat. Iust Apol. II., Irenaeus, Eusebius.

p. 42. N. II. Στραφεῖσα αὖτη, καὶ ἀπὸ τῆς κέρκου.] Sic apud Spartianum in An nino Pio: *Visus est in Arabia iubatus anguis maior solitis, qui se a cauda medi comedit.*

AD HAERESIN XXIII. SATURNILIANORUM.

Autorem haeresis istius *Saturninum* Irenaeus appellat, ut et Philastri atque Augustinus; Iustinus vero Dialogo cum Tryphone, et Theodoretus, *Sat nilum.*

N. I. Παρακυψάσης φωνῆς.] Iren. *lucida imagine apparente:* quasi esi φωτεινῆς εἰκόνος.

Ὑπὸ θῆξιν ἀναπτῆναι·] Utitur hac loquendi ratione aliquoties Epiphaniu Sed corrupte nonnunquam θίξιν pro θῆξιν habent exemplaria. Est autem θῆξ Hesych. ῥοπὴ, στιγμὴ, τάχος.

Ποιήσωμεν ἄνθρωπον.] Minus igitur accurate Theodoretus usurpatam ab ill in hac sententia vocem ἡμετέραν scribit.

Τὸ δὲ κάτωθεν καὶ αὐτό.] Forte καὶ αὐτὸν δὲ τὸν Σωτῆρα φάσκει, etc.

N. II. Φάσκει γὰρ οὗτος.] Neque hic mihi locus integer videtur. Suppleri fo tasse potest ex Theodoreto. Οὗτος τῷ Μενάνδρῳ παραπλησίως ἕνα ἔφησεν εἶνα πατέρα παντάπασιν ἄγνωστον· τοῦτον δὲ τοὺς ἀγγέλους δημιουργῆται, καὶ τὰς ἄλλα δυνάμεις. Quod autem apud Epiphan. subiicitur ἀπὸ τῆς αὐτοῦ δυνάμεως, indica deesse nomen aliquod, puta τοῦ ἄνω πατρὸς, ad quod pronomen αὐτοῦ pertineat

N. III. Τούτους ὃ μὴ θέμις ἐστίν.] Deest μέλλοντας.

N. IV. Περὶ δὲ τῶν κατὰ τὰς θεοῦ.] For. τῆς θεοῦ.

Τοῖς περὶ τὸν Ναθαναὴλ.] De altero illo Cleophae socio alii aliter existimant. Plerique Lucam esse suspicati sunt. Ambrosius Ammaonem hunc vocat. *Videtur enim* (ait ad Lucae c. XXIV) *se istis* XII *demonstrasse; sicut se Ammaoni et Cleophae seorsum iam vespere demonstraverat.* Sed deesse apud Ambrosium aliquid suspicor. Nam videtur *Ammaoni* loci vocabulum esse, levi depravatione, pro Emmaunti. Porro alterius discipuli nomen substituendum.

N. V. Ὡς ἀσπὶς παρ' ἐχίδνης.] In Collectaneis Proverb. Στρωματ. P. Schotti: Ὡς ἀσπὶς παῤ ἐχίδνης τὸν ἰὸν δανείζεται.

Tertull. lib. III. c. Marcion. cap. VIII. *Desinat nunc haereticus a Iudaeo; Aspis, quod aiunt, a vipera mutuari venenum.*

AD HAERESIM XXIV., QUAE EST BASILIDIANORUM.

Basilides ad Antonini Pii tempora vixit, ut ait Clem. Alex. VII. Strom., qui quidem Glauciam Petri interpretem magistrum suum iactabat. De hoc sparsim idem Alexandrinus, Irenaeus vero fusius lib. I. cap. XXIII., Eusebius lib. IV. *Hist.* cap. VI., Theodor., ac caeteri.

N. I. Μυθοποιΐας ὑπερβαλλόμενος.] Forte τινὰς et ὑποβαλλόμ.

N. II. Κατὰ διαίρεσιν κλήρω.] Non dubito quin ad locum illum respexerint horum somniorum artifices, qui est Deut. XXXII, 8. ex LXX Interpretum editione: ἔστησεν ὅρια ἐθνῶν κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέλων θεοῦ.

Τὸ ὑπ' αὐτῶν ἐπέσεισαν.] Forte ὑπ' αὐτῷ.

N. VI. Δεῖ τοίνυν ἀρκεῖσθαι.] Scribe ἀρνεῖσθαι. p. 43.

N. VII. Τοῦ Ἀβρασάξ.] Vide Baron. ad A. CXX.

Ἴσα τοῖς μαθήμασι διαιρῶν.] Hanc lectionem e Vaticano substituimus vulgatae illi quae perspicue corrupta videtur, et est huiusmodi: ἴσας τοῖς ποθητικοῖς διαιρέσεσι. Cornarius ποιητικοῖς legit. Sensus porro is esse potest. Basilidem CCCLXV illos coelos ex mathematicis rationibus, quae totidem dies annuo orbi praefiniunt, constituisse. Quare ex iisdem illis mathematicorum decretis paulo post hominem refutat. Quippe cum praeter CCCLX dies VI insuper horae tribuantur.

Εὑρίσκεται γὰρ ὁ ἐνιαυτός.] Horae apud Epiphanium aequinoctiales duas continent. Vide haeres. LI.

Εἰ γὰρ τῷ ἀνθρώπῳ ἐστί.] At R. Elias Thisbi in רמ"ח אברים יש באדם אבר, CCXLVIII membra in homine sunt. At Epiphanius ait esse CCCLXIV. Nisi forte pro εἰ legendum sit οὐ. Ut sensus sit, non esse 365 membra. Tum enim et τξέ pro τξδ' substituendum erit.

N. VIII. Ὄψε δὲ τὴν ζωήν.] Hic locus e Deut. XXVIII, 66. de Christo a nonnullis PP. accipi solet, ut ab Aug. lib. XVI. contra Faust. c. XXIII., Tertulliano l. contra Iud. c. XI.

AD HAERESIM XXV., QUAE EST NICOLAITARUM.

De sectae vel autore vel ἐπωνύμῳ veteres a se invicem dissentiunt. Magistrum erroris fuisse praeter Epiphanium censent Irenaeus lib. I. cap. XXVII., Ignatius, Philastrius et alii. At Clem. lib. III. Strom. Nicolaum cum ab aliis animi ornamentis, tum a temperantia commendat, eiusque virgines filias fuisse narrat; sed ex quadam sententia, quam is coram apostolis dixerat, δεῖν παραχρήσασθαι τῇ σαρκὶ, flagitiosi dogmatis occasionem esse natam. Sic enim ille lib. II. Strom: Τοιοῦτοι δὲ καὶ οἱ φάσκοντες ἑαυτοὺς Νικολάῳ ἕπεσθαι ἀπομνημόνευμά τι τἀνδρὸς φέροντες ἐκ παρατροπῆς τὸ δεῖν παραχρῆσθαι τῇ σαρκί. Ἀλλ' ὁ μὲν γενναῖος κολούειν δεῖν ἐδήλου τάς τε ἡδονὰς, τάς τε ἐπιθυμίας, καὶ τῇ ἀσκήσει ταύτῃ καταμαραίνειν τὰς τῆς σαρκὸς ὁρμάς τε καὶ ἐπιθέσεις· οἱ δὲ εἰς ἡδονὴν τράγων δίκην ἐκχυθέντες οἷον ἐφυβρίζοντες τῷ σώματι καθηδυπαθοῦσιν.

N. II. Οἱ μὲν τοῦ Ἰαλδαβαώθ]. A יָלַד et אבא deductum videtur, quasi *matricem patrum ac propagatricem vim dixeris.*

N. IV. Προύνικον γὰρ ἐὰν εἴπωσι.] Προύνικος Hesychio baiulum ac mercenarium significat: Οἱ μισθοῦ κομίζοντες τὰ ὤνια ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς, οὕστινες παιδαρίωνας καλοῦσι, δρομεῖς, ταχεῖς, ὀξεῖς, εὐκίνητοι, γοργοὶ, μισθωτοί. Idem fere apud Suidam. Vulgo a πρὸ et ἐνείκω deducunt, aut a πρὸ et νεῖκος. Nam et ὑβριστὴν interpretantur, itaque Phavorinus. Qui et addit πόριλος τὸ αἰδοῖον. Quod depravatum videtur. Sed nemo notionis eius quam Epiphanius ei voci tribuit mentionem facit, ut idem sit quod πορνεύεσθαι vel φθείρειν. Ac suspicari licet in ea significatione dici, quasi πορνικεύειν et πορνικόν. Vir quidam doctus apud Diogenem in Xenocrate vocem illam ausus est rescribere, pro eo quod vulgo legitur πορνικοὺς. Verba Diogenis haec sunt: καὶ εἴποτε μέλλοι εἰς ἄστυ ἀπιέναι, φασὶ τοὺς θορυβώδεις πάντας καὶ πορνικοὺς ὑποστέλλειν αὐτοῦ τῇ παρόδῳ. Verum sine veterum autoritate codi- p. 44.
cum nefas est aliquid immutare. Apud Hesychium vero, ut recte observat idem, in vocabulo Σκίταλοι, ἀπὸ τῶν ἀφροδισίων, καὶ τῆς προὐνικίας νυκτερινῆς. Ubi προὐνικία pro re venerea usurpata videtur.

Καυλαυκαὺχ γὰρ ἐν τῇ Ἡσαΐᾳ.] Locus ille Isaiae XXVIII, com. 10. et

tur: sed Hebraïca a LXX senioribus discrepant. צו לצו צו לצו קו לקו קו :לקו זעיר שם זעיר שם, praeceptum ad praeceptum, spes ad spem, etc. Vel: *Manda remanda, expecta, reexpecta;* quod de sacrilega mimesi ac dicacitate Iudaeorum interpretatur Hieronymus. At LXX. θλίψις ἐπὶ θλίψιν, ἐλπὶς ἐπ' ἐλπίδι, ἔτι μικρὸν, ἔτι μικρόν. Videntur צור pro צו legisse. Nec ideo accusandus est Epiphanius, ut a nescio quo factum est, quasi Hebraïce nescierit. Hebraïca ut erant exscripsit ille, tum ad singula vocabula Graecam interpretationem adiunxit, cuiusmodi in ecclesia passim exaudiri solebat; et ἑρμηνεύεται, dixit, hoc est ita a LXX. redditur. Quod autem idem ille censet, Nicolaitas impurissimi dei sui nomen Καυλαυκαὺχ e Psalm. XXIX. sumpsisse, ubi ita scriptum est קול ה׳, vox robusta, ac perperam Epiphanium ex Isaia transtulisse, mihi non probat. Nam illis ipsis Isaiae verbis abusos haereticos testis est Hieron., cuius haec verba sunt: *Hisque verbis abuti solet immundissima haeresis apud simplices quosque atque deceptos, ut terrorem faciat novitate sermonum; quod scilicet qui haec verba cognoverit, et in coitu eorum meminerit, absque ulla dubitatione transeat ad regna coelorum.* Nicetas lib. I. Thesauri Nicolaitas scribit Prunicum mulierem et Caulaucam veneratos esse.

AD HAERESIM XXVI., QUAE EST GNOSTICORUM.

Gnosticorum appellatio, quam impurissimi haereticorum usurparunt, eximium quendam atque exquisitum animi statum ac sanctitatis significat, ut ex Alexandrino Clemente aliisque colligere licet. Nam apud illum I. Paedag. cap. VI. opponuntur οἱ Γνωστικοὶ τοῖς Ψυχικοῖς, et Πνευματικοὶ vocantur. Οὐκ ἄρα οἱ μὲν Γνωστικοὶ, οἱ δὲ Ψυχικοὶ ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ, ἀλλ' οἱ πάντες ἀποθέμενοι τὰς σαρκικὰς ἐπιθυμίας ἴσοι καὶ Πνευματικοὶ παρὰ τῷ κυρίῳ. Sed in aliis Στρωματέων libris, et imprimis VII. de Gnosticis et γνωστικῇ δυνάμει pluribus disputat; cuius τρία esse dicit ἀποτελέσματα: nimirum τὸ γινώσκειν τὰ πράγματα, δεύτερον τὸ ἐπιτελεῖν ὅτι ἂν ὁ λόγος ὑπαγορεύῃ, καὶ τρίτον τὸ παραδιδόναι δύνασθαι θεοπρεπῶς τὰ παρὰ τῇ ἀληθείᾳ ἐπικεκρυμμένα. Quare Gnostici sunt homines perfecta ac singulari quadam virtute ac divinarum rerum scientia praediti, nec ea quidem vulgari, sed abstrusa ac recondita. Unde qui a Nicolao, Basilide caeterisque propagati arcanas quasdam nugas et execranda nescio quae figmenta, velut mysteria, traderent, Γνωστικοὺς se ab exquisita illa rerum altissimarum notitia dici voluerunt. Augustinus: *Gnostici propter excellentiam scientiae sic se appellatos esse vel appellari debuisse gloriantur.* Apud Socratem lib. IV. cap. XVIII., alias κβ', corrigendus interpres, qui quod Evagrius de insigni quodam monacho scripserat ad Mariam
p. 45. lacum habitante: προοικεῖ δὲ αὐτῇ μοναχὸς τῆς παρεμβολῆς τῶν Γνωστικῶν ὁ δοκιμώτατος, ita vertit: *In ea monachus ex secta Gnosticorum vir spectatissimus habitavit.* Fallitur. Neque enim ex tam impura secta laudabilis ac probus existere monachus potuit, neque de virtutibus tam exquisite disputare. Quare Γνωστικὸς eodem sensu, quo Clemens usus est, et Evagrius ipse, qui librum eo nomine inscripserat, accipiendus est, nempe ὁ καταξιωθεὶς τῆς γνώσεως, eximia divinarum rerum scientia praeditus. Redeo ad haeresin Gnosticorum, quae non una simplexque fuit, sed universi fere, quos fabulones Augustinus vocat, *quique*, ut idem ait, *fabulas vanas, easque longas et perplexas contexuerunt*, Gnosticorum appellatione censentur. Epiphanius infra haer. XXXI., sub initium, decem Gnosticorum genera facit, a totidem illorum propagata ducibus, quos partim eodem illo loco, partim haeresi XXVII. n. I percenset. Sunt autem hi: Simon Menander, Saturnilus, Basilides, Nicolaus, Carpocrates, Valentinus, Colorbasus, Ptolomaeus, et

Secundus. Clemens Alex. lib. III. Strom. addit et Prodicum. Verum certa quaedam ac peculiaris secta fuit quae sibi Gnosticorum nomen prae caeteris vindicarit, de quibus hoc in capite agit Epiphanius, et alii qui de haeresibus scripserunt, imprimisque Tertullianus, qui Scorpiacum contra Gnosticos edidit; quam quidem haeresin Hieronymus contra Vigilantium scribens Caianam vocat.

N. II. Ἐπειδὴ γὰρ νουρά.] נורא Aramaea lingua ignem significat. Quod autem Iudaeis post captivitatem familiaris ac popularis lingua Syriaca foret, ideo nota non βαθεῖα lingua, quae et לַעֲרִים dicitur, sed communi ac vulgari idem esse quod ignem asserit: βαθεῖαν autem linguam alludens ad Ezechielis locum dixit, qui est cap. III, 15: *Non enim ad populum profundi sermonis, et ignotae linguae tu mitteris.* Hebraïca lingua אש ignem significat, Aramaea אשתא. Qua voce ignem a Noëmo vocatum Berosus prodidit. Atque inde fortassis Graeci Ἑστίας originem deduxerunt.

Οὗτοι τὰ τοῦ Φιλιστίωνος.] Hieron. Apol. 2. c. Ruf: *Et quasi mimum Philistionis, vel Lentuli ac Marulli stropham eleganti sermone confictam etc.*

Κάββα γὰρ ἑρμηνεύεται.] Tam Hebraice quam Syriace tabernaculum et fornicem significat, nec non et prostibulum ac lupanar. Numer. quoque XXV., com. 8, LXX. μίτραν reddiderunt. Unde et πορνείας stupriique notio: Φονοκτονίαν vero, sive parricidium, nusquam legere memini. Suspicor Epiphanium קבא tanquam a נקב derivatum accepisse, quod est perforare.

Ἀγώγιμόν τι ποίημα.] Cornarius *illiciens poëma.* Ἀγώγιμον est quod advehitur aut importatur. Nos *adscititium* ex communi potestate interpretari maluimus. Quanquam n. XVII. pag. 100, ἀγώγιμον μῦθον in priori illa Cornar. notione usurpatur.

N. III. Παρὰ δέ τισι φύσει Βορβοριανοί.] Theoderetus Barbeliotas, sive Borborianos, certos haereticos separatim memorat, quos et Naasinos et Stratioticos et Phebionitas appellat, quae sunt Gnosticorum vocabula. Quod ad vocem attinet κοδδά, notant מקידא esse scutellam, vel craterem testaceum.

N. VII. Τουτέστι τῷ χρόνῳ.] Locum ex Vaticano codice suae integritati restituimus. Quod ad Evangelici illius loci sensum attinet, eodem modo quo Chrysost. et Theophylactus exponunt, quo Epiphanius. p. 46.

N. IX. Καὶ ἅπερ ἡμεῖς ἐσθίομεν.] Idem Manichaei iactitare solebant, ut ex Aug. libris adversus Faustum apparet.

N. XI. Οὐκ ἤνεγκε λόγον βλασφημίας.] Aliter haec in Canonica Iudae leguntur: V. 9. Ὁ δὲ Μιχαὴλ ὁ ἀρχάγγελος, ὅτε τῷ διαβόλῳ διακρινόμενος διελέγετο περὶ τοῦ Μωϋσέως σώματος, οὐκ ἐτόλμησε κρίσιν ἐπενεγκεῖν βλασφημίας: *Non ausus est iudicium inferre, et accusare blasphemiae.* At Epiphanius aliam fortasse lectionem secutus, *non tulit*, inquit, *blasphemiam.*

Ὡς καὶ ὁ μακάριος Παῦλος.] Clemens Alex. lib. III. Strom. eundem apostoli locum citans ad eiusmodi genus haereticorum pertinere putat: Καὶ μή τι πρὸς τούτους ὁ ἀπόστολος ἐν τῇ πρὸς Ῥωμαίους ἐπιστολῇ ἀποτεινόμενος γράφει, καὶ μὴ καθὼς βλασφημούμεθα, καὶ καθώς φασί τινες ἡμᾶς λέγειν, ὅτι ποιήσωμεν τὰ κακὰ, ἵνα ἔλθῃ τὰ ἀγαθά.

N. XIII. Καὶ οἱ μὲν ἐνυπνιαζόμενοι.] Vox haec ἐνυπνιαζόμενοι in Vulgata interpretatione deest, quam ad turpe libidinis profluvium refert Oecum. aliique nonnulli. Alii ad errorum nugarumque somnia. Clemens Alex. III. Strom. adversus Carpocratem disputans: Ἐπὶ τούτων οἶμαι καὶ τῶν ὁμοίων αἱρέσεων προφητικῶς Ἰούδαν ἐν τῇ ἐπιστολῇ εἰρηκέναι. Ὁμοίως μέντοι καὶ οὗτοι ἐνυπνιαζόμενοι· οὐ γὰρ ὕπαρ τῇ ἀληθείᾳ ἐπιβάλλουσιν. Sequitur Isaiae locus c. LVI. com. 10., ubi quod

in Hebraeo est חזים שוכבים, visa contuentes, iacentes, LXX. vertunt ἐνυπνιαζόμενοι κοίτην, *somniantes cubile*. Quae tamen in Canonica Iudae non reperiuntur, contra quam asserere videtur Epiphanius.

N. XV. Μή μου ἅπτου.] Chrysost. in Ioann. eum sensum affert: Quod Maria cum Christo eadem qua antea familiaritate sese gereret, nec de eo maius quiddam et augustius post resurrectionem sentiret, ab illo iisce verbis admonitam fuisse.

N. XVI. Παρεισφέρουσι γὰρ οἱ ποιηταὶ.] Putidissimae fabulae autor Hesiodus in Theog. Ubi primam Iovis uxorem Metin ab eo devoratam cecinit, indidemque propagatam Palladem. Apollodorus vero lib. I. Biblioth. Metin ait Oceani filiam Iovi auxiliatam esse, eandemque Saturno potionem quandam propinasse, qua is exhausta filios, quos devorarat, omnes evomuit. Athenagoras in Legat. pro Christianis Orphei versus citat, quibus de Phanete mentio est, quem indicat deinde a Iove similiter absorptum. ἢ καταποθῆναι ὑπὸ τοῦ Διὸς, ὅπως ὁ Ζεὺς ἀχώρητος γένοιτο. Quod Gesnerus interpres ad Metin transtulit. Verum de Phanete loqui videtur Athenagoras, non de Meti.

N. XIX. Οὕτω γὰρ, φασὶ, τὴν ἀπειρώδινον.] Fabulam narrat et Plin. l. X. cap. LXII. Cui fidem derogant Philostratus, Maximus Tyrius, aliique complures.

AD HAERESIM XXVII., QUAE EST CARPOCRATIS.

N. II. Ὅτε ἦν ἐν τῇ περιφορᾷ.] *Comitatum* reddidimus, ut pro συμπεριφορᾷ usurpetur, cum quis facilem se alteri et obsequentem praebet. Sane Theod. διαγωγῆς vocabulo usus est. Nisi quis ad περιφορὰν illam deorum et circumactionem Platonicam respexisse Carpocratem existimet, de qua in Phaedro.

N. III. Ἐπιχειροῦσι δὲ.] Euseb. lib. IV. c. VII. scribit Carpocratem palam ac
p. 47. sine tergiversatione maleficas artes prae se tulisse. Οἱ καὶ τοῦ Σίμωνος οὐχ ὡς ἐκεῖνος κρύβδην, ἀλλ' ἤδη καὶ εἰς φανερὸν τὰς μαγείας παραδιδόναι ἠξίουν, ὡς ἐπὶ μεγάλοις δὴ μονονουχὶ σεμνυνόμενοι τοῖς κατὰ περιεργίαν πρὸς αὐτῶν ἐπιτελουμένοις φίλτροις, ὀνειροπομποῖς τε καὶ παρέδροις τισὶ δαίμοσι, καὶ ἄλλαις ὁμοιοτρόποις ἀγωγαῖς. Eadem habet Irenaeus.

Εἰσὶ δὲ ἐκ τοῦ Σατανᾶ.] Perditissimi haereticorum Gnostici; Gnosticorum Carpocratiani fuerunt, ut qui turpissima quaeque flagitia committentes adeo non erubescerent, ut etiam glorianda ac prae se habenda putarent. Ideo de Carpocratianis nominatim et Irenaeus et Clem. III. Strom. et Eusebius et Epiphanius aliique scribunt, summam ad Christiani nominis infamiam ac dedecus eos a diabolo esse productos, ut gentiles cum Christianos homines tam impuros ac nefarios viderent, a Christiana professione penitus abhorrerent. Idem et Tert. in Apol. et Iustinus scripserunt.

N. V. Καὶ τοῦτό ἐστι, φασὶ.] Vide Tert. l. de Anima c. XXXV. Sed et Irenaeum loco citato. Ex quo nonnulla Theoderetus transtulit; in quibus leve quoddam inest mendum, quod obiter a nobis corrigendum est. Scribit igitur Irenaeus: καὶ εἰ μὲν πράσσεται παρ' αὐτοῖς τὰ ἄθεα, καὶ ἔνθεσμα, καὶ ἀπειρημένα, ἐγὼ οὐκ ἂν πιστεύσαιμι. Irenaei vetus interpres haec posteriora ita uti apud Theodor. extant legisse videtur. Nam vertit *ego nequaquam credo*. Scribendum vero οὐκ ἂν πιστώσαιμι, *affirmare non ausim*.

N. VI. Ἐν Ῥώμῃ γὰρ γεγόνασι.] Romanorum pontificum, qui a Petro proximi fuerunt, perobscura series est, varieque scriptorum opinione iactata. De qua cum tam insignis Epiphanii locus iste sit, pauca ad eum ipsum illustrandum explicanda videntur. Ac praecipua quidem de Lini ac Cleti pontificatu controversia nascitur. Quos plerique non Petri successores nec ordinarios pontifices, sed cho-

repiscopos extitisse putant, ab eoque vice sua, quo praesertim tempore abesset, Urbi praefectos. Alii legitimos et ordinarios faciunt. Utriusque sententiae mentionem facit Epiphanius, et utra verior sit, incertum relinquit. Priorem ex Pseudodamaso amplectitur Onufrius in Chronico: qui a Petro adhuc superstite chorepiscopos duos constitutos ait, Linum atque Cletum, anno pontificatus sui XIV. Paulo vero ante quam moreretur eundem Petrum successorem ordinasse Clementem anno Christi LXVIII. Linus porro eodem anno quo Petrus, paucis mensibus interiectis, nempe IX. Kal. Oct. passus est. Clemens primus post Petrum Romanus pontifex annos sedit IX, menses IV, dies XXVI. Qui cum Vespasiano VII., et Tito V. Coss., anno Christi LXXVII., mortuus esset, successorem habuit Cletum, qui Clementis hactenus non collega, sed administer fuerat. Atque is pontificatum sex annis tenuit mensibus V, diebus tribus, cum episcopus ac pontificum minister annis antea XX, mensibus V, diebus XII extitisset. Ut in totum annis XXVI, mensibus X, diebus XV episcopatum gesserit. Moritur autem anno Christi LXXXIV. Domitiano IX. A. Virginio Coss. Hunc Anacletus excepit. Haec Onufrius. A quibus veteres plerique praestantissimi scriptores ac recentiores dissentiunt, quatenus Linum et Cletum, sive Anacletum, post Petrum legitimos et ordinarios Pon- p. 48.
tifices numerant, ut Irenaeus lib. III. cap. III., Eusebius in Chron. et Historia., Tertull., Epiphanius et alii innumeri. Quibus libenter accedimus. Sed illorum plerique Cletum eundem cum Anacleto faciunt. Quae omnia recte in Annalibus ac diligenter exposita sunt. Sed vitiosa est ibidem annorum ratio, et biennii ἀναχρονισμὸς ubique commissus, de quo ad haer. LI. disputamus. Quocirca castigatam pontificum Rom. seriem et ad veros annos redactam hoc loco subiiciam, eorum duntaxat, quos Epiphanius recenset.

Primus igitur Romae pontificatum tenuit Petrus, qui anno Neronis XIII. passus est, Capitone et Rufo Coss., qui est Iulianus CXII., aerae Dionysianae LXVII., non LXIX., ut est in Annalibus, aut, ut Onufrio placet, LXVIII. Hic enim uno duntaxat anno, illi biennio verum tempus antevertunt. Cuius causam ad haeresin LI. aperiemus.

Eodem anno Linum successit. Cui annos imputant XI, menses II, dies XXIII. Idemque mortuus est anno Dionysiano LXXVIII., Sept. XXIII., non, ut illi censent, LXXX.

Tertius Linum Cletus excepit, seditque annos XII, menses VII, dies II. Obiit anno Dionysiano XCI. Aprilis XXVI. Traiano et Glabrione Coss.

Quartus est Clemens, cui anni tribuuntur IX, menses VI, dies VI. Moritur anno Dionys. centesimo IX. Kal. Dec.

Quintus Romae praefuit Anacletus, annis IX, mensibus III, diebus X. Obiit anno CX.

Sextus Euaristus, qui et ipse annos sedit IX, menses III. Mortuus est anno CIX., Octobr. XXVI.

VII. est Alexander, qui X annos ecclesiae praefuit, aut etiam aliquot eo amplius menses. Vixit ad annum usque CXXX. Quo eodem anno

VIII. Romanorum pontificum creatus est Xistus. Is annis decem expletis mortuus est anno Christi circiter CXL.

IX. Telesphorus annos sedit XI, menses IX, dies III. Martyrium fecit anno CLII.

X. Hyginus, annis IV. Qui obiit anno CLVI.

XI. Pius. Cui annos imputant Annales IX, menses VI. Obiit anno CLXV.

XII. Anicetus, annis VIII minus mensibus II, ac diebus VII. Moritur anno CLXXIII.

Hactenus Romanorum pontificum series ex Annalibus deprompta, sed ad veros annos redacta. Quorum quidem singillatim tempora perscrutari plus molestiae quam utilitatis habet.

In Epiphanii Catalogo post Telesphorum perperam Evarestus repetitur.

Ὁ μὲν γὰρ Παῦλος καὶ ἐπὶ τὴν Ἱσπανίαν.] Quod facturum se Romanis denunciaverat, Rom. xv, 28.

Ἐπισκοπεύσαντας πρὸς δεκαδύο ἔτη.] Singuli nimirum. Nam ex Eusebii Chronico haec mutuatus est Epiphanius. Ubi Lino XI, Cleto XII anni tribuuntur.

p. 49. Τὴν ἐπὶ τῷ δωδεκάτῳ ἔτει,) Passi sunt apostoli L. Fonteio Capitone et Iulio Rufo Coss., quibus anno Neronis XIII. finito coepit XIV. ex ante diem III. Eid. Octobr. Hic est annus Iulianus CXII., aerae Dionysianae LXVII. Quamobrem non anno XII. Neronis, ut scripsit Epiphanius, sed XIII. labente mortui sunt apostoli. Quem dum Eusebius et Hieronymus XIV. appellant, frustra in Annalibus reprehenduntur. Etenim plerique Christianorum scriptorum solent annorum initia a verno paschalique mense, quod ecclesiastici anni caput est, arcessere, id quod a viris eruditis observatum est. Cum igitur annus Neronis XIV. coeperit Octobris XI. anni Iuliani CXII., Eusebius ac reliqui eius initium a mense verno κατὰ πρόληψιν usurparunt. Quare nihil ab illis commissum, uti nec ab Iosepho, qui, quod Iudaeorum historici consueverant, imperatorum ac principum annos a Nisan saepius inchoasse creditur, tametsi aliquot ab illo mensibus iniissent. Quo illa Talmudistarum regula pertinet, qui in tractatu ראש השנה, cap. I, fol. III. docent Israëlitarum quidem regum annos ab antecedente Nisan ordiri, exterorum vero principum a Tisri. Quod et R. Issachar ben Mordechai in Computo tradidit. Quamobrem si quis exempli causa ultimo die mensis Adar regnum capessat, sequenti Nisan secundus imperii illius annus nnmerabitur. כי אמרין יום אחד חשוב שנה בסוף שנה, *Dies unus in fine anni pro anno reputatur.* Quod si quis primo die Nisan coeperit, non ante vertentem annum primus eius annus censebitur.

Ἐν χρόνοις τοίνυν, ὡς ἔφημεν.). Ex Irenaeo tam haec quam sequentia mutuatus est. Vide cap. XXIV., lib. I.

N. VII. Οὐ γὰρ δύναται, ἃ ἐκεῖνος.) Deesse nonnihil huius loci integritati suspicor. Aut haec, aut his similia scripsit Epiphanius: Οὐ γὰρ δύναται ποιεῖν ἃ ἐκεῖνος ἐπιτοθεῖ εἶναι αὐτῷ. Οὐ δύναται δὲ τὸ πᾶν εἶναι κακὸν, οὐδὲ ὑπὸ κακῶν γεγονέναι. Duo erant Carpocratianorum dogmata: alterum, mundum creatasque res omnes non a bono illo supremoque deo, sed ab inferioribus angelis fuisse conditas: alterum, in malorum genere censeri mundum quaeque mundo continentur universa. Utrumque dogma Epiphanius impugnat. Primum quidem, quod ex eo consequens est imbecilliorem angelis esse deum. Alterum vero, quod cum pars aliqua totius universitatis salutem obtineat, non possit a bonorum genere penitus excludi.

AD HAERESIM XXVIII., QUAE EST CERINTHIANORUM.

N. II. Οὗτος δέ ἐστιν, ἀγαπητοί.) Idipsum Philastrius scribit.

N. VI. Καὶ τούτου ἕνεκα ἡ παράδοσις.) Tertull. lib. de Resurr. et V. cont. Marc. ad eum modum apostoli locum illum explicat, de quo interpretes consule.

N. VII. Ἐπεὶ οὐκ ἄν μετὰ σταυρόν.) Idem argumentum urget adversus Helvidium Hieronymus: *O furor caecus, et in proprium exitium mens vesana! Dicis ad crucem domini matrem eius fuisse praesentem. Dicis Ioanni discipulo ob viduitatem et solitudinem commendatam, quasi iuxta se non haberet quatuor filios,*

et innumeras filias, quarum consortio frueretur. Vid. August. lib. I. de Nupt. et Concup. cap. XI.

Ἰωσίς οὗτοι τοῦ Ἰωσήφ.) Vide haer. LXXVIII.

AD HAERESIM XXIX., QUAE EST NAZARAEORUM.

De Nazaraeis, vel Nazarenis, vide quae ad Iudaicas haereses tomo priore p. 50.
diximus. Nam istos a prioribus diversos fuisse non admodum persuadet Epiphanius. Erant enim Nazaraei, *qui cum dei filium confiterentur esse Christum, omnia tamen veteris legis observabant,* ait Augustinus. Qui et Matthaei Hebraicum evangelium habere sese iactitabant, uti postea dicetur. De iis Hieronymus epist. ad August: *Usque hodie per totas orientis synagogas inter Iudaeos haeresis est quae dicitur Minaeorum, et a Pharisaeis nunc usque damnatur, quos vulgo Nazaraeos nuncupant, qui credunt in Christum filium dei etc. Sed dum volunt et Iudaei esse et Christiani, nec Iudaei sunt nec Christiani.* Ergo Nazaraei Christiano se nomine venditabant. Fuisse vero qui in mero Iudaismo praecipuam quandam eodem nomine sectam constituerent, ab uno Epiphanio didicimus. De iisdem agit Augustinus lib. I. cont. Cresconium cap. XXXI. *Et nunc sunt quidam haeretici, qui se Nazarenos vocant, a nonnullis autem Symmachiani appellantur, et circumcisionem habent Iudaeorum et baptismum Christianorum.*

N. III. Ἐκεῖσε γὰρ κατὰ διαδοχήν.] Tritam ac vulgarem de oraculi Iacobaei interpretatione sententiam sequitur Epiphanius. Quae est eiusmodi: Nunquam e tribu Iuda principes defuturos, donec Christus adveniret, hoc est sub ipsum Messiae adventum desituros principes, qui hactenus e tribu Iuda extiterant. Quod in Alexandro contigisse putat, qui postremus e regia illa Iudae familia fuit. Cui Herodes successit, homo neque Iudae tribulis nec omnino Iudaeus, sed Idumaeus et alienigena; ante quem qui de tribu Iuda legitimi principes fuerant, iidem et ad Leviticam pertinebant, veluti Macchabaei, ac deinceps alii. Haec quidem Epiphanius veteres secutus. Sed in hac opinione multa sunt a viris doctis olim animadversa, partim falsa, partim dubia et incerta. Falsum est ad Christum usque dominum imperasse natos e tribu Iudae principes; cum tot annis antea, imo saeculis, stirps illa regia defecerit. Quod vero in Macchabaeis continuatam huius seriem affirmant eosdemque materno saltem genere ex illa Iudae tribu oriundos fuisse, neque verum est, neque ad rem pertinet. Id quod erudite Perrerius noster ad illum Genes. locum demonstrat. Multo igitur verior et Iacobi verbis aptior est ista sententia, ut, cum dixit: *Non auferetur sceptrum de Iuda neque dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est,* hoc unum velit: *Non auferetur*, vel ut Hebraice legitur: *Non recedet sceptrum*, sive imperium ac potestas, *de Iuda*, hoc est a tribu Iuda regioneque illa quam in promissa terra occuparit, cuique nomen dederit. Ut per Iudam tam populus ipsa ab Iuda oriundus aut nominatus, quam regio illi attributa significetur. Nam tametsi ante Christum translato in captivitatem oppressoque Iudae populo imperii series illa interrupta videatur, non tamen penitus recessit aut extinctum est ante Iudaicum excidium, secundum quod tempus templo, urbe, imperio ac πολιτείᾳ exuti
alienis legibus ac dominationi subiacent. Praeviderat Spiritus sanctus divortium p. 51.
illud regni ac populi, cum sub Roboamo alii Israëlitae, alii Iudae populus ac regnum nominari coeperunt. Noverat ab Assyriis profligandum alterum illud; adeo ut imperium ab eo prorsus auferretur ac recederet nec unquam in integrum restitueretur. Quare ad huius discrimen, de altera illa regni populique portione, quae ab Iuda magna ex parte nata et ab eo cognominata est et in eius ditione

agroque collocata, pronunciavit, non ante recessuram ab ea potestatem atque imperium ac reipubl. formam quam Christus advenisset. Haec ipsa utriusque regni comparatio non mediocriter ad illustrandum oraculum illud pertinere videtur. Ex quo consequens est in Alexandro minime fatalem illam imperii dignitatem ac potestatem desiisse, sed post Christi nativitatem et Herodis obitum extingui coepisse, in ipso autem urbis excidio funditus deletam. Caetera apud Perrerium nostrum legito.

Διέπεσε γὰρ ἡ τάξις.) Quae hic ab Epiphanio narrantur, neque secum cohaerent, nec cum historiae fide consentiunt. Legitimorum principum, qui de tribu Iudae prodierant, seriem intercidisse putat, quo tempore, imo ἐξότε, hoc est posteaquam Christus Bethleemi natus est, idque sub Alexandro contigisse, qui postremus ex illustri ac regia illa familia fuit, Herodis et Augusti temporibus. Quae omnia perturbata sunt et ἀσύγκλωστα. Placet itaque liquidam illorum temporum rationem ex Iosepho aliisque colligere.

Simon Ionathae ac Iudae Macchabaei frater Ptolemaei generi insidiis moritur anno Graecorum 177. I Macch. cap. XVI, 14., qui et sabbaticus erat, quanquam Iosephus anno priore id accidisse significet, dum post Simonis obitum annum sabbaticum, et quidem haud mediocri intervallo, coepisse scribit lib. XIII. cap. XV. Ergo anno periodi Iulianae 4579., mense XI., hoc est Sebath, exeunte scilicet hieme, necatus est. Eodem anno successit Ioannes Hyrcanus eius filius. Qui quidem cum annos XXXI imperasset, moritur relictis V liberis. Succedit Aristobulus natu maximus, qui primus regium sibi diadema sumpsit et anno uno regnavit. Quo mortuo Salome coniux, quam Graeci Alexandram vocant, Aristobuli fratres, quos ille in vinculis habuerat, solvit, et Iannaeum Alexandrum, qui et aetate et moderatione praestabat caeteris, regem constituit. Regnavit hic annos XXVII, moriturque aetatis anno XL., relictis cum uxore Alexandra liberis duobus Hyrcano et Aristobulo. At Alexandra annos IX regnum administravit. Post cuius obitum ambo fratres ita inter se convenerunt, ut Hyrcanus pontificatum teneret, Aristobulus regnum. Hyrcanus summum sacerdotium iniit Coss. Hortensio et Metello, qui est annus Urbis DCXXCV. In quem anni illi ex Iosepho singillatim enumerati incidunt, si unum duntaxat ex iis inchoatum accipias. Est hic annus per. Iulianae 4645., ante vulgarem Christi natalem 68., Augusti annus primus, si a Iulii Caesaris nece inchoetur, accidit anno U. DCCX, periodi Iulianae 4670. Herodis vero primus, quo scilicet regnum a Romanis consecutus est, incurrit in Consulatum Domitii Calvini et Asinii Pollionis, qui
p. 52. est ab U. C. 714., period. Iulian. 4674., sive ut alii, Agrippa et Caninio Coss., quo anno pacifice regnare coepit, estque U. C. 717., period. Iulian. 4677., ante vulgarem Christi natalem 37. Quamobrem Alexandri illius obitus tot annis Christi ortum, imo et Augusti atque Herodis imperium antecessit, contra quam Epiphanius scripsit. Nam immanis ἀναχρονισμὸς resarciri utcunque poterit, si luxata haec et alieno loco posita dixeris, ἐξότε αὐτὸς etc. Ut ita omnino legendum sit: Διέπεσε γὰρ ἡ τάξις ἐξότε αὐτὸς γεννᾶται ἐν Βηθλεὲμ τῆς Ἰουδαίας ἐπὶ τοῖς χρόνοις Ἡρώδου τοῦ βασιλέως καὶ Αὐγούστου τοῦ Ῥωμαίων αὐτοκράτορος· καὶ ἔστη ἐπὶ Ἀλεξάνδρου τοῦ ἀπὸ γένους ἱερατικοῦ καὶ βασιλικοῦ ἀφ' οὗ Ἀλεξάνδρου διέπεσεν οὗτος ὁ κλῆρος, ἀπὸ χρόνων αὐτοῦ τε καὶ Σααλίνας, τῆς καὶ Ἀλεξάνδρας καλουμένης. ὃς καὶ διάδημα, etc. Hac quidem ratione labem illam priorem evitabimus, neque Alexandri exitum cum Christi ortu copulabimus. Verum huic coniecturae nostrae non admodum confidimus. Quippe in haeresi LI. eadem pene historiae σύγχυσις ab Epiphanio repetita. Quae ut postremo castiganda videatur, illud ta-

men unum supererit contra veritatem historiae dictum, in Alexandro sacerdotalem illam regiamque desiisse stirpem. Nam ex Iosepho constat post Alexandrum Hyrcanum et Aristobulum ex eadem progenie aliquandiu pontificatum atque imperium obtinuisse. Postremo Iosephus in calce lib. XIV. scribit Antigono Alexandri fratre Aristobuli filio securi ab Antonio percusso Assamonaeorum stirpem desiisse, quod contigit Agrippa et Canidio Coss. A. U. 717., longo post Alexandrum illum priorem et Alexandram tempore.

Ἐν Βηθλεὲμ τῆς Ἰουδαίας.) Ita in quibusdam Matthaei exemplaribus pro Ἰούδα, ut animadvertit Hieronymus; quod etsi vitiosum in Comm. ad cap. II. Matthaei putet esse, tamen non aliter ipsemet in Eusebii Chronico scripsit; neque vero improbanda est ista lectio, ut ad Eusebium Pontacus observat.

Αὐτοῦ τε καὶ Σαλίνας.) Iosephus lib. XIII. Alexandri uxorem, Hyrcani et Aristobuli matrem, Alexandram appellat, quam et mortuo coniuge IX annis praefuisse scribit. Quo eodem Alexandrae nomine Aristobuli Hyrcani maioris F. uxorem vocat. Τελευτήσαντος δὲ Ἀριστοβούλου, inquit, Σαλώμη ἡ γυνὴ αὐτῆς, λεγομένη δὲ ὑπὸ Ἑλλήνων Ἀλεξάνδρα, λύσασα τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ, etc. Nusquam Salinae nomen apud Iosephum legere memini. Quanquam non aliter illam Christiani scriptores quam Salinam nominant. Eusebius in Chronic., Hieronym. in cap. IX Dan., aliique, de quibus Scaliger Animadvers. ad Euseb. Num. MDCCCXLI. Unus Marianus Scotus anno mundi 4120. Alexandram Salomam recte nuncupat. Eadem porro, nisi fallor, Alexandra, sive Salome, utriusque fratris uxor, Aristobuli et Alexandri, fuit; qui post Aristobuli mortem Iannaeum Alexandrum vinculis ideo solutum ad regnum evexit, quod cum eo nuptias copulasset.

N. IV. Ἦν γὰρ ὁ Ἰάκωβος οὗτος.) Frustra sibi persuasit Epiphanius Iacobum minorem Iosephi B. Mariae coniugis filium fuisse, ideoque domini fratrem nominari. De qua re dictum est alio in loco.

Ἔτι δὲ καὶ ἱερατεύσαντα αὐτόν.) Illud vero non modo falsum, sed et contra hypothesin est. Si Iosephi filius est Iacobus, Iosephus autem de stirpe David p. 53. non Levitica ac sacerdotali fuit; qui tandem sacerdos esse Iacobus potuit? Dices maternum illi genus ab sacerdotali tribu propagatum. Sed ut illud demus, quis nescit quod iampridem ab eruditis hominibus proditum est maternum genus nullo numero fuisse, nedum ut propter illud ius ullum ad sacerdotium habere quisquam potuerit? Sed de tota hac Iacobi historia dicetur ad haer. LXXVIII., ubi de Iacobo uberiorem narrationem instituit.

Δι' ἣν αἰτίαν Ἰεσσαῖοι ἐκαλοῦντο.] Christianos olim Iessaeos appellatos fuisse censet Epiphanius a Iesse Davidis progenitore, aut ab Iesu, quod Hebraice θεραπευτὴν sonat, aut σωτῆρα. In quo a nonnullis vehementius agitari solet, sed haereticis ferme, quorum, sive non immerito reprehendant, intolerabilis superbia, sive perperam accusent, vanissima ac ridicula impudentia est. Ex hoc igitur grege quidam, *Profecto*, inquit, *cum illum Epiphanii locum lego, satis mirari nequeo hominis inscientiam, et in linguae interpretatione et in veritate historiae. Adeo multis adversus utrumque modis peccat in illo uno de Nazaraeis capite.* Sed de historia mox videro. De nominis τοῦ Ἰησοῦ interpretatione hoc vulgo criminari solent, quod Ἰησοῦ nomen Graecae originis esse crediderit, ἀπὸ τοῦ ἰᾶσασθαι, sive ἰήσασθαι Ionice concepto, quod est θεραπεύειν, cum ab Hebraica voce petenda nominis illius notio sit, quae Salvatorem significat. Verum haec συνωνύμως, et quidem haud absurde, usurpavit Epiphanius. Etenim ישע, a quo יְהוֹשׁוּעַ, vel יֵשׁוּעַ, idem est ac σώζειν, quod in corporis animique morbis idem est ac θερα-

πεύειν et ἰάσασθαι. Quamobrem non secundum ἀκριβολογίαν et κυριολεξίαν Hebraica vox θεραπεύειν sonat, sed μεταληπτικῶς, ut et Iesum, qui proprie *salvator* est, *medicum* ac *curatorem* non incommode interpretari liceat. ·*Ipse enim salvum faciet populum a peccatis eorum*, ait angelus Luc. 2. Quod quemadmodum praestiterit declarat Petrus Act. x: *Qui pertransiit benefaciendo et liberando omnes oppressos diabolo.* Adde iam Graecum ex propinquo vocabulum, quod ab Hebraeo et pronunciatione et vero potestate non admodum adhorrebat; unde nominis ista notatio prodiit. Eadem porro leguntur apud Cyrillum Catech. VI. Ἰησοῦς, inquit, τοίνυν ἔστι κατὰ μὲν Ἑβραίους Σωτήρ, κατὰ δὲ τὴν Ἑλλάδα γλῶσσαν τὸ Ἰώμενος· ἐπειδὴ ἰατρός ἐστι ψυχῶν καὶ σωμάτων, καὶ θεραπευτὴς πνευμάτων. Quae omnia comiter accipienda sunt, non ut ab ἰάσασθαι deductum τοῦ Ἰησοῦ vocabulum dixerint Patres, sed ut notione ac significatione Graecum nomen cum Hebraeo convenire demonstrent.

N. v. Εὖροις δ' ἄν, ὦ φιλολόγε.] Hinc illae lacrymae. Scripsit Philo Iudaeus de Essaeis, vel Essenis, libros aliquot, quorum unus inscribitur Περὶ τοῦ πάντα σπουδαῖον εἶναι ἐλεύθερον. Alius Περὶ βίου θεωρητικοῦ, ἢ ἱκετῶν ἀρετῶν. In iis duo Essenorum genera constituit. Unum τῶν πρακτικῶν, qui in oppidis socialem vitam instituunt, nuptiarum expertes: alterum τῶν θεωρητικῶν, qui contemplationi totos sese tradiderant, ac procul ab urbano strepitu in agris ac praesertim ad Mareotidem, in σεμνείοις et μοναστηρίοις degerent. Postremos istos Eusebius Christianos fuisse credidit l. Hist. II. c. 40., eademque Hieronymi caeterorumque Patrum opinio fuit, quam Epiphanius secutus est. Sed hoc unum
p. 54. addit ex coniectura, Iessaeos illos ab Iesse Davidis patre nominatos. Quod postremum minus verisimile puto. Neque enim, opinor, usquam legitur Iessaeorum nomen Christianis attributum, et Essaeos illos, non Iessaeos a Philone appellatos esse constat. Sane si Iessaei unquam Christiani vocati sunt, multum id ad receptam illam ac veterem opinionem asseverandam faciet, quae Essaeorum nomine Christianos a Philone comprehensos statuit. Ac profecto fieri istud potuit, ut cum ante Christianae religionis ortum Esseni his moribus eoque vitae instituto, quod in priore libro Philo praedicat, in Aegypto florerent, atque inter Iudaeos et essent et haberentur sanctissimi, posteaquam auctore Marco Christianorum genus extitit, quorum vitae ratio primis illis temporibus cum Essenorum disciplina magnopere congruebat, ab Alexandrinis gentilibus Esseni sint vocati. Quos enim et Iudaeos, tunc quidem, omnes viderent, et Essenorum communem illam vitae rationem atque ab omni luxu et ambitione remotam complectentes cernerent, cum et alioqui ex Essenorum Iudaica factione plerique se ad Christianos aggregassent, quodnam iis aliud nomen quam Essaeorum affingerent? Nam et diu postea Christiani omnes a Graecis ac Romanis Iudaei nominati et pro Iudaeis habiti sunt; ut non absurdum sit Philonianos illos Essaeos θεωρητικοὺς Christianos fuisse. Quae autem adversus ea magno cum strepitu ac stomacho disputantur, cum aut levia sint aut facile dissolvi possint, nihil erit quod nos vetustissimae illius opinionis ac tantorum Patrum autoritatis et consensionis poeniteat. Vide quae de his eruditissime Serrarius noster l. III. Trihaeresii adversus Scaligerum ac Iunium disserit.

Τοῦτο γὰρ τοῖς τὸ παλαιόν.] Si de primogenitis omnibus intelligat, falsum erit. Neque enim primogeniti omnes Nazaraei fuerunt, sed ἀορίστως, et de quibusdam accipe, ut de Sampsone, et siqui alii eiusdemmodi fuerint.

N. VI. Ἄλλοι δὲ Ναζαραίους.] De his egimus ad haeresin Nazaraeorum, quae est in lib. I ordine XIX.

N. VII. Καὶ γραφεῖα τὰ παρὰ Ἰουδαίοις.] Quae ἀγιόγραφα dicuntur. Atque hic triplicem sacrorum librorum partitionem complectitur, quae est תורה hoc est *lex*, נביאים *prophetae*, et כתובים, ἁγιόγραφα, sive γραφεῖα. De quo vide Hieron. Prologo Galeato, Eliam in Thisbi, verbo כתב.

N. IX. Ἀλλὰ ἀνιστάμενοι ἔσωθεν.] Non dubito quin scribendum sit ἔωθεν. Quod autem Iudaicas illas imprecationes in Nazaraeos haereticos conferri scribit Epiphanius, Hieronymus ad Christianos transfert. Ita enim ille ad Esa. LII: *Et sub nomine, ut saepe dixi, Nazarenorum ter in die in Christianos congerunt maledicta.*

Ἔχουσι δὲ κατὰ Ματθαῖον.] Quod et Hieronymus Graece reddidit et citat ipse saepius. Neque vero purum putum Matthaei evangelium fuit, ut existimasse videtur Epiphanius; sed ab illis depravatum, quod et evangelium κατὰ Ἑβραίους appellat Eusebius lib. III. Histor. cap. XIX, Hieron. in cap. XII. Matth. cap. 13: *In evangelio, quo utuntur Nazareni Ebionitae, quod nuper in Graecum de Hebraeo sermone transtulimus et quod vocatur a plerisque Matthaei authenticum, homo iste, qui aridam habet manum, caementarius scribitur.* Idem in Script. Eccles. de Matthaeo agens huius Hebraicum ipsum in Caesariensi bibliotheca asservatum aetate sua narrat, cuius sibi a Nazaraeis exscribendi facultas fuerit. Sed Nazaraeorum evangelium nequaquam Matthaei germanum fuit. Postremo num Hebraica veteri puraque lingua, an Syriaca, sive Hierosolymitana vulgarique Matthaeus evangelium scripserit, nonnisi ex coniecturis pronunciari potest. Nihil enim certi exploratique ab autoribus discas. p. 55.

AD HAERESIM XXX., QUAE EST EBIONITARUM.

N. II. Γέγονε δέ ἡ ἀρχὴ τούτου.] At Chron. Alexand. p. 597. refert anno Traiani VIII., Candido et Quadrato Coss., Ebionitarum emersisse sectam.

N. III. Καὶ τὸ μὲν πρῶτον.] Duplex Ebionitarum factio fuit. Nam alii merum ac simplicem hominem asserebant esse Iesum atque a Iosepho Mariaque genitum. Alii e sancto spiritu a virgine susceptum ita fatebantur, uti deum ac verbum esse aut extitisse antea negarent. Eusebius l. III. c. XXI. Origenes contra Celsum tom. 2: Ἐβίων τε γὰρ ὁ πτωχὸς παρὰ Ἰουδαίοις καλεῖται, καὶ Ἐβιωναῖοι χρηματίζουσιν οἱ ἀπὸ Ἰουδαίων τὸν Ἰησοῦν ὡς Χριστὸν παραδεξάμενοι. Quorum genera illa duo tom. 3. commemorat: Οὗτοι δέ εἰσιν οἱ διττοὶ Ἐβιωναῖοι, ἤτοι ἐκ παρθένου ὁμολογοῦντες ὁμοίως ἡμῖν τὸν Ἰησοῦν, ἢ οὐχ οὕτω γεγενῆσθαι, ἀλλ' ὡς τοὺς λοιποὺς ἀνθρώπους. Verum Ebionaeorum nomen latius extendisse videri potest Origenes, ut Ebionaeos illos appellet qui cum alioqui de Christi divinitate recte sentirent, cum Christiana religione Iudaicas cerimonias amplectendas crederent. Quod quidem tomo 2. sub initium significare videtur. Theodoretus de Ebionaeis: Τὸν δὲ κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν ἐξ Ἰωσὴφ καὶ τῆς Μαρίας ἔφησε γεγενῆσθαι, ἄνθρωπον μὲν ὄντα, ἀρετῇ δὲ καὶ καθαρότητι τῶν ἄλλων διαφέροντα κατὰ δὲ τὸν Μωσαϊκὸν πολιτεύοντα νόμον. Lego πολιτεύονται, neque ad Christum referri puto.

N. IV. Εἰσὶ δὲ οὗτοι μετὰ τὸν πατριάρχην.] Tam patriarcharum quam apostolorum dignitates ac vocabula apud Iudaeos nonnisi post urbis excidium usurpata videntur. De patriarchis in Theod. Cod. lib. XVI. tit. VIII. frequens est mentio. Et quidem apostoli patriarchae velut assessores ex communi et usitata vocis notione dicti sunt, quod ad exigendas a synagogis pecunias ab illo mitterentur, ut ex Cod. Theod. patet l. XIV. de Iudaeis; qui locus quod ad Epiphanium illustrandum imprimis confert, hic adscribendus est: *Superstitionis*, inquit, *indignae est, ut archisynagogi, sive presbyteri, Iudaeorum, vel quos ipsi apostolos vocant,*

qui ad exigendum aurum atque argentum a patriarcha certo tempore diriguntur, a singulis synagogis exactam summam atque susceptam ad eundem reportent. Qua de re omne quidquid considerata temporis ratione confidimus esse collectum, fideliter ad nostrum dirigatur aerarium. De caetero autem nihil praedicto decernimus esse mittendum. De iisdem patriarchis quod Epiphanius indicat, non delectu, sed generis successione dignitatem adeptos ac plerumque luxu ac delitiis corruptos, Hieronymi autoritate confirmari potest, qui in Comm. in cap. III. Esa. ad haec verba: *Et effeminati dominabuntur eis*, ita scribit: *Consideremus patri-*
p. 56. *archas Iudaeorum, et iuvenes sive pueros effeminatosque ac delitiis affluentes, et impletam prophetiam esse cernemus.*

. Τοῦτον εἶναι γένος ἐκείνου τοῦ πρώτου.] Qui Christianus fuit, ut ex Actis inventionis S. Stephani constat. Nec recte Iudaicae religionis tenacissimus ac Christiani nominis osor acerrimus a quibusdam fuisse proditur, quod ab eo Saulus utrunque, hoc est Iudaicam legem et Christianorum odium, didicerit; quae coniectura levis est. Quid enim necesse est, a praeceptore postremum hoc hausisse Saulum, ac non potius suapte sponte et aliorum hortatu exemploque suscepisse.

N. v. Ἐπίσκοπος Βριγγέλας.] Corn. *Fregellae* perperam reddidit.

Γάζα δὲ ἑρμηνεύεται.] Quae vulgo Persica vox dicitur, eadem et ab Hebraeis usurpata Ezech. XXVII, 24. גינזין sunt אוצרות.

Τὸ κατὰ Ματθαῖον Ἑβραϊκὸν φυτόν.] Nisi vitii aliquid ei loco subsit, φυτὸν appellari puto Christi domini genealogiam, quae arboris instar conformari vulgo solet.

N. VII. Παραγίνονται γοῦν εἰς Γάδαρα.) Meminit Gadarenarum thermarum Eunapius in Iamblicho: Μετὰ δὲ χρόνον τινὰ δόξαν αὐτοῖς ἐπὶ τὰ Γάδαρα θερμὰ δί ἐστι λουτρὰ τῆς Συρίας, τῶν γε μετὰ τὴν Ῥωμαϊκὴν ἐν Βαίαις δεύτερα, ἐκείνοις δὲ οὐκ ἔστιν ἕτερα παραβάλλεσθαι· πορεύονται δὲ κατὰ τὴν ὥραν εἰς τὰ Γάδαρα τοῦ ἔτους etc. Ubi et fontes duos in eo loco fuisse meminit, quorum alteri Ἔρως, alteri Ἀντέρως nomen fuit, ex quibus puerulos duos cuiusmodi videlicet Amores finguntur Iamblichus magus excivit. Ut intelligas quantopere ille locus amatoriis illecebris ac libidinibus opportunus fuerit.

Ἔνθα γὰρ τὰ παρὰ τοῦ θεοῦ.) Eodem daemonis artificio factum est quod narrat Hieron. ep. XIII: *Ab Hadriani temporibus usque ad imperium Constantini, per annos circiter* CLXXX, *in loco resurrectionis simulacrum Iovis, in crucis rupe statua ex marmore Veneris a gentibus posita colebatur, existimantibus persecutionis autoribus, quod tollerent nobis fidem resurrectionis et crucis, si loca sancta per idola polluissent.* Nam et Gadarenus ager Christi domini praesentia ac miraculis celebratus est Luc. VIII., quae sunt illa τὰ παρὰ τοῦ θεοῦ θαύματα. Quanquam et ad medicam aquarum vim morborumque remedia possit referri.

Ἀνδρόγυνα γὰρ ἐκεῖσε.) Mira vocis usurpatio, qua promiscuas utriusque sexus balneas fuisse significat. Est enim ἀνδρόγυνον λούεσθαι idem ac *promiscue*. Sic in Const. Apost. l. I. c. IX: Ἀνδρόγυνον γυνὴ πιστὴ μὴ λουέσθω. Quod impurissimi perditissimique genus exempli Romae etiam aliquando fuit. Adrianus autem, autore Spartiano, *lavacra pro sexibus separavit:* quod idem ab Alexandro postea revocatum. Lampridius: *Balnea mista Romae exhiberi prohibuit; quod quidem iam ante prohibitum Heliogabalus fieri permiserat.* Quanto prudentius moderatiusque Romani illi veteres? A quibus hoc manavit institutum, *ut filii cum parentibus puberes vel generi non lavarentur, ne paternae reverentiae autoritas minueretur*, ait Ambros. l. Off. c. XVIII., et Cic. I. de Off. At vero non Christiani

modo quilibet, sed etiam, quod mirandum ac detestandum magis est, clerici ipsi cum mulieribus plerumque lavare consueverant. Quae flagitiosa licentia cum in Christianis omnibus, tum in posterioribus istis Canonum severitate coërceri opus habuit. In Laod. Can. xxx. Ὅτι οὐ δεῖ ἱερατικοὺς ἢ κληρικοὺς ἢ ἀσκητὰς ἐν βαλανείῳ μετὰ γυναικῶν ἀπολούεσθαι, μηδὲ πάντα Χριστιανὸν ἢ λαϊκόν. Idem et in Trullano vetitum est Can. lxxvii. Quod sequitur κατὰ συγκυρίαν, imposuit Cornario, qui Sycyriam locum esse credidit. Nam συκυρίαν antea legebatur, non tamen Συκυρίαν maiusculo Σ, ut quidam asserit. p. 57.

Διῶν ἐν τῷ ἀέρι.) Corn. *deambulans in aere.* Sed ὁ ἀὴρ balnei pars est, ut ex Galeno ad Glauc. pridem observatum ab eruditis hominibus; etsi non satis liquet quae pars illa sit. Nos interim *solium* reddidimus.

Ἡ δὲ ἑαυτὴν ἐσφραγίσατο.) Hic illustrissimum Annalium conditorem insectatur Casaubonus, quod salutaris illius signi virtute Christianam mulierem e tanto castitatis periculo liberatam ab Epiphanio dici putet. Quod Epiphanium voluisse negat. Sed nec ullam in signo crucis ad efficienda miracula propriam inesse virtutem, neque vero aliter quam ut piam ceremoniam adhibitam in ecclesia veteri, quae orationi adiuncta animos fidelium ad Christi crucem eveheret. Tum ita subiicit: *Quis negare audebit aliud hoc esse quam quod scribit Baronius, dicere Epiphanium signi crucis virtute illam mulierculam fuisse periculo ereptam?* Haec ille. Sed quam iniqua sit, ut in plerisque aliis, Casauboni illa castigatio, quamque oscitanter hanc Epiphanii historiam legerit, ex eo satis apparet quod Num. viii. scripsit Epiphanius: ὡς οὖν κατίσχυσαν οἱ γόητες. διὰ γὰρ τῆς σφραγῖδος τοῦ Χριστοῦ καὶ πίστεως ἐβοηθήθη ἡ γυνή. Mox τοῦτο τρίτον τῷ Ἰωσήπῳ κατηχήσεως ἔργον ἐγίνετο, ὅτι οὐκ ἴσχυσεν, ἔνθα ὄνομα Χριστοῦ καὶ σφραγὶς σταυροῦ, φαρμακείας δύναμις. Quid aliud Epiphanius narrat quam crucis praecipue signum et invocationem nominis Christi mulieri praesidium attulisse? Infinita sunt antiquorum PP. testimonia, quibus illud quod Casaubonus negat efficitur: veterem ecclesiam vim quandam salutari crucis signo tribuisse. Caetera ut omittam, unus omnium instar erit Nazianzeni locus ex Orat. iii. cont. Iulianum. Ubi perfidum illum transfugam narrat summo suo in metu ac discrimine ad crucis confugisse signum eoque daemones fugasse: ἐπὶ τὸν σταυρὸν καταφεύγει καὶ τὸ παλαιὸν φάρμακον, καὶ τούτῳ σημειοῦται κατὰ τῶν φόβων, καὶ βοηθὸν ποιεῖται τὸν διωκόμενον, καὶ τὰ ἐξῆς φρικωδέστερα, ἴσχυσέν ἡ σφραγὶς· ἡττῶνται οἱ δαίμονες, λύονται οἱ φόβοι. Nec absimile eo quod de sancta Iustina proditum est, quae cum a iuvene quodam ad libidinem Cypriani magi artibus pelliceretur, immissum sibi daemonem eodem crucis signo repulit; quod ex Eudociae Augustae Orat. de S. Cypriano refert Photius N. ccccLxxxiv: τούς τε βιαιοτάτους καὶ χαλεπωτάτους τῶν δαιμόνων πέμψας ἐπὶ τὴν παρθένον, καὶ ἠσχυμμένους καὶ νενικημένους τοῦ σταυροῦ τῷ τύπῳ ἐξ αὐτῶν ἐκείνων ἀναμαθών. Igitur τοῦ σταυροῦ τῷ τύπῳ perinde ut altera illa, Iustina, daemonem fugavit. Neque crucis duntaxat expressa figura, sed etiam B. Mariae virginis invocatione, ut Nazianzenus Orat. xviii. scriptum reliquit: Καὶ τὴν παρθένον Μαρίαν ἱκετεύουσα βοηθῆσαι παρθένῳ κινδινευούσῃ: *Et virginem Mariam rogans, ut periclitanti virgini opem ferret.* Quae tanti Patris autoritas hodiernae sectae imperitiam impietatemque condemnat.

N. ix. Ὑπολειφθεὶς δὲ τελευτᾷν.) Antea legebatur ὑπολειφθείς. Vertit enim Corn. *relictusque velut moriturus.* Nos ex Regio codice ὑπολειφθείς restituimus. Quod et narrationis series postulat. Neque enim moribundum Iudaeorum cognati deseruerant, quos mysticum illud insusurasse dicit. Hic Epiphanium otiosus quidam nugator nimiae credulitatis accusat, quod falsa Iudaei unius aut alterius p. 58.

narratione inductus existimaverit, morituris omnibus mysterium illud in aurem immurmurari. Scribit enim τὸ παρ' αὐτῶν ἀεὶ μυστηριωδῶς γινόμενον. Verum ut haec mera fabula sit, nullam omnino sanctissimus Pater culpam hac in re sustinet; qui quod a fide dignis hominibus acceperat, simpliciter, uti narratum sibi erat, nullo suo interposito iudicio retulit. Quid est autem cur de Christo plerosque id sibi Iudaeorum persuasisse non putemus? Neque enim mentitum fuisse Iosephum comitem vel Calvinianus iste nisi impudenter finxerit.

N. XI. Οὕτως ἐπιτελεῖν προβαλλόμενος.] Variis modis explicari verba ista possunt: sive eo sensu quem reddidimus, sive quem Cornarius expressit: *Sic enim se facere praetendebat.*

Καὶ Ἀζανιτῶν τῶν παρ' αὐτοῖς.] Iudaei חזן vocant synagogae ministrum vel aedituum. Vide Eliam in Thisbi.

Κόμητα γὰρ αὐτὸν κατέστησε.] Comitum dignitas nudus sine magistratu ac functione plerumque titulus fuit; ut ex Theodosiano Codice constat. Hanc Constantinus plerisque, ut refert Eusebius, concessit. Eadem per honorarios codicillos a principe conferebatur. Qua de re ad Themistii Orat. IV. pluribus disputavimus. Ubi eiusmodi codicilli δέλτοι σφυρήλατοι appellantur a Themistio. In quo ridicula est anonymi coniectoris, qui de Suburbicariis nuper scripsit, oscitantia cum pari impudentia coniuncta. Scripserat Themistius Oratione illa IV. pag. edit. nostrae 117., se, cum posset omnibus illis ex imperatoris liberalitate commodis ac voluptatibus delitiisque perfrui, ὁπόσα ταῖς δέλτοις ἀκολουθεῖ ταῖς σφυρηλάτοις hoc est, *quae tabulas illas consequuntur malleo ductiles*, communibus illis fructibus fuisse contentum quos cives caeteri publicis tesseris atque imperatoris largitione consequerentur. Hoc in loco δήλτους σφυρηλάτους coniector nihil aliud quam tesseras esse contendit. Verum quid esse potest absurdius quam ex tesseris illis frumentariis credere μακρὸν illum κατάλογον τῆς τρυφῆς καὶ τῆς εὐπαθείας redundare posse? Praesertim cum, uti dixi, tesserarum illa commoda, quae cum caeteris communia caperet illis opponat, quae ταῖς δέλτοις ἀκολουθεῖ ταῖς σφυρηλάτοις. Age vero, cum Orat. VI. pag. 166. negat ἐπ' ἐκείνῃ τῇ δέλτῳ, qua πολιαρχίαν, hoc est Urbis praefecturam obtinuerat, gloriari sese, sed de alia potius, ἣν οὐκ ἐκόλησαν ἐλεφαντουργοὶ οὐδὲ χρυσοχόοι, hoc est imperatoris filio, quem parens fidei suae commiserat, estne ut frumentariam tesseram coniector hic somniet? Ut ad Iosephum redeam, confer cum hoc loco quae Eusebius II. et III. de Vita Constantini refert, quanto hic constituendarum ubique ecclesiarum studio flagraverit, utque easdem publicis sumptibus exaedificari voluerit.

N. XII. Κακούβιον δὲ τοῦτο.] Forte Κουκούμιον. Habes hic aquae benedictione consecratae usum insignem atque fructum. Cui, cum haec scriberem, affine quiddam ac geminum occurrit apud Photium n. XCVI, ex Georgio Alexandrino in Actis S. Chrysostomi. Ubi inter caetera Eucliae cuiusdam filium refert a B. Chrysostomo aquae, cui signum crucis impresserat, aspersione desperatissimo ab morbo liberatum.

N. XIV. Οὗ ἡ γεῦσις ἦν τοῦ μάννα.] Qui tam absurda interpretatione fucum
p. 59. huic loco faciebant haeretici, ad ea respiciebant quae Exod. XVI. et Num. XI. de manna leguntur; cuius gustus fuisse dicitur ὡς ἐγκρὶς ἐν ἐλαίῳ. Sed nec minus ridicule nostri temporis haeretici quidam vocem ἀκρίδας depravare conati sunt.

N. XV. Χρῶνται δὲ καὶ ἄλλαις τισί.] De libro qui Περίοδοι Πέτρου inscriptus erat meminit Athan. in Syn. et inter apocrypha cum aliis recenset. Veluti sunt Περίοδοι Πέτρου, Περίοδοι Ἰωάννου, Περίοδοι Θωμᾶ, Εὐαγγέλιον κατὰ Θωμᾶ, Διδαχὴ Ἀποστόλων, Κλημέντια etc.

N. XVIII. Ἀπό τε Ναβατίας.] Corrupta vox est Ναβατίας. Neque enim iis in locis Nabatea ulla, nisi fallor. Nabathaea quidem, sive Nabataea, Arabiae felicis regio est, aut ei certe proxima, hoc est Petraeae pars. Quare non dubito quin Batanea hoc loco legendum sit. Quae est Syriae regio Palmyrenae vicina et Paneadi; Ptolem., Steph. Βατανέαι· συνοικία Συρίας, ἡ καὶ Βατανέα ἐνικῶς. Adde et in Og regno fuisse. Hinc pro eo quod Hebraei Graecique Og regem Basan appellant, Chaldaeus מְתַנָן habet, quod ad Bataneae vocabulum accedit, ut ad XII. Ios. Masius observat. In eodem Basanitico tractu fuit et Edrai אֶדְרֶעִי, Graece Ἀδραί. Quam Adram Ptolem. putat idem Masius. Quae in Coelesyria a Ptolom. numeratur.

N. XVIII. Τοὺς δὲ προφήτας λέγουσι συνέσεως.] Intelligentiae prophetas, non veritatis appellatos ideo crediderim, quod tametsi rerum altissimarum intelligentia essent sapientiaque praediti, non tamen mendacio omni caruerint.

N. XIX. Ἦλθεν Ἰωάννης ἐν ὁδῷ.] Haec verba, ἐν ὁδῷ δικαιοσύνης, vel ab Epiphanio inserta, vel librariorum vitio intrusa sunt.

N. XX. Παρθένος δὲ οὐ καλεῖται.] Vide omnino quae erudite ad illum Esaiae locum disserit Hieron. de voce עַלְמָה, in qua calumniari Iudaei solent. Sed et Basilius ad VII. Esa. eodem argumento adversus Iudaeos utitur quo Epiphanius Ebionitas redarguit. Quod, nisi parituram virginem propheta significasset, frustra tanquam signum illud ipsum regi denunciasset.

Ὡς καὶ αὐτὸς Ἡσαΐας.] Hunc Esaiae locum, quem de Christi domini generatione ac sacrosanctae Virginis partu intelligit Epiphanius, Patres omnes ad spiritalem ecclesiae partum referunt, quae sine ullo dolore pene momento infinitos Christo filios peperit paritque quotidie. Ita D. Hieron., Theodoretus, Cyrillus, Euseb. lib. I. Eccles. Hist. cap. IV., aliique complures.

Ὡς καὶ Ἱερεμίας περὶ αὐτοῦ.] Neque hic locus ad Christum proprie pertinet: tametsi plerique PP. ad eum sensum traxerint, quos reprehendit Hieronymus. Cuius quidem interpretationis causam attulit LXXII. lectio: qui ab Hebraeo et Vulgata discrepant. Nam Hebraica vox אֲנוֹשׁ inscrutabile, sive desperabile significat. At illi אֱנוֹשׁ, hoc est *homo* legerunt.

N. XXI. Καὶ τῷ βουλομένῳ τὰς χεῖρας.] Leg. τῷ μὴ βουλομένῳ.

N. XXIV. Πάλιν δὲ ὁ αὐτός.] Hanc Ioannis historiam, quam a Polycarpo acceperat, refert Iren. lib. III. cap. III., et Euseb. lib. III. Hist. cap. XX. Sed Cerinthum, non Ebionem, haereticum illum fuisse consentiunt omnes. Quare μνημονικὸν est σφάλμα Epiphanii nostri.

Ὁ δὲ Ὀλεάριος.] Ergo olearius appellatus est vestimentorum custos, ἱματιοφύλαξ. An idem et oleum praebebat et vestimenta servabat? An σπολίριον legendum? Nam et ἀποδυτήριον Latine *spoliarium*. In Veteri Lex: *Spoliaria exteriores balneorum cellulae.* p. 60.

N. XXV. Βαρνάβαν δὲ μεταληθέντα.] Barnabas prophetae vel prophetiae filium sonare videtur. Sed a Syriaca voce בְּרָא deducitur quae est *consolari*. Itaque Syrus Paraphr. בְּרָא דִּבְרִיאָא reddidit.

Πανταὶ δέτῳ δῆλόν ἐστι.] Cittim, vel Cetim, nomine Cyprios propemodum omnes intelligunt. Sed et Macedones eadem voce comprehendi putant. Sane quidem Citium oppidum Macedoniae fuit, apud Liv. l. 42. Quin et Cilicia. Quod veruntamen nonnulli suspicantur. Postremo Romam atque Italiam eodem illo vocabulo complectuntur. Mihi probabile videtur Cetim, aut Citiaeos proprie Cilicas esse, et ab iis propagatos Cyprios. Nam Cetis et Citia Ciliciae regiones duae sunt apud Ptol. Quod autem per Cyprum aut Ciliciam Graeci Romanique in Syriam ac Pa-

laestinam tenderent, ideo *de terra Cetim egressum* dici in I. Macc. Alexandrum, quod e Cilicia, ubi et Darium vicit, in Syriam exercitum duxisset. Ad haec cum Citiaei illi proprie dicti ac vicini occidentalium essent omnium Syris notissimi, fieri potest ut hoc ipsum Cittiaeorum nomen plerisque aliis Graeciae populis accommodaverint. Quemadmodum Indorum appellatio a maioribus nostris ad remotos omnes ab orbe nostro populos est translata.

Τί ἐταχύνατε σήμερον.] Exod. II. comm. 18: Τί ὅτι ἐταχύνατε τοῦ παραγενέσθαι τήμερον; Apud Epiphanium voculae istae ἐπ' αὐτὸν commodum nullum sensum reddunt nisi ἐς αὐτὸν ἔφασαν substituas.

N. XXVI. Καθάπερ χαλινὸς etc.] Leviter depravatus hic locus est. Fortasse leg. est ὡρίσθη.

N. XXVII. Ὅπερ ἔφη ἡ Σεπφώρα.] Mirifica est loci istius interpretatio, quam Epiphanius affert, quae ex LXXII. lectione petitur. Nam Hebraei et Latini codices *Sponsus sanguinum tu mihi es*, ob circumcisionem, habent. LXX. vero longe alia reddiderunt.

Ὅτι θελήσουσιν εἰ ἐγίνοντο.] Neque hic cum Hebraeo LXX. consentiunt. Vulgata nostra: *Et vestimentum mistum sanguine erit in combustionem, et cibus ignis.* Pro quo Graeci καὶ θελήσουσιν εἶναι πυρίκαυστοι.

N. XXVIII. Ἔπειτα ἵνα δείξῃ, ὡς οὐκ ἦν ὁμοούσιον.] Apollinaris carnem Christi ab aeterno fuisse, nec ex virgine natam asseruit Gregor. Nazianz. Orat. XLVI: Διαβεβαιοῦται γὰρ μὴ ἐπίκτητον εἶναι τὴν σάρκα κατ' οἰκονομίαν ὑπὸ τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ προσληφθεῖσαν ἐπὶ μετασταχειώσει τῆς φύσεως ἡμῶν, ἀλλ' ἐξ ἀρχῆς ἐν τῷ υἱῷ τὴν σαρκώδη ἐκείνην φύσιν εἶναι etc.

Λάβε σοι τόμον χάρτου.] Vox χάρτου abest a vulgata LXX. interpretum editione; sed in aliis olim, ut apparet, lecta. Basilius autem τόμον καινοῦ μεγάλου.

N. XXXI. Τὸ ἀκατέργαστον γὰρ γολμή.] Mirum unde hanc Hebraicae vocis notionem acceperit. גולם magistris est גוף מאין בו כל צורותיו ולא נגמר, ut ait Kimchius. Item vas nondum perfectum. Unde et per translationem האדם הרק מאין חכמה. *Homo sapientiae inanis ac fatuus.* Radix ipsa glomerare et in massam redigere significat. Quo sensu גולם pro *massa inconcita*, unde latina vox *glomus*. Sed pro χόνδρῳ atque alicae similaeve grano nunquam legi.

Τῷ δὲ Ἡσαΐᾳ πρὸ ἑπτακοσίων.] Quam chronologiam adhibuerit Epiphanius,
p. 61. equidem nescio. Eusebius vero ab anno Achaz IX., in quem vaticinium illud coniicit Noster, ad natalem Christi annos colligit IↃↃCXLVIII. Nam nonus Achaz adscribitur anno CIↃↃCL. XVIII. Natalis Christi CIↃ CIↃ XV. Intervallum anni IↃↃCXLVIII.

Ἵνα δείξῃ τὴν Μαρίαν.] Hebraei quidam, utputa Aben Ezra et David Kim. in hunc locum, prophetissam illam Esaiae uxorem interpretantur, quae quod prophetam virum habuerit, prophetissa nuncupetur. Hieron. partim per prophetissam Spiritum sanctum, partim B. Virginem intelligit, quod et Basilius aliique sequuntur.

Τῷ γὰρ ἐνάτῳ ἔτει.] Multa hoc loco adversus et rationem temporum et Scripturam commissa sunt, sive librariorum vitio, sive autore ipso aliud agente. Isaiae vaticinium illud anno IX. Achaz editum fuisse putat. Eundem porro annos regnasse XIV, ac tum Ezechiam, cum Isaias vaticinatus est, annos XI habuisse. Quod si verum est, bimulum fuisse oportet Ezechiam, cum pater ipsius regnum coepit. Atqui ut is XIV duntaxat annos regnaverit, non plus XVI annis habuit Ezechias, quem tamen XX annos natum, cum regnare coepit, fuisse paulo post scribit. Revera autem XXV habuit; IV. Reg. XVIII, et II. Par. XXIX. Quare po-

stremum illud manifeste cum Scriptura pugnat. Ut et illud quod asserit Achaz annos regnasse XIV, cui XVI Scriptura tribuit IV. Reg. cap. XVI, 2. Neque vero minus caetera falsa sunt. Hoc enim oraculum, quod Isaiae VII. legitur: *Ecce virgo concipiet etc.*, sub illud tempus pronunciatum est quo Rasin rex Syriae et Phacee filius Romeliae rex Israël adversus Achaz exercitum duxerunt. Iam vero Achaz anno Phacee XVII. regnare coepit, IV. Reg. XVI, 2. Igitur mortuus est Phacee anno Achaz IV., qui Ioatham XX. cap. XV. dicitur, hoc est ab exordio regni Ioathan; qui annis XVI regnavit, eod. cap. comm. 33. Paulo vero post vaticinium illud Teglathphalasar Assyriorum rex, cuius opem Achaz imploraverat, vastata Syria Rasin interfecit, cap. XVI. Diu itaque ante IX. Achaz illud ab Isaia praedictum est, atque, uti credibile est, sub illius exordium aut saltem uno alterove post anno.

Ἦν δὲ σάββατον δευτερόπρωτον.] Vetus illa quaestio est, quid sit σάββατον δευτερόπρωτον: de qua sanctorum PP. variae sunt ac discrepantes sententiae, sed imprimis Isidori Pelusiotae epist. CX. lib. III., Chrysostomi homil. XXXIX. in Matth. et Epiphanii cum hoc loco, tum haeresi LI., num. XXXI. Quorum quidem opiniones utcumque cum rei veritate consentaneae sunt, ab recentioribus quibusdam parum fideliter expressae sunt. Nam ut ab Isidoro exordiar, in Annalibus Ecclesiast. anno Christi XXXII., num. II., Isidori haec refertur approbaturque sententia: Σαββάτον δευτερόπρωτον *illam fuisse diem quae post primam Azymorum mox sequitur; sicque dictum sabbatum secundo-primum, seu sabbatum ex sabbato; adhuc insuper, quod eadem dies incidisset in sabbatum hebdomadarium, duorum festorum coniunctione dictum esse sabbatum sabbatorum.* Subiicit deinde, eandem esse et Epiphanii sententiam, imo et Suidae, *dum ait fuisse eam diem secundam* p. 62. *Paschatis, quam tamen nominat primam Azymorum.* Sed in iis verbis duo sunt ex Isidoro contra Isidori mentem et orationem allata. Alterum, sabbatum secundo-primum diem illam appellari quae post primam Azymorum mox sequitur. Isidorus enim perspicue primam ipsam Azymorum diem sabbatum ait esse δευτερόπρωτον; quod sabbatum ideo vocatur, quia Iudaei festa omnia sabbati nomine complecti solent. Δευτερόπρωτον vero propterea dicitur, quod secunda sit a Paschate et Azymorum prima. Isidori verba sunt: Δευτερόπρωτον εἴρηται, ἐπειδὴ δεύτερο μὲν ἦν τοῦ Πάσχα, πρῶτον δὲ τῶν Ἀζύμων· ἑσπέρας γὰρ θύοντες τὸ Πάσχα τῇ ἑξῆς τὴν τῶν Ἀζύμων ἐπανηγύριζον ἑορτὴν, ἣν καὶ δευτερόπρωτον ἐκάλουν διὰ τὸ, ὡς ἔφην, δευτέραν μὲν εἶναι τοῦ Πάσχα, πρώτην δέ τῶν Ἀζύμων. Manifeste primam ipsam Azymorum diem δευτερόπρωτον nominat, eam videlicet sub cuius priorem vesperam immolatum est Pascha, non ab illa secundam ac proximam. Isidori verba suo more Suidas exscripsit. Alterum quod ab Isidori sententia abhorrere dixi illud est, quod in eandem diem sabbatum legitimum et hebdomadarium incidisset, ob id sabbatum sabbatorum appellatum fuisse. Sed eiusmodi nihil ab Isidoro dicitur. Hoc unum, ut rationem redderet cur sabbatum prima illa dies Azymorum nuncupetur, subiunxit, sabbatum a Iudaeis festum omnem diem vocari, indeque loquendi genus illud manasse, σάββατα σαββάτων, quoniam accidebat interdum, ut alicuius festi principium aut finis in hebdomadarium sabbatum incideret; quemadmodum apud Christianos natalis Christi, hoc est Epiphania, in dominicam incurrit: Οὕτω καὶ παρ' αὐτοῖς ἡ καὶ ἡ πανήγυρις τῷ σαββάτῳ συνέπιπτε, σάββατα σαββάτων ἐκαλεῖτο. Corrigendum εἰ καὶ ἡ παν. Quare non eo anno, quem Lucas commemorat, concursum illum incidisse scribit Isidorus, sed alias potuisse, cum sabbata sabbatorum vocarentur. Isidori locus necessario adscribendus est: Εἰ δὲ σαββάτῳ εἴρηται, μὴ θαυμάσῃς. Σάββατον γὰρ πᾶσαν ἑορτὴν καλοῦσι, καὶ διὰ τοῦτ'

εἴρηται σάββατα σαββάτων, ἐπειδὴ ἔσθ' ὅτε ἡ ἀρχὴ τῆς πανηγύρεως, ἢ τὸ τέλος συνέπιπτε τῷ τῆς ἑβδομάδος σαββάτῳ. Nec minus hallucinatus est Scal., qui l. III Isag. Can. Isidorum refert sabbatum δευτερόπρωτον opinari tertiam esse Azymorum diem. Nam diserte primam Azymorum definit Isidorus, secundam vero offerendo novarum frugum manipulo constituit, quam tertiam a Paschate vocat, uti primam Azymorum, quam et δευτερόπρωτον nominat, secundam. Si quidem Paschatis primam diem totum ipsam Parasceuen appellat, cuius ad vesperam agnus immolabatur. Proxima est Chrysostomi sententia. Hic homil. XXXIX. in Matth., Τί δέ ἐστι, inquit, δευτερόπρωτον; ὅταν διπλῆ ἡ ἀργία ᾖ καὶ τοῦ σαββάτου τοῦ κυρίου καὶ ἑτέρας ἑορτῆς διαδεχομένης. Σάββατον γὰρ ἑκάστην ἀργίαν καλοῦσι. Maldonatus ad Matth. XII. Chrysostomum existimasse scribit sabbatum secundo-primum esse, quod proxime sequeretur festum aliquod, quod in feriam VI. incidisset. Verum e contrario sabbatum illud esse censet Chrysostomus quod festum aliud antecedit, id quod Graeca illa demonstrant, καὶ ἑτέρας ἑορτῆς διαδεχομένης. Quan-
p. 63. quam Theoph. ad Luc. cap. VI. Chrysostomi sententiam eodem quo Maldonatus modo intellexisse videtur, si, uti solet, Chrysostomum secutus est. Tertius est Epiphanius noster; quem eodem loco Maldonatus asserit sabbatum δευτερόπρωτον statuisse VIII. diem Azymorum. Sed hoc quidem loco longe aliud docet Epiphanius. Etenim sabbatum illud, quod ab Azymorum prima die proximum est, δευτερόπρωτον sabbatum dici putat. At haeresi LI. Num. XXXI. aliter statuit, tametsi perobscure loquitur. Ibi enim cum duplex sabbati genus esse dixisset, alterum hebdomadarium et antiquum, quod πρῶτον vocat, alterum legitimum sive festivum, quod δεύτερον putat, cuiusmodi Azymorum dies fuit, paulo post addit δεύτερον illud in septem revolutum appellari πρῶτον. Ubi nescias utrum Azymorum VII. diem sabbatum δευτερόπρωτον esse definiat, an festum ipsum Pentecostes, quod et Maldonatus caeteris omnibus praefert; de quo suo loco dicemus. Iam vero nullus proprie Azymorum dies VIII. fuit, cum celebris ipsa intra septenos dies steterit, ut ex Levit. XXIII., et Exôd. XII. constat. Nisi forte, uti Paschatis octo dies interdum numerari solent, eo quod Parasceue ipsa, cuius sub vesperam agnus immolatur, primus Paschatis dies habetur, quod ex Isidoro supra monuimus, sic etiam Azymorum prima dies eadem illa Parasceue censeatur. Qua ratione Ioseph. lib. II. Orig. cap. V. Azymorum festum diebus VIII. celebrari dixit. Illud Maldonati satis mirari non possum, quod de eadem quaestione ex sua opinione illo in loco disserit. Refellit enim Epiphanii aliorumque sententiam, *qui sabbatum secundo-primum diem aliquem Azymorum interpretantur. Nec enim die* XV. *aut* XX. *Martii spicae maturae esse potuerunt. Quod enim quidam adnotaverunt, in Palaestina eo tempore propter vehementem calorem segetes solitas maturescere, fictum esse arbitror. Nam festum primitivorum celebratur quinquagesimo die post Pascha, celebratur autem simul atque prima falx in messem mittebatur. Non ergo poterant in festo Azymorum, id est quinquaginta ante diebus, segetes esse maturae.* Haec ille. Negat itaque ipsis Azymorum diebus maturas fuisse segetes, cum quinquagesimo primum postea die falcem immiserint. Quae quidem non falso tantum dicta, sed et Scripturae manifeste contraria sunt. Quis nescit secunda Azymorum die novarum frugum manipulum oblatum fuisse? quemadmodum Levit. XXIII, 2. praecipitur, מִמָּחֳרַת הַשַּׁבָּת, hoc est sequenti post sabbatum (sive festum, id est Azymorum primam) die, τῇ ἐπαύριον τῆς πρώτης, ut recte LXX. reddiderunt. Ab hoc vero die, hoc est a II. Azymorum, VII. hebdomadas numerabant; quibus evolutis quinquagesimo demum die non spicas aut manipulos, sed primitivos panes offerebant, eumque עֲצֶרֶת, hoc est clau-

sulam, appellabant, sive postremam celebritatis diem. In quo Iosephus errat qui lib. III. Ἀρχ. cap. X. ita scribit: τῇ Πεντηκοστῇ, ἣν Ἑβραῖοι Ἀσσαρθὰ καλοῦσι, σημαίνει δὲ τοῦτο πεντηκοστήν. Assartha, hoc est עֲצֶרֶת, πεντηκοστὴν interpretatur, haud recte. De segetum maturitate, quod obiicitur, refellit Isidorus his verbis: Ἐν ἐκείνῳ γὰρ τῷ καιρῷ μόνῳ καρηβαροῦσιν οἱ ἀστάχυες, καὶ κέκλινται ὑπὸ τοῦ καρ- p. 64.
πoῦ καὶ τῆς πρὸς ἄμητον ὥρας, οἱονεὶ τὴν δρεπάνην ἐφ' ἑαυτοὺς καλοῦντες. Quanquam non desunt qui de hordei messe duntaxat illud accipiant. Utcunque sit, τῇ δευτέρᾳ τῶν Ἀζύμων עֹמֶר, hoc est manipulus, oblatus est. In quo corrigendus est Isidorus, qui τῇ τρίτῃ τῶν Ἀζύμων, hoc est tertia, manipulum oblatum fuisse narrat. Scripsit enim, aut scribere certe debuit, τῇ τρίτῃ τοῦ Πάσχα, hoc est tertio a Paschate die, quod XIV. die celebrabatur. Hae sunt praecipuae veterum PP. de sabbato δευτεροπρώτῳ sententiae. Ex quibus verisimillima est Epiphanii prior illa, quam hoc loco tradit: sabbatum illud quod post primam Azymorum incidit δευτερόπρωτον, dici. Vera autem procul dubio illa est, quae in VI. de Emend. Temp. et in Isag. Can. explicatur: δευτερόπρωτον σάββατον primum esse sabbatum, quod ἀπὸ τῆς δευτέρας τῶν Ἀζύμων. Nam secunda die Azymorum novarum frugum manipulum offerebant. A quo die deinceps VII hebdomadas computare iussi sunt, quarum sabbata ἀπὸ τῆς δευτέρας τῶν Ἀζύμων, id est ab Omer cognominata sunt. Veluti primum sabbatum, quod proxime τὴν δευτέραν τῶν Ἀζύμων sequitur, vocatur δευτερόπρωτον: secundum δευτεροδεύτερον: tertium δευτερότριτον, atque ita deinceps. Quod uberius explicatum habes in Isag. Canon. pag. 281. Hac enim interpretatione melior afferri nulla potest.

Τὸ δὲ διὰ τὰς ὑποπιπτούσας τῆς κατὰ σελήνην.] Iudaeorum festa sabbata et ab iis et ab ethnicis appellata nemini dubium est. De iis luculentus est apud Clem. Alex. locus Strom. VI, ex Petri concione quadam: Μηδὲ κατὰ τοὺς Ἰουδαίους σέβεσθε. Καὶ γὰρ ἐκεῖνοι μόνοι οἰόμενοι τὸν θεὸν γινώσκειν οὐκ ἐπίστανται, λατρεύοντες ἀγγέλοις καὶ ἀρχαγγέλοις, μηνὶ καὶ σελήνῃ· καὶ ἐὰν μὴ σελήνη φανῇ, σάββατον οὐκ ἄγουσι τὸ λεγόμενον πρῶτον, οὔτε νεομηνίαν ἄγουσιν, οὔτε ἄζυμα, οὔτε ἑορτὴν, οὔτε μεγάλην ἡμέραν. Quaerit Casaubonus Exercit. XIV. n. IV. quid sit sabbatum primum idque obscurum videri sibi fatetur. In quo Scaligeri interpretationem tacite refellit, qui lib. III. Isag. Canon. pag. 223. sublatis his vocibus, τὸ λεγόμενον πρῶτον, sabbatum hoc loco pro νεομηνίᾳ, ἐνῃ καὶ νέᾳ, adeoque festis omnibus usurpari scripserat. Quod est absurdum. Nam sabbatum illud τὸ λεγόμενον πρῶτον aliud esse debet ab ordinariis sabbatis ac neomeniis. Equidem sabbatum illud primum esse suspicor, neomeniam Tisri, quae maiori quam caeterae omnes neomeniae cultu ac religione celebrabatur. Erant quidem neomeniae mensium omnes solennes ac festae, sed eatenus, ut in iis praecipua quaedam sacra ac ceremonias obirent, non ut ab opere feriati essent. Sola Tisri neomenia, quod et festum tubarum clangorisque vocatum est, תְּרוּעָה, ab servili opere nominatim excipitur Levit. XXIII, 24.: *Mense septimo, prima die mensis, erit vobis sabbatum, memoriale clangentibus tubis, et vocabitur sanctum. Omne opus servile non facietis in eo, et offeretis holocaustum domino.* Quare eadem fuit illius diei ratio quae primae ac secundae Azymorum, Pentecostes, Scenopegiae, quibus quidem nullum opus servile fieri licebat, tametsi quae ad victum necessaria forent praeparare fas fuit. Quod de Azymorum festo diserte cautum est Exod. XII, p. 65.
16: *Dies prima erit sancta atque solennis, et dies septima eadem festivitate venerabilis. Nihil operis facietis in eis, exceptis iis quae ad vescendum pertinent.* Sabbatis vero ne ea quidem parare fas erat quae ad victum pertinerent, ut ex cap. XXI. Exodi comm. 29, et XXXV, 3. colligitur. Vide Tract. שביתת יום טוב,

in I. Par. Iad. Rambam. Mirum est igitur quod Tertull. lib. con. Iudaeos cap. IV. praeceptum de observando sabbato, quod Exod. XX. et Deuter. V. sciscitur, ita concipit: *Memento diem sabbatorum sanctificari eum. Omne opus servile non facietis in eo, praeterquam quod ad animam pertinet.* Sed primum illud de primae diei Azymorum observatione cum altero de sabbato imprudens permiscuit.

Ἔτι δὲ τὴν μίαν νηστείαν.] Ieiunia in Hebraeorum calendario notantur XXVI. Sed neque festa neque ab opere vacua ac sabbata fuerunt, praeter X. Tisri, quo die festum כִּפּוּרִים, sive expiationis, cum jejunio celebratum est, Levit. XVI, 31. Atque haec est μεγάλη νηστεία, quam inter sabbata refert Epiphanius. Tum enim operis nihil faciebant, com. 29. De minore ieiunio nondum certam rationem expedire potui. In kalendario Hebraeorum, quod Sigonius ac Torniellus ediderunt, die Adar XIV. ieiunium Esther cum Mardochaei festo, quod erat *Phurim*, hoc est *Sortium* minus, incidit. Quod proinde ieiunium minus existimari possit. Verum summovendum hoc ieiunium in XIII. Adar, ut a Munstero et Genebrardo factum est, quod et scripturae autoritate constat. Nam Esther cap. IX, 22, XIV. et XV. mensis Adar inter Iudaeorum festa sanciuntur, uti sint *dies illi epularum ac laetitiae.* Non igitur XIV. die ieiunabant. Quare de minore illo ieiunio, quod una et festum sive sabbatum sit, amplius quaerendum videtur.

Ἤτοι ἐν δευτέρᾳ σαββάτων.] Tres duntaxat hebdomadis ferias commemoravit, II., III. et IV. Sed una etiam caeteras συνεχδοχικῶς complexus est. Neque enim est ulla ratio cur a caeteris eae solennitates arceantur. Nam certorum dierum superstitio illa quam Iudaei observant, et in Iad Ramban exposuit, nihil ad hanc locum facit. De qua alias disseremus.

N. XXX. Ὁπότε καὶ οἱ εἰδωλολάτραι.] Hieron. ad cap. Hieron. X: *Multarum*, inquit, *ex quadam parte gentium, et maxime quae Iudaeae Palaestinaeque confines sunt, usque hodie populi circumciduntur, et praecipue Aegyptii et Idumaei, Ammonitae et Moabitae, et omnis regio Sarracenorum.* De Aegyptiis id testatur Herodotus. Meminit et Origen. I. contra Cels.

Τρυγόνας δέ φημι καὶ δρακαίνας.] Plin. lib. IX. cap. XLVIII: *Aeque pestiferum animal araneus, spinae in dorso aculeo noxius. Sed nullum usquam execrabilius quam radius super caudam eminens trygonis, quam nostri Pastinacam appellant, quincunciali magnitudine.* Aelianus l. II. de Anim. cap. L. venenatos pisces commemorat, gobium, draconem, hirundinem, quorum tamen virus minime lethale sit. At pastinacae praesentissimum esse docet. De muraenis Plin. lib. XXXII, cap. IV: *Muraenae morsus ipsarum capitis cinere sanantur.*

p. 66.

AD HAERESIM XXXI., QUAE EST VALENTINIANORUM.

De Valentinianorum nugis praeter Irenaeum aliosque veteres ex recentioribus diligentissime disputavit Pamelius ad Tertull.

N. II. Ἔφασαν γὰρ αὐτόν τινες.] Phreboniten nomum aut praefecturam neque apud Ptolomaeum neque apud diligentem earum rerum Ortelium reperio, sed, qui vocabulo proximus, Pharbaetiten, haud procul mari.

Ἀμψιοῦ, Αὐραάν.] Barbara haec sunt Aeonum nomina, haud scio an ex Aegyptiorum lingua profecta, an temere atque ad terrorem conficta. Duplex horum series est. In priore paria ac συζυγίας copulasse videtur, in posteriore sine ulla copula singillatim percensuisse. Cumque nonnulla sit utrobique certorum nominum differentia, posteriorem ideo veriorem arbitror quod XXX duntaxat vocabula, quot videlicet Aeones sunt, contineat, altera XXXIII.

Βυθὸς Σιγή.] Legendum omnino Βυθὸς καὶ Σιγή, ut in caeteris paribus. Ac cum tota illa series apud Irenaeum et Tertullianum legatur, quid apud singulos diversum sit suo loco docebitur.

N. III. Οὕτω γάρ φασι καὶ οἱ περὶ τὸν Ἡσίοδον.] Cum vocabula ipsa, tum ordo illorum ac series plurimum ab Hesiodeo illo catalogo discrepant. Sed in nugis μαρολογεῖν putidum est.

N. IV. Τὰ δὲ παρὰ φρονίμοις.] Obscura et intricata Valentini haec est oratio. Priora quidem illa inscriptionis formulam praeferunt. Caeterum hoc ipsum fragmentum neque a Valentino scriptum, neque purum ac putum illius dogma complectitur, sed ab eius discipulis interpolatum, ut ex Tertull. colligitur.

Οὔτε γὰρ ἀρχῆς ὁ Αὐτοπάτωρ.] Legendum arbitror: ὅτε γὰρ ἐξ ἀρχῆς.

Μετὰ τοῦτο δὲ ἡ Σιγή.] Quantum in tenebricosis implicatisque fabulis dispici potest, hoc ipsum significare videtur: Sigen e Bytho Patrem genuisse Veritatis, tum vero cum eodem illo quem genuerat copulatam Veritatem edidisse. Quod aliter apud Iren. et Tertull. legitur. Nam ex Bytho et Sige ambos illos Aeonas, Patrem sive Nun, et Veritatem susceptos asserunt.

Ἡ ἄφθαρτος αἰωνία.] Leg. αἰὼν pro αἰωνία. Nam et feminas Aeones Valentinus nominabat. Tertull. contra Valent. cap. IX: *Novissima natu Aeon: viderit soloecismus, Sophia enim nomen est.*

Μητρικὴν προενεγκαμένη Προὐνικίαν.] Forte Προὐνικίαν pro libidinis illecebris sumpsit, ut μητρικὴ ἀπὸ τῆς μήτρας deductum sit. Origenes in Celsum tom. VI: Προὐνικὴν δέ τινα σοφίαν οἱ ἀπὸ Οὐαλεντίνου ὀνομάζουσι κατὰ τὴν πεπλανημένην ἑαυτῶν σοφίαν· ἧς σύμβολον εἶναι βούλονται καὶ δώδεκα ἔτεσιν αἱμορρόουσαν. Sed unam quandam ac singularem Προὔνικον a Valentinianis appellatam non puto, cum Προὐνίκους Aeones omnes nuncupaverit, hoc quidem in libro.

N. VI. Ἥτις ἠνώθη τοῖς φωσί.] Quid si Αἰῶσι pro φωσὶ legendum sit? Sed quae sequuntur perplexa sunt admodum et obscura.

N. IX. Ἐκ τῶν τοῦ ἁγίου]. Plurimum vel hoc uno nomine de omni posteritate meritus est Epiphanius, quod eius studio factum est, ut Irenaei fragmenta quae- p. 67.
dam ex tanto illius operum naufragio superessent. Nos ea cum Latina veteri interpretatione, quod olim Billius fecerat, diligenter contulimus, et nostras Billique coniecturas ad marginem adscripsimus, neque quicquam nisi ex veterum manu exaratorum fide in contextu ipso mutavimus.

N. X. Οὐκ ἐπιζητήσεις δὲ παρ' ἡμῶν.] Quod perperam antea Δέλφοις pro Κελτοῖς legebatur, ex Reg. Cod. autoritate sustulimus.

N. XI. Καὶ καθέσθαι ὡς ἐν μήτρᾳ.] Expung. καὶ.

Εἶναι γὰρ αὐτῶν ἕκαστον.] Utrum Aeonum quemlibet hermaphroditum esse voluerit Valentinus, an paria ipsa potius intelligat ex mari feminaque constantia, dubitari haud immerito sane potest. Par quidem ipsum ἀρρενόθηλυ hoc loco nominari docent ea quae subiiciuntur. Cum enim dixisset εἶναι γὰρ αὐτῶν ἕκαστον ἀρρενόθηλυν οὕτως, quomodo id fiat ostendit in sequentibus; quod et Pater cum Ennoea, et mare caeteris cum suis comparibus coniuncti sint. Itaque ἀρρενόθηλυν iccirco nominat quia coniuges sunt. Atqui Valentiniani ipsi ἀρρενόθηλυν Βυθὸν Aeonum principem et originem in libro suo vocant N. V. Et cum Tetradem posteriorem, Decadem ac Dodecadem numerant, ἀρρενόθηλυν utramque appellant, non quod singuli Aeones hermaphroditi essent, sed quod paria ἐν τῇ ὁμάδι marium feminarumque continerentur. Quocirca nihil ad hunc Irenaei locum, ut opinor, pertinet quod e Tertull. affertur, libro c. Valent. cap. XXXIV: *Alii contra magis et masculum et feminam dicunt, ne apud solos Lunenses hermaphroditum existimet*

Annalium commentator Fenestella. Haec enim non ex Valentini, sed eius discipulorum sententia a Tertulliano commemorantur.

Τὸν μὲν Λόγον καὶ τὴν Ζωὴν.] Confer haec cum Valentinianorum narratione N. V. Animadvertes, aliter haec ab Irenaeo, Tertull. caeterisque quam a Valentinianis exposita. Piget enim nugas istas ineptissimaque deliria scrupulosius persequi.

Θελητὸς καὶ Σοφία.] Theletum, non Teletum, scribendum esse Graeca ipsa cum veteri Irenaei interprete persuadent. Nec audiendus Pamelius, qui Teletus mavult, quasi perfectum dicas, quod nulla grammaticae ratio patitur. Telestus enim non Teletus dicendum fuerat.

N. XII. Οἷαν φύσιν εἶχε θήλειαν τεκεῖν.] Assensus sum R. P. Frontoni Ducaeo, qui in Notis ad hunc Irenaei locum hanc quam expressimus sententiam probat. Sed nec poenitenda vulgata altera lectio.

N. XIII. Τὸ πρῶτον καταληπτὸν ὑπάρχειν.] Ita in edit. Basil. et in Regio. Sed ἀκατάληπτον ex Irenaei interprete et Tertull. legendum.

N. XIV. Ἐξάγωνος σύμπηξις.] Vetus Iren. interpres καὶ Αἰώνων legisse videtur. Forte ἔξω τῶν Αἰώνων σύμπηξις. Nam de Aeonibus paulo ante dictum est.

Διήνοιξε τὴν μήτραν τῆς ἐνθυμήσεως.] Enthymesis, nisi fallor, inter Aeonas minime recensetur, sed fetus quispiam est Aeonis, hoc est Sophiae. Quare post Ἐνθυμήσεως sublata distinctione et particula καὶ ante ἐξορισθείσης, ita locus ille interpretandus est: *Cogitationis affecti Aeonis, quae a Pleromate proscripta fuerat, matricem operuit.* Non enim Sophia ipsa extra Pleroma penitus amandata, sed eius ἐνθύμησις et πάθος.

p. 68. N. XV. Ἄρας τὸν σταυρόν.] Leg. ἀκολούθει μοι. *Sequere me*, ut est apud Iren. Sed nos Graeca ipsa immutare noluimus.

N. XVI. Ὅθεν τὸ Ἰαὼ ὄνομα.] Quem Liberum patrem et Solem ethnici scriptores appellarunt. Macrob. lib. I. cap. XVI.

N. XIX. Τὸν Δημιουργὸν δὲ εἰς τὸν ὑπερουράνιον.] Corr. ἐπουράνιον.

N. XXX. Ἐπειδὴ τῇ σκηνῇ ταύτῃ.] Ἀπολύτρωσιν hic *redemptionem* esse credit Billius, de qua Irenaeus cap. XVIII. Nos autem aliud esse hoc quidem loco suspicabamur, nempe exordium fabulae. Non enim de ἀπολυτρώσει illa haereticorum aliorum verba facit Irenaeus.

N. XXXII. Οὕτως ἐξηροφόρησεν.] Corrupta vox, in qua divinationem experiri non vacat.

N. XXXIV. Ὅτι ἅλυσίν τινα οἱ σκορπίοι.] Aelianus lib. VI. Hist. An. cap. XXIII.

AD HAERESIM QUAE EST SECUNDIAN., ORDINE XXXII.

N. I. Ἀπὸ τῶν οὕτω προειρημένων.] Corr. προῃρημένων.

N. II. Φάσκει δὲ μετὰ τὸ ὑστέρημα.] Leg. omnino Φάσκει δὲ τὸ ὑστέρημα μετὰ τοὺς τριακ. Αἰῶνας. Hanc enim Secundi fuisse sententiam docuit n. I.

N. III. Οὗτος γὰρ ὁ Ἐπιφάνης.] Ex Clement. Alex. III. Strom. haec descripta sunt, tametsi ab autore ipso diversa quaedam tradiderit. Clementis verba necessario hic adtexenda sunt: Ἐπιφάνης οὗτος, οὗ καὶ τὰ συγγράμματα κομίζεται, υἱὸς ἦν Καρποκράτους καὶ μητρὸς Ἀλεξανδρίας τοὔνομα, τὰ μὲν πρὸς πατρὸς Ἀλεξανδρεὶς, ἀπὸ δὲ μητρὸς Κεφαλληνεύς. Ἔζησε δὲ τὰ πάντα ἔτη ἑπτακαίδεκα, καὶ θεὸς ἐν Σάμῃ τῆς Κεφαλληνίας τετίμηται· ἔνθα αὐτῷ ἱερὸν ῥυτῶν λίθων, βωμοὶ, τεμένη, μουσεῖον ᾠκοδόμηταί τε καὶ καθιέρωται, καὶ συνιόντες εἰς τὸ ἱερὸν οἱ Κεφαλλῆνες κατὰ νουμηνίαν γενέθλιον ἀποθύουσιν Ἐπιφάνει, σπένδουσί τε, εὐωχοῦνται, καὶ ὕμνοι λέγονται·

ἐπαιδεύθη μὲν παρὰ τῷ πατρὶ τήν τε ἐγκύκλιον παιδίαν, καὶ τὰ Πλάτωνος etc. Haec ille. At Epiphanius a patre Cephallenium fuisse, non Alexandrinum docet.

Ἐν Σάμῳ γὰρ ὡς θεός.] Quae et Same dicitur.

Dulychiumque Sameque et Neritos ardua saxis.

N. IV. Ἰσίδωρον δὲ φάσκουσιν.] De Isidoro meminit idem Clemens Alexand. lib. VI. Strom.

N. V. Ἀναγκαίως δὲ ταύτας.] Apud Clem. Alex. haec cum praecedentibus copulata ita leguntur: φυσικὸν δὲ τὸ τῶν ἀφροδισίων, οὐκ ἀναγκαῖον δέ. Tum subiicit: ταύτας παρεθέμην τὰς φωνὰς εἰς ἔλεγχον τῶν μὴ βιούντων ὀρθῶς Βασιλειδιανῶν etc. Neque tamen mutare quiequam in Epiphanio nostro volui. Fieri quippe potest ut aliquid de suo sciens ac volens inseruerit.

Φασὶ δὲ καὶ οὗτοι.] Tertull. l. c. Valent. cap. XXXVII: *Accipe alia ingenia cicuria Euxiana, insignoris apud eos magistri; qui ex pontificali sua auctoritate in hunc modum censuit etc.*

N. VI. Κλήμης τε, ὃν φασί τινες Ἀλεξανδρέα.] Qui Clementem patria Atheniensem esse diceret praeter Epiphanium ex veteribus vidi neminem. Quanquam ne is quidem affirmat, sed contrarias duntaxat opiniones affert. Mirum igitur est, quo fretus autore vir eruditus Clementem Athenis oriundum, sed quod Alexandriae perdiu docuerit, Alexandrinum fuisse tam asseveranter scripserit. Qui ob eam causam addit a maioribus (ut autor est Epiphanius) tum Alexandrinum, tum etiam Athenieusem esse nominatum. Atqui nusquam id, quod ille putat, Epiphanius tum Alexandrinum, tum etiam Atheniensem a maioribus nominatum esse Clementem asserit, quod Athenis ortus Alexandriae docuisset. Sed de patria duntaxat varie quosdam sensisse narrat. p. 69.

N. VI. Ἰοῦ, ἰοῦ καὶ φεῦ, φεῦ.] Ad haec Irenaei verba respexit Tertull.: *In scholis Carthaginiensibus fuit quidam rigidissimus rhetor Latinus, Phosphorus nomine. Cum virum fortem peroraret: Venio, inquit, ad vos, optimi cives, de praelio cum victoria mea, cum felicitate vestra, ampliatus, gloriosus, fortunatus, maximus, triumphalis: et scholastici statim familiae Phosphori* Φεῦ *acclamant. Audisti Fortunatam et Hedonen et Acinetum et Teletum: acclama familiae Ptolemaei* Φεῦ. Quanquam φεῦ apud Iren. σχετλιαστικὸν, apud Tertull. θαυμαστικὸν est.

N. VII. Ἐκ δὲ τῆς ἀρχῆς.] Leg. ἐκ δὲ τῆς Ἀνενοήτου δευτέρῳ etc., adeo ut voces illae, τῆς ἀρχῆς, parenthesi inclusae, adscititiae videantur. Cuius contrarium ab operis est factum tam in contextu ipso quam in paginae limite. Si quidem Irenaeus ἐκ δὲ τῆς ἀνενοήτου legit.

Τῷ ὑποδείγματι τοῦ εὐαγγελίου.] Coniiciebam ὑποδήματι substituendum esse. Quod si cui recepta iam lectio magis arriserit, ὑπόδειγμα hoc loco pro mandato et praecepto accipiendum est.

AD HAERESIM XXXIII., QUAE EST PTOLEMAEI.

N. I. Οὗτος τοίνυν ὁ Πτολεμαῖος.] Haec ex Irenaeo ad verbum descripta sunt, lib. I. cap. VI.

N. III. Καὶ τοῦ σφετέρου πληρωθῆναι.] Utcunque sensus iis ex verbis erui possit, quod nonnisi violenter fieri potest. Longe mihi aptius videtur καὶ τοῦ ὑφ' ἑτέρου πληρωθῆναι. Nec dubito quin hoc Epiphanius scripserit.

Ὁ ἀπόστολος προαποστερήσας.] Apostoli nomine Ioannem intelligere videtur, ut ad λέγει paulo ante positum referatur, hoc sensu: *Praeterea mundum ab ipso*

fabricatum, omniaque per ipsum facta et sine ipso nihil esse factum testatur apostolus, ac mendacissimorum hominum etc.

N. IV. Ὅτι Μωϋσῆς πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν.] Quonam pacto Moses id Iudaeis permiserit et quatenus Christianis divortium facere liceat, pluribus catholici interpretes ad Matth. XIX. disputare solent, quorum commentarios consulere quisque potest.

Δῶρον τῷ θεῷ.] Hic est difficillimus ille ex Matthaei ac Marci evangelio locus, quem pro diversa interpunctione varie interpretes acceperunt. Nam aut verbum ὠφεληθῇς cum antecedentibus copulatur hoc modo: Δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, apud Marcum vero, Κορβὰν (ὅ ἐστι δῶρον) ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς: aut inter ἐμοῦ et ὠφεληθῇς distinctionis nota ponitur. Posteriorem hanc lectionem vulgo Graeci codices habent eamque Latinus interpres sequitur. Nam ita vertit: *Munus quodcunque est ex me, tibi proderit*; perinde ac si ita scriptum esset: ὃ ἐὰν
p. 70. ἐξ ἐμοῦ ᾖ, ὠφεληθῇς. Existimabant enim ac prae se ferebant ex Pharisaeorum disciplina filii se, cum deo aliquid pro se ac parentibus suis offerrent, abunde officio suo satisfecisse, neque quicquam dependere amplius debere. Sed priorem lectionem, quae ὠφεληθῇς superioribus annectit, Epiphanius, Chrysostomus, aliique Graeci, nec non et Syrus paraphrastes exprimunt: Epiphanius quidem imprimis, cum verbum ὠφεληθῇς inserit: δῶρον τῷ θεῷ, ὃ ἐὰν ὠφεληθῇς ἐξ ἐμοῦ. Ita Chrysost. lib. I. in Matth. homil. declarat: ἐπαίδευσαν τοὺς νέους εὐσεβείας σχήματι καταφρονεῖν τῶν πατέρων. Πῶς καὶ τίνι τρόπῳ; Εἴτις γονέων, εἶπε, τῷ παιδὶ, Δός μοι τὸ πρόβατον τοῦτο ὃ ἔχεις, ἢ τὸν μόσχον, ἢ ἄλλο τι τοιοῦτον, ἔλεγον, Δῶρόν ἐστι τοῦτο τῷ θεῷ, ὃ θέλεις ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῆναι, καὶ οὐ δύνασαι λαβεῖν. Verum solennis illa votorum formula, quam ex magistrorum commentariis ad VI. Iosuae cap. Masius profert, mihi certissima videtur. Nam cum aliquis apud alterum ex hac formula votum edidisset, קרבן כל מה דיתהנא מיני, *Anathèma et res devota esto, quicquid illud sit, quo ego tibi prosum*, nefas arbitrabantur illum beneficii genere ullo prosequi, ne parentem quidem ipsum, ne quod deo scilicet devotum est, id humanis commodis serviat. Haec Masius. Sane quidem paraphrastes Syrus iisdem verbis locum illum reddidit, quae apud Rabbinos leguntur. At Scaliger in virulento illo Trihaeresii Elencho ellipticam loquendi rationem ita supplet: Δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς πάσης με πρὸς σὲ τιμῆς ἐλευθεροῖ. Sed hoc ex opinione sua confictum, non ex autore ullo depromptum, divinationi ac coniecturae potius est quam certae ac liquidae veritati tribuendum. Postremo in hoc eodem evangelii loco ellipsis alia manifesta est. Nimirum, quicunque hoc dixerit patri suo, nulla adversus illum obligatione constringetur, vel nulla re ei commodabit; quod num. IX. Epiphanius insinuat.

N. V. Τῷ χείρονι καὶ τὴν ἀδικίαν.] Fort. τῇ ἀδικίᾳ.

Ἐν τε τοῖς ἄλλοις καταριθμεῖται.] Haec minus expedita ac liquida mihi videntur; tametsi utcunque sententiam expressimus.

Ὡς ὡρισμένης τοῦτο ἡμέρας.] Leg. εἰς τοῦτο. Caeterum videant huius temporis haeretici, quemnam sibi pervicacissimi ac vanissimi erroris magistrum ac patronum asciverint, dum ieiunia statis temporibus indicta ac certorum dierum religionem damnant.

N. VII. Δι' ὀλίγων εἰρημένα οὐκ ἠτόνησα.] Fort. ἐφθόνησα.

N. VIII. Καὶ Στησίχορον.] Stesichorus fabulosas deorum prosapias descripserat, ut alibi indicat Epiphanius.

N. IX. Εἰσὶ δὲ αὗται τέσσαρες.] Quatuor apud Hebraeos Δευτερώσεων sive Traditionum genera percenset. Primum est quod Mosi inscribitur, alterum Rabbi

Akiba, tertium R. Adda sive Iuda, quartum Assamonaeorum. Fingunt autem Moysen XL illis diebus quibus in monte constitit praeter Legem Legis interpretationem accepisse eamque LXX senioribus, hos prophetis, hos synagogae tradidisse. Hanc Legis corruptelam potius quam interpretationem appellant תורה שבעל פה, *legem quae ore tradita sit*, tantique faciunt ut ipsi dei verbo praeferendam censeant.

N. XI. Νομοθετήσας γὰρ ὁ νόμος.] August. contra Adam. cap. VIII.

N. XII. Ὡς ἀπὸ θαλάττης ἀνελθών.] Καρχαρίας Hesych. est θαλάττιος κύων. Canem vero marinum viperas evocare sibilis, aut cum iis consuescere, nunquam legi. Sane muraenas a serpentibus ad coitum evocari sibilo scribit Plin. lib. XXXII. cap. II: *Ob id sibilo a piscatoribus, tanquam serpentibus, evocari et capi.* Καρχαρίαν aliud esse quam canem hoc quidem loco necesse est. p. 71.

AD HAERESIM XXXIV., QUAE EST MARCOSIORUM.

N. I. Τὰ γὰρ Ἀναξιλάου παίγνια.] Quaenam ista ludicra sint sparsim indicat Plinius, ut lib. XXXV. cap. XV: *Lusit et Anaxilaus eo* (de sulphure loquitur) *candens in calice novo prunaque subiecta circumferens exardescentis repercussu pallorem dirum, velut defunctorum, offundente conviviis.* Scripsit iste, nisi fallor, de arcanis quibusdam naturae ac miris operibus, ut ex eodem Plinio licet colligere, lib. XIX. cap. I., lib. XXVIII. cap. XI., et lib. XXXIII. cap. X. Quin et saepius libro primo in autorum indiculo citatur.

N. II. Ποτήρια οἴνῳ κεκραμένα.] Veterem Irenaei interpretem secutus εὐχαριστεῖν gratias agere, non consecrare, Latine reddidi. Quanquam ille ipse Interpres parum commode: *Pro calice enim vino mixto fingens se gratias agere.* Nostro autem sensu post κεκραμένα apponenda distinctio est. Neque vero Billii ratio minus placet, qui εὐχαριστεῖν consecrandi significationem habere hoc loco putat. Nam et ea notione apud Iustinum in Apol. sumitur insigni illo in loco, qui haeresis hodiernae ingulum petit: Εὐχαριστήσαντος δὲ τοῦ προεστῶτος, καὶ ἐπευφημήσαντος παντὸς τοῦ λαοῦ, οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς παροῦσιν ἀποφέρουσι· καὶ ἡ τροφὴ αὕτη καλεῖται παρ' ἡμῖν εὐχαριστία. Et paulo post: Οὐ γὰρ ὡς κοινὸν ἄρτον, οὐδὲ κοινὸν πόμα ταῦτα λαμβάνομεν, ἀλλ' ὃν τρόπον διὰ λόγου θεοῦ σαρκοποιηθεὶς Ἰησοῦς Χριστὸς, ὁ σωτὴρ ἡμῶν, καὶ σάρκα καὶ αἷμα ὑπὲρ σωτηρίας ἡμῶν ἔσχεν, οὕτω καὶ τὴν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν, ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν, ἐκείνου τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι. Sic paulo post εὐχαριστεῖν τὸ ποτήριον, *benedicere poculo*, quod idem est consecrare. Nam idem est apud evangelii scriptores εὐλογεῖν quod εὐχαριστεῖν. De quo erudite Maldon. noster ad XXVI. Matth.

N. III. Ἅπαντα τὸν χρόνον ἐξομολογουμένη.] Vetus Interpres: *Omne tempus in exhomologesi consummavit.* Est autem exhomologesis hoc quidem loco non ipsa tantum peccati confessio, quae est poenitentiae pars, sed poenitentia ipsa, quatenus et confessionem et luctuosas poenitentium sordes et caetera moeroris ac castigationis indicia complectitur, de quibus dicetur ad Novatian. haeresin.

Ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς χλίμασι τῆς Ῥοδανουσίας.] Rhodani tractum Rhodanusiam vocat. Ut et in Vet. Inscript. *Rhodanici* Rhodani accolae nominantur. Quanquam Stephanus Ῥοδανουσίαν urbem esse dicat ἐν Μασσαλίᾳ. Huc vero Hieron. locus pertinet ad LXIV. Esai. caput, quem et Fronto Ducaeus noster ad hunc locum observat, ubi Gnosticos ait *per Marcum Aegyptium Galliarum primum circa Rho-*

danum, deinde Hispaniarum, nobiles feminas decepisse, miscentes fabulis voluptatem et imperitiae suae nomen scientiae venditantes.

Ἡσυχῇ δέ πως ἑαυτοὺς ἀπηλπικυῖαι.] Plana et integra lectio, neque quicquam addendum; tametsi quidam verbum χωρίζουσι desiderari putet.

p. 72. N. IV. Οὕτως Μάρκος μήτραν.] De Colorbaso Tertull. meminit l. de Praescript. c. L. Quae sequuntur Marci somnia, quod non minus perplexa et intricata quam stolida inaniaque sint, in iis excutiendis tempus operamque consumere supervacaneum duxi.

N. VI. Παρ' αὐτῇ καὶ σιωπήν.] Lego cum Billio ex Vet. Interprete παραυτίκα σιωπῆσαι.

Ἐπειδὴ τοῦ ὑστερήσαντος.] Interpres Iren.: *Ex minori autem computatione qui erat apud Patrem descendit emissus illuc unde fuerat separatus etc.* Ex quibus recte coniiciebat Billius leg. ἐκ δὲ τοῦ ὑστερήσαντος; cum, inquit, ratio non satis constaret, hoc est cum par in tribus non inesset literarum numerus, propterea quod Λόγος et Ἐκκλησία VIII literis constarent, Ἄνθρωπος, Ἐκκλησία VII, Pater et Veritas IX; tum demum, uti paria facerent, de novem Patris et Veritatis literis una ad Hominis et Ecclesiae septem illas accessit.

Ἐκεῖνον τὸν μετὰ τὰς ἓξ ἡμέρας.] Christum dominum, qui post VI dies in eum montem, ubi transfiguratus est, cum tribus discipulis quartus ascendit, ibique adiunctis Elia ac Moyse sextus est factus, Matth. XVII.

N. VII. Τὸν κρατηθέντα καὶ καταβάντα ἐν τῇ ἑβδομάδι.] Videtur ad VII. diem alludere, quo Christus in sepulchro iacuit et apud inferos mansit.

Ἐν τῇ ἕκτῃ τῶν ἡμερῶν, ἥ τις ἐστὶ παρασκευή.] *Coenam puram* vertit Interpres Iren. Id quod eruditi viri pridem observarunt.

Εἰς σημεῖον αἰνέσεως.] Legeram ἀνέσεως pro αἰνέσεως, sed *laudationis* pro *relaxationis* malo cum Vet. Interprete.

N. VIII. Ἡ δὲ Σιγὴ πέντε.] Falsum est, nisi Σιγὴ legas.

Ὀκτὼ καὶ δέκα γραμμάτων.] Scripserat Iren. ιη. pro Ἰησοῦς. Librarii numerum esse rati locum depravarunt. Scribe igitur Ἰησοῦς, quod nomen senas habet literas. Sic et ea quae sequuntur ex Irenaei Interprete pro eo atque ad marginem adscripsimus emendanda sunt.

Τὸ δὲ Χριστὸς ὀκτώ.] Proinde Χρειστὸς leg. Nam et Chrestum quidam Christum appellarunt.

N. IX. η καὶ π καὶ ω, ὅ ἐστι δεκαοκτώ.] Leg. ὅ ἐστιν Ἰησοῦς. Nam numerus ipse DCCCLXXXVIII literis illis tribus expressus est η̄ π̄ ω̄. Qui et in nominis Ἰησοῦς literis continetur.

Διὸ καὶ τὸν Ἀλφάβητον.] Ita ex Vet. restituimus. Caeterum quod Alphabeti literis ita distribuit, uti VIII sint Monades, Decades VIII et Hecatontades VIII, sic accipe:

Monades	Decades	Hecatontades
Α	Ι	Ρ
Β	Κ	Σ
Γ	Λ	Τ
Δ	Μ	Υ
Ε	Ν	Φ
Ζ	Ξ	Χ
Η	Ο	Ψ
Θ	Π	Ω

Quae R. P. Fronto Ducaeus olim observabat; ut et illud de Iesu nomine e Pseudosibyllinis.

Ὀκτὼ γὰρ μονάδας, τόσσας δεκάδας ἐπὶ τούτοις, p. 73.
Ἠδ' ἑκατοντάδας ὀκτὼ, ἀπιστοκόροις ἀνθρώποις
Οὔνομα δηλώσει.

Ἤ τις τῷ δέκα συμπλακείσα.] Perperam hic legi τὸν Ἰησοῦν ἀπεκύησε Billius adnotat, et pro LXXXVIII, quod Vetus Interpres habebat, legit XVIII, quia X et VIII non LXXXVIII, sed XVIII procreant. Sed castigatiora Irenaei exemplaria et a Feuardentio restituta DCCCLXXXVIII habent. Qui numerus ab VIII gignitur bis per decadas ducto, ac tertio repetito; hunc in modum: VIII per X multiplicatus LXXX producit. Duc X in LXXX, fiunt DCCC: adde postremo ipsum VIII, collectis omnibus nascitur DCCCLXXXVIII, qui numerus in literis ΙΗΣΟΥΣ comprehenditur. Quare idem est ἀπεκύησε τὸν Ἰησοῦν atque ἀπεκύησε τὸν Η Π Ω, neque mutandum in Graeco quicquam arbitrarer, nisi Vetus Interpres aliter legisset.

Καὶ υἱὸς Χριστὸς, τουτέστιν ἡ δωδέκας.] Quod Υἱὸς quaternis literis constet, expedita ratio est. Χριστὸς autem, nisi Χρειστὸς scribas, VII omnino continet. Sane Christum plerique e gentilibus appellavere Chrestum.

N. XI. Νεωστὶ πρὸς τὸ ἀπαρχῆς.] Vet. Interpres legisse videtur ὡς τὸ ἀπ. Sed ne sic quidem satis explicata sententia est, quam utcunque perpolivimus.

Ἃ σὺ χορηγεῖς.] Iambicos istos ex Vet. fide restituimus. Sed hi duo, ἃ σὺ χορηγεῖς etc., et δι' ἀγγελικῆς etc. mendosi sunt. Fortasse ita concipi possunt.

Ἃ σοι χορηγεῖ σὸς πατὴρ Σατανικός, (Scaliger Σατὰν ἀεὶ)
Δι' ἀγγελικῆς δυνάμεως Ἀζαζὴλ ποιεῖν.

De Azazele meminit e Cabala Reuchlinus lib. 3. Atqui illos ipsos Iambicos esse versus diu ante Scaligerum Irenaei editores agnoverant: quos ille Pyriphlegetontas et Cercopas appellat, editionem vero ipsam Coloniensem *convitiorum et sycophantiarum cloacam*, ad Eusebii a. MMCLVI. Sed merae sunt hominis sycophantiae, quas in autores Colon. illius editionis coniicit, et mendatia crassissima. Quod enim cerebrum habuit, cum in eadem editione ἔμμετρος pro ἐμμέτρως scriptum esse dixit, et ἔμμετρον κήρυκα praeconem? Sane falso in illos ista iactavit. Nam et ἐμμέτρως illic editum est, et Billius recte ita vertit: *Veritatis praeco versibus ita in te exclamavit.* Cum autem corrupti plerique versus essent, non male idem ille eruditissimus Billius *pedum rationem non haberi* dixit. Porro virulenta illa Scaligeri reprehensio non in Colonienses editores, sed in Cornarium et Galasium, Scaligeri symmistas, cadit, quorum uterque κῆρυξ ἔμμετρος legit.

N. XII. Τὸ γὰρ στοιχεῖον τὸ η̄.] Insignis, hoc est ἐπίσημος numerus, est VI, sive ϛ. Sic apud Hieron. comment. ad Ps. LXXVII., quem locum Fronto Ducaeus ad Iren. attulit: *Scriptum est*, inquit, *in Matthaeo et Ioanne quod dominus noster hora sexta crucifixus sit. Rursum scriptum est in Marco quia hora tertia crucifixus sit. Hoc videtur esse diversum, sed non est diversum. Error scriptorum fuit. Et in Marco hora sexta fuit. Sed multi episemum Graecum ϛ putaverunt esse γ, sicut et ibi error fuit scriptorum, ut pro Asaph Esaiam scriberent.* Iam si literas omnes ordine percenseas, eae ad η̄ usque XXX conficiunt, excluso videlicet ϛ, quae est senarii nota, η̄ porro in literarum serie octavum locum obtinet, si ϛ adieceris, p. 74.
dempto eo septimum. Sed ut ad episemum redeam: proprie ἐπίσημον insigne est, sive nota senarii numeri, hoc est figura ipsa ϛ; de quo vide quae Scaliger observat in Euseb. p. 105. At Irenaeus ἐπίσημον numerum appellat ipsum; quod *episemon* vetus Interpres reddidit. Nos *insignem* nominare possumus. Nam *in-*

signe notam ac figuram significat. Unde insignis numerus, qui insigni, hoc est episemo, sive nota exprimi solet.

Τουτέστι τὸ ὑστέρημα.] Haec ex Beda lib. de Loquela per Gestum intelliges. Ubi Veteres docet ad XCIX usque sinistrae manus digitis numerasse, centum vero reliquosque deinceps centenarios dextra computasse.

N. XIV. Καὶ ἐπεὶ ἀντεπεζεύχθη.] Quo sincerior hic locus existat, scribo πρὸς τὴν τῶν ὅλων.

Τὰς δὲ ἡμέρας δέκα δύο ὡρῶν.] Hora apud Epiphanium duas aequinoctiales continet, ut et alio loco evidentius indicat. Iam quod horae XXX μοίρας tribuit, sic intelligi potest. Sol diebus singulis hoc est XII horis, vel XXIV, circulum describit, qui in XII partes tricenarias divisus gradibus constat CCCLX. Quamobrem singulis horis aequinoctialibus XV gradus, duabus horis, sive XII. diei parte, XXI gradus conficit.

Εἰς δώδεκα κλίματα.] Nam totidem ventorum regiones. Vide Gell. lib. II. cap. XXII.

N. XVII. Ἐν τοῖς τριάκοντα κλητοῖς.] Tricenos ad convivium adhibitos Hebr. ac Vulg. codices habent. Graeci LXX.

Καὶ διὰ Δαβὶδ, ὅτε ἐπὶ τριάκοντα ἡμέραις.] Ubi scriptum illud extet mihi non occurrit. Sed in nugis ac somniis frustra constantiam ac rationem exigas.

N. XVIII. Καὶ οἱ λευκοὶ λευκανθῶσι.] In Graeco est καὶ ἐκλευκανθῶσι.

Πολλάκις ἐπεθύμησα.] Nusquam haec sententia in sacris literis reperitur.

N. XX. Βασεμὰ Χαμοσσή.] Paulo aliter haec verborum formula apud Irenaei Interpretem concepta legitur l. I. cap. XVIII: *Basyma eacabasa canaa, irrauista dyarbada cacotaba fobor camelanthi.* Apud Nicetam vero: *Camosi, bae, anoora mystada rhuda custaba, phogor calathi.* Quae sic interpretatur: *O qui es super omnem virtutem Patris, te invocamus, qui lumen et spiritus bonus et vita nominaris, quoniam in corpore regnasti.* Hebraica porro illa esse verba Irenaeus narrat, sive eiusmodi revera sint, sive pro Hebraicis a circunforaneis istis apud imperitos iactata. Sane quidem tametsi depravata ea sint, Hebraismus tamen in plerisque haud obscure pellucet. Ut mirum sit Irenaei scholiasten pium et eruditum hominem tam confidenter id asseverare, ea vocabula *nec a Graeca nec ab Hebraea, Chaldaica, Syra, aut Arabica lingua petita esse;* proindeque *magica et barbara magis portenta esse quam nomina.* At enim Epiphanium et Irenaeum nuperrime sectarius quidam redarguit, quod haec ipsa verba perperam acceperint, cum ita scribenda sint: Basem haccados, Ab, Ben, Arruach, בשם הקדוש אב בן הרוח. Hoc est: In nomine sancto Paris et Filii et Spiritus sancti. A quo quidem sensu longe illi Patres abhorrent. Verum ut carminis huius initio solennis illa formula, In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, praescripta sit, caetera
p. 75. tamen ad eam sententiam, quam Irenaeus expressit, revocari poterunt, si leviter emendentur. Ac fortassis hunc aut similem ad modum conformari possunt: בשמא עלא עצנא אבא ענא ארא מבטאא ורוחא טבא חיא כי etc. בגופא מלכת. Quae quidem Hebraice et Aramaea inflexione eundem plane sensum reddunt quem Irenaei Graeca praeferunt. Sunt ea vero partim e Graeco, partim e Veteris interpretis Latino concinnata. Quod utcunque tentare, *multo* prudentius ac modestius est quam temere veteres patres inscitiae atque erroris arguere. Quis nescit Hebraica vocabula Graece olim scripta, quae ex Origenis Hexaplis Octaplisque apud Chrysostomum aliosque Patres leguntur, tam ab Hebraeis absona esse, ut illa, nisi haec haberemus, nulla assequi divinatio potuerit. Caussa huius varietatis est Hebraicarum vocum diversa, nec ad aliarum lin-

guarum usum satis modulata prolatio. Quo minus admirari convenit in paucis illis Marcosianae formulae vocibus pene omne illarum originis vestigium extinctum.

Μεσσία οὐφαρέγ.] Nova iterum vocum prodigia. In quibus conflictari neque otium neque operae pretium est. Apud Iren. Interpretem non eodem atque hic modo leguntur. Ex quo supplenda apud Epiphanium vocula est in Graeca verborum interpretatione. Scribe igitur Οὐ διαιρῶ τὸ πνεῦμα Χριστοῦ.

Μυρίζουσι δὲ καὶ αὐτοὶ τῷ βαλσάμῳ.] Ex ecclesiae catholicae ritu, quem simii isti retinebant. Nam post baptismum inungi solebant neophyti.

AD HAERESIM XXXVI., HERACLEONITARUM.

N. II. Λυτρούμενος δῆθεν.] Λύτρωσις illa babtismus erat εἰς λύτρωσιν ἁμαρτιῶν.

N. IV. Ἐνεπάγην εἰς ὕλην.] Vitioso codice usus est Epiph. Nam ὕλην haud dubie corruptum pro ὒλύν.

N. VI. Σὴψ γὰρ οὗτος ἂν λέγοιτο.] Seps alius serpens, alius lacerta. Posterior chalcis, vel chalcidica, quod quibusdam lineis aeris speciem gerentibus distinguatur. De hoc genere loquitur Epiphanius. Unde Χαλκέα vox aut ab erudito quodam ad oram codicis adnotata, aut suo loco mota. Seriem quidem ipsam orationis interrumpit. Iam quod Epiphanius asserit, morsum haud adeo exitialem esse, sed sputo conficere, cum iis pugnare videtur quae Aristot. scribit, morsu suo vel interimere sepas, vel acerrimum dolorem infligere. De sputo nihil apud alium legi.

AD HAERESIM XXXVII., OPHITARUM.

N. IV. Ἦν ἑρπετὸν ὁ ἄνθρωπος.] Quae de hominum origine commenti sunt et hi et Gnosticorum plerique ex veterum philosophorum opinionibus manarunt, de quibus Diodorus, Eusebius I. de Praep.

Καὶ πανουργίαν γνώσκων.] Corr. κατὰ παν.

N. VIII. Ἕτερον πάλιν ἔχει φρονιμώτατον.] Ambr. Serm. in Fer. II. post Dom. I. p. 76. Quadr.: *Serpens cum venerit ad bibendum aquam, priusquam bibat, extra fontem vomit venenum suum, et postea bibit. Ita et nos quando ad altare dei communicaturi accedimus, deponamus venenum pessimum* etc.

AD HAERESIM XXXVIII., CAIANORUM.

N. VII. Καθὼς ἦν περὶ αὐτοῦ γεγραμμένον.] Tametsi haec ex Matth. XXVII. capite sumpserit, ubi Hieremias nominatim laudatur, caute tamen ἐν τοῖς προφήταις dixit, quod hic locus apud Hieremiam non extat. Suspicatur Euseb. lib. X. τῆς Ἀποδειξ. haec quae evangelista commemorat apud Ieremiam olim lecta, sed a Iudaeis detracta fuisse, aut pro Zachariae nomine Ieremiam librariorum irrepisse culpa. In quod postremum magis inclinat Hieron. ad Matth. XXVII., etsi in Heremiae apocrypho quodam haec a Matthaeo citata se legisse referat. Quare videndum an in codice suo ἐν τοῖς προφήταις habuerit Epiphanius, non Hieremiae vocabulum. Sed nonnulla aliter protulit quam apud Matthaeum aut Zachariam reperiuntur. Velut εἰ δίκαιόν ἐστιν ὑμῖν, pro quo LXX. εἰ καλόν ἐστιν ἐνώπιον ὑμῶν.

Καὶ πάλιν ἐν ἄλλῳ προφήτῃ] Frustra alium hic prophetam esse dicit, cum sit idem ille qui proxime citatus est, Zacharias. Quod ad posteriora verba spectat. Nam priora illa, καὶ ἔδωκαν τὸ ἀργύριον τὴν τιμὴν τοῦ τετιμημένου, ex Matth. desumpta apud Zachariam non extant. Postremo pro ὑπὸ τῶν υἱῶν LXX. ὑπὲρ, Hebr. מִבְּנֵי. Vulg. *a filiis*.

N. VIII. Τοῦ βουπρήστου κανθάρου.] Aelianus l. VI. c. XXXV. Plin. l. XXX. c. IV: *Buprestis animal est rarum in Italia, simillimum scarabaeo longipedi. Fallit inter herbas bovem maxime, unde et nomen invenit, devoratumque tacto felle ita inflammat, ut rumpat.*

AD HAERESIM XXXIX., SETHIANORUM.

N. VII. Πλατυνθέντων δὲ τῶν ἀνθρώπων.] Haec quidem Epiphanii sententia est, quam et Augustinus lib. XXII. c. Faust. cap. XXXV., et Hieron. c. Helvid. tuentur, Abraami tempore nefas fuisse sorores ex altero parente ducere. Sed reclamant plerique, si Saram Abraami sororem fuisse non dubitant, quod et Abrasmus ipse Gen. XI. diserte profitetur. Imo vero et Davidis tempore fortasse licuit. Alioqui Thamar, Amnon fratri suo non diceret, ut se coniugem a parente postularet, 2. Reg. 13. Quanquam scio haec aliter accipi.

N. VIII. Ἔστι δὲ ἰδεῖν καὶ θαυμάσαι.] Haec de daemonibus sententia a Iustino primum manavit, eamque postea Irenaeus amplexus est lib. V. cap. XXVI. Vide Euseb. Histor. lib. IV. cap. XVII. Quae tamen vulgo non probatur.

N. IX. Τὰ δὲ νῦν συντόμως.] Deesse quippiam ad huius loci integritatem suspicor.

p. 77. ## AD HAERESIM XL., ARCHONTICORUM.

N. I. Ἐπέκεινα τῆς Χεβρών.] Chebron Eleutheropolis vulgo esse creditur.

N. II. Εἰδέναι δὲ καθ' ἕκαστον.] For. εἶναι.

N. III. Ὡς τῶν κανθάρων γένος.] Non displicet Cornarii lectio, qui *Pilularium* legit. Nam Βύλαρον illud non expedio.

N. V. Τοῦ τε Ἰάβε.] Pro Iehova.

AD HAERESIM XLI., CERDONIANORUM.

N. I. Συμβέβηκε γὰρ τούτους.] Irenaeus l. II. c. XII. eundem apologum Valentinianis accommodat.

Τοῦ ἕνα τὸν κλῆρον.] Certissima est emendatio nostra ἕνατον pro ἕνα τόν. Nonus enim pontificum Romanorum ordine fuit Hyginus, si Cletum numeres. At Irenaeus Hyginum octavum Romae episcopum nominat lib. III. cap. IV. Sed haec alibi discussa.

N. II. Τήνδε διὰ Μωϋσέως.] Leg. διαθήκην τὴν διὰ etc.

Ὥσει μέμυκος καὶ πεμφρηδόνος.] Quod insecti genus sit μέμυξ viderint eruditi. Suspicor leg. βέμβικος, quod vocabulum cum pemphredone coniungit Nicander Alexiph. v, 183. μέλισσαι

Πεμφρηδὼν, σφῆκές τε καὶ ἐκ βέμβικες ὄρειαι.

Vide Scholiasten. Qui βέμβικα σφηκοειδὲς quiddam esse dicit, μέλαν κατὰ τὴν χροιὰν, κέντρῳ χρώμενον, ὡς οἱ σφῆκες. Sed et τὴν τενθρήνην, sive τενθρηδόνα, a nonnullis βέμβικα vocari. Haec Stephanus in Thes.

AD HAERESIM XLII., MARCIONISTARUM.

N. I. Οὗτος τὸ γένος.] Ponticus genere fuit Marcion; quem ideo Ποντικὸν λύκον vocat Eusebius l. V. Hist. c. XIII., hoc est *Ponticum lupum*. Male enim Interpres *Ponticum lycum*. Scripsit autem adversus nefandum hunc haereticum V. libros Tertullianus. Vide quae de eius tempore ad haer. XLVI. n. I. disputamus.

Ὡς οὐκ ἀπείληφε τὴν προεδρίαν τε.] Προεδρίαν ad communionem clericorum refero, quae laicae opponitur, quae, ut ait Balsamo ad Can. LXX. Basilii, daba-

tur laicis ἐκτὸς τοῦ βήματος, illa vero ἐντός. Credibile est enim Marcionem clericum fuisse.

Νηστείαν δὲ καὶ τὸ σάββατον.] Leg. κατὰ τὸ σαβ. Nam sabbato ieiunari contra orientalis ecclesiae morem iubebat Marcio.

N. VI. Οὐ καταλείομεν ψυχάς.] Quod ethnici certis ritibus faciebant. Hinc III. Aeneid. *Animamque sepulcro*
Condimus.

AD SCHOLION EX EVANGELIO.

Ἔλεγχ. α'. κἂν τε ἀποκόψῃς.] Aliud egit Epiphanius, cum vocem δῶρον mala fide a Marcione sublatam credidit. Neque enim apud Lucam aut Marcum repe- p. 78.
ritur. Atque, ut opinor, loci alterius similitudine deceptus, qui est Matth. 5, 23. *Si offers munus tuum ad altare* etc., δώρου, sive *muneris*, vocem alteri quoque illi tribuit.

Σχολ. η'.] Postrema verba, εἶχε γὰρ ὡς πρὸς Ἰωάννην. Supra in locorum Indiculo cum Scholio IX. copulantur. Scripserat, nisi fallor, Marcio ὃς οὐ σκανδαλισθήσεται ἐν αὐτῷ.

Σχολ. ιβ'. Ὅθεν λέγει, ὁ δὲ μικρότατος.] Quod minorem se Christus appellat in regno coelorum, ad aetatem refert cum Epiphanio Chrys. μικρότερος κατὰ τὴν ἡλικίαν καὶ κατὰ τὴν τῶν πολλῶν δόξαν etc. Nec non et Beda aliique complures.

Μίλητος καὶ Κριθηίδος.] Ut se habent haec duo nomina, locorum oppidorumve propria esse videntur. Sed desunt imprimis aliqua; tum Μίλητος legendum, ut Homeri parens uterque commemoretur Meles et Critheis. Meles fluvius est, qui Smyrnam aluit, Homeri patriam. Strabo l. XIV. Stephanus Μελήτου κόλπου meminit, ὃς Σμυρναῖος ἐκαλεῖτο, ἀπὸ Μελίτου ποταμοῦ. Quare Μίλητος etiam pro Μίλης. Herod. in Homeri vita Critheidem ait Homerum ex furtivo concubitu ad Meletem fluvium peperisse, ac propterea Melesigenem appellasse. Philostr. II. Iconum in Melete Critheidem Meletis amore captam introducit, ab eoque Homerum genitum. Ubi Critheis non fontis ullius, ut Ortelius existimat, sed ipsiusmet Homeri matris nomen est. Vide Suidam.

Ἄλλοι δὲ Κύπριον προποδιάδος.] Haud scio an proprium sit oppidi nomen, an eum agrum significet qui est πρὸ ποδὸς montis alicuius.

Ἔλεγχ. ις', τί δὲ τὸ ἐγερθῆναι.] Corr. ἐγερθὲν.

Σχολ. κς'. πρὸ τῆς τοῦ Χριστοῦ ἐνδημίας.] Non parva hic hallucinatio est: Assamonaei filii, hoc est Macchabaei, post Antiochum Epiphanem prodierunt. Qui coepit anno Graecorum CXXXVII. I. Macc. I., hoc est per. Iul. 4538, annis ante vulgarem Christi natalem CLXXV. Nisi forte Antiochum τὸν μέγαν intelligat, qui coepit per. Iul. 4490. Sed Assamonaeorum traditio a Macchabaeis initium habuit. Quare infra Epiphanis initium coeperit necesse est.

Σχολ. λε'. οὐ γὰρ ἡμερινὴ γίνονται.] Apud Xenoph. tamen ἡμεροσκόπος est.

Σχολ. λη'. ἀπὸ τῶν ἀρχαίων τὰ ἀντίγραφα.] Corr. τῶν ἀρχείων, ex Archivis. Ignatius Epist. VI. ad Philad.: ἤκουσα γάρ τινων λεγόντων, ὅτι ἐὰν μὴ ἐν τοῖς ἀρχείοις εὕρω τοῦ εὐαγγελίου, οὐ πιστεύω.

Σχολ. νς'. περὶ τῆς βάτου.] Apud Lucam leg. ἐπὶ τῆς βάτου.

Ἔλεγχ. ξα'. οὐκ ἀθοσίωτος ἡ ἐν τῷ νόμῳ.] Antequam Epiphanii locum hunc attingam, pauca de vi ac potestate vocabuli τῆς καθοσιώσεως dicenda sunt. Est igitur καθωσιῶσαι idem ac *consecrare*, *dicare*. Hinc καθοσίωσις *devotio*, et καθωσιωμένος *devotus*, *consecraneus*. Quare qui se principi devovent ac religione aliqua consecrant, καθωσιωμένοι dicebantur, ut milites. Capitolinus in Maximino:

Commilitones sacrati; imo vero consecranei. Eiusmodi fuere Gallorum veterum *devoti, quos illi Soldurios appellabant,* ait Caesar lib. I. Comment., hoc est καθωσιωμένοι; quod aptius mihi videtur quam quod Graecus interpres reddidit, συνωμόται. Tametsi idem fere est, quia iusiurandum adigi solebant. Egregium τῆς
p. 79. καθοσιώσεως exemplum refert Dio lib. LIII. ad annum urbis 725. Ubi Sextum quendam Pacuvium, sive Apudium, trib. plebis narrat semetipsum Augusto in senatu devovisse, idemque ut alii senatores facerent autorem fuisse: ἐν γὰρ τῷ συνεδρίῳ ἑαυτόν τε οἱ τὸν τῶν Ἰβήρων τρόπον καθωσίωσε, καὶ τοῖς ἄλλοις συνεβούλευε τοῦτο ποιῆσαι. Sed Augusto reclamante trib. pl. prosiliens ad populum obvios quosque ac caeteros deinde cives coëgit καθιερῶσαι σφᾶς τῷ Αὐγούστῳ. Ἀφ' οὗπερ καὶ νῦν προτρεπόμενοι τὸν κρατοῦντα λέγειν εἰώθαμεν, ὅτι τοι καθωσιώμεθα. Hinc καθωσιωμένων appellatio ἐπιθετικῶς ex formula plerisque imperalibus officiis ac ministris attributa, maxime, uti dictum est, militaribus. Augustinus lib. II. contra Epist. Parmen: *Neque ullo modo per devotum militem, quod a privatis usurpatum est, signum regale violabitur.* Protectores item domestici in Cod. Theod. de domesticis et Protect., devotissimi nominantur. In concilio Ephesino Parte II. Act. I. Candidianus vocatur Κόμης τῶν καθωσιωμένων δομεστίκων, ut et in Chalced. Act. I. et alibi saepe. Quin etiam in eodem concilio Chalced. Act. III. ἡ σχολὴ τῶν καθωσιωμένων Μαγιστριανῶν. Item Veronicianus ibidem ὁ καθωσιωμένος σηκριτάριος τοῦ θείου κονσιστωρίου. At vero e contrario καθωσιωμένος in concilio Sardic. can. XVII. idem est ac *condemnatus, exautoratus,* ut Zonaras et Balsamo interpretantur. Quemadmodum *sacer* apud Latinos mediae significationis est. Quem ad Sardicensem Canonem fortasse Suidas respexit, dum καθοσίωσιν ait esse δικαίωσιν, κατάκρισιν, παρὰ τὸ κατὰ τοῦ ὁσίου γίνεσθαι, ἤτοι τοῦ βασιλέως. Sed in eo valde est hallucinatus. Nam et exempla duo profert quae non intelligit. Quorum alterum ex Socrate depromptum est lib. V. c. ιδ': Ἐπὶ Θεοδοσίου βασιλέως Ῥωμαίων Σύμμαχος ἀπὸ ὑπάτων εἰς τὸν τύραννον Μάξιμον βασιλικὸν λόγον διεξῆλθε, καὶ δεδιὼς τὸ τῆς καθοσιώσεως τοῖς τῶν ἐκκλησιῶν σηκοῖς προσκαταφεύγει. Alterum nescio cuius scriptoris de Christo: τοῖς γὰρ γινομένοις (corr. νόμοις) αὐτὸν παρεδώκαμεν καὶ εἰς καθοσίωσιν οὐχ ἡμάρτομεν. Verum utrobique καθοσίωσις maiestatis crimen significat. Gloss. Vetus: Καθοσίωσις, *devotio, dicatio, maiestas.* Sic in Chalced. con. Act. III. in libello Theodori Alexandrini adversus Dioscorum: Τὰ γὰρ εἰς αὐτὴν τὴν καθοσίωσιν παρ' αὐτοῦ κατασκευασθέντα, τὰ πεπραγμένα ἐπὶ διαφόρων ἀρχόντων διδάξει τὴν ὑμετέραν ὁσιότητα. Idem et in libello Ischyrionis diaconi: ὅτι γὰρ καὶ εἰς αὐτὴν τὴν καθοσίωσιν ἁμαρτῆσαι τὰ μεγίστα οὐ παρῃτήσατο. Interpres, *devotionem.* Melius omnino *maiestatem.* Theodoretus in comment. in Danielem cap. VI. ad haec verba comm. 4: *Quaerebant occasionem etc.:* Τουτέστι πάντα ἐπραγματεύοντο εἰς τοὺς τῆς βασιλείας νόμους πλημμελοῦντα αὐτὸν εὑρεῖν ἐφιέμενοι, αὐτοὶ τοῦ τὴν νῦν καλουμένην καθοσίωσιν πλέξαι αὐτῷ βουλόμενοι, ἀλλὰ διήμαρτον τοῦ σκοποῦ. Ita in Graecis nondum editis, quae sunt penes R. P. Frontonem Du-
p. 453. caeum. Nam Latinus Interpres haec omisit. Usus est in eadem significatione et καθοσιώσεως vocabulo Isidorus Pelusiota in Epist. CLXXVII. nondum edita, quam cum aliis plerisque habet Andreas Schottus noster. Ubi de Christianis loquitur, qui, cum divinam legem profiteantur, huic tamen in perferendis iniuriis nequaquam obtemperant: Κἂν τις αὐτοὺς ἐλέγχειν ἐπιχειροίη, λοιδορεῖσθαι φάσκουσιν, καὶ ὡς ἐπὶ καθοσιώσει ἀλόντα δίκας πράττουσι. Glossae Basilicon: Τὸ περὶ καθοσιώσεως· τὸ περὶ προδοσίας, καὶ ἐπιβουλῆς βασιλέως. Ambrosius commode per *devotionis* nomen exprimit lib. de Elia et Ieiunio cap. XVII: *Quid autem obtestationes potantium loquar? Quid memorem sacramenta, quae violare nefas arbitrantur? Biba-*

mus, inquiunt, pro salute Imperatorum, et qui non biberit, sit reus in devotione. Videtur enim non amare imperatorem, qui pro eius salute non biberit. Ergo καθοσίωσις est *maiestas*, vel *crimen maiestatis*, ex eo scilicet quod milites aliique sacramento se principi obstringant ac devoveant. In quo alius Suidae error occurrit, qui apud Herodianum καθοσιούμενος interpretatur πληροφορῶν; Herodiani verba sunt: Ὁ δὲ ἀγανακτήσας ἐπὶ τῇ τῆς ἀρχῆς παραλύσει τῷ τε Μαξιμίνῳ καθοσιούμενος, ἀθροίσας στρατὸν ἦμεν ἐπὶ τὴν Καρχηδόνα. Quo in loco καθοσιούμενος est *devotus, obstrictus*. Praeterea καθοσίωσις, ut opinor, in legibus idem est ac sanctio, hoc est poenae constitutio. Iustinianus lib. II. Instit. cap. I: *Ideo autem muros sanctos dicimus, quia poena capitis constituta sit in eos qui aliquid in muros deliquerint.* Ideo et legum eas partes, *quibus poenas constituimus adversus eos, qui contra leges fecerint, sanctiones vocamus.* Ex iis Epiphanius noster illustrari potest, apud quem pro οὐκ ἀθοσιώτου suspicamur legendum εὐκαθοσιώτου. Erit autem εὐκαθοσίωτος νόμος, cuius integra sanctio manet, quaeque poena etiamnum sancitur. Nisi forte aptius sit οὐκ ἀκαθοσιώτου, quod eundem sensum habet. Tametsi ἀκαθοσίωτος aliter usurpatur ab eodem Epiphanio in Catharorum haer. LIX. num. III., ubi distringi gladium a magistratibus ait κατὰ γοήτων, καὶ βλασφήμων, καὶ ἀκαθοσιώτων. Nam ἀκαθοσιώτους appellat maiestatis reos, et imperatoris obsequio minime devotos. Ut in Actis Conciliabuli Ephesini in relatione ad Theodosium Imp. de Cyrillo Alexandrino: πρῶτον μὲν εἰς τὸ Γαληνὸν, καὶ εὐσεβὲς ἡμῶν παρηνόμησε θέσπισμα διὰ πάντων τὸ ἀκαθοσίωτον αὐτοῦ δεικνύς. Tanti fuit raram illam vocabuli huius notionem extricare, ut in eo pluribus immorandum fuerit. Nam καθοσίωσιν illo sensu nullus, quod sciam, lexicon et vocabulariorum concinnator exposuit. p. 79. p. 80.

Καὶ εἶπε τοῦτό ἐστι τάδε, καὶ τάδε.] Eadem cautione sacramenti eucharistici formam dissimulat, qua et huius et caeterorum vulgare plerique Patrum veriti sunt. Innocentius Epist. I. ad Decent. de Confirmatione disputans: *Verba vero dicere non possum, ne magis prodere videar quam ad consultationem respondere.*

Τουτέστι μετὰ τὸ δειπνῆσαι.] Nam δείπνου γενομένου, hoc est peracta coena, ut ait Ioan. c. XIII. novae legis mysterium institutum est, non in ipsa coena. Ex quo illud apparet, frustra hoc ex capite coenae appellatione sacramentum illud dominici corporis et sanguinis censeri. Nam Matthaeus et Marcus ἐσθιόντων αὐτῶν dixerunt praesenti usi pro praeterito; nisi, ut olim Scaliger arbitratus est, ἐσθιόντων aoristus sit secundus.

Σχ. ξβ'. Ἵνα δείξῃ Πάσχα.] Subobscurus hic locus est. Sed, ut mihi videtur, Pascha illud legitimum προτυπούμενον fuisse dicit, hoc est εἰς τύπον ac figuram alterius adhibitum, cui successit τὸ βέβαιον αὐτοῦ πάθους, hoc est perenne ac perpetuum, quod passionis suae figuram et sacramentum continet; sive malis, quod eandem ipsam passionem affirmaret, eiusque fructum, usum ac recordationem ratam faceret, et ad sempiternam memoriam propagaret.

Ἔλεγχ. ο'. ἐπιταγὴν ἑτέρας πίστεως.] Corr. ἐπιταγῇ.

EX EPISTOLA AD CORINTHIOS.

Ἔλεγχ. ε'. και ιγ'. τυθέντος δὲ ἐν ἀληθ.] Deesse nonnihil ad integritatem huius loci videtur.

Ἔλεγχ. η'. καὶ ιη'. εἰς δὲ τὸ μὴ ἅπαξ.] Vitium huius loci nemo non videt. Quod ego ex traiectione vocum irrepsisse suspicor. Vide igitur num ita conformari debeat: εἰς δὲ τὸ μὴ ἅπαξ χαλεπῶς φέρειν, διὰ τὴν συνήθειαν, τοῦτο ποιεῖν ἕως

καιροῦ εἰς ὄνομα αὐτοῦ ἠθέλησε, τοῦ ἀποστρέψαι ἀπὸ τῆς πολυθέου φαντασίας, καὶ τὰ κατ' ἔτος αὐτοῖς γινόμενα εἰς ἑαυτὸν μεταλλάξαι.

Καὶ τοίγε πολλῶν θυσιῶν τότε προςενεχθεισῶν.] Toto illo spatio, quo in deserto Israëlitae versati sunt, sacra quidem obtulisse deo putat Epiphanius; sed quod ea per sese minime ipsi placerent, quodque ut ab idololatria eos averteret
p. 81. potius, quam quod illis afficeretur, offerri sibi passus esset, ideo negare sibi haec oblata fuisse per prophetam existimat. At Hieron. comm. ad Amoz scribit Israëlitas toto illo quo in deserto fuerunt tempore non deo, sed idolis immolasse. *Et quod postea*, inquit, *quaedam domino eos legimus obtulisse, non voluntate, sed poenarum fecerunt metu et eorum interfectione qui propter idola corruerunt. Dominus autem non ea quae offeruntur, sed voluntatem respicit offerentium.* Cyrillus vero ad v. cap. Amos ita statuit, demum in illud duntaxat tempus celebranda praescripsisse sacrificia, quo promissam terram occuparent, sed illos nec postulante nec curante deo in deserto nihilominus obtulisse.

Ἕως ματαλλεύσῃ.] For. μεταλλάξῃ.

Ἔλεγχ. ιγ' καὶ κα'. Ἵνα τὸν Ἐπιμενίδην δείξῃ.] Mithrae sacerdotem hunc fuisse scribit Epiphanius, quod apud Cretenses idolum fuerit. Quod apud alium non memini legere, neque verum arbitror. De proverbii illius origene Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, vide Photium n. CXC., pag. 249.

Pag. 374. A. προςέθετο δὲ ἐν τῷ ἰδίῳ.] De Epistola ad Laodicenses accurate disputat Baron a. LX.

AD HAERESIM XLIV., QUAE EST APPELLEIANORUM.

De Apelle meminit inter alios Pacianus Epist. I. Cuius et corrigendus locus, in quo Marcionitas Apollinariacos, Cataphrygas et Novatianos recenset. Leg. *Appelleianos* pro *Apollinariacos*.

N. I. Ἵνα πανταχόθεν ἑαυτῷ.] Leg. ἑαυτήν.

AD HAERESIM XLV., SEVERIANORUM.

N. II. Ἀλλὰ καὶ οἱ ἀπόστολοι.] Locus extat in c. I, l. I. Constit.

AD HAERESIM XLVI., TATIANORUM.

N. I. Τῷ ἀπὸ Σαμαρειτῶν εἰς Χριστὸν πεπιστευκότι.] Scaliger ad Eusebii Chron. a. MMCLVII: *Errat*, inquit, *Epiphanius, qui a Samaritis ad Christianos Iustinum transiisse scribit. Certe enim Samarites non erat, sed Samariensis: quanquam et Samarites domo, non religione, dici potest.* Caussam affert, quod Samaritanorum religionem minime sit secutus, sed Graecorum superstitioni inhaeserit. Ideo non vere de eo dici potuit, ἀπὸ Σαμαρειτῶν εἰς Χριστὸν πεπιστευκέναι, sed ἀφ' Ἑλλήνων. Sed si Σαμαρείτης domo, non religione, dici potuit Iustinus, cur non ἀπὸ Σαμαρειτῶν credidisse dici potuerit non video, hoc est e Samaritanorum populo ac civitate.

Ἐπὶ Ῥωστικοῦ ἡγεμόνος, καὶ Ἀδριανοῦ.] Manifesta est hallucinatio et quidem duplex. Nam neque Adriano imperante mortuus est Iustinus, sed M. Aurelio et L. Vero, ut Eusebius asserit l. IV. Eccles. Hist. c. XV., et tricenario maior fuerit oportet, ut ex temporis ratione, quo Apologias pro Christianis edidit, constare potest. Quanquam difficile est statuere quandonam illae, aut quo demum ordine,
p. 82. scriptae sint. Eusebius libro Hist. IV. duas omnino scripsisse Iustinum refert. Quarum priorem Antonino Pio obtulit, ut cap. VIII. et X. testatur. Ubi etiam Iustini verba quaedam ex ea, quae secunda numeratur, Apologia citat, in quibus

de Antinoo, Marcione ac Iudaico bello mentionem fecit, et, quod caput est, huius etiam initium subiicit capite XI. At vero cap. XV., sive ιϛ', alteram Apologiam sub M. Aurelio et L. Vero scriptam affirmat: κατὰ τούςδε καὶ ὁ μικρῷ πρόσθεν ἡμῖν δηλωθεὶς Ἰουστῖνος δεύτερον ὑπὲρ τῶν καθ' ἡμᾶς δογμάτων βιβλίον ἀναδοὺς τοῖς δεδηλωμένοις ἄρχουσι, θείῳ κατακοσμεῖται μαρτυρίῳ. Sub Aurelio igitur et Vero, quos cap. XIII, sive ιδ', Antonino Pio successisse significaverat, secundam Apologiam obtulit, et passus est Iustinus. Eusebio assentitur Hieron. in Script. Eccles. et Photius. Hodie Iustini duae extant Apologiae. Harum prior ad Senatum inscribitur. Posterior eundem praefert titulum, quem primae Apologiae Eusebius attribuit, nempe Αὐτοκράτορι Τίτῳ Αἰλίῳ Ἀδριανῷ Ἀντωνίνῳ Εὐσεβεῖ, Σεβαστῷ Καίσαρι, καὶ Οὐηρισσίμῳ υἱῷ Φιλοσόφῳ, καὶ Λουκίῳ Φιλοσόφῳ Καίσαρος φύσει υἱῷ, καὶ Εὐσεβοῦς εἰςποιητῷ. Neutra harum soli Antonino est inscripta. Porro quae posteriore loco censetur, ea prima ex duabus oblatis a Iustino videri non immerito potest. Primum quia priorem, ex Eusebii, Hieronymi et Photii autoritate Antonino Pio, posteriorem post eius mortem Aurelio ac Vero Impp. exhibuit. Deinde quoniam Eusebius cap. XV. verba quaedam ex posteriore Apologia commemorat, quibus mortem sibi a Crescente cynico impendere dixit, quae quidem in ea leguntur, quae hodie primo loco ponitur. Praeterea quae secunda vulgo nominatur, ineunte Antonini imperio scripta videtur, ac subinde post Adriani mortem. Quippe Antinoi velut recens consecrati in illa meminit, τοῦ νῦν γεγενημένου. Item Iudaici belli, quod perinde νῦν γεγενημένον appellat; cuius belli ac defectionis autor fuit Barchochebas. Ad haec inscriptio ipsa, quam paulo ante protulimus, idipsum suadere potest. Nam Aurelium, quem Verissimum appellat, nondum Caesarem vocat. Cum tamen Lucii Veri patrem, qui ab Adriano primum adoptatus fuerat, eo nomine insigniat. Atqui post Adriani mortem Aurelius Caesaris nomen obtinuit. Quocirca statim post Adriani necem paulo antequam Caesar appellaretur Aurelius, priorem Apologiam (quae perperam secundo loco ponitur) habuisse videtur. Apparet insuper *Verissimi* nomen etiam post virilem togam penes Marcum Aurelium resedisse; tametsi Capitolinus antequam virilem togam sumeret, Verissimum, ea usurpata, Annium Verum deinceps nominatum esse scripserit. *Virilem autem togam sumpsit quintodecimo aetatis anno*, ut idem testatur. Quod superstite adhuc Adriano factum. Siquidem mortuus est Adrianus Camerino et Nigro Coss. VI. Eid. Iul., anno Urbis IↃCCCXCI. Marcus vero natus est Vero et Augure Coss., anno IↃCCCLXXIV. Igitur annum agebat XVIII. cum Adrianus excessit. Quae de Apologiae utriusque tempore atque ordine diximus, dubia non erant, nisi quaedam ex Eusebio et aliis intervenirent, quae negotii aliquantum facerent. Ac primum Eusebius cap. XVI., sive ιζ', Christianae mulieris historiam quandam ex priore Iustini Apologia recenset, quae in prima hodierna continetur. Deinde idem ipse Iustinus Apol. II. annos CL, ab eo anno, quo defensionem istam scribebat, Christum esse natum memorat. Cum ergo CXXXVIII. p. 83.
Christi anno Antoninus Pius inierit, coss. Camerino ac Nigro, consequens est anno Antonini XIII. hanc quae secunda numeratur, quaeque a nobis prior constituitur, Apologiam esse scriptam. Praeterea Marcionis haeretici duobus in locis meminit. Hunc autem sub Antonino Pio post annos ab obitu Christi CXVI fere emersisse Tertullianus confirmat lib. I. contra Marc. c. XIX. Non potuit igitur primo Antonini Imperat. anno defensio illa ab Iustino esse scripta. Sed ut ex iis tricis utcunque se veritas explicet, mihi admodum probabile videtur, nisi plures duabus pro Christianis Apologias Iustinus ediderit, omnino primam esse quae vulgo secunda numeratur; adeoque sub initium Antonini Imperat. scriptam fuisse; quod

ex iis argumentis coniicimus quae sunt antea proposita. Atqui CL anni a Christi ortu ad illud tempus elapsi numerantur. Ita quidem Iustinus: sed cum paulo fortasse plus CXL annis fluxissent, rotundo, ut assolet, numero ante annos CL dixit. De Eusebio expedita res erit, si aut ipsius, aut librarii, culpa τῇ δευτέρᾳ pro τῇ πρωτέρᾳ irrepsisse dicamus. Nam perspicue τὴν δευτέραν illam esse significat quam nos primam facimus: primam autem quae nobis est secunda. Postremum atque omnium difficillimum est quod de Marcione nobis obiicitur. Quem, ut consentanea loquamur, affirmandum est non Antonino demum imperante, sed sub Adriano coepisse. Atque haud scio an duo illius distinguenda sint tempora, ut in plerisque haeresibus accidit, ita ut sub Adriano primum eruperit, postea vero sub Antonino longe lateque propagatis erroribus celebre sibi nomen pepererit. Ac Tertullianus profecto etsi sub Antonino Marcionem errorem exhalasse scribat, negat tamen scire se quoto eius anno coeperit. *Quoto quidem anno*, inquit, *Antonini maioris de Ponto suo exhalaverit aura canicularis, non curavi investigare.* Epiphanius in Marcionitarum haeresi scribit Marcionem cum a patre suo pulsus pacem ac veniam eblandiri nullis precibus posset, Romam se post Hygini obitum contulisse. Cumque nihilo magis quod cupiebat illic obtineret, tum demum publicata haeresi sua ecclesiam oppugnasse. Hygini obitus confertur in annum Antonini XVIII., ante quod tempus Marcionem haeresim suam disseminasse necesse est, cum Iustinus, qui Antonino, et quidem imperii eius initio, Apologiam obtulit, Marcionis meminerit. Quare duplex, uti coniiciebamus, Marcionistarum ortus esse debet. Nam primum in Ponto Asia duntaxat nefarium dogma praedicavit, idque Adriano imperante: postea sub Antonino maiores trahens spiritus vehementius in eosdem illos errores coepit incumbere. Hygino vero demum mortuo primitus dogma Cerdonis interpolasse Marcionem nullo modo censeo. Haec de Iustini ac Marcionis temporibus habui quae dicerem. Dicent alii fortasse meliora. Nam nostris illis non adeo confidimus, ut non afferri certiora posse speremus.

Ὡς περὶ τὸ δωδέκατον ἔτος.] Consentaneus error est ei quem paulo antea refutavimus, sub Adriano passum esse Iustinum. Quod cum falsum sit, perinde falsum est sub Antonino Pio, videlicet post Iustini obitum, scholam erroris aperuisse Tatianum, quod sub Marco Aurelio facere potuit.

N. IV. Ἕνεκεν δὲ σφαλμάτων ἐν ᾅδῃ.] Notanda Epiphanii sententia, veteres Patres ante Christum, qui salva fide peccaverant, propterea apud inferos detentos esse, donec a Christo liberarentur.

p. 84. N. V. Διὸ καὶ θαυμάσαι ἐστὶ τὸν εἰδότα.] Tritam de Golgothae sive Calvariae appellatione sententiam sequitur, ut ab Adami sepulto cadavere ac cranio deducta sit. At Cyrillus Catech. XIII. prophetice sic a Christo nominatum existimat hunc locum, quod, ut ait apostolus, caput viri sit Christus, Christi autem deus.

AD LIBRUM II.

AD HAERESIM XLVII., QUAE EST ENCRATITARUM.

N. I. Ἐν τῇ Φρυγίᾳ τῇ κεκαυμένῃ.] Ea est apud Strabonem l. XIII. Lydorum Mysorumque regio ad Maeandrum. At Stephanus Κατακεκαυμένην χώραν ait esse τῆς Ἐφεσίας ex XIII. Strabonis libro. Caeteri Phrygiam esse censent. Invenio et Laodiceam cognomento Κατακεκαυμένην in Lycaonia, sive Galatia, haud procul ab Isauria.

N. II. Δι' ἐψέματος πυροῦ.] Mirum est quid sibi voluerit Epiphanius, aut quid in animo habuerit, cum haec scriberet, ἐψέματος πυροῦ idem esse ac *ferventis*, aut *recoctae sorbitionis*. Nam quod πυροῦ frumentaceam primo loco interpretatur, est illa quidem tolerabilior, sed contra Hebraeorum Graecorumque codicum fidem usurpata lectio. Etenim LXX. cum Hebraeo consentientes πυῤῥοῦ, hoc est *rufa*, scripserunt, non πυροῦ. Quaenam vero grammatica ratio πυροῦ pro πυρωθέντος dici patiatur, quasi genitivus sit a nomine πυρόεις πυροῦς? Quod minime procedit.

AD HAERESIM XLVIII., QUAE EST PHRYGUM SIVE MONTANI.

Κατὰ Φρυγαστῶν.] Phryges sive Phrygastae proprie dicti, quod e Phrygia primum prodierint. Iidem tamen nonnunquam Cataphryges et Cataphrygae, quasi evangelium esset vel dogma κατὰ Φρύγας.

N. I. Οὗτοι γὰρ γεγόνασι περὶ τὸ ἐννεακαιδέκατον.] Consentanea sunt quae de huius haeresis exitu ac tempore disserit, cum iis, quae supra docuit, nimirum Iustinum Adriani tempore mortuum esse, secundum quem paulo post Tatianus prodierit, a quo Encratitae originem acceperint sub Antonino Pio, quo eodem imperante, atque anno illius XIX., Montanus extiterit. Sed cum ex iis, quae paulo ante disputata sunt, constet Iustinum nonnisi sub Marco Aurelio passum esse, Tatianum vero aliquanto etiam postea haeresim suam condidisse, manifesta hic est temporum perturbatio. Quod ad Cataphrygas spectat, Eusebius in Chron. anno M. Aurelio XI. scribit Cataphrygum haeresim, autore Montano et Priscilla ac Maximillia exordium habuisse, tum anno sequente Encratitas Tatiano duce prodiisse. Quae si vera sunt, Tatiani et Encratitarum haeresi priorem opertet esse Cataphrygum haeresim, contra institutum ab Epiphanio ordinem, p. 85. ac sub Aurelio duntaxat Imperatore extitisse.

Ἔτι γάρ εἰσιν ἔκτοτε.] Vitium in numeris est. Annus Antonini XIX. congruit anno Christi CLVI., annus vero Valentiniani XII. convenit Christi CCCLXXV. Discrimen est annorum CCXX. Itaque pro διακόσια ἐννενήκοντα scribendum fuit διακόσια εἴκοσι.

N. III. Γινώσκων γὰρ τὴν δι' ἀπειλήν.] De hoc divinitus edito prophetae mandato consule quae a sacrorum librorum interpretibus uberrime disputantur.

N. VII. Ὡς ὁ Μωυσῆς φησιν.] Quod tanquam a Mose dictum Paulus ad Hebr. c. XII. commemorat; neque tamen in vetere instrumento legitur. Pleraque enim, ut observat Hieronymus, in hac epistola quasi de vetere testamento proferuntur, quae in illo minime reperiuntur.

N. IX. Ἡ δὲ ἁγία Ἐκκλησία.] Totum hoc caput insignem habet usum ad catholicum dogma ab haereticorum invidia ac calumnia vindicandum: qui ut modum nullum ac moderationem retinent, cum ab Ecclesia commendari quidem nuptias, sed virginitatem continentiamque praeferri vident, exclamant illico et in conventiculis suis apud imperitos perfidiose ac stolide vociferantur damnari a catholicis nuptias, ac ciborum usu penitus interdici.

N. XIV. Ἵνα δὲ μηδὲν καταλείψωμεν.] Theodoretus Ascodrutas, vel Ascodrupitas, sive Tascodrupitas appellat; qui illorum dogmata pluribus exequitur. Philastrius vero Ascodrogitas a Passalorynchitis secernit.

Τασκὸς παρ' αὐτοῖς πάσσαλος.] Drungus vox est a recentioribus Graecis perinde ac Latinis usurpata, quam a Graeca ῥύγχος detortam innuit Epiphanius. Veget. lib. III. cap. XVI. et XIX. *globos* appellat, quemadmodum et cuneos *caput porcinum*.

LXXVI

AD HAERESIM L., QUAE EST TESSARESCAEDECATITARUM.

Quartadecimanorum sive Τεσσαρεςκαιδεκατιτῶν haeresis ea proprie dicitur quae Iudaico more pascha luna XIV. celebrandum asserit, quamcumque demum in feriam incidat: quae fuit Asiaticorum opinio, qui Ioannis autoritate freti pertinaciter ritum illum consuetudinemque tenuerunt. De quo Eusebius lib. v. Hist. Addit Augustinus lib. de Haeres. eosdam illos XIV. luna Martii mensis pascha fixisse. Ubi Martium non Iulianum, sed lunarem intelligi necesse est, cum plerique paschales menses etiam Iudaici in Aprilem inciderent. Nisi forte in ea quidam opinione fuerint ut Martio mense perpetuo celebrandum putarent. Scribit enim Philastrius Quartadecimanos pascha mense Martio celebrandum asserere. Atque haec τῶν Τεσσαρεςκαιδεκατιτῶν vera est et germana notio. Sed et alia fuit eodem vocabulo comprehensa depravatorum istorum factio, quae mira quadam abusione Quartadecimanorum nomen meruit. Nonnulli quippe celebrando paschati certum in anno Iuliano diem statuerunt: velut VIII. Kal. aut XV. aut X., de quibus paulo post agendum erit, quos omnes Epiphanius ad Quartadecimanos
p. 86. aggregavit. Tertia τῆς τοῦ Πάσχα διαστροφῆς ratio atque haeresis, ut a prioribus diversa, sic Quartadecimanorum appellationem iustius quam posterior haec obtinebit; quae cum universam olim ecclesiam, tum praecipue occidentalem exercuit. Hanc qui secuti sunt, pascha illi quidem dominico die celebrabant; sed si XIV. luna in eum diem incideret, non ex praescripto Nicaenae Synodi in XXI. diem differebant, sed in termino ipso festum obibant. Quod in Gallia quondam, Hispania, ac praesertim Britannia plerosque tenuisse testantur Bedae, Sigeberti ac caeterorum scripta. Vide imprimis Bedam l. II. Eccl. Hist. c. III., et l. V. c. XVI. Tum quae ad Nicephorum ante paucos annos adnotavimus. Postremus de celebritate paschatis error Latinorum fuit, qui cum in caeteris Nicaenum canonem et catholicam regulam observarent, Iudaico tamen ritu citimum terminum antevertentes primi mensis neomeniam V. Martii constituebant, ac duos annos communes habebant, quos reliqui embolismicos; nimirum cyclo VIII. ac XIX. Adversus quos eorumque signiferum Victorinum disputat Beda non uno in loco. Atque etsi luna XIV. nonnunquam isti pascha dominico die celebrarent, nunquam
p. 453. tamen ante aequinoctium: quod Iudaei factitabant, ut alibi dicetur. Sed haec quae de Latinis obiter iniecta sunt: nimirum eos nonnunquam pascha decima quarta luna peregisse, cautione ac distinctione opus habent. Duplex enim Latinorum vel eorum secta fuit qui cum dominico diu pascha conficerent, a catholicis nihilominus discrepabant. Nam alii XIV. luna, si in dominicum incideret, celebritati vacabant. Alii nonnisi decima sexta luna; quos proprie Latinos Beda et Victorius appellant. Quorum doctrina breviter hoc loco declaranda videtur. Latinorum igitur ritus in quibusdam cum Alexandrinis conveniebat, in aliis vero differebat. Congruebat, quatenus non alio die quam dominico pascha celebrabant, tum quod nunquam luna XIV., quantumvis dominicus in eam dies incurreret. Differebat vero primum, quoniam illorum paschales neomeniae ac decimae quartae Nicaenas antevertebant, in cyclis duobus, nempe XIX. et VIII., qui Alexandrinis embolimaei fuerunt, Latinis communes. Respondebant enim cyclis Latinorum XVI. et V. Latinorum Nisan cyclo Nicaeno XIX. quinto Martii mensis initium habuit. Cyclo autem octavo Nicaeno, Latinorum quinto, Nisan Martii VI. congruebat, qui dies extra paschalem Alexandrinorum terminum consistunt. Propterea in annis illis Latini uno mense pascha Nicaenum anticipabant. Igitur
p. 454. neomeniae paschales Latinorum a V. Martii ad II. Aprilis novem et viginti diebus

extendebantur. Decimae quartae paschales a XVIII. Martii die coeptae ad XV. Aprilis perductae sunt, diebus totidem, hoc est XXIX. Dominicae denique paschales a XXI. Martii ad XXIV. Aprilis, diebus XXXV. decurrerunt. Atque hoc imprimis Latini cavebant, ne ante lunam XVI., pascha, ante XIV. passionem dominicam indicerent. Quare si XIV. luna in sabbatum caderet, non postridie luna XV., sed octavo post die luna XXII. celebrabant. Quae omnia ex Victorii Prologo constant, cuius fragmenta apud Bedam exstant lib. de Temp. Rat. cap. XLIX. Integrum autem cum eiusdem Fastis habet manuscriptus codex qui est penes R. P. Sirmondum. Sed est alia praeterea cautio, cuius admonet Victorius (*Victorius* enim, non *Victorinus*, in vetustissimo illo codice nominatur, quemadmodum et apud Bedam). Nimirum quoties cyclo XIX. Nicaeno luna decima quarta in Martii XVIII. incidit, feria VI., quod accidit in anno non bisextili, quando luna XXVII. sabbato in Kalend. Ian. incurrit, ut Victorius observat. Tum enim pascha non, ut postulabat methodus, Martii vicesimo, luna XVI. celebratum, sed in sequentem mensem dilatum; cuius neomenia in Aprilis III. competit; pascha vero in XXIV., luna XXII., quae Alexandrinorum erat XXI. Nam aureus numerus Nicaenus XIX. quarto Apr. affixus fuit; Latinorum vero XVI. ei respondens Aprilis tertio. Haec sola diffundendi paschatis et in secundum mensem traiiciendi caussa commemoratur a Victorio, quando decima quarta contingit Martii XVIII., feria VI. Cum autem Nicaeno cyclo VIII., Latinorum V., decima quarta in diem Martii XIX. caderet, feria VI., dominica vero Martii XXI., ipso civilis aequinoctii die pascha suum Latini peregisse videntur. Nam legitimi mensis nullam tum ἀντιμεταβολὴν factam indicat Victorius. Alioqui si in Aprilem reiicerent, cum cyclus Latinorum V. Aprilis quarto sit adscriptus, decima quarta concurreret cum decimo septimo die, feria VII. Ideo transferendum foret pascha in lunam XXII., hoc est Apr. XXV. Quod quidem devitasse Latinos Victorii verba demonstrant. Nam remotissimum illorum pascha constituit Aprilis XXIV., cyclo Nicaeno XIX., quando litera dominic. est B. De octavo vero cyclo Nicaeno penitus tacuit. Unde colligas Latinos nonnunquam aequinoctio ipso pascha peregisse. Cum haec ita sese habuerint, ut ex Victorii Prologo manifestum est, Paulus tamen Forosemproniensis lib. V. partis I. Latinos affirmat paschales dominicas diebus triginta circumscripsisse, nempe a XXII. Martii ad XX. Aprilis, qui limites in Concilio Caesariensi definiti leguntur apud Bedam in Appendice ad libellum de Aequinoctio, quae in Sirmondiano codice Philippum, uti diximus, autorem praeferebat. Quare nonnunquam Latinos idem Paulus existimat, ne praescriptos illos terminos exciderent, pascha luna XIV. celebrasse. Quod cum ad eosdem illos Latinos referat, quorum e grege Victorius extitit (hos enim ipsos refert paschalem dominicam a luna XVI. ad XXII. extendisse) perspicua est hallucinatio. Falsum est enim paschalem Victorii mensem diebus XXX. comprehensum fuisse. Imprimis quod, ut paulo ante demonstratum est, citimum illorum pascha in ipsum aequinoctii diem inciderit, cyclo VIII. Nicaeno, quoties luna XIV. Martii XIX., feria VI. contigerat. Rursus cyclo Latinorum VIII., p. 455.
Nicaeno XI., neomenia paschalis Alexandrinorum pariter ac Latinorum convenit Aprilis II. Fingamus ergo literam dominic. eodem anno fuisse A, decima quarta paschalis incidet in Apr. XV., feria VII. Quocirca Nicaenum pascha celebratum est Apr. XVI., luna decima quinta: Latini vero ex Victorii regula in lunam XXII., hoc est XXIII. Aprilis distulerunt. Igitur a XXI. Martii ad XXIII. Aprilis legitimum atque ordinarium Latinis pascha XXXIV. diebus extenditur. Praeter ordinem vero, praeterque legem in XXV. Aprilis summovetur, cum cyclo XIX. decima quarta paschalis in Martii XVIII. incurrit, feria VI., ut antea declaratum est. Ita tricesimus

quintus dies paschalibus Latinorum terminis arrogatur. Nec minus redarguitur, quod idem Paulus asseverat, Latinorum factionem istam luna XIV. pascha peragisse; veluti anno Christi CCCLXXXVII., quo insignis de paschate controversia inter catholicos agitata; quam Ambrosius in luculenta illa epistola disceptat, quam super ea re scripsit ad episcopos Aemiliae. In illo igitur anno Latinos Paulus Forosempron. existimat pascha Apr. XVIII. celebrasse in ipso termino, quo suum pascha intra praestitutos a Caesariensi Concilio limites continerent. In quo, ut opinor, aberrat, ac tam ex ipsomet Ambrosio quam ex Victoriana regula castigandus est. Ambrosius enim scribit Iudaeos anno illo pascha duodecimo mense, XIII. Kalend. April., hoc est Martii XX., celebrasse. Quippe tam Iudaeis quam Latinis communis annus ille fuit, cyclo Nicaeno VIII., illorum vero V. Cyclus erat solis IV., litera C. Neomenia Latinorum iniit Martii VI., decima quarta proinde Martii XIX., feria VI. Igitur pascha ex Victorii praescripto incidit in Martii XXI., luna XVI. Uno die Latinorum neomenia Iudaicam antevertit; si quidem paschatis Iudaici nomine decimam quartam lunam Ambrosius intellexit, non primam azymorum. Nam pascha celebratum esse narrat Martii XX., cum Latinorum decima quarta decimo nono convenerit. Idem et de reliquis exemplis, quae Paulus commemorat, debet esse iudicium. Nunquam enim Latini illi, quorum e secta Victorius fuit, pascha suum in terminum coniecerunt. Proinde segregandi ab aliis erunt. Uti duo Latinorum genera, vel eorumdem duo ac diversa fuerint instituta, variis usurpata temporibus. Nam alii pascha ex Caesariensium formula a die Martii XXII. ad April. XXI. celebrabant, diebus XXXI., qui est primus novorum mensis, sive Κριών. Iidem saepenumero in ipso termino, quoties cum dominica concurrebat, pascha suum agitabant. Cuius rei nonnulla cum apud scriptores alios, tum vero Gregorium Turonensem et Sigebertum exempla leguntur. Aliud Latinorum genus extitit, quod non Christiani solum paschatis et ἀναστασίμου, verum etiam Iudaici et σταυρωσίμου rationem haberet. Nunquam enim ante XIV. lunam passionem dominicam celebrare consueverant, *eligentes potius* (ait Victorius) *in luna* XXII. *diem festi paschalis extendere, quam dominicam passionem luna* XIV. *ullatenus inchoari.* Unde illi Τεσσαρεσκαιδεκατῖται nova quadam ratione appellari possunt; non quod Christianum pascha luna XIV. peragerent unquam, sed quod in eadem σταυρώσιμον, quod et Iudaicum fuit, obeundum putarent. Haec de Latinorum cyclo rituque paschali, quod et Quartadecimanorum
p. 456. appendix quaedam esset, et non satis explorata illorum mysteria fuisse viris etiam eruditis animadverterim. Qua de re uberior alias instituenda disputatio. Eiusdem porro Victorii regulae ac methodi insigne occurrit exemplum apud Gregor. Turon. lib. X. Hist. cap. XXIII., ubi anno XV. Childeberti paschalem controversiam exortam esse refert ob hoc quod Victor (Victorium Aquitanum intelligit) cum luna XV. pascha fieri (ab Alexandrinis videlicet) scripsisset, ne Christiani eadem, qua Iudaei luna pascha peragerent, addidit, Latini autem luna XXII.: *Ob hoc*, inquit, *multi in Galliis* XV. *luna pascha celebrarunt. Nos autem* XXII. De hoc Gregorii loco vide omnino quae ad Nicephori Breviarium adnotavimus. Est enim illustris. Ubi nos annum ostendimus non esse Christi DLXXXVIII., ut Scaliger putabat. Hoc enim anno Latini ex Victorii regula pascha celebrarunt Martii XXI., luna XVI non XXII., cum luna XIV. in feriam V. inciderit Martii VIII. Quare alius annus quaerendus est: qui quidem videtur esse Christi DXC., cyclo Nicaeno II., solis XI. litera domin. A. Neomenia paschalis Latinorum et Alexandrinorum Martii XII., decima quarta, Martii XXV., feria VII. Ob id Alexandrini Martii XXVI., luna XV. pascha Nicaenum obierunt: Latini, ne XIII. luna passionis

dominicae solenne celebrarent, in lunam XXII., hoc est Aprilis secundum diem diffuderunt. Consentit et character ille, quem Gregorius adiungit: nempe terrae motum accidisse XVIII. Kalend. mensis quinti, hoc est Iunii XIV., feria IV. Hoc omnino anno Christi DXC. convenit. Quocirca Childeberti primus iniit anno Christi DLXXV., natali Christi die. Quod et R. P. Sirmondus certis rationibus compertum sibi esse confirmat. Quanquam solis eclipsim eodem illo anno ac mense quinto mediante contigisse narrat Gregorius. Quae Iunio μισοῦντι anno isto competere non potuit, cyclo Nicaeno II., qui Iunii VIII. est adscriptus. Sed haec suo loco accuratius viderimus. Fuerunt et alii Quartadecimanorum errores. Nam p. 86.
inter alia cum Novatianis lapsos repudiarunt, ut refert Theodoretus: quod de solis Asiaticis asserit Socrates l. v. c. XXII., ubi de ritu celebrandi paschatis, deque Asiaticorum ac Romanorum dissidio pluribus disserit.

N. I. Ὅτι ἐπικατάρατος ὃς οὐ ποιήσει.] Haud scio an locus iste sic expressus uspiam legatur.

Ἕτεροι δὲ ἐξ αὐτῶν.] Quantum ex iis verbis colligitur, non solum fixo ac constanti die, hoc est VIII. Kal. Mart. pascha peragebant, verum etiam eo ipso die ieiunabant, contra veterem ecclesiae ritum, quae in ipso festo ieiunium dissolvebat, ut ex epistola Dionysii Alexandrini constat. Sed obscura sunt quae deinceps Epiphanius disserit, neque Tessarescaedecatitarum opinionem satis assequi possumus. Cum enim scribit: Καὶ ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ βούλονται ἄγειν τὸ Πάσχα, ὁποία δ' ἂν ἐμπέσῃ ἡ τεσσαρεςκαιδεκάτη τῆς σελήνης, hoc affirmare videtur, haereticos illos certo ac fixo die, nimirum VIII. Kal. Apr. solenne paschatis adstrinxisse, securos lunae XIV. Cui tamen quae sequuntur nonnihil repugnant. Subiicit enim Cappadoces eandem diem VIII. Kal. Apr. celebrare; quod a priorum instituto nihil discrepat, et tamen posterius hoc tanquam diversum ac dispar attulit. Quamobrem videndum ecquid priores illi, qui ex Actis Pilati certum se diem exlorasse dicerent, XIV. lunam observaverint, adeo quidem ut haec de VIII. Kal. interposita mentio nihil in XIV. lunae ratione mutatum significet, sed supervacaneam ἀκριβολογίαν contineat. Fieri etiam potest, ut XIV. lunam eam ad paschatis celebritatem delegerint, quae VIII. Kal. Apr. vicinior esset: at Cappadoces illam ipsam in Iuliano anno defixam diem VIII. Kal. Apr. Sed de Tessarescaedecatitarum ex Actis Pilati opinione illa disserens Scaliger II. de Emendat. Temp. *Perperam*, inquit, *scribit Epiphanius* Τεσσαρεςκαιδεκάτας *gloriari solitos se compertum habere ex Actis Pilati, Christum passum fuisse* VIII. *Kal. April.* Quibus ista postremo subiicit: *Eiusmodi plura extant apud illum eruditum Patrem et alios veteres, praesertim Eusebium; quae sane cum delectu sunt legenda.* Quid est ista Epiphanii reprehensione vel iniquius vel ineptius? Itane quotquot haereticorum falsa dogmata, opinionesque commemorantur, eorum omnium veritas ab illo p. 87.
praestanda fuerit, qui nihil nisi retulerit? Sed cuiusmodi illa sit de passione domini in VIII. Kal. conveniente Tessarescaedecatitarum ratio postea disputabitur. Quae vero adversus illam affert Scaliger levia sunt, imo nulla. *Neomenia*, inquit, *Nisan incidit in* XII. *Martii, quoties 25. Martii est 14. Nisan. Atqui aevo illo hoc non potuit contingere, nisi cyclo 13. Idque in anno Hagareno, in annis 19. 38. 57. periodi. Atqui tunc Iudaeorum neomeniae uno die tardiores erant propter προσπτοεῖν. Non igitur potuit accidere.* In quo illud sumit, Iudaeos Calippicam anni formam, hoc est Syromacedonum sive Alexandream, tunc temporis usurpasse, quae cum CCC fere annis Hagarenam periodum antecedat, προσήγησιν Hipparcheam habet unius diei. Unde tardior est neomenia Iudaica quam Hagarena. Nam huius periodus sub initium Iulianae formae contexta est, cum novilunium

in Martii 12. incideret, quod in Calippica Iudaicaque periodo in 13. conveniebat. Qua ratione cyclo 13. Martii 25. luna fuit 13., Hagarenis vero 14. Verum Iudaeos Calippica anni descriptione usos esse, quo Scaligeriana omnis illa doctrina nititur, si quis negaverit, progredi ultra non poterit. Ac nos ad sequentem haeresim cyclum alium Iudaicum explicabimus, in quo biduo nonnunquam et eo amplius anticipatae sint neomeniae; ut nihil hac quidem ratione Scaligeri argumenta promoveant. Sed ea res suo loco tractabitur. Neque vero minor Calviniani alterius est vanitas, qui Epiph. credulitatis insimulat ex eo quod variis in locis Pilati Acta laudet, neque tamen in falsi suspicionem adducat. Quod ne refutationem quidem meretur.

Καὶ ἐν αὐτοῖς δὲ στάσις.] Haec verba τῶν μὲν λεγόντων etc. aliena ab hoc loco videri possunt. Nam priorum illorum sententiam continent, qui XIV. luna celebrandum pascha sciverant. Quanquam saepe otiosa eiusmodi repetitio apud hunc scriptorem animadvertitur. Sed quid ea tandem sibi volunt? Statuisse illos pascha XIV. luna, quae in VIII. Kal. Apr. incurrat? Est illud quidem nimis absurdum, quasi ad eum diem lunae XIV. dies possit adhaerescere. Quid si πρὸ τῶν ὀκτὼ Kal. legas non τῶν πρὸ ὀκτώ? Nam αἱ πρὸ ὀκτὼ Kal. idem sunt atque αἱ ὀκτὼ Kal. Quae loquendi formula a Latinis manavit, quibus ante diem VIII. Kal. idem est atque VIII. Kal. At si πρὸ τῶν ὀκτὼ legas, hunc habet sensum, lunam illos 14. constituisse, qua ante VIII. Kal. incideret. Nisi forte XIV. lunam τῶν πρὸ ὀκτὼ καλ. vocet eam, quae huic termino propinquior est, quod verum puto. Si quidem et haec loquendi formula, quam pro recepta excusaque substitui posse diximus πρὸ τῶν ὀκτὼ pro eodem interdum solet usurpari atque altera τῶν πρὸ ὀκτώ.

N. II. Ἐὰν πρὸς ἑσπέραν.] Vide Animad. nostras ad haer. LXX. n. XI.

N. III. Πανταχόθεν δὲ ἡ ἁγία.] Quae ad hunc locum adnotanda erant, ea ad haer. LXX., quae est Audian. differemus, ubi plura ad hoc institutum Epiphan. disputat.

τὸ ἐμφύσημα τοῦ βέωνος.] Vox ista βέων nusquam a me lecta. Atque haud scio an βούφωνος Latino vocabulo scripserit Epiph.

AD HAERESIM LI., QUAE EST ALOGORUM.

N. III. Ἵνα δείξῃ τὸ εἶδος τῆς ἁγίας.] Eandem arcae similitudinem declarat Aug. l. XII. c. Faust. c. XIV.

p. 88. N. I. Ἡ τοῦ λίθου Γαγάτου.] Eadem fere serpentum ἀλεξητήρια cecinit Nicander. De Gagate porro.

Ἄλλοτε δ' ἀζαλέην καίων ἐγγάγγιδα πέτρην,
Ἣν οὐδὲ κρατεροῖο πυρὸς περικαίνυται ὁρμή.

Ubi Schol. τὴν γαγγίτιν λίθον· ἐν Γάγγαις γὰρ τῆς Λυκίας εὑρίσκεται. τὰς δὲ Γάγγας πόλιν οὖσαν τῆς Λυκίας καὶ Γαγγίδα φασίν. Plin. l. XXXVI, c. 19. Gagates lapis nomen habet loci et amnis Gangis Lyciae. Diosc. l. v. c. XCIX.

N. II. Ἵνα δείξῃ τὸ εἶδος τῆς ἁγίας.] Vide August. l. XII. c. Faust. c. XIV.

N. III. Καὶ εἰ μὲν ἐδέχοντο τὸ εὐαγγέλιον.] Nam de Apocalypsi nonnihil a quibusdam dubitatum, de quo accurate in Ann. Baron. A. c. 97.

N. IV. Οἱ δὲ ἄλλοι εὐαγγελισταί.] Vide Aug. l. II. de Cons. Evang. c. XVI.

N. V. Ἔδει γὰρ τὸν ἀπὸ πολλῶν.] Malim τῷ ἐπιστρέψαντι et ἀναστάντι. Vicissim vero τὸν ἐλθόντα etc. Ut dandi casus apostolo, accusandi Christo tribuatur: quod nos interpretando sequimur.

Ἀπ' αὐτοῦ τοῦ ἔργου κηρύξαι.] Aut κηρύξῃ leg. aut τοῦ κηρύξαι.

Καὶ Κλεόβιον, εἴτουν Κλεόβουλον.] Ignatius ad Trallianos: Φεύγετε καὶ τὰ τοῦ πονηροῦ ἔγγονα, Θεόδοτον καὶ Κλεόβουλον τὰ γεννῶντα καρπὸν θανατηφόρον. Ubi non Nicolaitarum propagines istos fuisse docet, ut est in Annal., sed τοῦ πονηροῦ ἔγγονα, hoc est daemonis foetus. Imposuit Annalium scriptori Latinus Interpres, qui ita reddit: *Fugite perversi illius nepotes.*

Δημᾶν καὶ Ἑρμογένην.] Theodoretus ad II. Tim. c. 4. eundem illum Demam esse putat qui Ep. ad Philem. et Coloss. 4. laudatur, quique saeculum diligens relicto Paulo discessit. Sed mutato consilio ad Paulum revertisse quidam existimant. Chrysost. vero post honorificam illam de eo mentionem a Paulo seiunctum esse putat: ut illa ad Philem. ante II. ad Timoth. scripta sit. Fieri potest, uti duo eiusdem nominis Demae fuerint. Apud Ignat. Ep. ad Magnesios nominatur Damas Magnesiorum episcopus.

Εὐθὺς δὲ μετὰ τὸν Ματθαῖον.] Ex prava Cornarii interpretatione aut falsa aut dubia ex his verbis historia colligitur, iussum a Petro Marcum historiam scripsisse. Sic enim Cornarius: Post Matthaeum secutus est Marcus, iussus a S. Petro Romae evangelium edere. Neutrum horum dicit Epiph. aut Petri iussu, aut Romae scripsisse Marcum. Sed hoc tantum, comitem illum Romae fuisse Petri et ἐπιτρέπεσθαι τὸ εὐαγγέλιον ἐκθέσθαι. A quonam? A spiritu sancto. Inscio enim Petro ad scribendum aggressus est, Romanis id ab ipso postulantibus, ut autor est Hieron. lib. de Script. Eccles. et Euseb. l. II. c. XIV. Quod cum audisset Petrus, quod factum erat approbavit. Romae porro scripsisse verisimile est: de quo in Ann. plura Baron. A. XLV. n. 29.

Οὗτος δὲ εἷς ἐτύγχανεν.] Dissentit Papias apud Euseb. et Christum a Marco negat auditum. Hieron in Praef. ad evang. Marci eundem ait Leviticum genere et sacerdotem fuisse. Sed falso hic liber Hieron. tribuitur. Quod autem asserunt nonnulli, Marcum non vidisse dominum, viderit necne nihil affirmo: videre quidem potuisse temporum ipsa ratio persuadet. Neque vero damnanda est Epiphanii sententia, dum illum e LXXII. discipulorum numero fuisse narrat, etsi contrarium alii Patres sentiant.

N. VII. Ὡς εἶναι τὸν πάντα χρόνον.] Tempus ipsum, quo Ioannes conceptus ac natus est, et incarnatus atque in lucem editus Christus, Lucas complectitur; quod tempus mensium est fere XV.

N. VIII. Καὶ Φιλοσαββάτιος.] De hoc nihil hactenus legi. p. 89.

N. IX. Ἔνθεν τίνι οὐ φανεῖται.] Tametsi nihil ex evangelio de Magorum adventu tempore liquido possit exprimi, probabilior tamen est communis ac recepta sententia, quam illa ex Epiphanii ac Eusebii Chronicis hausta, biennio post Christum in lucem editum Magos advenisse. Quod ex illis Matthaei verbis colligi putabant, quibus Herodem narrat *a bimatu et infra pueros occidisse, secundum tempus quod exquisierat a Magis.* Sed hunc nodum iampridem dissolverunt eruditi sacrarum literarum interpretes.

Καὶ ἀνάγκην ἔσχον οἱ διασκορπισμένοι.] Quantum verba ipsa prae se ferunt, indicare videtur Iudaeos quolibet terrarum dispersos in Palaestinam coactos esse. Sed commode haec accipienda sunt, ut de iis loquatur qui in Palaestina ipsa vel Syria degerent. Neque enim puto in Italia vel Graecia aut Aegypto etiam habitarent, alibi quam ibi, ubi erant, fuisse censos.

Ἐρχόμενοι δὲ, ὡς εἰπεῖν.] Nollem erudito Maldonato id in mentem venisset Epiphanio tribuere quod et absurdissimum est, nec ab eo vel levissime cogitatum. Scribit enim mirari se quod Epiphanius existimet Iosephum et Mariam singulis annis eo die ex Aegypto in Bethleem venire consuevisse, cumque post duos

annos rediissent, Magos eos invenisse. Hoc vero nunquam scripsit Epiphanius. Quare hallucinatus est eruditissimus ille evangeliorum interpres. Nec ideo tamen tantum commeruit, ut a Casaubono tam inclementer ac putide notaretur et virulentissimus ac maledicentissimus scriptor appellaretur in illo opere quod ipsum ex virulentis calumniis et haereticis opinionibus contextum adversus Baronianos Annales effudit.

Ὡς εἰς τὴν πανήγυριν ταύτην.] Quam tandem hic πανήγυριν intelligat nescio. Videtur loci illius, in quo natus erat dominus, celebratam memoriam πανήγυριν appellare.

N. x. Τῷ γὰρ τριακοστῷ τρίτῳ.] De his accuratius paulo post agemus.

Διὰ τὸ μεμνηστεῦθαι πρεσβύτης.] Quod Iosephus decrepita iam aetate Mariam duxerit vetus est opinio. Quod autem liberos ex priore aliqua coniuge susceperit, etsi id Epiphanii aliique veteres memoriae prodiderint, reclamant tamen merito caeteri omnes. De qua re Baronius in Appar.

N. xi. Ἐντεῦθεν τοίνυν.] Haec igitur verba τοῦ θεοῦ ad Iesum pertinere credidit Epiph., non ad Adamum.

Τῷ Λουκᾷ ὄντι καὶ αὐτῷ. Quod Lucas e discipulorum numero fuerit, asserit et Dorotheus in Synopsi, quamvis id ipsum ab eo negari Maldonatus scripserit. Sed contra sentiunt plerique, et id ex ipsis Lucae verbis colligunt, cum ait ἔδοξε κἀμοὶ παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς καθεξῆς σοι γράψαι. Sed tantum abest, ut haec discipulum Christi fuisse, ac non pleraque, cum ab eo gererentur, oculis usurpasse negent, ut contrarium potius hinc elici possit. Verbum enim παρακολουθεῖν nonnunquam ad eam notitiam refertur quae oculis ipsis ac propria intelligentia comparatur, non aliorum sermonibus. Ut cum Demosthenes ἐν τῷ περὶ Παραπρεσβείας de Aeschine, cuius in legatione comes fuerat, sic loquitur: καὶ ὁ
p. 90. τούτου πονηρεύματα εἰδὼς καὶ παρηκολουθηκὼς ἅπασι κατηγορῶ. Sic igitur Lucas ἄνωθεν παρηκολουθηκέναι πᾶσιν ἀκριβῶς dicitur, hoc est comperta exploraque ac spectata etiam habuisse. Ac videri potest et nonnulla hic antithesis esse, ut cum superiore versu dixerit, quandoquidem multi res a Christo gestas scribere aggressi sunt, καθὼς παρέδοσαν ἡμῖν οἱ ἀπ' ἀρχῆς, statim subiiciat, ἔδοξε κἀμοὶ παρηκολουθηκότι, hoc est qui non, ut illi, ἐκ παραδόσεως, sed ex propria id scientia comperim. Caeterum tametsi ad eum sensum accommodari Lucae verba nihil prohibet, non iccirco tamen Christi discipulum fuisse certo pronunciare ausim, cum huic adversari sententiae longe plures PP. intelligam. Sed ista commemoravi, ut ne Lucae ipsi de se testanti refragari quisquam Epiphanium arbitretur.

Καὶ κηρύττει πρῶτον.] Lucam in Gallia praedicasse, nullus, quod sciam, prodidit. Atque haud scio an Galliam Cisalpinam intelligat, per quam in Dalmatiam Graeciamque contenderit.

Κρίσσης, φησὶν, ἐν τῇ Γαλλίᾳ.] Imo εἰς Γαλλίαν. Nam vulgo εἰς Γαλατίαν. Quae est vetustissima et certissima lectio, quicquid affirmet Epiphanius. Quam et Eusebius l. III. Hist. c. IV., Chrysost., Ambrosius, Theodoretus ac Graeci et Latini omnes agnoscunt. Quanquam non desunt qui per Γαλατίαν apud Paulum Galliam intelligant, ut Theodoretus. Crescentem vero Galliarum et Galatiae pariter apostolum fuisse, Ado in Martyr. v. Kal. Iul. et in Chronico testatur, ut et Rom. Martyr. novum. Vetus enim Galatiae duntaxat meminit. Et certe dubitari potest, utrum non modo Crescens, sed vel alius quisquam, per illa tempora Galliis evangelii lucem importarit.

N. xii. Μετὰ τὴν αὐτοῦ ἀπὸ τῆς Πάτμου.] Non igitur in Patmo scripsit evan-

gelium, sed Ephesi. Neque vero sub Claudio, sed sub Nerva Cocceio ab exilio reversus est: quamvis iterum postea sub Claudio revocatum asserit.

N. XIV. Ταῦτα ἐν Βηθαβαρᾷ.] Utraque vox et Bethabara et Bethania apud antiquos reperitur. Vide quae de hoc loco scripsere Masius et Serrarius in Iosue, Maldon. et Toletus in Evang.

Ἵνα δείξῃ μετὰ τὰς τεσσαράκοντα.] Epiphanii sententia haec est, Christum post XL dierum ieiunium et tentationem in Galilaeam esse profectum, indidemque ad Ioannem et Iordanem revertisse; quo tempore Ioannes illum intuitus rursum de ipso testatus est, Ioann. I, 36. Tum enim ambulantem vidisse Iesum scribit Ioannes. At Epiphanius 29. et 30. commata cum 35. et 36. confudisse videtur, cum ex evangelio profert τῇ ἄλλῃ ἡμέρᾳ ὡς εἶδεν αὐτὸν περιπατοῦντα, ἔφη, οὗτός ἐστι etc. Quae diversis in commatibus leguntur. Porro pro eo quod vulgo scriptum est, τῇ ἐπαύριον, Epiphanius legit τῇ ἄλλῃ ἡμέρᾳ; nisi ea potius interpretatio sit. Ut et noster Interpres: *Altera die.* At prima testificatio paulo post baptismum facta videtur. Unde inter baptismum Christi ac primam illam testificationem et apostolorum vocationem profectionem in Galilaeam intercessisse putat Epiphanius. De qua profectione haud scio an interpretum doctorumve quisquam meminerit. Sed neque Ioannis verba vel minimam eius significationem dare mihi videntur. Vide num. XVI., ubi accuratius ea temporum intervalla digeruntur. Post baptismum XL dierum ieiunium sequitur, tum hebdomades fere duae, quibus Nazareti in patria vixit. Hinc ad Ioannem revertitur, a quo agnitus ac demonstratus est, ac tunc Andreas illum cum socio secutus est, inde Petrus; p. 91.
post Philippus ac Nathanael, secundum quae nuptiis interfuit. Quae omnia duorum a baptismo mensium intervallo gesta putat, hoc est usque ad VI. Ianuarii, quo die nuptiis interfuit, cum VI. Eid. Novemb., ut arbitratur Epiphanius, a Ioanne baptizatus esset. Colliguntur dies LX. Nimirum XL ieiunii, tum XIV, quibus in patria Galilaea constitit. Postea biduum quo ad Ioannem accessit. Item biduum aliud, cum Andreas, inde Petrus, sese ad eum applicarunt. Altera vero die Philippus ac Nathanael vocati. Denique tertio die post ultimum illud biduum nuptiae subsecutae. Ita LX dies explentur.

N. XV. Καὶ λοιπὸν σημεῖα ἐκεῖ.] Post nuptiarum officium Christus Capharnaum sese contulit, ubi prodigia multa patrata credit Epiphanius, velut cum socrum Petri febrientem curavit et aridam hominis manum restituit. Sed perperam haec duo miracula in idem tempus coniecta. Nam alterum, hoc est aridae manus restitutio, longe post prius illud contigit, nimirum post pascha; secundum quod per sata cum discipulis transiit. Sed de iis postea ad num. XXVII. Imposuit Epiphanio multiplex ac diversus ad Capharnaum aditus Christi.

Ἐντεῦθεν γὰρ καὶ ἐπέκεινα.] Ex iis quae disserit Epiphanius efficitur paulo post ultimo vocatos ac sibi adiunctos apostolos, Petrum, Andream et caeteros, ad praedicationem aggressum, etiam antequam Ioannes in vincula coniiceretur. De qua re postmodum agetur, ut et de natali Christi ac vero baptismi et passionis anno.

N. XVI. Περὶ θεοῦ τῷ πνεύματι.] Praeter coniecturam illam quam ad oram adtexuimus occurrit scribi posse περὶ οὗ τῷ πν.

Καὶ ἐξελέξατο τὸν Πέτρον.] Egregius hic locus, ex quo liquet Petrum Andreae ac caeteris apostolis non aetatis aut vocationis ordine, sed principatus ac dignitatis, anteponi.

Φασὶ γὰρ οὕτως οἱ ἄλλοι.] Mirum est quod hoc loco asserit primum Herodem fugisse, postea Nazaretum, inde ad baptismum accessisse; quae neque cum evan-

gelio, neque cum superioribus cohaerent. Nam Herodem fugit duntaxat post Ioannis necem, quae longe post baptismum accidit. Vide quae ad num. XXVIII. observamus.

N. XIX. Ὁ δὲ Ἰωάννης καὶ τὴν πρόθεσιν.] For. κατὰ τὴν πρόθεσιν.

N. XXII. Κατηγοροῦσι δὲ πάλιν.] Nullum est in his libris argumentum, in quo tractando plus operae ac studii navarit Epiphanius, quam in ea quaestione, qua dominici natalis et passionis annus inquiritur. Sed nec obscurior usquam locus est, aut in quo minus interpreti tergiversari ac dissimulare liceat. Tantum abest, ut in eo declarando ne sit longior vereri debeat, aut instituta se notarum et animadversionum brevitate defendere. Atque ea sane quaestio cum non minus hac tempestate, quam priscis illis temporibus, eruditos exerceat, eo denique adducta res est ut qui inscitiam suam ingenue fassus fuerit, pudentiorem exitum quaerat, quam si certi aliquid et explorati tenere se posse confidat. Ut enim a vetustioribus initium repetam, quis antequam Dionysii vulgaris illa ratio percre-
p. 92. buisset, in certam ac constitutam sententiam includi se passus est? Longum est et otiosum veterum Patrum opiniones omnes persequi; idque ab aliis diligenter est factum, praesertim a Dekerio nostro τῷ μακαρίτῃ et Ioanne Keplero mathematico in erudita illa dissertatione de Anno Natali et in Eclogis Chronologicis, ut et de Illustrissimi Baronii Annalibus ac caeteris chronographis taceam. Quorum omnium post tam exquisitam et exactam operam supervacaneum videri poterat, a nobis ea disputari vehementius, quae anxie ab illis sunt accurateque discussa, nisi nos ad id etiam invitos Epiphanius ipse ac suscepti muneris fides impelleret. Erit autem huic conatui laborique nostro facilis lector, si hoc a me spectatum agnoverit, ut infinitam prope controversiam omniumque iudicio difficillimam neque brevius quam res tanta disputari possit, neque longius quam necesse sit, summa vero cum facilitate, complecterer, et ea, quae ab ingeniosis doctisque viris de ea re solerter excogitata sunt, accessione aliqua nostra cumulata proferrem. Quare duplex erit hoc loco disputanda quaestio: altera de anno ipso quo natus est Christus, altera de eo quo passus est.

DE ANNO NATALI CHRISTI DIATRIBA.

Qui natalem Christi salvatoris annum via ac ratione indagare conati sunt, triplicis maxime temporis rationem habuerunt, Romanorum coss., Augusti Imperat. et Herodis annorum. Totidem notis ac velut insignibus positum a se annum illustravit Epiphanius, et in ordinanda potissimum serie coss. haud vulgarem diligentiam adhibuit. Cuius nos vestigia prementes, id quod architecti facere solent, ut antequam aedificent soli ipsius vel fundamenti soliditatem explorent, ita nos consulatuum ipsorum ordinem seriemque perscrutabimur. Quae quidem historiae pars cum maxima in obscuritate et dissidentium inter se scriptorum varietate posita sit, nos consulatuum aliquot indiculum subiiciendum putavimus, paucis ad illos adiunctis, qui in Epiphanii laterculo descripti sunt; propterea quod non omnes iisdem quibus ille coss. natum esse Christum existimant. Et ut in coss. digerendis varietas quae sit lector intelligat, triplici filo laterculum texuimus. Prima series coss. habet ex Capitolinis Fastis excerptos, cuiusmodi a Sigonio et Onufrio in Fastis exhibentur, altera ex Epiphanii, tertia ex Fastorum Siculorum, sive Alexandrini Chronici, autoritate.

INDICULUS COSS. ALIQUOT QUI AD CHRISTI NATALEM ET PASSIONIS TEMPUS ERUENDUM UTILES ESSE POSSUNT.

Ad Num. XXII.

Primus annus est Urbis ex Varrone DCCXLVIII.

	Ex Fastis Capitolinis.		Ex Epiphanio.	Ex Fastis Siculis.
1	Laelius Balbus	Antistius Vetus		Nero II. et Piso II.
2	Augustus XII.	Sylla		Balbus et Vetus
3	C. Calvisius	L. Passienus		Aug. XIII. et Sylla
4	L. Lentulus	M. Messalinus		Sabinus et Rufinus
5	Augustus XIII.	M. Plautus Silvanus	Aug. XIII. et Silanus	Aug. XIV. et Silvanus
6	Cossus Cornelius Lentulus	L. Calpur. Piso	Lentulus et Piso II.	Lentulus et Piso
7	C. Caesar	L. Aemilius Paulus	L. Caesar et Paulus	Pub. Caes. et Paulus
8	P. Vinucius	Alphinius Varus	Vinucius et Varus	Vinucius et Varius
9	L. Aelius Lamia	M. Servilius Geminus	Lamia et Servilius Nommius	Lamia et Servilius
10	Sex. Aelius Cato	C. Sentius Saturninus	Magn. Pompeius et Valerius	Magnus et Valerius
11	L. Valerius Messala	Cn. Corn. Cinna Magnus	Lepidus et Aruntius	Lepidus et Plancus
12	M. Aemil. Lepidus	L. Arruntius	Caesar et Capito	Tib. Caes. et Capito
	SUFFECTI			
	C. Atteius Capito	C. Vibius Postumus		
13	A. Licinius Nerva Silanus	Q. Caecilius Metellus Creticus	Creticus et Nerva	Cretius et Nerva
	SUFFECTI			
	P. Lentulus Scipio	T. Quint. Crispinus Valerianus		
14	M. Furius Camillus	Sextus Nonius Quintilianus	Camillus et Quintilianus	Camill. et Quintilianus
	SUFFECTI			
	L. Apronius Nepos	A. Vibius Habitus		
15	C. Poppaeus Sabinus.	Q. Sulpicius Camerinus	Camillus et Sabinus	Camerinus et Sabinus
	SUFFECTI			
	M. Papirius Mutilus	Q. Poppaeus Secundinus		
16	P. Cornel. Dolabella	C. Iulius Silanus	Dolabella et Silvanus	Dolabella et Silanus

	Ex Fastis Capitolinis.		Ex Epiphanio.	Ex Fastis Siculis.
17	M. Aemil. Lepidus	T. Statilius Taurus	Lepidus et Taurus	Lepidus et Taurus
	SUFFECTI			
p. 94.	L. Cassius Longinus			
18	Tib. Germ. Caes.	C. Fonteius Capito	Flaccus et Silvanus	Tib. Caes. II. et Scipio
	SUFFECTI			
	C. Visellius Varro			
19	C. Silius Nepos	Lucius Munatius Plancus	Sexti duo	Flaccus et Silanus
20	Sext. Pompeius Nepos	Sextus Apuleius Nepos	Pomp. Magnus et Apuleius	Sextus et Sextus
21	Drusus Caesar	C. Norb. Flaccus	Brutus et Flaccus	Pomp. Mag. et Apul.
22	Ti. Statilius Taurus	L. Scribon. Libo	Taurus et Libo	Brutus et Flacc. II.
23	C. Coelius Rufus	L. Pomponius Flaccus	Crassus et Rufus	Taurus et Libo
24	Tib. Aug. III.	Germanicus Caesar II.	Tiber. II. Drusus Germanicus II.	Crassus et Rufus
	SUFFECTI			
	L. Seius Tubero	Rubellius Blandus		
25	M. Iulius Silanus	C. Norb. Flaccus	Silanus et Balbus	Tib. Caes. III. et Rufus
26	M. Valerius Messala	M. Aurelius Cotta	Messala et Gratus	Silanus et Balbus
27	Tiberius IV.	Drusus Iulius II.	Tiber. III. Drusus Germanicus III.	Messala et Gratus
28	D. Haterius Agrippa	C. Sulpitius Galba	Agrippa et Balbus	Tib. Caes. IV. et Drusus
	SUFFECTI			
	C. Vibius Rufinus	M. Cocceius Nerva		
29	C. Asinius Pollio	C. Antistius Vetus	Pollio et Vetus	Agrippa et Galba
30	Ser. Cornel. Cethegus	L. Visellius Varro	Cethegus et Varus	Pullo et Vetus
31	M. Asinius Agrippa	Cossus Cornel. Lentulus	Agrippa II. et Lentulus Galba	Cethegus et Varus
32	C. Calvisius	Cn. Getulicus Sabinus	Getulicus et Sabinus	Agrippa II. et Lentulus
	SUFFECTI			
	Q. Marcius Barea	T. Rustius Numius Gallus		

	Ex Fastis Capitolonis.		Ex Epiphanio.	Ex Fastis Siculis.
33	L. Licinius	L. Calpurnius	Crassus et Piso	Getulicus et Sabinus
34	Ap. Iulius Silanus	P. Silius Nerva	Silvanus et Nerva	Crassus et Piso
35	C. Rubellius Geminus	C. Fufius et Geminus	Gemini duo	Silanus et Nerva
36	M. Vinucius	C. Cassius Longinus.	Rufus et Rubellio	Geminus et Geminus
37	Tib. V.	Seianus	Vinicius et Longinus Cassius	Rufus et Rubellinus

NOTAE. p. 95.

AD EXCERPTA CONSULATUUM COLLEGIA.

In his coss. paribus nonnulla sunt observatione digna.

In VI. Epiphanius Pisonem II. consulem adscribit, quod neque in Capitolinis neque in Siculis additum est; sed ad Cnaei duntaxat Pisonis consulatum, qui anno urbis DCCXLVII. convenit. Ac videtur ex eo natus error quod alter eiusdem nominis L. Calpurnius Piso Caesoninus anno U. C. DCCXXXIX. fuerit. Sed ille L. filius, noster hic vero Cnaei dicitur.

In VII. consulatu perperam apud Epiphanium L. Caesar pro Caio positum est. Nam Lucius eius frater cos. designatus, antequam magistratum iniret, extinctus est.

In X. Fasti Siculi et Epiphanius Aelium Catum et Saturninum praeterierunt. Sed et frustra apud Epiphanium Magnus Pompeius cum Valerio componitur. Fuit enim is Cinna Magnus, non Pompeius.

In XII. vitium irrepsit partim ex suffecto cos. Atteio Capitone, partim ex consulatu XIX. Cum enim anno Urbis DCCLXVII. coss. fuerunt Tiberius II. et C. Fonteius Capito, anno vero DCCLIX. suffectus fuerit Capito, qui Fastos Graecos condiderunt, Capitonem pro ordinario numerantes cum Tib. Caesare copularunt.

In XIX. consulatu Fasti Siculi Tiberium Caesarem II. et Scipionem committunt, Epiphanius Flaccum et Silanum, qui esse debuit consulatus XXVI., anno Urbis DCCLXXII. Idem Epiphanius Sextorum duorum collegium antevertens expuncto Silii et Planci consulatu decimum quintum a coss. Augusto XIII. et Silano coss. ponit consulatum illum, cum XVI. esse debuerit. Tum XVI. facit Pompeium Magnum et Apuleium, qui cum superioribus iidem esse videntur. Nam e duobus Sextis alter Pompeius Nepos, alter Apuleius Nepos appellatus est. Quod idem vitium in Fastis Siculis cernitur.

In XXII. pro *Brutus* apud Epiph. et Siculos Fastos scribe *Druus*.

Deinceps usque ad XXXVII. consulatum Fasti Siculi uno anno tardiores sunt quam Epiphanius et Capitolini. Puta Taurum et Libonem in nostra serie XXIV. collocant, quem ambo isti XXIII., et ita deinceps. Cuius ea caussa est quod Epiphanius cum extrito uno consulum pari, nimirum anni Urbis DCCLXV., Tiberii Caes. et Fonteii Capitonis, Sextorum duorum consulatum anticipasset, anno Urbis DCCLXVI., qui sequenti competebat, huic ipsi DCCLXVII. Pompeium et Apu-

leium accommodat, qui iidem sunt cum Sextis duobus. Ita cum Capitolinis in gratiam rediit. At Siculi quia coss. anni DCCLXV. non omittunt et ex uno collegio anni DCCLXVII. duo faciunt, supervacaneo illo Pompeii et Apuleii interposito consulatu tardiores exhibent reliquos.

In XXIV. apud Epiph. et in Fastis pro Crassus *Flaccus* leg., nisi sit suffectus aliquis.

p. 96. XXV. Tiberium cos. secundum habet pro III.

In XXVI. pro Balbo *Flaccus* adscribendus est, nisi suffectus aliquis locum hic habuerit, quod idem de XXVII. par est credere, ubi Gratus pro Cotta nominatur.

In consulatu XXXVI., qui est in Epiphanii indiculo XXXII., maior est labes. Nam Siculi Fasti cum Epiphanio post Geminos duos Rufum et Rubellionem (Siculi *Rubellinum*) collocant. At Capitolini M. Vinucium et Cassium Longinum. Rufum porro et Rubellinum suffectos putat Scaliger et Keplerus in Eclogis. Ego idem his in coss. quod a. XVI. commissum fuisse suspicor. Nam ut illic ex uno collegio Sex. Pompeii Nepotis et Sex. Apuleii Nepotis duo coss. paria facta sunt, Sextorum videlicet duorum et Pompeii atque Apuleii, ita Rufum et Rubellinum duorum esse Geminorum nomina crediderim; nisi quod pro *Rufus*, *Fusius* legendum est. Sic enim appellantur, C. Rubellius Geminus, C. Fusius Geminus. Quocirca merito tam hos quam illos praetermisit Onufrius, ac ne suffectorum quidem loco habuit; quod frustra miratus est Scaliger lib. VI. de Emend. pag. 521.

Ex hac eadem collegii distractione factum, ut Vinucii ac Longini consulatus apud Epiphanium sede sua luxatus XXXIII. loco a consulibus Augusto XIII. et Silvano poneretur, cum XXXII. esse debuerit. Etenim anno U. C. DCCLXXXIII., Iuliano LXXV., congruit Vinicii consulatus, idque ex Varroniana epocha. Nam Capitolini Fasti anno DCCLXXXII. collocant. In quo mirifice hallucinatus est Scaliger, dum Onufrium arguit quod consulatum Vinicii in DCCLXXXIII. contulerit ex Varronis sententia, cum Catonianum et Capitolinum annorum numerum sequi se profiteatur. Quo nihil falsius excidere Scaligero potuit. Onufrius enim Comment. in l. I. Fast. in fine Diatribae de anno Urbis conditae disertissimis verbis Varronem secutum se esse testatur. *Varronis*, inquit, *sententiam in his Fastis me sequi fateor; non quod ei magis quam Fabio Pictori, vel Verrio Flacco aut Dionysio credam, sed quod eius sententiam passim ab omnibus susceptam fuisse animadverterim, atque tanquam omnium verissimam certissimamque observatam.* Quod ab eo servatum esse, discrimen unius anni, quo illius Fasti a Capitolinis et Sigonianis differunt, satis ostendit. Hic ille porro Vinicius est cui historicum suum breviarium Velleius inscripsit; cuius ad consulatum ab Urbis initio non annos praecise DCCLXXXIII numerat, ut scribit Scaliger, sed DCCLXXXII. Quanquam mendum inest in numeris, et DCCLXXXII restituendum. Et sunt alioqui numeri apud Velleium omnes propemodum vitiosi, aut certe parum ille sibi constat, dum alios atque alios autores sequitur. Itaque utrum Varronianam, an Capitolinam, quam Catonianam vocat Scaliger, rationem tenuerit, certo pronunciari nequit. Scripsisse quidem vel anno ipso, quo Vinicius consul fuit, vel ineunte sequenti saltem absolvisse inde liquet, quod florentis adhuc Seiani operis in fine meminit, qui Tiberio V. cos., hoc est Urbis DCCLXXXIV., profligatus est. Quod si ita est, locum habet nullum eruditi viri coniectura, qui dubitare visus est an transpositi consulatus essent, ut Tiberius V. et Seianus anno DCCLXXXIII., Iuliano
p. 97. LXXV., conveniant, Vinucius autem et Cassius DCCLXXXIV., Iuliano LXXVI. Geminorum certe consulatus incurrit in annum Tiberii XV. labentem et ab Augusto

mense anni superioris inchoatum. Coepit enim Kal. Ianuar. anni Iuliani LXXIV. At Vinucius et Cassius coss. incidunt in Iulianum LXXV., Tiberii XVI. iam inchoatum.

Ac de Vinucio et Cassio postrema superest difficillimaque quaestio, iidemne illi sint quos Tacitus scribit l. VI. Ann. progeneros a Tiberio ascitos, a. DCCLXXXVI., Ser. Galba et L. Sulla coss. Nam L. Cassio Drusillam, M. Vinicio Iuliam, Germanici filias, collocatas esse narrat. *Vinicio*, inquit, *oppidanum genus. Calibus ortus, patre atque avo consularibus, caetera equestri familia erat, mitis ingenio et comptae facundiae. Cassius plebei Romae generis, verum antiqui honoratique, et severa patris disciplina eductus, facilitate saepius quam industria commendabatur.* Mox eosdem iuvenes appellat. Sane illos ipsos esse qui coss. tribus annis ante fuerant, suadent ipsa primum nomina; etsi Cassii praenomen apud Dionem sit *Caius*, non *Lucius:* quomodo etiam a Pomponio lib. de Orig. Iuris appellatur, qui et iurisconsultum illum C. Cassium Longinum cum hoc nostro confundit, probante Cuspiniano, reclamante vero Lipsio. Ad haec Suetonius in Caio Drusillam L. Cassio Longino nupsisse prodidit. Quas ob caussas nemo hactenus dubitavit quin ambo illi Germanici generi coss. fuerint anni DCCLXXXIII. Primus Keplerus in Eclogis addubitare coepit, et quidem iure. Nam quis putet praetermissurum haec Tacitum, cum utriusque ornamenta recenseret? Atqui de Vinicio unum hoc retulit, patre atque avo consularibus oriundum fuisse. De Cassio vero, plebeii fuisse generis. Quamobrem certum mihi est diversos istos esse a cosa. anni DCCLXXXIII., quamvis idem nomen habuerint. Suetonio vero similitudo nominum imposuisse videtur, ut consularem vocaret Cassium, quod ὁμώνυμος alter paulo ante consulatum gessisset. Haec de coss. ab Epiphanio recensitis diligentius persequi operae pretium fuit; quod ex illorum contextu apta suspensaque sit annorum Christi series; proindeque substructione ista opus est iis qui verum Christi natalem investigare student: quam stabiliendam fulciendamque merito sibi duxit Keplerus eius disputationis initio quam de Christi natali ante aliquot annos elucubravit. In qua primum omnium Romanorum coss. perpetuam successionem, e qua nonnulli consulatus quinos detrahendos putabant firmissimis argumentis communitam reliquit. Sed est quiddam tamen, quod ab eo minus animadversum hic obiter adscribam, ut eadem opera Taciti locum, qui hactenus vitiose legitur, integritati restituam. Ut igitur Keplerus affirmet inter Tiberium et Neronem nulla coss. esse subtrahenda paria, Taciti inter alia testimonium affert. Qui in Agricolae soceri vita scribit decessisse illum Collega et Prisco coss. anno aetatis LVI., natum vero Caio III. cos. Ex quo ita colligit: tertium Caii consulatum anno Dionysianae aerae XL. tribuendum videri, non, ut quidam opinabatur, XLII. Verum cum Caii consulatus III. concurrat cum a. U. C. DCCXCIII., p. 98.
Collegae autem ac Prisci cum anno DCCCXLVI., qui anno DCCXCIII. sit natus, is anno DCCCXLVI. non plus quam LIV. annos natus esse potuit. Quare apud Tacitum miror animadvertisse neminem pro LVI. legendum esse LIV. Facillimum autem fuit ex notarum inversione vitium a librariis admitti.

QUIBUS COSS. VULGO CHRISTI NATALIS ASSIGNETUR. UBI ET DE BISEXTI CORRECTIONE ACCURATE DISSERITUR.

Christum Augusto XIII. et Silvano coss. natum esse constanter affirmat Epiphanius. Sed cum idem VI. Eid. Ian. natalem diem esse definiat, iure Annalium Ecclesiasticorum scriptor ad illorum gregem adiungendum esse potius Epiphanium

putat qui anno superiori, hoc est Lentulo et Messalino coss. natum Christum existimant, quam eorum qui iis ipsis, quos Epiphanius nominat, coss. natalem consignant. Propterea quod si communem de mense natalis ac die sententiam esset amplexus, omnino superiores illos coss. praetulisset. Unde Cassiodori, quem Baronius sequitur, non Onufrii, decreto opinionique suffragari putandus est. Quod igitur Christus Lentulo et Messalino coss. ortus sit, anno Iuliano XLIII., studiose demonstratur in Annalibus, idque velut fundamenti loco ponitur, quo nutante, ut aiunt ipsi, annalium contextum omnem ruere collabique sit necesse. Proinde primus a natali Christi, sive Dionysianae aerae ac vulgaris annus, a Kal. Ianuariis anni Iuliani XLIV. iisdem in Annalibus incipit, Urbis ex Varroniana ratione DCCLII., cuius Palilia Aprili mense proxime secuta sunt; adeo ut in annum Urbis DCCLI. vulgaris aerae primordium incurrat, Olympiadis CXCIV. annum II. Est ea quidem Cassiodori sententia, aliorumque tam veterum quam recentiorum, et, quod ad natalem ipsum attinet, sane probabilis. Quod autem ille idem annus cum aera Dionysiana coniungitur, hoc est quod primus aerae Christianae Iulianus esse XLIV. asseritur, Olymp. CXCIV. secundus, id vero nequaquam procedit. Biennio enim aberrat, ut quidem plerique hactenus animadverterunt; ut autem existimo, etiam triennio a Dionysii mente atque aera distat, uti paulo post demonstrabitur. Nos interim quae in Apparatu ad Annales de hoc anno subtiliter et exquisite disputantur expendenda censuimus.

Cum igitur a nonnullis improbari suam de natali Christi sententiam videret, ob id unum maxime quod in Iulianum XLIII., qui coss. habet Lentulum et Marcellinum, bisextilis dies minime caderet, contra ille sic praescribit: tantum abesse, ut in annum illum bisextilis dies non incidat, ut in alium nullum, nisi ab p. 99. eodem quartum, sive ante, sive post ipsum, convenire possit. Etenim pro confesso minimeque dubio id in hac tota disputatione sumit, annum illum, quo natus est Christus, bisextilem fuisse, propterea quod qui deinceps ab eo propagati sunt per quaternos divisi bisextiles occurrunt. Iam vero annus a nato Domino CCCLXIV., quo Valentinianus imperium adeptus est, bisextilem habuit diem, quemadmodum lib. XXVI. scribit Ammianus. Ergo CCCLXV. ante illum peraeque bisextilis est. Atqui ille est ipse, qui Lentulum et Marcellinum coss. praefert, quibus Decembri mense natus est Christus. Recte igitur hic in Annalibus constitutus videtur.

Pergit in eodem argumento uberius explicando, et de Iuliana bisextilis anni dispositione atque Augusti correctione disserit; ut appareat annum illum, qui est Iulianus XLIII., bisextum habuisse. Etenim Iulius Caesar anno ab U. C. Varroniano DCCVIII., quo ipse tertium cum Lepido cos. fuit, annum Romanum emendare sic est aggressus, ut deinceps IV. quoque anno solidum diem intercalandum decreverit. Ac si anno illo emendationis, quem Macrobius confusionis appellat, nihil praeter menses ac dies intercalasset, ab eo ipso bisextilium annorum ducendum fuisset exordium, ita ut primus IV. post anno Lepido II. et Planco coss. congrueret, qua ratione per quadriennia descendendo bisextilis undecimus non in XLIII. a correctione annum, sed in XLIV., hoc est, non in Lentulum et Messalinum, sed in Augustum XIII. et Plautium coss. incurreret, quibus Christi natalem assignabat Onufrius. At id secus se habuit. Nam praeter solidorum dierum intercalationem quadrans insuper diei, quod Solinus docet, a Caesare est adiectus. Quem ut intercalaret, quia solus addi non poterat, necesse fuit ut in IV. annum differretur; donec videlicet ex quadrante illo et tribus aliis totidem consequentium annorum dies exsurgeret. Itaque primum bisextum

non quinto a correctione anno, ut alioqui futurum dicebatur, sed IV., qui antecedenti correctionis anno respondebat, seu post tertii anni circuitum, Pansa et Hirtio coss., observari iussit, reliqua deinceps post IV. quemque annum ab hoc primo. Quanquam sacerdotes, penes quos intercalandi cura erat, eo fortasse, quod primum bisextum post III. annum locatum viderent, errore ducti sequentia similia post tertium quemque usurparunt, annumque Romanum XXXVI. annorum spatio ita depravarunt, ut pro IX. diebus duodenos interponerent. Quod Augustus ut corrigeret, et tres eos dies superfluos resecaret, XII. sequentes sine bisextili intercalatione transigi iussit, C. Censorino et Asinio Gallo coss. Haec in Annalibus. Quae ut oculis ipsis subiecta plane percipiantur, laterculum aliquot consulatuum adtexuit, initio ducto ab eo anno quo Iuliana coepit editio. Quod cum ad eorum, quae deinceps proponenda sunt, intelligentiam non mediocrem utilitatem possit afferre, nos eundem illum indiculum exscribemus, ubi quae in rem faciunt pauca praemonuerimus. Sciendum enim est non solum bisexti a Iulio Caesare ordinati rationem ac formam, sed eiusdem quoque depravationem, ac po- p. 100.
stremo Augustanam illam correctionem et instaurationem varie admodum explicari. Sunt enim quibus placet Iulium Caesarem anno Confusionis nihil praeter solidos menses ac dies intercalasse, ideoque primum annum Iulianum instar bisextilis fuisse, atque adeo legitimos et ordinarios bisextiles esse istos oportuisse: V. IX. XIII. etc. XXXVII. XLI. XLV. XLIX. LIII. Ita Scaliger lib. IV. de Emend. Alii, qui quadrantem diei praeter solidos dies intercalatum putant, legitimum bisextilem, Iulianae editionis annum tertium, statuunt, ab eoque deinceps VII. XI. XV. etc. Tertia potest ad eas accedere forma, ut nimirum confusionis annus ipse bisextilis vicem praebuerit, ac subinde Iulianus IV. VIII. XII. etc. tum XXXVI. XL. XLIV. XLVIII. LII. bisextum sibi ex Iulii Caesaris constructione vendicent. Ex iis ordinandi formis quam Caesar tenuerit, affirmare difficile est, quemadmodum etiam quae fuerit depravandi ratio haud ita certo constat. Potuit enim anno Iuliano tertio contra praescriptum Caesaris intercalari, potuit et quarto, cum quinto iussisset; unde XXXVI. vel XXXVII. vitiosus extitit. Neque vero minus est obscurum quamnam castigandae labis illius viam Augustus inierit. Aut enim primum ex XII. ἀνεμβόλοις esse iussit Iulianum XXXVIII., quo ad emendationem animum adiecit, si postremus bisextilis vitiosus fuerit XXXVII., ita ut duodecimus τῶν ἀνεμβόλων Iulianae editionis fuerit XLIX., ex quo deinceps anni in ordinem redacti, et anno LIII. legitimus bisextilis incidit: aut si XXXVI. postremus bisextilis fuit, duodecim bisexti prorsus expertes a XXXVI. ad XLVIII. pertexendi sunt, adeo ut primus bisextilis ex ordine in Iulianum LII. incurrerit. At Paulus Middelburgensis lib. XII. cum vitiosum bisextum anno III. VI. IX. ac denique XXXVI. intercalatum esse dixisset, duodecimque communes illos in XLVIII. desiisse, ita ut LII. bisextum exigeret, novum a sacerdotibus vitium oblatum asserit, ut XLIX. bisextilem fecerit, unde reliqui deinceps ad aetatem nostram bisextiles propagati sunt.

INDICULUS ALIQUOT COSS.

Olympiades.	Anni Iuliani.	Anni Urbis.	Coss.	Annus Confusionis. Bisextiles et Lit. vitiosae ex Middelb. sententia.	Bisextiles et Lit. Dom. vitiosae ex Scaligero.	Literae emendati Cycli ab Augusto.
		707	Q. Calenus P. Vatinius			
		708	C. Iulius Caesar III. M. Aemilius Lepidus			
	1	709	C. Iulius Caesar IV. sine Collega	C	B	C B
p. 101. 184	2	710	C. Iulius Caesar V. M. Antonius	B	A	A
	3	711	C. Vibius Pansa A. Hirtius	A G	G	G
	4	712	M. Aemilius Lepidus II. L. Munatius Plancus	F	F E	F
	5	713	L. Antonius P. Servilius Isauricus	E	D	E D
185	6	714	C. Domitius Calvinus C. Asinius Pollio	D C	C	C
	7	715	L. Martinus Censorimus C. Calvisius Sabinus	B	B A	B
	8	716	Ap. Claudius Pulcher C. Norbanus Flaccus	A	G	A
	9	717	M. Agrippa L. Caninius Gallus	G F	F	G F
186	10	718	L. Gellius Poplicola M. Cocceius Nerva	E	E D	E
	11	719	L. Cornificius Sex. Pompeius	D	C	D
	12	720	M. Antonius II. L. Scribonius Libo	C B	B	C
	13	721	C. Caesar Octavianus II. L. Volcatius Tullus	A	A G	B A
187	14	722	Cn. Domitius Ahenobarbus C. Sosius Nepos	G	F	G
	15	723	C. Caesar Octavianus III. M. Valerius Messala	F E	E	F
	16	724	C. Caesar Octavianus IV. M. Licinius Crassus	D	D C	E
	17	725	Imp. Caesar Octavianus V. Sex. Apuleius Nepos	C	B	D C
188	18	726	Imp. Caesar Octavianus VI. M. Agrippa II.	B A	A	B
	19	727	Imp. Caesar Octavianus VII. M. Agrippa III.	G	G F	A

p. 102.

Olympiades.	Anni Iuliani.	Anni Urbis.	Coss.	Annus Confusionis.		
				Bisextiles et Lit. vitiosae ex Middelb. sententia.	Bisextiles et Lit. Dom. vitiosae ex Scaligero.	Literae emendati Cycli ab Augusto.
	20	728	Imp. Caesar Augustus VIII. T. Statilius Taurus II.	F	E	G
	21	729	Imp. Caesar Augustus IX. M. Iunius Silvanus	E D	D	F E
189	22	730	Imp. Caesar Augustus X. C. Norbanus Flaccus	C	C B	D
	23	731	Imp. Caesar Augustus XI. C. Calpurnius Piso	B	A	C
	24	732	M. Claudius Marcellus L. Arruntius	A G	G	B
	25	733	M. Lollius Q. Aemilius Lepidus	F	F E	A G
190	26	734	M. Apuleius P. Silius Nerva	E	D	F
	27	735	C. Sentius Saturninus Q. Lucretius Vespillo	D C	C	E
	28	736	P. Lentulus Marcellinus Cn. Cornelius Lentulus	B	B A	D
	29	737	C. Furnius C. Iunius Silanus	A	G	C B
191	30	738	L. Domitius P. Cornelius Scipio	G F	F	A
	31	739	M. Livius Drusus Libo L. Calpurnius Piso	E	E D	G
	32	740	Cn. Lentulus M. Licinius Crassus	D	C	F
	33	741	Tib. Claudius Nero P. Quinctilius Varus	C B	B	E D
192	34	742	M. Valerius Messala P. Sulpitius Quirinus	A	A G	C
	35	743	Paulus Fabius Q. Aelius Tubero	G	F	B
	36	744	Iulius Antonius Q. Fabius Maximus	F E	E	A
	37	745	Nero Claudius Drusus T. Quintius Crispinus	D	D C	G F
193	38	746	C. Martius Censorinus C. Asinius Gallus	C	B	E
	39	747	Tib. Claudius Nero II. Cn. Calpurnius Piso II.	B	A	D
	40	748	D. Laelius Balbus C. Antistius Vetus	A	G	C

p. 103.

Olympiades.	Anni Iuliani.	Anni Urbis.	Coss.	Annus Confusionis.		
				Bisextiles et Lit. vitiosae ex Middelb. sententia.	Bisextiles et Lit. Dom. vitiosae ex Scaligero.	Literae emendati Cycli ab Augusto.
	41	749	Imp. Caesar Augustus XII. L. Corn. Sulla.	G	F	B A
194	42	750	C. Calvisius Sabinus L. Passienus Rufinus	F	E	G
	43	751	L. LENTULUS M. MESSALINUS	E	D	F
	44	752	Imp. Caesar Augustus XIII. M. Plautius Silvanus	D	C	E
	45	753	Cossus Corn. Lentulus L. Calpurnius Piso Augur	C	B	D C
195	46	754	Imp. Caesar Augustus XIV. L. Aemilius Paulus	B	A	B
	47	755	P. Vinicius Nepos P. Alfinius Varus	A	G	A
	48	756	L. Aelius Lamia M. Servilius Geminus	G	F	G
	49	757	Sex. Aelius Catus C. Sentius Saturninus	F E	E	F E
196	50	758	L. Valerius Messala C. Corn. Cinna	D	D	D
	51	759	M. Aemilius Lepidus L. Arruntius Nepos	C	C	C

Nunc illud, in quo negotii totius summa vertitur, observari convenit, annum quempiam in Iulianorum serie duplici ratione bisextilem nominari. Nam vel propter antecedentium annorum successionem ex Caesaris ordinatione bisextilis est, vel respectu ad primum Augusteum emendatum habito, cuius dispositio in superiores quoque redundat ac regreditur. (Nos enim Iulianam formam ab Augusto recensitam ad anteriores annos, adeoque ad mundi ipsius ortum methodi gratia accommodare solemus.) Exempli caussa, annus Iulianus XLV., in quem Dionysianus natalis incidit, si vera est Iuliana illa bisextilis anni descriptio, quam Annales exhibent, bisextum nullum habuit, sed potius XLIII. At ex Augusti correctione, sive quam Paulus Forosemproniensis asserit, sive quae in annum LIII. bisextum legitimum coniicit, idem ille XLV. annus Iulianus bisextilis erit. Ita enim primus annus Iulianus, tametsi ex autoris mente bisextilis non fuerit, ex Augusti tamen emendatione fuisse censetur, ut Forosemproniensis adnotat. Iam qui natalem Christi annum bisextilem velit fuisse eoque velut charactere temporis utatur, non ei satis est demonstrare bisextum ex Iuliana institutione in illum ipsum annum incidisse, quod, ut e superioribus intelligi potest, dubium est et incertum, sed habenda maxime consequentium bisextorum ratio, cuiusmodi hodierno usu post Augusti correctionem observantur. Quod in annalibus minus animadversum eo tandem ratiocinia redegit, ut annum Iulianum LI. bisextilem

p. 104.

constituerent; de quo paulo post. Interim quadrantem illum, quem cum solidis diebus intercalatum Solinus prodidit, attentius exploremus. Solini verba sunt: *Et ut statum certum praeteritus acciperet error, dies* XXI. *et quadrantem simul intercalavit etc.* Ille ergo annus solus CCCXLIV. dies habuit, alii deinceps CCCLXV. et quadrantem. Qui Solini locus aut inscitia librariorum, aut scriptoris hallucinatione male habitus est. Annus Confusionis praeter ordinarios CCCLV., qui fuit anni Romani modus, dies habuit insititios LXVII., ut Dio testatur. His si intercalarium Merkedonium accenseas, qui commodum in eum annum inciderat, summa dierum additorum est XC., si Merkedonius XXIII., vel LXXXIX., si XXII duntaxat obtinuit. Quare et Confusionis annus dies postulat CCCCXLIV., vel CCCCXLV., ut Censorinus scribit pag. 46. Atque illi quidem dies ita dispensati sunt, ut cum intercalaris, sive Merkedonius, suum in Februario locum ex more sortitus esset, duo alii menses inter Novembrem ac Decembrem inserti sint, dierum ambo simul LXVII., ita ut peraequatio ipsa in anni finem incubuerit. Hinc illa verissima suspicio, Solinum CCCCXLIV., non CCCXLIV. scripsisse. Nam quod dies unum et viginti cum quadrante accessisse dicit, ad Merkedonium respicere potuit, qui XXII., aut XXIII. diebus constabat. Quanquam de intercalato quadrante parum commode scripsisse videtur. Non enim appendices horae in civili anno intercalari dicuntur. Quas ut eo sensu demus intercalatas fuisse, quod ultra menses diesque solidos excurrerent, cum in anni Confusionis exitum peraequatio ista conveniat, non potuit Caesar proximum bisextum in III. Iulianum, sed in IV. ineuntem indicere; tum scilicet, cum dies ex quadrantibus collectis solidus existeret: etsi quadrans ille horarius non cum duobus reliquis mensibus, sed cum Merkedonio προληπτικῶς infissus dici potest, ut iustum ad colligendum quadrantem alterum spatium anno primo Iuliano ineunte esse potuerit. Nihilominus de hoc Solini loco cogitandum amplius censeo.

His necessario constitutis negamus annum illum quo Lentulus et Messalinus coss. fuerunt bisextilem fuisse. Fuerit enim ex Iulii Caesaris ordinatione, quod valde incertum esse hactenus monstravimus: posteaquam quidem ab Augusto correctus est annus, si ab eorum aliquo, quos bisextiles tam ipse quam posteritas omnis habuit, retro numeres, negamus constanter, bisextilem eum esse quo Christum in lucem editum Annales ecclesiastici confirmant. Fuit hic Iulianus XLIII., qui Olympiadis CXCIV. anno primo labente coepit, ab Urbe Condita ex Varroniana putatione DCCLI. In Iuliana porro periodo, qua nihil ad extricandam chronologiam expeditius, non alium annum occupat quam 4711., cyclo solis VII., lunae XVIII., indict. I. a Ianuario, a Septembri vero II. Quod quidem non coniectura, sed demonstratione nititur. Mortuus est Augustus Sextis duobus coss., ut omnium consensu exploratissimum est, anno Urbis 763. Ante consulatum Sextorum, si retro numeres, paria sunt omnino consulum XVI, proindeque XVI. annum anteriorem occupant Lentulus et Marcellinus coss. Insignis porro annus ille mortis Augusti fuit lunae deliquio, quod XL. die ab eius obitu contigisse inter chronologos constat, idque Dionysianae aerae anno XIV., cyclo solis XXIII., lunae XV., Sept. XXVII. feria V., litera dom. G, Iulianae periodi 4727. Quod si annos inde subtraxeris XVI., reliquus erit 4711., quo coss. fuere Lentulus et Marcellinus. Qui si bisextilis fuisset, annus ab eo XVI. perinde bisextum habuisset. Est autem aerae nostrae XIV., ac post bisextilem secundus; igitur et annus ille, quo Marcellus et Lentulus coss. erant, bisextilis non fuit. Idem ex Olympiadum et Iulianorum annorum serie deducitur. Nam cum Lentuli et Marcellini consulatus Iulianus sit XLIII., Sextorum vero duorum sit Iulianus LIX., idemque aerae

p. 105.

nostrae XIV., necesse est ut annus Iulianus CCLXXXIII. sit aerae Dionysianae CCXXXVIII., quo etiam Olympiadis CCLIV. anno primo desinente secundus, hoc est Iphiti MXIV. Si quidem, ut et Annales consentiunt, Iuliano XLIII. coepit annus II. Olymp. CXCIV., sive Iphiti 774. Atqui hic ipse Iulianus annus 283., Iphiti 1014., memorabilis est ille Censorini annus, quem Ulpio et Pontiano coss. notat, Urbis Conditae 991., qui cum aerae Dionysianae sit 238., bisextilis non est, sed a bisexto secundus. Igitur et ducentesimus octogesimus tertius ante illum, hoc est primus Iulianus, bisextilis fuit, et 241., sive Iulianus 43., Iphiti 774., Lentulo et Marcellino coss., non bisextilis, sed ab eo secundus est. Quae omnia id quod modo propositum est certissime demonstrant, annum Iulianum primum per regressum in anteriora usuque nostro bisextilem esse, ut et Paulus Forosemproniensis docuit. Est autem in constituendis bisextilibus habendae non editionis Iulianae, sed Augustaeae ac nostrae ratio; id quod annalibus imposuisse videtur. In quibus cum ex Iulii Caesaris institutione bisextilem eum esse monstrasset annum, quo Lentulus et Marcellinus coss. fuerunt, confectam sibi rem putavit, quasi eandem quam a Iulio Caesare propositam affirmat bisextilium seriem Augustus retinuisset. Ex quo et illud manavit, ut τῇ ὑποθέσει δουλεύων annum Iulianum LI. legitimum ex Augusti correctione bisextum habuisse diceret. Nam sive ab eo ad XLIII. recurras, sive a primo Iuliano ad eundem XLIII. descendas, in bisextilem incides. Sed falsum est annum Iulianum ex Augusti reformatione bisextilem fuisse: praesertim si vitiosum bisextum duodecimum anno Iuliano XXXVI., quod Annales faciunt, tribuerimus, adeo ut Augustus anno XXXVIII. statuerit duodecim illos sine bisexto transigendos esse. Ut enim ab anno Iuliano XXXVII. primus ex duodenis illis ἀνεμβόλοις coeperit, duodecimus erit Iulianus
p. 106. XLVIII., quo exacto peremptisque bisextis superfluis tribus annus in viam reductus est. Hanc vero, ut ordine ac ratione deinceps insisteret, quarto post XLVIII. anno bisextilis annus collocandus fuit, Iuliano scilicet LII., ut ex Paulo Middelburg. superius ostendimus. At vero si LI. annum bisextilem Augustus esse voluit, in idem vitium incurrit quod Iulianae editionis initio commissum fuerat, nempe ut tertio post bisextilem anno bisextilis aliter poneretur. Denique nemo hactenus inventus est qui Iulianum LI. post Augusti emendationem bisextilem faceret.

Atenim trecentesimus sexagesimus quartus post illum bisextilis est, aut docendum in recensendis coss. vitium irrepsisse. Haec enim Annalium verba sunt. Sed et illud non minus falsum, annum aerae Christianae 364. post Lentulum et Marcellinum coss. esse trecentesimum sexagesimum quartum, cum vere sit ab illorum consulatu 366. Sciendum enim est duo in Annalibus paria consulum exempta, quibus ex ordine sublatis, Christiana aera, quae biennio hactenus anticipata fuerat, cum vulgari demum in concordiam rediit; quod idem in Onufrianis Fastis, pari coss. uno suppresso, contigit, de qua re opportunius alibi dicetur.

Iam vero, quod aera illa communis, quam a Christi natali repetimus, eundem natalem in finem Iuliani XLV. coniiciat, ex disputatis hactenus ita colligitur. Augustus imperator excessit anno Iuliano LIX. Est autem is aerae Dionysianae XIV., ut ante demonstratum est. Igitur aerae huius initium ex a. d. Kal. Ian. incipit anni Iuliani XLVI., adeoque natalis Christi Dionysianus cum anno Iuliano XLV. exeunte congruit. Quinetiam cyclorum pervulgata receptaque methodus vel pueris cognita huius rei fidem ab invitis extorquet. Nam si hoc anno, quo haec scribimus, qui est aerae Dionysianae MDCXXI., cyclus vulgo numeratur, solis VI., lunae VII., indict. IV., necesse est ut annus aerae primus cyclos habu-

erit, solis X., lunae II., indict. IV. Natalis vero Christi solis IX., lunae I., indict. a Kal. Ian. III. Non potest autem triplex hic postremus character alteri quam XLV. Iuliano tribui, Olymp. CXCIV. anno IV. labente, Urbis Romae a Palilibus Varronianis DCCLIII., id quod, si recte superiora posita sunt, necessario sequitur. Praetermitto sideris utriusque defectiones ac reliquos annorum characteres ac notas, quibus velut firmissimis praesidiis temporum haec doctrina munitur; de quibus plerisque hac tempestate docte accuteque scripserunt.

Ac de cyclis et id genus aliis mentionem hoc loco ne litera quidem attigissem, nisi a nonnullis totum hoc negotium improbari cernerem, ac tanquam inane atque otiosum rideri. Vidi ego nuper qui huic methodo pondus ac fidem iis rationibus detraheret. Primum cyclorum incertam aiebat esse dispositionem, neque quenquam unum cum altero convenire: quod alii alio solis ac lunae cyclo fabricatum velint universum. Sed huic facile a nobis occurritur. Nemo est enim, qui quidem duo ac tria numerare possit, qui in Dionysiana vulgarique forma cyclos aliter computet quam quivis e vulgo. Potest quidem in annorum, qui ab orbe condito fluxere, numero alter ab altero dissentire. Sed qui de annis inter se convenerint, in cyclis, nisi pecudes sint, conveniant necesse est. Habet vero magnum ea res ad annos evolvendos usum et opportunitatem, ut a teipso non dissideas, ut annorum varietates, quae sunt pro nationum diversitate multiplices, p. 107. certam ad regulam normamque dirigas, ut ab astronomicis observationibus in persequenda temporum descriptione non abhorreas. Etenim si anni Iuliani forma, quae post aliquot annorum millia recepta fuit, propter commoditatem ab omnibus hodie chronologis ad anteriora etiam tempora revocatur ad eamque referuntur iure caeterae, cur non in cyclis usurpare idem licebit? Quaeritur quo anno Cyrus in Perside regnare coeperit. Audies a chronologis anno primo Olymp. LV. imperium cepisse. Sed cum Olympiades ab aestivo solstitio ineant, utrum de prioribus VI. anni illius mensibus, an de posterioribus loquantur, hoc est de anno periodi Iulianae 4154., an 4155., nihilo magis agnosces. Quod si chronologus ille, quisquis est, cyclos addiderit, statim utro anno factum dixerit necessario decebimur.

Atenim in anno aliquo primum cycli defixi esse debent, quo ex anno reliquorum cycli pendeant. Is autem neque ex scriptura neque aliunde potest colligi. Itane vero? De cyclis inter Christianos hodie non convenit, qui quidem communem matricis ecclesiae, hoc est Romanae, usum retinent? Non omnes annum Christi natalem in cyclum solis IX., lunae I. conferunt? Quis est qui, si alios in ista methodo cyclos statuerit, non vel ab logistica refellatur? Habemus igitur in aera Dionysiana statos et fixos annorum cyclos, a quibus tam ad superiora quam ad inferiora tempora progredi in infinitum licet: neque necesse est id ex ullius testimonio scriptoris vel eclipsi ex aliqua constare, cum consensu omnium stabilita sit ista methodus et in usum deducta. Postremo illud opponitur, quod ad cyclorum ac coelestium omnium φαινομένων elevandam fidem pertinet. Nam cum eclipsin aliquam Tacitus puta, vel Dio, certo anno contigisse narrant, horum scriptorum testimonium fidem non facit humana maiorem. Quare quod indidem elicitur, tantam habet certitudinem, quanta historici illius esse potest, qui id affirmat, autoritas. Ex quibus non mediocriter aberrare contendit eos omnes qui ex istiusmodi rebus demonstrationes pollicentur et de diebus atque horis sane fidenter pronunciant, tanquam nuper ex deorum concilio aut intermundiis Epicuri descenderint. Ita enim iocari voluit, quod necesse non fuit. Verum quid illud est, quaeso, quod istic audio? Non habent mathematicorum

observationes maiorem humana fidem? Acciderit haec eclipsis hoc vel illo imperatoris anno, historiae fide nititur, quae tametsi humana sit, ab ea tamen recedere vix interdum esse videatur hominis. Sed cum ad Iulianos praesertim annos, quos omnes sibi chronologi praefigunt, deducta res fuerit, quoto anno eclipsis illa contigerit, non humana iam fide, hoc est sola scriptoris autoritate, sed certissima demonstratione constat, de qua nisi prius imperitia numerandi vel tabularum vitio lapsus sit, dubitare nemo poterit. Ecce tibi in hoc, quod tractamus, argumento quanta sit istorum characterum utilitas potes animadvertere. Quod paulo post Augusti mortem luna defecerit etsi ex historicorum testificatione credimus, est ea tamen constans opinio, de cuius veritate ne levissime quidem dubitatur. Iam quotus hic annus sit aerae Christianae quaeritur. Qui cyclorum
p. 108. et ecclipseon methodum damnant, anno Dionysiano XVI. tribuere solent. Atqui is est XIV., nec ulla unquam astronomia alium huic ecclipsi, quae paucis post Augusti mortem diebus, Septembri mense contigit, annum definiet. Quis non igitur ex eo confici necessario putabit, Augustum aerae Christianae anno XIV. mortuum esse, non XVI.? Vides maiorem humana fidem, cum humana tamen implicatam et connexam: quae tametsi humanae, hoc est alterius, qua sola isti nituntur, esset similis, non ideo tamen aspernanda foret, quod humana, sed vel eo nomine commendanda, quod ad humanam humana fides adiuncta, ut non humana maiorem, ita simplici, eaque, qua contenti illi sunt, certiorem credulitatem pareret.

DE VULGARI METHODO QUA CHRISTI NATALIS ANNUS INVESTIGATUR. UBI ET DE AERA DIONYSIANA.

Nimis multa fecisse verba videor, nec dum tamen rei ipsius caput attigisse. Nondum enim quo anno quibusve coss. natus sit exposuimus. Hoc igitur quicunque certa ratione investigare conati sunt, licet non eadem inter se senserint, uno tamen eodemque Lucae testimonio freti diversas in partes abierunt. Scripserat evangelista baptizatum esse dominum anno XV. Tiberii, *cum esset quasi annorum triginta:* Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος ὢν, ὡς ἐνομίζετο etc. Quae verba unum istud significant, non multum a tricesimo anno aetatis abfuisse. Sed utrum tricesimo absoluto et altero ac tricesimo ineunte, an post XXIX. ineunte XXX. id acciderit, diserte non explicant. Imo vero licet aliquis Christum anno XXVIII., vel XXXIII., baptizatum esse dicat, non tamen evangelicae autoritati meo iudicio repugnet, de quo postmodum videbitur. Sed qui Lucae verba angustioribus spatiis circumscripserunt, alii XXX tunc annos expletos fuisse, alii XXIX duntaxat opinati sunt. Utrique vero baptizatum volunt Christum Geminis duobus coss. anno Iuliano LXXIV., quod in eum incidat Tiberii annus XV. superiore anno ex A. D. XIV. Kal. Sept. inchoatus. Unde cum in baptismi anno conveniant, in natali ipso uno anno dissident. Priorem de expleto tricesimo anno sectam et opinionem Annales Ecclesiastici sequuntur, eandemque tuetur acerrime Scaliger VI. de Emend. Temp. Sed magno, ut solet, conatu levissime probat. Sic enim disserit: Christus Dominus XXX annos absolverat. Nam XXX annorum is esse dicitur qui tricesimum annum absolvit: ut anniculus est is qui CCCLXV. diem attigit, Leg. Annic. de Verb. sign. Quod autem scripsit Lucas, ὡσεὶ τριάκοντα, particula ista Caph est non ἀπορητικὸν, sed ἀληθινὸν, ut illud Ioan. I. *quasi unigeniti a patre. Sed esto,* inquit, ἀπορητικὸν: *Pauci igitur dies complendo* XXX. *anno deerant, puta* XX, *vel mensis: quanquam ne mensis quidem defuturus videatur, si* ὡσεὶ ἀπορητικῶς *accipiamus. Sed mensis desideretur, aut duo menses anno tricesimo absolvendo; et dies baptismi esto* VI. *Ian. Ergo eodem anno paulo*

post baptismum, puta Februario, coeperit annum XXXVI. Iam vero Lucae verba perinde accipit ac si esset scriptum: καὶ αὐτὸς ὁ Ἰησοῦς ἤρχετο ὢν ἐτῶν τριάκοντα, ὡὸς, ὡς ἐνομίζετο. Sed haec Scaligeriana loci illius expositio, ut hinc potissimum exordiar, absurda est et barbara. Quis enim ita Graece loquentem ferat: Ἰησοῦς ἦν ὢν ἀρχόμενος, pro eo quod est: ἤρχετο ὤν. Satin' ridiculum ac putidum est, ἐγὼ εἰμι ὢν ἀρχόμενος, pro ἐγὼ ἄρχομαι. Atqui hanc ipsam interpretationem anteponit alteri, quae minus habet absurditatis, tametsi ne ea quidem placet; quasi Lucas id voluerit, ἤρχετο ὢν τριάκοντα ἐτῶν, ὢν ὡς ἐνομίζετο. Quare multo est ille sensus aptior, ut ὢν ad posteriora referatur, ἀρχόμενος ad superiora. Ἦν ὁ Ἰησοῦς ἀρχόμενος ὡσεὶ ἐτῶν λ, ὢν ὡς ἐνομίζετο, ὑὸς etc. Epiphanius certe haeresi LXXVIII., num. VII. ὢν ad ὑὸς, non ad ἀρχόμενος pertinere docuit, com ita locum illum protulit: ὅτι ὢν ὑὸς, ὡς ἐνομίζετο Ἰωσήφ. Quinetiam haeresi XXX., num. XXIX. ἦν δὲ Ἰησοῦς ἀρχόμενος εἶναι. Sed controversiae quaestionisque caput in ὡσεὶ particula positum est, quod ut plurimum ἀπορητικὸν esse solet et de perfecto absolutoque reistatu nonnihil detrahit. Hoc vero loco non ἀπορητικὸν, sed ἀληθινὸν, ac prorsus affirmativum esse Scaliger et cum eo plerique sentiunt. Qui mihi vim usumque voculae istius non satis animadvertisse videntur. Nos triplicem illius potestatem apud Graecos observavimus. Prima est, cum ἐνδοιαστικῶς, vel ἀπορητικῶς, sumitur, ut apud Lucam cap. XXII, 41.: καὶ αὐτὸς ἀπεσπάσθη ἀπ' αὐτῶν ὡσεὶ λίθου βολήν; et cap. I, 56: ἔμεινε δὲ Μαριὰμ σὺν αὐτῇ ὡσεὶ μῆνας τρεῖς. Secunda vis est συγκριτική, sive comparativa. Ita Luc. III: καὶ καταβῆναι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον σωματικῷ εἴδει ὡσεὶ περιστερὰν. Quanquam haec posterior notio ad priorem potest referri. Quod enim alteri simile dicitur, non idem est omnino. Tertio demum αἰτιολογικὸν est ὡσεὶ, sive causativum. Nam si quis diligenter attenderit, inveniet particulam ὡς vel ὡσεὶ, nisi ambobus illis modis usurpetur, caussam continere, propter quam id quod narratur acciderit. Sic apud Homerum Ὀδυσσ. ξ, 253. p. 109.

Ἐπλέομεν Βορέῃ ἀνέμῳ ἀκραέϊ, καλῷ,
Ῥηϊδίως, ὡσεί τε κατὰ ῥόον.

Cur facile navigaret, caussam continet vox ὡσεὶ, videlicet quod secundo mari ferretur, ὡς ἐν ὕδατι κάτω ῥέοντι, καὶ οὐ στατῷ κατ' ἰσότητα ἐπιφανείας, ait Eustathius. Similiter in illo Ioannis loco, δόξαν ὡς μονογενοῦς: *gloriam eius, quasi unigeniti*, ἐμφατικὸν et αἰτιολογικὸν est ὡς. Cur enim tanta sit gloria, conditionis eius ac dignitati debet adscribi. Quare idem est quod *utpote*. Sed ea significatio particulae ὡς potius quam ὡσεὶ convenit. Imo, ut in Thesauro Stephanus monet, ὡσεὶ frequentius usurpatur pro *circiter, fere*, ac fortasse nunquam aliter, praesertim in prosa oratione sumitur. Unde colligas perperam Ioannis illum locum ad id afferri, ut tricesimus annus solidus ac completus baptismi tempore fuisse videatur. Primum ibi est ὡς, non ὡσεὶ, et apud interpretem nostrum *quasi* idem est ac *tanquam*. Deinde αἰτιολογικῶς et ἐμφατικῶς usurpatur. At in altero illo Lucae loco ὡσεὶ αἰτιολογίαν nullam aut ἔμφασιν habet, aut vero similitudinem. Non recte igitur cum superiore confertur.

De *anniculi* notione quod proponit Scaliger, nihil ad rem facit. Aliud enim est *agniculus*, aliud *quasi anniculus*, de quo sermo nobis est. Reliqua Scaligeri collectio implicata et inanis est. Nam quis haec intelligat? Si ὡσεὶ ἀπορητικὸν sit, dies tantum XX, aut ad summum mensem ad rotundum defuisse numerum. Quare ut Ianuarii VI. baptizatus fuerit, Februario mense tricesimum implesse. Quasi vero qui ὡσεὶ apud Lucam ἀπορητικῶς sumi voluerunt, Christum Februario mense natum esse crediderint; ut Onufrius, qui duodecimo prope mense post baptismum vertente triginta demum annos evolutos existimat. Neque vero ὡσεὶ p. 110.

ἀπορητικῶς sumptum paucorum tantum dierum, aut unius mensis, imo anni discrimen facit. Sed qui paucis annis infra aut supra numerum consistit, ὡςεὶ τριάκοντα ἐτῶν dici potest, ut Epiphanius alicubi disputat.

Quod ipsum Keplerus cap. XIII. alterius loci comparatione erudite declarat. Nam cum Matth. XVI. scriptum sit, post institutum a domino sermonem, μεθ' ἡμέρας ἓξ transfiguratum esse, Lucas eandem historiam exponens cap. IX. id post dies ὡςεὶ ὀκτὼ ab illo ipso sermone factum esse narrat. Ubi eadem ὡςεὶ vocula usus est, cum ad verum numerum biduum, hoc est tertiam partem addidisset. At instat Scaliger. Et *Nullus*, inquit, *Graecismus patitur*: ἐγὼ ἄρχομαι τριάκοντα ἐτῶν, *pro* ἄρχομαι τοῦ τριακοστοῦ ἔτους. *Iesus* ἦν τριάκοντα ἐτῶν *toto anno* XXXI., *sed absoluto tricesimo statim dicebatur* ἄρχεσθαι ὢν τριάκοντα ἐτῶν. *Non enim intelligunt participium* ὤν *tacitum, quod omissum est ne repetatur*, ἦν ἀρχόμενος, *id est* ἤρχετο. Haec ille. Vis est igitur omnis in vocabulo isto, ἀρχόμενος posita; quod ad initium aetatis tricenariae referunt omnes. Sed Onufrius XXIX annos evolutos ac paucos dies tricesimo libatos existimat, quasi istud sit ἄρχεσθαι εἶναι ὡςεὶ ἐτῶν λ. Scaliger negat probam esse locutionem, nisi triginta iam anni completi sint. Mihi vero, ut ingenue dicam quod sentio, alia vis esse videtur participii illius, quam ut inchoatum aut expletum tricenarium demonstret. Nam cum particula ὡςεὶ, ut supra declaratum est, diminuendi vel dubitandi notionem habeat, quis est qui scripsisse Lucam putet: *Incipiebat esse Iesus plus minus annorum triginta?* Hoc enim esset ad infinitam particulam infinitum verbum adiicere, cum tam ὡςεὶ quam ἀρχόμενος infinitam minimeque determinatam significationem habeant. Placet igitur verbum ἄρχεσθαι ad initium praedicationis, οἰκονομίας vel τῆς ἐπιφανείας referre; quia post baptismum, qui hactenus delituerat, in apertum lucemque prodire coepit. Quam loci huius interpretationem postea apud Iansenium scriptorem eruditissimum reperi, qui eandem caeteris anteponit omnibus. Praesertim cum Act. I. com. 22. eodem sensu verbum illud usurpatum fuerit: ἐν ᾧ εἰςῆλθε καὶ ἐξῆλθεν ἐφ' ἡμᾶς ὁ κύριος Ἰησοῦς ἀρξάμενος ἀπὸ τοῦ βαπτίσματος Ἰωάννου. Et cap. X, 37. ἀρξάμενον ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας μετὰ τὸ βάπτισμα. Quae si vera sunt, apparet ex illis Lucae verbis certum aetatis Christi tempus definiri non posse. Nec est quod certorum Patrum opponatur autoritas, qui non aliud affirmare possunt quam quod ex Luca didicerunt, neque est ulla ratio cur ex illorum verbis Lucam interpretemur potius quam ex Luca quae ab illis asseverari videntur. Quanquam tametsi non modo Patres, sed et Lucas ipse
p. 111. perfectos consummatosque tricenos annos diceret, nihil tamen obstaret, quin, si minus cum historia congrueret, eodem id acciperemus sensu quo cap. II, 21. Lucas idem dixit: *Post consummatos octo dies;* cum octavo ipso circumcisus sit puer, ut Iansenius observat. Frustra igitur Ignatii locus ille ex Epist. ad Trall. velut *peremptorius* obiicitur: καὶ τρεῖς δεκάδας ἐτῶν πολιτευσάμενος ἐβαπτίσθη ὑπὸ Ἰωάννου; *adversus quem nemo vel mutire, nedum refragari iure debeat.* An enim plus est dicere: ἐπολιτεύσατο τρεῖς δεκάδας, quam, ἐπλήσθησαν ἡμέραι ὀκτὼ, aut quod alibi de transfiguratione legitur, μεθ' ἡμέρας ὡςεὶ ὀκτὼ cum sex tantum a Matthaeo solidi numerentur. Miror tantum in illis Ignatii verbis aliquid momenti ad illam sententiam inesse nonnullos arbitrari. Ac si autoritate res agitur, habemus antiquissimos, gravissimosque Patres, qui non ut Ignatius obscure, sed aperte, quemadmodum Lucae verba a nobis interpretanda forent, opinione sua docuerunt. Iustinus Martyr Dial. cum Tryphone pag. 92. edit. Rob. Steph. καὶ τριάκοντα ἔτη, ἢ πλείονα, ἢ καὶ ἐλάσσονα μείνας, μέχρις οὗ προελήλυθεν Ἰωάννης κῆρυξ αὐτοῦ. Dubitat utrum annos triginta Christus excesserit, an infra illos con-

stiterit, cum ad Ioannem accessit. Cur ita? Nonne quod Lucas ἀπορητικῶς loqui visus est, cum ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα scripsit? At Irenaeus tantum ab rigidis illis praefractisque vocularum interpretibus abhorret, ut lib. II. cap. XXXIX. Christum baptismi tempore nondum aetatis annum tricesimum explevisse censeat. Praetermitto recentiores apostolicis illis temporibus Patres, caeterosque graves et eruditos homines, qui Lucae testimonium ἀδιορίστως aetatem Christi ac πλατυκῶς significare non dubitant. Nec defuerunt qui pro ἀρχόμενος, ἐρχόμενος legerint, ut Epiphanius et Euthymius; adeo participium ἀρχόμενος ad officii et praedicationis exordium, non ad ineuntem aetatem illorum sententia revocatur.

Sed est aliud quiddam, quod veteres perinde ac recentiores omnes qui de natali anno Christi disputarunt tanquam certissimum vulgo sumpserunt, nimirum Christum anno XV. Tiberii baptizatum fuisse. Unde cum Tiberii XV. coeperit anno Iuliano LXXIII., Silano et Nerva coss. ex a. d. XIV. Kal. Sept. et baptismus Christi in Ianuarii VI. incurrerit, convenit anno Iuliano LXXIV. Geminis duobus coss., quae est omnium fere communis opinio. Quod illorum firmamentum si quis extorserit, omnis illa Christi natalis investigandi ratio labefactata concidit. Atqui anno ipso Tiberi XV. baptizatum esse Christum unde tandem habuerunt? Lucas enim cap. III., anno XV. Tiberii Ioannem sancti spiritus afflatu ad praedicandam poenitentiam prodiisse narrat, non vero Christum eodem illo Tiberi XV. anno a Ioanne baptizatum. Etenim fieri potest ut Iuliano LXXIV., Tiberii XV. exeunte, utputa Augusto ineunte, Ioannes relicta solitudine in publicum emerserit, et anno LXXV. Iuliano baptizatus ab eodem sit Christus, Tiberii XVI. Quod a nemine, quantum sciam, hactenus observatum plurimum ad communis ac Dionysianae aerae patrocinium confert. Nemo est enim tam parum, non dicam mathematicis artibus, sed vulgari illa peritia subducendorum temporum instructus, qui non pugnare secum illos omnes animadvertat, qui natalem domini ex aera vulgari alio anno, quam Iuliano XLV., Lentulo et Pisone coss., collocandum scri- p. 112.
pserunt, ita ut primus eorum, quos a natali Christi putamus, Iulianus sit XLVI., C. Caesare et Paulo coss. Quod quidem eclipseon ac coelestium motuum descriptio et cycli ipsi ex vulgari methodo satis evincunt, ut abunde hactenus ostendimus. Quod si quis aeram vulgarem, quam Dionysianam vocant, cum iis omnibus conciliare voluerit, imo consentire ipse secum, primum Iuliano anno ac coss. quos dixi natalem Christi tribuere debet, tum eundem Christum Iuliano LXXV. baptizatum asserere, anno aetatis XXIX. iam completo, et ineunte XXX. Alioqui cum Geminorum consulatus anno XXIX. Dionysianae aerae congruat, cyclo solis X., lunae XI. Christus expletis duntaxat XXVIII annis baptizatus fuerit. Imo vero si Dionysii illius aerae conditoris ac Bedae decretis insistimus, nonnisi XXVII annos absolverat Christus, cum ad Ioannem venit.

QUOMODO VULGARIS AERA CHRISTI AB AUTORIS DIONYSII INSTITUTO DISSIDEAT.

Sciendum enim est annum illum, quem aerae vulgaris primum facimus et proxime a natali ipso Salvatoris auspicamur, a primo illius autore incarnationis ac natalis annum esse constitutum, id quod ex Dionysii ipsius ac Bedae testimonio planum faciam. Nam Dionysius, ut autor est Beda lib. de Temp. Ratione cap. XLV. et alibi saepe, cyclum suum annorum DXXXII ab eo inchoavit anno qui incarnationem et nativitatem antecessit. Itaque primum annum cycli sui voluit eum esse, qui est aerae communis DXXXII., secundum vero eum qui est DXXXIII.

Quo fit, ut si retro progredi volueris, annus primus cycli Dionysiani proxime incarnationis ac nativitatis annum praecedat. Idem in Computo cap. XVII. repetit Beda, et ne qua dubitatio possit esse, certos characteres addit, quibus secundus ille annus cycli ab aliis discernitur. Veluti quod epactas habuerit XI, concurrentes V, luna item XIV. in VIII. Kal. Apr., dominica vero paschalis VI. Kal. Apr., luna XVI. Est enim hic annus aerae communis primus, cyclo solis X., lunae II., epactae XI., concurrentes V. Novilunium medium ex Frisicis Mulleri Tabulis Martii XIII. hora 7, 59, 39, post med. noctem, luna XIV., Martii XXVI.: sed ob προήγησιν Nicaenis temporibus, ad quae Dionysius cyclum suum dirigit, novilunium Martii XII., luna XIV., Martii XXV., sive VIII. Kal. Apr., lit. dominic. B. Proinde Martii XXVII. dominica. Hinc est quod, ut scribit Beda, Dionysius ad methodum decemnovennalis annis domini unum adiici iubet, *significans illo incarnato unum circuli decemnovennalis annum iam fuisse completum.* Quibus ex Bedae Dionysiique verbis vitiosam Dionysianorum cyclorum descriptionem esse patet, quae apud
p. 113. eundem Bedam tomo I. reperitur. Ibi enim anno primo litera E ponitur, anno secundo, D, C. Atqui primus annus cycli Dionysiani bisextilis est, non secundus, qui habet literam B, uti prior D, C. Ideo merito Beda correxit et bisextilem cycli primum annum esse voluit. Quanquam suspicari licet Dionysium primo annum natalem in tertium Olymp. CXCIV. coniicientem recte adnotasse proximum illum ante bisextilem fuisse, eique propterea literam E tribuisse, postea tamen hallucinatum natalem summovisse in annum IV. Olymp. eiusdem, vel certe alteram quempiam adscripsisse literam E, quam convenire nosset anno III. Olymp. CXCIV., cui Dionysius natalem assignaverat, nec advertisse minus hoc ad suum institutum quadrare. Utcunque vero ceciderit, nos aeram Dionysianam uno anticipamus anno, et quem ille incarnationis et nativitatis annum esse voluit, proximum a nativitate constituimus quod imprudentibus nobis obrepsit. Cum enim maiores nostri annos ab incarnatione numerarent, postea factum est, ut qui nativitate potius initium repetere vellent, cum IX menses detrahere deberent, tribus antevertere maluerint, et ab eo natali, qui incarnationis epocham antecedit, non ab eo qui sequitur, numerandi principium duxerint. Tametsi vetustissimus hic error est adeoque Dionysii ipsius ac Bedae. Hinc illa velut ex tripode pronunciata sententia: *Habet enim, nisi fallor, ecclesiae fides, dominum in carne paulo plus quam* XXXIII *annis usque ad sua tempora passionis vixisse, quia videlicet* XXX *annorum fuerit baptizatus, sicut evangelista Lucas testatur, et tres semis annos post baptisma praedicaverit.* Haec Beda cap. illo XLVII. Quae si ex ecclesiae ut asserit fide decreta sint, nihil caussae est quin ipsa contra communem ecclesiae fidem sentiat. Etenim Christum passum esse tradit anno aerae nostrae XXXIV. Unde quemadmodum annum aerae nostrae DXXXIII., qui est secundi Dionysiani cycli secundus, respondere censet anno illi quo Christus incarnatus est, ita ad DXXXII addi iubet XXXIV, ut fiant DLXVI, qui annus respondeat alteri illi quo passus est dominus, qui est aerae XXXIV. Apparet igitur apud Bedam et Dionysium eo anno, qui est aerae communis XXXIV., cycli Dionysiani XXXV., Christum esse passum. Quare cum, ut illi statuunt, anno cycli secundo, aerae autem primo, incarnatus natusque sit dominus, cum passus est, annos absolverat duntaxat XXXII cum aliquot mensibus. Nisi forte annum aetatis primum numeremus illum, quo
p. 456. in utero matris gestatus est; quod absurdissimum est. Et tamen Campanus insignis computorum artifex in illud prolapsus est. Nam in Computo cap. XXIV. et XXXII. Christum dominum natum asseverat anno cycli decemnovennalis secundo, cycli vero epactarum tertio, ante II menses inchoato, die vicesima quarta

lunationis embolimaeae, quae secundo Decembris iniit, cyclo solis x., litera dom. B. Non alius hic annus est quam aerae Dionysianae primus, cycli Dionysiani secundus, quem nos primum a natali computare solemus; quo cyclus epactarum tertius, qui idem est cum Alexandrino, ab Septembri mense coepit, currente aureo num. II. Rursus passum esse Christum docet anno aetatis XXXIV., quo pascha in IV. Eid. Apr. incidit. Est is annus aerae Dionysianae XXXV., quo cyclo labente lunae XVII., neomenia Nisan Nicaeni cadit in Martii XXVII., feria I., cyclo solis XVI., litera dom. B. Quare decima quarta paschalis incurrit in IX. Apr. fer. VII.. Postridie itaque dominica paschalis. Atqui ut Christus natus sit exeunte anno Dionysiano secundo, anno XXXIV. exeunte, non amplius XXXII annos solidos expleverit, ineunte vero XXXV. tricesimum tertium inchoabat. Ergo primum aetatis annum Campanus eum numerat quo in materno utero gestatus est.

DE SIGEBERTI, MARIANI, ALIORUMQUE CHRONOLOGORUM HALLUCINATIONE, QUOD AD AERAE ANTICIPATIONEM PERTINET. p. 114.

Quod est a nobis proxime disputatum, Dionysianam aeram, cum ab anno incarnationis inchoanda sit ab eo qui nativitatem sequitur, hodierno usu repeti, prima fronte Sigebertus animadvertisse videri potest. Nam ad annum DXXXII. haec adnotat: *Ab hoc etiam anno Dionysius abbas orditur cyclum suum, cyclorum* V *decemnovennalium. Et quia secundus annus huius operis concordare debet in ratione computi primo anno nativitatis Christi, debet* XXXV. *annus cycli Dionysiani concordare in ratione computi tricesimo tertio anno nativitatis Christi, scilicet ut* XIV. *luna Aprilis occurrat* IX. *Kal. Apr. in* V. *feria, passio Christi* VIII. *Kal. Apr. in* VI. *feria, resurrectio* VI. *Kal. Apr. in dominica die. Sed quia non ita occurrit, sed luna* XIV. *Aprilis occurrit eo anno* XII. *Kal. Apr. in prima feria, dominica vero dies paschae in* V. *Kal. Apr. ideo improbatur, quia repugnat evangelicae veritati.* Haec Sigebertus. Quae cum obscurissima sunt; tum vero cum ait annum cycli Dionysiani XXXV. respondere XXXIII. nativitatis, istud ipsum, quod a nobis observatum est, affirmare videtur. Nam si Dionysianus cyclus uno anno incarnationem antecedit, necesse est ut eiusdem cycli tertius primus sit post nativitatem, adeoque cycli XXXV. sit a nativitate XXXIII. Ita annos nativitatis post nativitatem ipsam cuipiam inchoare videbitur. Verum character ille, quem subiicit, aliud nos existimare cogit. Etenim Dionysianam aeram damnat, quod cum annus cycli XXXV. cum anno nativitatis XXXIII. convenire debeat, quia secundus cycli primus est nativitatis, nequaquam tamen consentiat; propterea quod XXXV. cycli lunam habet XIV. in XII. Kal. Apr., feria I., hoc est Martii XXI., pascha vero V. Kal. Apr., annus autem nativitatis XXXIII. lunam XIV. habuerit IX. Kal. Apr., feria V., pascha VI. Kal. Apr. Igitur XXXV. cum XXXIII. non, ut debebat, congruit. Ita Sigebertus. Idem ad annum MLXXVI. ista scribit: *Hoc anno, qui est* XIII. *annus primi decemnovennalis cycli in repetito magno anno Dionysii, duobus magnis annis a passione domini revolutis, omnia, quae ad cursum solis et lunae spectant, anno dominicae passionis concordant. Unde apparet quod Dionysius non recte annos domini cyclo suo annexuit. Quia enim ab anno domini* DXXXII. *cyclum suum orditus est, nimirum intendit Christum fuisse natum anno secundo prioris magni anni, ac per hoc hic annus anno dominicae passionis concordans debuisset esse magni cycli annus non* XIII., *sed* XXXIII., *quia is fuit annus passionis domini, et per hanc consequentiam solaris et lunaris cursus concordant evangelicae veritati. Dionysius posuit nativitatem Christi* XXI. *annis tardius quam de-*

buit. Haec ille. Cum in superiore loco definiisset, annum XXIV. cycli debere esse nativitatis XXXIII., quo passus est dominus, nunc ut idem passionis annus cum eo, qui XIII. numeratur, omni ex parte consentiat, ait ipsum debere esse cycli
p. 115. tricesimum tertium. Atqui XXXIII. cycli nativitatis, sive potius incarnationis, est XXXII. Quis hallucinationem non videt? Ex iis apparet nihil de biennio, quod ante annum natalis Dionysiani numerandum esse docuimus, in mentem Sigeberto venisse, et nativitatis annum ab eo cum incarnationis anno confundi; quoniam quidem secundum annum cycli, qui haud dubie incarnationis apud illos primus est, primum aeque nativitatis esse definit. Sed in illis duobus Sigeberti locis multa sunt partim scriptoris culpa, partim librarii incuria depravata. Ac priore quidem in loco nullum in numeralibus notis mendum esse, cum XXIV. cycli annum nominat, character ipse satis ostendit. Ait enim hoc anno decimam quartam lunam Aprilis (Aprilis lunam identidem appellat, non quae Aprili mense initium habeat, sed quae in Aprilem desinat, quod scholiastes quidam minus animadvertens vitiosum esse credidit) XII. Kal. Apr., feria I. convenire, pascha vero V. Kal. Apr., quod omnino magni cycli anno XXXV. congruit, aerae Dionysianae XXXIV., cyclo solis XV., litera dom. C., cyclo lunae XVI. Novilunium paschale Nicaenum (nam προήγησιν nullam saeculum illud agnovit) Martii VIII.; proinde luna XIV. Martii XXI. Hunc annum cum XXXIII. nativitatis anno consentire debere Sigebertus asserit, uti lunam XIV. habeat IX. Kal. April., feria V., pascha VI. Kal. Apr., quandoquidem annus ille nativitatis eosdem illos characteres obtinet. Fungum, non hominem, oportet esse cui istud persuadeat. Annus nativitatis, sive aerae Dionysianae XXXIII., respondet cycli Dionysiani non XXIV., sed XXXIV., si quidem annus primus nativitatis est cycli secundus. Habet porro cyclum lunae XV., lunam vero XIV. in Kal. ipsis Apr. cyclus solis est XIV., pascha Apr. V., litera D. Quocirca apud Sigebertum in priore loco legendum: *trigesimo quarto anno nativitatis Christi*, pro *trigesimo tertio*. At in posteriore ita corrigendum videatur: *non tertius decimus, sed tricesimus quartus*, pro *tricesimus tertius*. Quod et sequentia docent, cum ait *Dionysium nativitatis Christi posuisse* XXI *annis tardius quam debuerat*. Adde XXI ad XIII, fient XXXIV anni magni cycli Dionysiani; qui quidem annus incarnationis erit XXXIII. Verum cum superioribus pugnabit istud, ubi XXXV. cycli passionis annum esse voluit. Igitur hunc in modum potius posteriore loco legendum: *debuisset esse magni cycli annus, non* XIII., *sed* XXXV., et mox: *Dionysius posuit nativitatem Christi* XXII *annis tardius, quam debuit*, non autem XXI.

Etenim vulgo persuasum illis omnibus erat, Christum passum esse XXV. Martii, feria VI., resurrexisse vero Martii XXVII., feria I. Quo velut postulato et axiomate freti historiam ac temporum annorumque seriem ad suam illam πρόληψιν accomodare maluerunt, quam illud ipsum cuiusmodi esset diligenter inquirere. Itaque cum anni in toto Dionysiano cyclo tres omnino characterem hunc habere possint, nimirum XIII., qui est aerae XII., cui cyclus lunae congruit XIII., solis XXI., litera domin. CB: Item annus CCLX., aerae CCLIX., cyclo solis XVI., litera B, lunae XIII., ac postremo CCCCL., aerae CCCCXLIX., cyclo solis X., litera B, lunae XIII., pro eo quod caeteri remotiores essent, primum arripuerunt
p. 116. annum, qui est cycli Dionysiani XIII., aerae XII., et a Dionysio μετοχρονισμῷ peccatum esse dixerunt annorum XXII, adeo ut qui numeratur incarnationis XII., cycli XIII., debuerit incarnationis esse XXXIV., cycli XXXV. Testatur id praeter Sigebertum Marianus Scotus, qui ad annum DXXXII. notat hunc ipsum annum primum esse magni cycli Dionysiani, cuius anno XIII. resurrexit dominus VIII.

Kal. Apr., luna XVII. (sed pro VIII. *Kal.* emendandum est VI. *Kal.*; alioqui cyclus esset lunae V., non XIII.) hoc est anno XII. incarnatianis, iuxta Dionysium. Cum autem ad annum DXXXIV. Bedae locum citat, quasi sit annus Diocletiani CCXLVIII., scito librariorum errore factum, ut haec nota, quae ad annum DXXXII. adscribi debuit, in DXXXIV. coniiceretur; ne quis forte Marianum discrimen illud biennii, quod ante annos aliquot urgeri coepit, agnovisse cum Scaligero censeat. Hic enim lib. VI. p. 513. ed. 2. de Emend. Temp. Dionysianam aeram biennio quam par sit breviorem a Mariano dici confirmat, et haec ipsius verba commemorat: *Anno ad veritatem Evangelii* MLXXVI., *secundum vero Dionysii cyclum* MLXXIV., *Hillibrandus, qui et Gregorius* etc. Quae quidem verba in editione Francoford. Pistoriana, quae mihi cum haec scriberem ad manum erat, nusquam reperi. Sed ut alicubi legantur, quis non emendandas esse numerales notas videat? Etenim Dionysii cyclus vulgarem aeram uno praecedit anno, estque cycli secundus aerae primus. Unde si quis aeram biennio promoveat, incidet in decemnovennalis cycli annum XIX., magni cycli Dionysiani DXXXII., hoc est alterius cycli postulatitii ac proleptici ultimum. Ideoque annus verioris aerae MLXXVI. erit Dionysiani cycli MLXIV., non MLXXIV. Debuisset Marianus non cyclum Dionysii, sed aeram dicere. Cyclum enim Dionysianum neque Marianus neque Sigebertus improbant: sed incarnationis annis perverse duntaxat illigatum existimant; in quo non biennio, sed annis solidis duobus et viginti aberratum esse statuunt. Et cum errorem istum vulgari annorum rationi tam constanter adscribant, mirum est illos in Chronologiis suis ad eam ipsam adhaesisse quam damnaverant, neque aliter quam ex Dionysiano praescripto tempora digessisse. Marianus enim ad eum annum qui incarnationem et natalem domini ἀμίσως antecedit, haec observat: *Cyclus magnus paschalis incipit hinc: in cuius anno secundo iuxta Dionysium indictione tertia natus est Dominus.* Idem etiam anno sequenti, Urbis DCCLII., Lentulo et Messalino coss. Olymp. CXCIV., anno III. indict. IV. die dominico natum esse Christum asseverat. Itaque Christianam aeram a cyclo Dionysiano II. exorsus est, cyclo solis X., litera dom. B., tam in emendata bisexti ratione quam in vitiosa illa, qualem ex Paulo Middelburgensi supra proposuimus. Sed cum idem Marianus Christum ait secundum Dionysium natum indict. III., librarii culpa III. pro IV. irrepsit. Nam subinde indict. IV. natus dicitur. Tametsi ne hoc quidem verum est, indictione IV. natum esse, sed V., si quidem indictiones a Septembri, ut Beda docet, exordiri velimus. Cum enim primus annus Dionysiani cycli indict. III. coeperit, cuius a Septembri quarta coepit indictio, consequens est annum eiusdem cycli II., qui indict. IV. coepit, in fine, hoc est a Septembri, indictionem quintam habuisse; et quoniam Christus, ut toties Marianus occinit, anno cycli secundo natus est, indictione haud dubie quinta natum esse. p. 117.

Ut autem nulla Scaligerianae suspitioni latebra supersit, qua biennii προχρονισμὸν illum, quem Dionysianae aerae tribuit, Mariano suboluisse coniicit, admonendus lector est apud Marianum, quae ad annos adscripta sunt scholia saepenumero luxata suo loco et alieno posita videri, nec raro numerorum notas esse mendosas. Exempli caussa annum primum cycli Dionysiani componit cum anno Urbis DCCXLIX., Sabino et Passieno coss. Tum anno sequenti Lentulo et Messalino coss. anno primo Christi, numerat Urbis DCCLII. Olympiadis vero CXCIV. annum III. Atqui annus esse debuit Urbis DCCL., ut est in Fastis Cassiodori et Caspiniani. Erratum igitur a librario est, qui 752. pro 750. exscripsit. Proindeque non tres anni desunt, ut is qui editioni praefuit adnotavit, neque, ut deessent aliqui, plures duobus inserendi forent. Non enim animadvertit aeram Christianam

non post nativitatem, ut hodie fit, a Mariano et mediae vetustatis chronologis, sed ab ipso incarnationis anno repeti. Nec minus in reliquorum notis annorum sive Marianus ipse, sive librarius peccat; etsi saepius rectam viam insistit. Verbi caussa anno Christi LVII. cycli quarti decemnovennalis initium collocat indict. XV. Recte. Coepit enim cyclus I. hoc anno sive a Kal. Ian. sive a paschali mense, indict. XV.; at in Septembri indictio XVI. Ex quo sequitur primum annum coepisse indict. IV. Est autem hic cycli Dionysiani II., quo exeunte natus est Christus. Ergo indict. V. natus est secundum Dionysium. Ita anno CCCIV. notat cycli decimiseptimi annum primum, indict. VII. Recte item anno CCCXLI. notat cyclum I., indict. XIV. At anno CCCLXI. cyclum I., indict. III., ubi indict. IV. legendum. Perperam quoque anno CCCXCVIII. cyclum posuit I., indict. XI., quod anno CCCXCIX. convenit. Anno vero CCCCXVII. recte cyclus primus, sed male indictio XV. adscribitur, pro I., cum anno CCCXCVIII. indictio fuerit XI. Caetera huius auctoris, aut aliorum persequi otiosum ac supervacuum est. Illud quidem evidenter apparet, Marianum ab aera Dionysiana non recessisse, eundemque primum Christi cycli secundum habuisse, quo incarnatus et ortus est Christus. Verum hunc annum, ut et Dionysianam aeram, male cum annis Urbis et Olympiadum componit, ut hactenus liquido constitit. Quinetiam baptizatum esse Christum idem asserit anno aerae XXXI., aetatis ineunte XXX., hoc est absolutis XXIX; ex quo colligas anno aerae Dionys. primo Christum ex istorum sententia esse natum. Eodemque modo cum anno aerae XXXIV. passus ponitur, idipsum aetatis illius XXXIII. ineunte, absoluto vero XXXII. contigerit oportet; ut verum sit quod de aerae acticipatione paulo ante docuimus.

Quocirca falsum est Marianum Dionysianam aeram biennio antevertendam putasse. Quod autem ad XXII vel XXI annos attinet, quos a Dionysio praetermissos tam ipse quam Sigebertus existimat, agemus de iis in sequenti diatriba de passione domini. Hanc eandem XXII annorum summam deesse Paulus Forosemproniensis ex quadam revelatione didicerat. Ridicule sane. Nam et ipse re-
p. 118. velationem suam negligit et in eo tandem acquiescit, ut Dionysianae aerae biennii labem imputet, sed contra ac recentiores faciunt. Non enim μεταχρονισμῷ, sed προχρονισμῷ peccatum statuit, ideoque biennio quam revera sit tardiorem esse oportere contendit. Norunt omnes qui autorem istum legerunt, qui quidem hodie inventu perrarus est, quam immanem ea de re commentarium scripserit eruditione haud vulgari illa quidem refertum et ad cyclorum annorumque methodum cum primis utilem. In huius igitur operis libro XII. et XIII., postquam in libro X. priorem illam de XXII annis revelationem, sane insulsam, exposuisset, velut mutata sententia biennio maturius inchoatam a Dionysio definit aeram, anno Iuliano XLVI., cum a XLVIII. auspicanda fuerit. Hoc vero ad hunc modum demonstrat: Eusebius in Chronicis anno Christi XV., Augusti LVI., et ultimo, eclipsin solis accidisse notat, eodemque anno mortuum Augustum. At vero eclipsis nulla anno Christi XV. aut alio contigit quam XVII., in qua Romae totus sol obscuratus est, Februarii XV., hora vere meridiana, sole in XXVI. Aquarii gradu posito; quo eodem anno XIV. Kal. Sept. Augustus obiit. Quare biennio toto aera Dionysiana verum Christi natalem antecedit. Huius eclipsis solis praeter Eusebium meminit et Dio lib. LVI. et inter ea prodigia recenset quae Augusti mortem nunciarunt. Eam nos cum Mulleri tabulis, quae sunt expeditissimae, conferentes accidisse reperiebam ad meridianum Frisicum anno Christi XVII., Februarii 15. hor. 9. 5′ 7. ante meridiem, secundum veros lunae motus. Medium novilunium Februarii XIV., hor. 20., 1′ 1. Atqui eclipsis ista nequaquam ad

annum quo Augustus obiit convenire potest, sed ad Tiberii III., ut Lucidus aliique demonstrant; qui hoc praeterea confirmant, neque eo quo mortuus est Augustus anno, neque sequenti ullam solis eclipsin accidisse. Crediderim equidem Dionem solis defectum pro lunari per imprudentiam habuisse. Nam paulo post Augusti mortem luna defecit, Sept. XXVII., cuius supra meminimus. Quam vero falsa sit Middelburgensis illa ratio patet ex eo quod supra constitutum est, Augustum anno vulgaris aerae XIV., non XV., mortuum esse. At eclipsis illa solis tertio post eius obitum anno contigit. Augusti vero mortem in triennium summoveri nec Herodis annorum, nec ipsius Augusti, accurata computatio nec historicorum consensio permittit. Ac si verum esset, quod Paulus contendit, non biennio, sed triennio, Dionysius hallucinatus foret. Quippe idem annus qui Dionysio XIV. est, XV. ab Eusebio numeratur, quod is natalem Christi coniiciat in annum tertium Olymp. CXCIV., quo eodem anno ineunte aera Christi Eusebiana initium habet, Iuliano XLV., Dionysiana vero sequenti XLVI. Verum de Augusti et Herodis annis mox dicendum erit.

EXCUTIUNTUR EA QUAE ADVERSUS DIONYSIANAM AERAM EX IOSEPHO NUPER OBIICI COEPTA SUNT.

p. 119.

Omnium quae superiori capite disseruimus eo summa redit, ut si quis Dionysianam aeram ac communem tueri velit, necessario haec affirmare debeat, primum eius initium anno Iuliano XLVI. coepisse, C. Caesare et Paulo coss., ac si proxime ante principium aerae natum esse Christum existimet, id anno Iuliano XLV. tribuendum, coss. Cornelio Lentulo et Calpurnio Pisone: deinde Christum annos natum novem et viginti ad baptismum accessisse, anno Tiberii XVI., Vinicio et Longino coss. ineunte tricesimo. Hac una ratione biennii μεταχρονισμὸς ille devitari potest, quem Scaliger eiusque sectatores obiiciunt; qui quidem necessario sequitur, si Lentulo ac Marcellino coss. Iuliano XLIII. natum esse Christum asseras, et Tiberii XV., Iuliano LXXIV., aetatis suae tricesimo iam absoluto, ineunte vero tricesimo primo, baptizatum fuisse.

Et hactenus quidem recte communis aera procedere potuit. Sed nova quaedam ante hos viginti annos eidem moveri controversia coepit. Nam qui in Iosephi gravissimi scriptoris historiam diligentius incubuerunt, eamque cum Romanis historicis accuratissime contulerunt, eruditi solertesque chronologi, facile deprehenderunt non biennio solum, sed et quadriennio, vel quinquennio, verum Christi natalem anticipandum esse, si vera sunt quae ab illis historicis produntur. Disputavit ea de re primus omnium Dekerius noster; cuius sententiam amplexus est et illustravit plurimum Keplerus insignis mathematicus libro de Anno Natali, et in Eclogis Chronologis. Quam illorum opinionem dignam arbitror quae etiam atque etiam consideretur, indignam certe quam cum eius autore Dekerio vir pius et eruditus pene hostilem in modum proscriberet, tanquam novam et ab usu totius ecclesiae remotam. Ego vero novam esse quidem illam nec ab antiquis usurpatam video, quod, ut dictum est, persuasum hactenus esset omnibus Christum aetatis anno tricesimo baptizatum esse, neque particulae ὡσεὶ rationem admodum haberent, ecclesiae vero decreto ulli vel autoritati repugnare, id constanter nego. Non enim temporum annorumque tricas istas ac minutias, aut intervallorum atque epocharum ἀκρίβειαν curat ecclesia, sed recepta ac populari computandorum temporum ratione contenta est. Quis enim putet veterem illam annorum ab orbe condito summam e Graecorum fontibus haustam, quam

et antiquissima concilia saepius adhibuerunt, et hodieque in menologiis ecclesia retinet, aut illorum, aut huius autoritate fuisse constitutam? adeo ut qui Latinorum Hebraeorumque tam diversam ac dissidentem teneat, illius decreto repugnet. Quis est autem qui hoc saeculo chronologiam attingat, qui non Latinam
p. 120. et Hebraicam istam alteri, quam adscivit ecclesia, anteponendam existimet? Par est in aera Christi vulgari institutum ecclesiae, ut eam, quod apud Christianos omnes obtinuerit, ad usum transferat, utrum vero ab ipso natali Christi accurate repetita sit, nihil adeo perquirat, neque ad haec leviora gravitatem autoritatemque suam, quae sacrosancta debet esse, interponi patiatur. Quam in rem valet imprimis, quod Paulus Middelburgensis lib. XIII. cap. VI. scriptum reliquit. Nam cum biennium illud, de quo supra diximus, Dionysii aerae deesse docuisset, subinde sibi istud obiicit, sequi ex eo videri ecclesiam in bullis ac rescriptis suis oberrare. Cui sic occurrit: Ecclesiam hac temporum subductione uti quidem, sed minime probare, verum a chronologia mutuatam suum ad usum accomodare, quicquid autem insit erroris, id illis esse, non ecclesiae tribuendum. Ad haec non perpetuo hanc in ecclesia numerandi rationem extitisse, sed ante paucos annos, sub Eugenio IV., Blondi Foroliviensis hortatu, qui Pontificii Collegii a secretis notarius erat, admissam. Addit et Dionysium Exiguum istius aerae conditorem errorem agnovisse suum, et *verecundia confusum*, ut scribit Sigebertus, *frontem sibi pudoris cauterio exussisse*. Haec Paulus de aera Dionysiana; in qua reprehendenda multo ille reprehendendus magis est, ut in superioribus planum cuivis esse factum confidimus. Nec est omnino quicquam a Scaligero, Calvisio, caeterisque contra hanc allatum quod momenti aliquid habeat, praeter ea quae ex Iosepho petuntur; quae ne ipsa quidem illorum biennio suffragantur, quoniam non duobus solum, sed IV., vel V. solidis annis Christi natalem antevertendum demonstrant. Quae res adversus nobilissimum historiae scriptorem viros quosdam pios ac doctos maiorem in modum commovit; ut quem mendacii convictum putarent, nihil ei tribui autoritatis ac fidei paterentur, praesertim in iis quae ad Herodis annos attinent, in quibus *absurda et portentosa mendacia* inesse cum summa inconstantia et Romanorum Annalium inscitia Ecclesiastici Annales affirmant. Non ii sumus, qui summorum virorum memoriae et existimationi obtrectari velimus, praecipue catholicorum; ut si quid ab illis titubatum commissumque sit, severius persequamur; neque nos omnino canina illa facundia delectat, quae multorum occupavit ingenia. Sed illud tamen quod cuivis hoc in literarum genere concessum est, negatum nobis esse nolumus, ut si quid aliter atque illi senserint visum nobis fuerit, id ingenue profiteamur ac libere; ne quid veritati haec ipsa, quae servire illi debet, obsit hominum autoritas et commendatio. Quod ne praesenti in negotio contingat magnopere est verendum. Neque vero Iosephi patrocinium hoc loco suscipimus, nec errasse illum inficiamur, aut postremo vel minimum contra sacrarum fidem literarum scriptori ulli tribuimus. Verum nec quae ad illius minuendam existimationem afferuntur vera putamus omnia, et quod ad recentiora Iudaeorum tempora spectat, certiorem ac constantiorem habemus autore isto neminem. Ac tantum abest, haec ut tam assidua, tam acerba cum Iosepho Annalium expostulatio de illius apud me fide vel tantillum detraxerit, ut hoc ipso primum nomine suspecta esse mihi accusatio illa coeperit, quod in eam tanto stomacho ac toties incurrerent. Tum ubi haec attentius excussi, quae ad Iosephum evertendum validissima credebantur, nihil atroci illa castigatione
p. 121. iniquius est visum. Quae tametsi olim a me animadversa, disputata postmodum ab aliis atque explicata comperi, licere mihi quidem arbitror quae perinde ut illi

inquirendo consecutus fueram, non ut ab illis accepta, sed ut a me etiam excogitata proponere.

Ergo ad elevandam Iosephi fidem e multis eius erroribus hi velut insignes ac palmarii numerantur. Primum quod exacto Archelao Quirinus in Syriam Iudaeamque missus esse dicitur, anno XXXVII. post Actiacam pugnam. *Verum*, inquit, *si haec ad exactam temporum rationem referas, falsa esse procul dubio invenies. Nam si numeres annos qui intercurrunt ab Actiaca pugna, quae contigit Augusto* III. *et Messala coss., annos esse* XL *colliges.* Sed haec hallucinatio est. Nam Actiaca pugna incidit in annum Urbis DCCXXIII., Iulian. XV., Archelaus vero proscriptus est anno Urbis DCCLIX., Iuliano LI. Quippe Dio ad hunc annum autor est Herodem Palaestinum a fratribus accusatum trans Alpes relegatum, eiusque ditionem in provinciam redactam. Annus porro Iulianus LI. tricesimus septimus est a XV. Recte itaque Iosephus tricesimum septimum adnotavit.

Secundo *iisdem in locis Iosephus de consulatu Quirini meminit, quasi de re admodum recenti; ex quo fastos illum consulares ignorasse certum est. Nam Quirinum una cum Aemiliano collega ante annos* XXII *consulatum gessisse est exploratissimum.* Nihil eiusmodi Iosephus vel levissime significavit; consularem duntaxat illum, hoc est ὁπατικὸν, extremo lib. XVII. nominat. Constat autem eos qui consulatum semel in vita gessissent consulares deinceps appellatos, uti Triumphales, qui aliquando triumphassent.

Tertio *Herodis obitum biennio ante Christum natum recenset. Itaque si Iosepho demus aures, quae a Luca et Matthaeo de Herode scripta sunt fide careant necesse est.* Non satis dixit. Neque enim biennio, sed quadriennio ferme, natalem Christi vulgarem, Dionysianum vero etiam quinquennio antevertit. Sed hunc ipsum verum esse natalem ex Matthaeo vel Luca colligi, id constanter negamus.

Quartum inconstantiae specimen est quod anno XVI. Herodis regis Varum praesidem Syriae fuisse narrat lib. XV. cap. XIII., post autem ait eundem successisse Sentio Saturnino, anno ante Herodis obitum, cum inter utrunque viginti anni saltem intercesserint. Atqui non Varus a Iosepho praeses illo loco dicitur, sed Varro. Quare αὕτη ἡ μήρινθος οὐδὲν ἕσπασε. Denique novem, inquit, Herodis annos praetermisit. Etenim cum XXXVII regnarit annos, horum initium ab eo ipso anno, quo navali praelio victus est Antonius, repetere debuit, Iuliano XV., non a VI., quo ex Senatus-Consulto regnum adeptus est. Ideo mortem Herodis Annales in annum octavum Christi coniiciunt, Lepido et Arruntio coss. Erat annus Urbis DCCLIX., Iulianus LI., qui sextus aerae communis esse debuerat, nisi biennio peccatum foret.

At quantopere illum ratio fugerit paulo post constabit, ubi quae de Herodis annis et historia sparsim Iosephus inserit, paucis perstrinxerimus. Prima Herodis apud eximium hunc scriptorem mentio fit lib. XIV. Orig. cap. XII. Ibi Antipatrum Antipae F. Herodis parentem scribit e Cypro Arabissa principe femina quinque suscepisse liberos, Phasaelum, Herodem, Iosephum, Pheroram et Salomen. Eundem, cum adversus Aristobulum bellum gereret, liberos suos apud Arabum principem deposuisse. Finitum est bellum istud Aristobuleum anno illo quo Hierosolyma Pompeius cepit, coss. Cicerone et Antonio, ut autor est Iosephus lib. XIV. cap. V., nec non et Dio, Urbis ex Varrone DCXCI. Oportet igitur Herodem ante hunc annum fuisse natum, quem apud Arabem pater deposuerit. p. 122.

Postea lib. XIV. c. XV., cum Antipater Iuliano Caesari strenuam in Aegypto navasset operam, ἐπίτροπος ab eo Iudaeae factus est, et Hyrcano pontificatus

decretus. Hic est Urbis annus DCCVII., quo Alexandrinum bellum patratum est, ut ex Iosepho colligitur.

Eodem anno, ut Iosephus cap. XVII. scribit, Antipater Phasaëlum Hierosolymis praeficit, Herodi Galilaeam committit, νέῳ παντάπασιν ὄντι· ιε' γὰρ αὐτῷ ἐγεγόνει μόνα ἔτη. Manifestum in numero mendum est, quod eruditis viris suboluit, et κε' pro ιε' scribendum. Certe cum ante annum Urbis DCXCI. natum constet Herodem, anno illo DCCVII. decimum octavum saltem attigerat. At vero quae toto illo XVII. capite ab Herode gesta memorantur, non puerum Herodem, sed iuvenem exhibent. Neque dubium est, quin vox νέου virilem etiam aetatem, multo magis iuventutem significet. Qua ratione Saulus Act. VII. νεανίας vocatur; non quod vocabulum istud ferocem eo loco et audacem declaret. Friget enim haec interpretatio. Quippe licet νεανίας interdum ea notione sumatur, nunquam tamen sine substantivo aliquo, puta ἀνδρὸς vel λόγου etc. Apud Lucam autem, ubi absolute ponitur idipsum est quod interpres noster expressit, *adolescens*. Apud Censorinum Varro quadrifariam hominis aetatem partitur, et pueritiam ad annum XV., inde ad XXX. adolescentiam definit.

Post haec a Sexto Caesare Coelesyriae praeficitur Herodes, eodem anno. Credo quindecim annorum puerum Romanus Imperator στρατηγὸν faceret: esto, id in priore exemplo paterno possit amori indulgentiaeque tribui. Iterum, ut refert cap. XIX., a Bruto et Cassio eiusdem Coelesyriae στρατηγὸς creatus est, cum mandatis, ut exercitum adversus Augustum et Antonium conscriberet, facta potiundi regni spe post impetratam victoriam. Quo tempore Malchus Arabs Antipatrum veneno necavit, ideoquo iubente Cassio Malchus ab Herode est interfectus. Congruunt haec anno Urbis DCCXII., Iuliano quarto. Secundum Philippensem pugnam Antonius in Syriam profectus Phasaëlum et Herodem tetrarchas constituit, καὶ τῶν Ἰουδαίων αὐτοῖς ἐπιτρέπει πράγματα. Iosephus l. XIV. c. XXIII. Accidit hoc anno Urbis DCCXIII., Iuliano V.

Post cum Parthi Antigonum Aristobuli F. in regnum restituissent, Herodes ab iis pulsus Romam ad Antonium et Caesarem confugit, a quibus perhumaniter exceptus et senatui conciliatus regnum obtinuit ex S. C., Olympiade CLXXXIV., Domitio Calvino II. et Asinio Pollione coss., anno Urbis DCCXIV., Iuliano VI., quo desiit Olympiadis CLXXXIV. annus IV. et Olympias CLXXXV. coepit. Roma in Palaestinam reversus Herodes cum Antigono bellum gessit, donec adiuvante Sosio
p. 123. capta urbs est, et Antigonus occisus, anno sabbatico, Agrippa et Canidio Gallo coss. Olympiad. CLXXXV., mense tertio, τῇ ἑορτῇ τῆς νηστείας. Hic est annus Urbis DCCXVII., Iulianus IX., Olymp. CLXXXV. annus III. desinens et iniens IV., periodi Iulianae 4677., quo currebat sabbaticus, cyclo lunae 3. Dio vero libro XLIX. Hierosolyma capta esse scribit anno antecedente, Claudio et Norbano coss., Iuliano VIII. Sed sabbatici anni character Iosepho suffragatur.

Deinceps aliquot Herodis anni nominatim a Iosepho concipiuntur. Veluti lib. XV., cap. VII. annus Actiaci praelii, qui est Iulianus XV., Herodis regni septimus vocatur. Item lib. XV. cap. XII. mentio fit anni XIII. Herodis, quem Keplerus annum fuisse probat Iulianum XXI., Urbis DCCXXIX. At cap. XIII., decimiseptimi, vel decimioctavi, meminit, τῆς αὐτοῦ βασιλείας ιζ' παρελθόντος ἔτους, id est inchoato XVIII. Quo quidem Zenodori tetrarchiam nactus est. Apud Dionem id accidit coss. Apuleio et Silio, Urbis DCCXXXIV., Iuliano XXVI. Keplerus in Herodis annum XVII. confert, ideoque ante Nisan, unde Herodis annos Iosephum auspicari putat. Quod nihil est necesse. Nam παρελθόντος τοῦ ἔτους ιζ' scripsit Iosephus; nimirum anno ipso XVIII. Eodem anno XVIII. (ait Iosephus cap. XIV.) tem-

plum instaurare aggressus est; quem annum decimum quintum libro I. Ἁλωσ. appellat, errore librariorum, ut Keplerus existimat; quem tu consule. Praeterea lib. XVI. cap. IX. Caesareae aedificationem absolutam scribit Herodis anno XXVIII., Olymp. CXCII. Si a Iuliano IX., Urbis DCCXVII., initium Herodis deduxeris, annus XXVIII. Iulianus erit XXXVI., Urbis DCCXLIV.; quo coepit Iphiti DCCLXVII., sive Olymp. CXCII. annus tertius. Demum lib. XVII. cap. X. mortuus est Herodes, βασιλεύσας μεθ' ὃ μὲν ἀνεῖλεν Ἀντίγονον, ἔτη τέσσαρα καὶ τριάκοντα· μεθ' ὃ δὲ ὑπὸ Ῥωμαίων ἀνεδείκτο, ἑπτὰ καὶ τριάκοντα: *Cum regnasset ab Antigoni nece annos* XXXIV., *ex quo vero rex a Romanis creatus est* XXXVII., paulo ante pascha, ut ex XI. capite liquet, cum antea luna defecisset: περὶ ἔτος ἑβδομηκοστὸν vitae suae, c. VIII. Itaque si anno Iuliano VI. regnum ex S. C. Herodes impetravit, anno Iuliano XLII., coepit XXXVII. Sin ab anno Iuliano IX. inchoare mavis, eodem Iuliano XLII., regni XXXIV. initium sumpsit; quod paulo postea disceptabimus.

Iam cum Herodes annum attigerit septimum ac tricesimum, magnam inde Iosepho Annales invidiam faciunt, quod istorum annorum exordium perperam in Iulianum sextum contulerit, eoque maxime, quod anno Urbis DCCII. Caleno et Vatinio coss. quindecim annos natus dicatur Herodes, mortuusque anno aetatis prope LXX. Nam si ad DCCVII. addas LIV., annus Herodis LXX. iniit anno Urbis DCCLXI., Iuliano LIII., aerae Christianae VIII. Aliunde ergo XXXVII illi anni deducendi sunt, nimirum ab eo anno quo Actiaca pugna profligatus est Antonius, Augusto III. et Messala coss., Olymp. CLXXXVII. anno II., *quo ex tempore Herodis anni numerari coeperunt, propterea quod cum Augustus ex S. C. rescidisset irritaque reddidisset quae ab Antonio gesta erant, non licuit Herodi suos annos numerare ab eo tempore quo ab Antonio regnum accepit, sed ab eo potius quo ab* p. 124
Augusto et ex S. C. rursus idem illud regnum adeptus est. Haec Annales. Quae non minus secum quam cum historiae veritate pugnant. Non enim consentanea ista sunt, Herodis initium ab eo tempore deducere, quo in gratiam ab Augusto receptus est, cum in Rhodum ad eum navigasset, et hunc annum esse ipsum asserere quo victus est ad Actium Antonius, Augusto III. et Messala coss. Non, inquam, eodem anno quo Actiaca victoria contigit, Urbis DCCXXIII., sed sequenti DCCXXIV. Herodes Augusto reconciliatus est. Nam post Actiacam cladem Antonium minime destituit, sed in eius fide permansit; idque etiam apud Augustum gloriatus est: τὸ μηδ' ἡττηθέντα τὸν ἐν Ἀκτίῳ μάχην καταλιπεῖν, μηδὲ συμμεταβῆναι ταῖς ἐλπίσι, φανερῶς ἤδη μεταβαινούσης τῆς τύχης, ait Iosephus l. XV. c. X. Quare anno demum Urbis DCCXXIV., Iuliano XVI., ab Augusto praeter spem regnum illi confirmatum et senatus decreto corroboratum est, non ita tamen ut novum inde regni Herodis initium repetitum fuerit; quod ei nunquam Augustus eripuit. Quod si anni illi XXXVII ab Actiacae cladis anno numerandi forent, postremus, hoc est tricesimus septimus, non ab anno vulgaris aerae octavo, sed nono inchoari debuit, Iuliano LII. Tametsi illud animo repetendum, annum illum, qui in Annalibus octavus a natali Christi dicitur, aerae Christianae sextum esse, et nonum istum septimum; id quod ex biennii labe manavit, de qua supra disputavimus. Unde ex Annalium sententia Herodis obitus in annum conferendus est Iulianum LII., vel LIII., si septuagesimum expleverit. Atqui longe ante hoc tempus Herodes obiit. Etenim Archelaus, qui post parentis mortem ethnarcha ab Augusto factus est, anno regni sui nono inchoato, ut ex Iosepho lib. XVII. Orig. cap. XV., et lib. II. Ἁλωσ. cap. XI. patet, Viennam relegatus est; idque Dio evenisse scribit M. Lepido et L. Arruntio coss., Iuliano LI., qui annus morti Herodis in Annalibus assignatur, cum ante X annos, nimirum Iuliano XLII., mortuum esse Hero-

dem oportuerit, si Archelaus IX ab illo annos impleverit. Idem et ex Philippi tetrarchae, Herodis filii, imperio colligi potest. Hic enim autore Iosepho lib. XVIII. cap. VI. moritur anno Tiberii XX., imperavit autem annos XXXVII. Tiberii porro primus iniit anno Iuliano LIX., vicesimus autem, Iuliano LXXVIII.; quo quidem, vel sequenti, Philippus obiit. Coepit igitur Iuliano XLII., quo etiam anno eclipsis illa contigit, paulo ante pascha, quae, ut scribit Iosephus, Herodis mortem antecessit. Quae omnia, ut et alia pleraque erudite a Dekerio nostro et Keplero demonstrantur, nos privatim ac diligenter excussa delibare hic necesse habuimus.

Verum quod ad annos Philippi spectat, cum eum Iosephus decessisse scribit anno Tiberii XX., mendum esse videtur. Nam mortuus est Philippus post consulatum Vitellii, qui secundum hunc Syriam administravit, ut autor est Iosephus. At Vitellii consulatus, quem cum Fabio Persico gessit, convenit anno Urbis DCCLXXXVII., Iuliano LXXIX., quo desiit Tiberii XX. et XXI. coepit. Ideo non ante
p. 125. sequentem Philippus obiit. Scaliger lib. v. pag. 433. de Emendat. legendum sine ullo dubio censet εἰκοστῷ καὶ δευτέρῳ, ut est apud Ruffinum. Vitellium enim consulem fuisse anno Tiberii XX., Iuliano LXXX., missum vero in Palaestinam post consulatum, quo tempore Philippus abiit, Iuliano LXXXI. Deductis XXXVII annis tetrarchiae Philippi relinquuntur anni XLIV absoluti, adeo ut XLV. Philippus inierit. Qua in ratiocinatione frustra est Scaliger. Si quidem consulatus Vitellii non anno Iuliano LXXX., sed LXXIX. congruit, Urbis DCCLXXXVII. Primus autem Iulianus coepit Urbis DCCIX. Quod si Tiberii anno XXII. mortuus est Philippus, is erit Iulianus LXXX., vel LXXXI.; itaque Iuliano XLIII., vel XLIV. regnum adierit. Sed ut perperam apud Iosephum annus XX. pro XXII. irrepsit, ita in annis Philippi vitium inesse potest, ut Philippum scripserit XXXVIII. annis regnasse. Nam apud Ruffinum depravati numeri sunt, et Philippi annus XXII. pro XXVII. legitur. Idem Scaliger Herodis annos Iosephum existimat non a Iuliano illo, in quem eius primordium incidit, sed ab Iiar Iuliani sequentis ordiri. Quod si verum esset, posset idem et ad Tiberii ac Philippi annos accommodari, proindeque Tiberii primus ex mente Iosephi ab Iiar anni Iuliani LX. ineundus esset, et vicesimus ab Iiar Iuliani LXXIX., ac denique primus et vicesimus ab Iiar Iuliani LXXX., ante quem obitus Philippi coniiciendus esset, anno eiusdem XXXVII. iam expleto; cuius primus annus ab Iiar Iuliani XLIII. inchoandus fuerit, tametsi Herodes anno superiore, hoc est XLII., decesserit; propterea quod maxima iam affecta anni XLII. parte et post Iiar Philippus tetrarchiam adiit, ideoque ab Iiar sequente primus numerari coepit.

Sed ea computandi ratio, quam Iosepho Scaliger affingit, autoritate caret, multoque verisimilius est numerandi initium ab eo Nisan apud Iosephum deduci, qui Herodis exordium antecessit, quam ab eo mense qui secutus est. Et quanquam Scaligero concedamus omnia, pessime is tamen de Herodis annis hoc modo ratiocinatus est: *Licet Herodes a senatu rex factus sit cyclo 19., hoc est Iuliano 6., periodi Iul. 4674., tamen Iosephum non ordiri annos Herodis, nisi a Nisan, vel Iiar sequentis anni, cyclo* I. *Cum autem, Iosepho teste, annos solidos* XXXVII *regnaverit, ex quo declaratus rex,* XXXIV *vero, eosque solidos, a captis a Sosio Hierosolymis, decesserit vero ante pascha, nondum Iiar instante, qui fuit princeps mensium tempore Iosephi, manifesto colligitur proximo Iiar annum Herodis* XXXVIII. *initurum fuisse, qui revera erat* XXXIX. *a diebus aestivis. Itaque hoc modo Herodes decesserit anno cycli* XIX. *exacto, primo ineunte.* Subiicit deinde: *Omnino igitur Herodes decessit anno Iuliano* XLV. *ante Nisan, cyclo lunae primo ineunte, solis nono, periodi Iulianae 4713. Quo etiam anno eclipsis lunae contigit Ia-*

nuarii VIII. *in cyclo emendato*, *Ianuarii* VI. *in cyclo vitioso*. Sed eclipsis ista Ianuarii X. convenit in cyclo emendato. Verum tota haec Scaligeri collectio implicata ac falsissima est. Etenim quamvis demus illud, quod nequaquam concedimus, annum Herodis primum ab Iiar anni Iuliani VII. numerandum esse, eundemque regem XXXVII solidos annos explesse, quod neque Iosephus asserit, et gratis a Scaligero ponitur, sed ut ita esse credamus, nunquam tamen Herodis p. 126.
tricesimus septimus desinens et iniens tricesimus octavus in Iulianum XLV. incidet, sed in XLIV., si nimirum ad VI adieceris XXXVIII. Nam tricesimus octavus Iuliano incipiet XLIV. Quare est haec insignis ἀλογιστία. Nec illa certe minor qua Archelaum Herodis F. anno Iuliano LIII. exulasse scribit, cum IX solidos regnasset annos. Archelaus enim regno exutus est Lepido et Arruntio coss., ut autor est Dio, anno Iuliano LI. Coepit igitur Iuliano XLII. Quod si anno Iuliano XLV., quo Herodem Scaliger excessisse putat, regnum auspicatus esset Archelaus, et IX solidos explesset annos, non is Iuliano LIII., sed LIV. relegatus fuisset. Par est oscitantia, cum addit annum illum, quo pulsus est Archelaus, esse ab Actiaca victoria XXXVII. Nam Iosephus lib. XVIII. cap. III. Quirinum Archelai bonorum censum instituisse narrat, anno XXXVII. post Antonii cladem ad Actium. Ex eo itaque consequens est non LIII. Iuliano, sed LI., Archelaum exilio damnatum. Nam Actiaca pugna ad Iulianum XV. pertinet; ideo Iuliano LI. coepit XXXVII.

Atque haec perversa Herodis annorum subductio multo in Eusebio castiganda magis est, a quo profecta manavit in caeteros. Hic enim in Chronicis primum annum Augusti ponit eum qui post Iulii Caesaris necem proxime sequitur, quique Urbis est 711., Iulianus 3., Olympiadis CLXXXIV. secundus. Tum Antigonum postremum ex Asamonaeis regem mortuum esse dicit anno V. Augusti, Olymp. CLXXXV. secundo; ut in quibusdam exemplaribus reperiri testatur Pontacus, idque ipsum in editione sua Scaliger amplexus est. Est hic Urbis 715., Iulianus 7. At in aliis codicibus confertur id in annum Augusti 4., in aliis vero 10., quod postremum tanquam Eusebio magis consentaneum secutus est Pontacus. Quippe mortuo Antigono Herodes pacifice regnavit, et eodem anno novum regni auspicium habuit. Erat Urbis annus 720., Iulianus 12.; quamvis etiam in editione Pontaci cum Augusti XI. primus Herodis ineat, qui est Urbis 721., Iulianus 13. Ex hoc tempore XXXVII regni annos orditur Eusebius; eiusdem vero mortem assignat anno Augusti XLVII., Olymp. CXCIV anno quarto, ab Abraamo 2021., Christi quinto. Quamobrem hallucinatur Scaliger, qui anno 2019. id ab Eusebio tribui censet, et metachronismum esse dicit annorum trium. Verum si hic annus quartus est Olymp. CXCV., Augusti XLVII., cum Herodes paulo ante Pascha mortuus sit, et Augusti XLVII., anno Iuliani XLIX. iam labente apud Eusebium coeperit, necesse est ut anno Iuliani L. ineunte perierit Herodes, cum annus quartus CXCV. Olympiadis adhuc decurreret, qui et Eusebio Abraami 2021. censetur. Certe quidem 2020. saltem esse debet. Unde metachronismus erit ex Scaligeriana ratione annorum solidorum quinque, non autem trium. Nam Iuliano XLV. mortuum credit Herodem.

Iam cum idem Scaliger lib. V. de Emend. Iosephum errasse pronunciat, quod annos Herodis XXXVII a Domitii et Asinii consulatu deducit, erroris potius ipse convincitur. Nam Iosephus, ut ex superioribus liquet, secum mirifice consentit, p. 127.
et Eusebianum illum metachronismum redarguit, cum perspicuum sit Herodem longe ante Iulianum L. occidisse. In Annalibus non L., ut apud Eusebium, sed LI. anno Iuliano Herodis obitus ponitur, aerae communis octavo, qui sextus numerari debuit.

Ex iis praeterea coniici potest quid sit quod Epiphanius in obscura illa Herodis annorum declaratione post IV regni eius annos Iudaeam in Romanorum ditionem penitus cessisse dicat, secutosque XXIX annos, adeo ut XXXIII. demum Herodis anno Christus natus sit. Caussa enim haec est, quod cum Eusebio Herodis initium coniicit in annum Iulianum XII., vel XIII., a quo ad XVI., qui Actiacam victoriam excepit, anni sunt quatuor.

Concludatur ex Iosephi et Dionis sententia mortuum Herodem videri anno Iuliano XLII. Quod si verum est, natalis Christi in annum XLI. cum Dekerio, vel XL. cum Keplero, conferendus erit, non ut vulgo, in XLV. De quo attentius cogitandum censeo, nec illius opinionis fautores accusandos damnandosque antea quam eorum disceptatis ac labefactatis rationibus communis Dionysii aera certius adstruatur; quod a nemine ad hanc usque diem video esse factum, nec a me praestari posse ingenue ac libenter profiteor.

EXPLICATUR EPIPHANII SENTENTIA.

Nunc Epiphanii sententia, cuius intelligendae gratia haec a nobis est instituta disputatio, exponenda videtur. Hanc enim perobscure ille sane atque impedite declarat. Quippe num. XXII. haeresis huius Christum asserit anno Augusti XLII. natum esse, Herodis XXXIII. Igitur novem annis Augustus Herodem antecessit. Sed mirum quam haec perplexe demonstret. Imperasse putat Augustum annis XIII antequam Iudaea penitus ad Romanos transiisset, ac post initium Augusti quatuor plus minus annis elapsis inter Iudaeos ac Romanos amicitiam et societatem intercessisse, tum vero procuratorem impositum, ac tributorum nonnihil indictum, donec in Romanam ditionem Iudaea penitus redacta ac vectigalis est facta, cum iam principes illi de tribu Iuda desiissent, atque Herodes peregrinus et alienigena regnum occupasset. Quae omnia (paulo post inquit) perfecta sunt, cum ab ortu Christi coepissent, anno Augusti XLII., qui et nonus erat a procuratione Antipatri, cum Iudaeos inter et Romanos pax et societas esset ac iam quartum annum regnaret Herodes. Postremo post quatuor Herodis annos et quinque procurationis Antipatri demum Iudaea penitus Romanis est subiecta, usque ad XXXIII. Herodis annum, qui est Augusti XLII., cum XXIX annis vectigalis omnino fuisset.

Hac Epiphanii oratione nullum Sphingis aenigma perplexius esse puto. Sed hoc tamen voluisse videtur: Augustum primo XIII annis imperasse, quibus nondum Iudaea prorsus Romanorum imperio cesserat, ac post quatuor priores annos
p. 128. Augusti Antipatrum quinquennio procuratorem fuisse, Herodem deinde, postquam ab Augusto regnum obtinuit, quatuor annos tenuisse. Ita fiunt ab Augusti initio anni XIII. Reliqui sunt XXIX, quibus Romani Iudaeam penitus occuparunt, usque ad Augusti XLII., Herodis XXXIII., quo natus est dominus. Nam ad XIII additi XXIX conficiunt XLII, itidemque si ad quatuor addas XXIX fient XXXIII. Hos autem XXIX annos ab eo deducit qui Actiacam victoriam secutus est, Iuliano scilicet XVI., a quo vicesimus nonus est Iulianus XLIV., quo natus ab Epiphanio Christus ponitur, Augusto XIII. et Silano coss. Ita quidem Epiphanius miscens omnia, nec historiae satis consultus. Est enim falsum imprimis Antipatrum procuratorem ab Augusto esse factum, adeoque post quatuor imperii ipsius annos, ut ex iis patet quae supra e Iosepho perstrinximus. Nam Antipater Herodis parens Iudaeam administrare coepit anno illo, quo Iulius Caesar bellum Alexandrinum gessit, qui est Urbis 707; quo eodem anno Herodes Galilaeae a patre praepositus est. Mortuus est autem Antipater anno Urbis 712., Iuliano quarto.

ita quinque plus minus annis τὴν ἐπιτροπὴν administravit; quod innuit Epiphanius. Sed idem hallucinatus, opinor, pro Iulio Caesare Augustum scripsit, quod hunc ipsum meminisset etiam in Aegypto et Alexandriae bellum gessisse. Deinde neque illud verum est, Iudaeam post Actiacam demum victoriam ad Romanos pervenisse et ὑπόφορον fuisse, cum hactenus societas intercessisset ac tributa sive potius munera penderentur. Etenim longe ante pugnam Actiacam Iudaea Romanorum in potestatem venit et tributa persolvit. Primus, nisi fallor, Pompeius Cicerone et Antonio coss. Urbis 791. Hierosolymis expugnatis hanc ipsam urbem vectigalem reddidit. Iosephus lib. XIV. cap. XV.: καὶ τὰ μὲν Ἱεροσόλυμα ὑποτελῆ φόρον Ῥωμαίοις ἐποίησεν. Mox: τούτου τοῦ πάθους τοῖς Ἱεροσολύμοις αἴτιοι κατέστησαν Ὑρκανὸς καὶ Ἀριστόβουλος πρὸς ἀλλήλους στασιάσαντες· τὴν τε γὰρ ἐλευθερίαν ἀπεβάλομεν καὶ ὑπήκοοι Ῥωμαίων κατέστημεν. Igitur ab illo tempore Romanis Iudaea paruit nec suos reges habuit, etsi aliquandiu conflictati sunt. Hyrcano quidem pontificatus relictus est, a Gabinio praesertim qui, ut cap. X. lib. XIV. scribit, quinque synedriis in Iudaea collocatis aristocratiam constituit. Post haec adversus Hyrcanum Alexander et Antigonus Aristobuli filii aliquot annis certarunt, iisdemque pro Hyrcano strenue Antipater restitit, qui a Iulio Caesare postea τὴν ἐπιτροπὴν nactus est ac per idem tempus populi Rom. societatem et amicitiam impetravit. De quo complura Caesaris decreta apud Iosephum extant lib. XIV. cap. XVII. Sed antecedenti capite Iosephi an librarii hallucinatione accidit, ut cum senatus decretum de muris Hierosolymorum reficiendis ab Hyrcano iuniore impetratum vellet adscribere, aliud subiunxerit, quod in gratiam Hyrcani maioris factum fuerat, cui alterum Atheniensium psephisma, quod eodem pertinebat, adscripsit. Quod quidem Eusebio fraudi fuit qui ad annum tertium Iulii Caesaris, Olymp. CLXXXVIII. tertium, adnotat, decretum senatus et Atheniensium ad Iudaeos esse missum, qui per legatos amicitiam postularant. Hoc vero diu ante gestum erat sub Hyrcano seniore, ut cuivis apparet.

Haec itaque societas est illa et amicitia quam sub Augusti initium inter Iudaeos et Romanos instauratam docet Epiphanius, quae ad Iulii Caesaris tempora debet referri, cum Hyrcanus Iudaeorum pontifex et ethnarcha ab illo constitutus est. Ac tum quidem nonnihil tributi nomine Hierosolymitanos Iudaeosque caeteros pensitasse Iosephus indicat capite illo XVII., etsi perobscura sunt Iuliana illa decreta quae eo loco commemorantur. Posteaquam vero Iudaeorum regnum ad Herodem translatum est, non puto Romanos tributum ab illis exegisse, quod idem et Keplero videtur, cum Iudaea nondum esset in formam provinciae redacta. Quare nec in illa priore Quirini descriptione tributum ullum necesse est persolutum credere. Quo minus assentior Epiphanio qui tum vel maxime tributa a Romanis imperata scribit et XXIX annis, qui ab Actiaca clade ad natalem domini fluxerunt, ὑπόφορον τελείως παραδοθεῖσαν Ῥωμαίοις Iudaeam fuisse. Atqui post Pompeianam victoriam ac priorem ἅλωσιν nunquam Iudaea minus sub Romanorum principum potestate vel administratione fuit quam Herodis illo tempore, praesertim post Actiacam pugnam, cum apud Augustum imprimis ille gratia et autoritate floreret. Nulli itaque Romani magistratus, praesides nulli, Iudaeam obtinuerunt, nec alii, quam extraordinarii ἡγεμόνες, hoc est praesides vel procuratores, vel universe cum potestate aliqua missi, ullam Herodis in regno functionem aut iurisdictionem exercuerunt. p. 129.

At in Annalibus perperam Epiphanii mens accipitur, cum id eum scripsisse narrant: *Vigiuti novem annis Iudaeos Romanis tributa dependisse, antequam Antipater Herodis parens Iudaeae procurator a Romanis institueretur, nec postea*

unquam cessasse. Quo nihil cum ab Epiphanii sensu, tum a veritate ipsa dici alienius potest. Anno Urbis 691., Cicerone et Antonio coss., primum a Pompeio tributum Iudaeis impositum est, a quo tempore ad Antipatri procurationem, quae anno 707. coepit, anni sunt non plures XVII, nedum novem et viginti. Herode quidem rerum potiente tributum ullum saltem ordinarium exactum fuisse neque verum arbitror, nec eius mentionem vel litera una Lucas attigit. Non enim ἀπογράφεσθαι idem valet ac censum vel tributum solvere, aut, si istud ipsum significaret, statim de ordinaria pensitatione potius intelligendum videretur quam ad extraordinariam referendum. Sed nec illud probo, quod ibidem disputatur, propterea primam illam a Quirino censionem institūtam dici, quod Romano more quinto quoque anno census haberetur. Nam nec illud perpetuo tenuit, ut quinque annis vertentibus census ageretur, et aliam caussam esse manifestum est, ob quam prima haec sit appellata descriptio, videlicet quod altera post Archelai relegationem eidem Quirino mandata fuerit. De qua re vide quae Dekerius noster et Keplerus erudite commentati sunt. Neque enim censionis huius Epiphanius meminit, ut eam nobis quaestionem explicare necesse sit.

Atque ut hanc de Herodis annis disputationem aliquando concludam, si, quod Epiphanio placet, VIII. Id. Ian., quo die natus est Christus, anno Iuliano XLIV., Herodes annum agebat imperii XXXIII., eius initium in Iulianum XI. convenit, biennio tardius quam historia postulat, quae alterum Herodis initium Iuliano IX. accidisse confirmat, a quo cum Iosephus XXXIV duntaxat annos Herodem vixisse narret, Epiphanius libro I. II. septem et triginta deducit, quibus totis p. 130. regnasse post primum decretum dicitur, cum horum principium a Iuliano sexto repeti debeat. Quocirca mortem Herodis confert in annum Iulianum XLVII., cum dominus quartum iam annum aetatis attigisset. Sed si vera sunt, quae Iosephus de Herode perscripsit, necesse est ut Iuliano XLII. decesserit; unde et natalis, ut diximus, domini quatuor vel quinque annis antevertendus erit. Quae quidem nos nondum ex opinione nostra constituta, sed ex Iosephi mente atque historia collecta haberi a lectoribus expendique volumus. Superest ut de Augusti anno, qui est alius natalis dominici character ab Epiphanio allatus, perstringam.

QUOTO AUGUSTI ANNO NATUS SIT CHRISTUS.

Anno Imperatoris Augusti XLII. natum esse Christum censet Epiphanius, quem annum ex quo Iudaei Romano imperio subiuncti sunt XXIX. fuisse dicit. Tria potissimum Augusti constituuntur initia. Primum ab ipso anno quo Iulius Caesar interfectus est, qui est Urbis 710., Iulianus 2. Alterum ab anno sequenti, Urbis 711. Tertium ab Actiaca victoria, sive a 2. Sept. anno Urbis 723., ut Dio testatur in exordio lib. LI. Hinc diversus ad Christi natalem annorum Augusti numerus statuitur. Sed vulgo XLII. eius anno natum esse patres affirmant, Eusebium secuti, qui idipsum Eccles. Hist. lib. I. cap. VI., et in Chronicis, scripsit. Quod autem annales ecclesiastici tradunt, eos qui in annum Augusti XLII. natalem Christi conferunt ab ipso anno quo Iulius Caesar interfectus est annos exordiri, simul quod librariorum culpa factum putant, ut cum Eusebius ipso anno Iulianae necis, qui est Olymp. CLXXXIV. primus, Augusti posuisset initium, id in sequentem translatum fuerit, quemadmodum et natalis Christi in annum tertium Olymp. CXCIV., cum secundo ex mente Eusebii competat. Neutrum mihi quidem probatur. Imprimis enim apud Eusebium in editione Pontaci Octaviani initium alligatur anno a Caesaris nece proximo, Olympiadis secundo, natalis vero Christi anno tertio Olymp. CXCIV., quod et Pontacus ipse vir eruditus argu-

mentis approbat. Adde quod Eusebius Augustus anno imputat LVI, menses VI, hoc est inchoatum LVII. Quare cum Augustus anno Urbis 767. duobus Sextis coss. mortuus sit, XIV. Kal. Sept. annus apud Eusebium quinquagesimus septimus a Martio debuit incipere, ideoque primus incidit in Urbis 711. Itaque annus Augusti XLII. coepit Urbis anno 752., Iuliano XLIV. Iosephus vero l. II. de Excidio cap. VIII., cum imperii annos numerat LVII, menses VI, dies II, ab ipso anno Iulianae caedis orditur, et quidem postero die ab Idibus Martiis. Epiphanius autem, qui anno Iuliano XLIV. natum salvatorem credidit, VIII. Id. Ian. anno Augusti XLII. initium eius statuit Iuliano tertio, Urbis 711. Atqui nondum XLII. Ianuario mense inchoatus fuerat. Ita est. Sed κατὰ πρόληψιν secundum et quadragesimum annum a Kal. Ian. incepit, quod plerisque scriptoribus aliis est familiare. Nam p. 131.
quod ab Urbis anno 711., Iuliano 3., Augusti annos computet, argumento est temporis, quo imperavit, illa partitio, qua primum annos tredecim imperasse scribit, πρινὴ τὴν Ἰουδαίαν συναφθῆναι τελείως Ῥωμαίοις, quod anno illi qui Actiacam victoriam secutus est congruit. Iuliano scilicet XVI. Quamobrem a Iuliano tertio ad decimum quintum anni tredecim existunt; quibus additi XXIX summam XLII conficiunt, quorum postremus XLIV. Iuliano incipit et quidem ex a. d. Kal. Ian., ut dictum est. Quam ob caussam anno Augusti XLI. potius quam XLII. natalis Christi assignandus fuit cum Irenaeo, Tertulliano, aliis compluribus. Caeterum idem ille annus post Actiacam victoriam est XXVIII. Actiacos enim annos Aegypti numerare coeperunt a Iuliano XVI., Urbis 724. Itaque vicesimus octavus coepit Iuliano XLIII., idemque et sequente Iuliano, quo natus est ex Epiphanii sententia Christus, Ianuarii VI. adhuc in cursu erat, quem ille tamen XXIX. appellat; quod, nisi fallor, contra atque Alexandrini consueverant a Kal. Ian. auspicetur. Neque vero caussae quicquam fuit cur in Annalibus Eccl. mirum videretur quod Clemens et Eusebius ab Actiaca pugna annos ad natalem domini computarent XXVIII, aut quod Eusebius in chronicis Antonium et Cleopatram debellatos scripserit anno tertio Olymp. CLXXXVII., cum ea victoria anno Urbis accideret 723., Augusto III. et Messala coss., Olympiadis anno tertio. Nam Actiaci anni, quibus Clemens atque Eusebius usi sunt, non ab ipso anno in quem pugna ac victoria cecidit, sed a sequenti ineunt, Olympiadis CLXXXVII. tertio, post Antonii et Cleopatrae necem. Unde annos Augusti plerique sunt exorsi, qui propterea anno Augusti XXVIII. natum dixere Christum. Quanquam in eo negotio diligenter habenda ratio est, quid scriptores in Actiacae victoriae epocha commemoranda sibi voluerint. Nam cum *Actiacos annos* exprimunt, a Iuliano XVI., qui Actiaca victoria posterior est, incipiunt. Sin ab Actiaca victoria tot annos elapsos esse dicant, ab ipsomet pugnae navalis anno ducunt initium. Quocirca immerito Scaligero notatur eruditissimus Onufrius, quod cum natum esse Christum asseruisset Augusto XIII. et Silvano coss. (est hic annus Iulianus XLIV., Olymp. CXCIV. tertius) eundem Urbis esse statuerit 752., Actiacum 30. Scaligeri verba sunt lib. VI. de Emend.: *Nam verissimum est consulatum Augusti* XIII. *concurrisse cum anno tertio Olymp.* CXCIV. *Sed eum annum Palilium Varronianorum fuisse 752., et Actiacum 30., hoc vero falsum est. Uno enim anno plus dicit.* Sed haec cum scriberet vigilans somniabat Scaliger. Nihil enim certius est quam ex Varronis ipsiusque adeo Scaligeri ratione consulatum Augusti XIII. et Silvani ad annum Urbis 752. pertinere, Iulianum XLIV., per. Iul. 4712., cyclo solis XIX., lunae VIII., indict. II. Est etiam hic annus ab Actiaca pugna tricesimus, si annum ipsum pugnae primum numeres. Neque vero *Actiacum annum* XXX. esse dixit Onufrius, sed *post Actiacam victoriam*, hoc est Actiacum XXIX.

Postremo in aera Dionysiana extra dubitationem est, Christum Augusti XLIII., Actiaco vero XXX. natum esse. Quod si XL., vel XLI. Iuliano ex aliorum sententia ortus esset, id in XXXVIII., vel XXXIX. Iulianum, Actiacum vero XXV., vel XXVI., conveniret.

p. 132. Γεννηθέντος δὲ αὐτοῦ περὶ τὸν Ἰαννουάριον.] Luculentissimus hic locus est, in quo natalem Christi diem accuratissime circumscribit. Et quidem a. d. VIII. Id. Ian., hoc est Ianuarii VI., in quem Epiphaniorum festum incidit, natum asseverat, ex communi Aegyptiorum sententia, de qua subinde nonnihil disseremus. Sed primum singulae temporum notationes obiter percurrendae atque illustrandae sunt. Hunc igitur diem imprimis XI. Tybi esse scribit in anno videlicet Actiaco, sive Aegyptio Iuliano, cuius Thoth fixus est XXIX. Augusti, neomenia Tybi XXVII. Dec.

Κατὰ Σύρους, εἴτουν Ἕλληνας.] Syromacedonas intelligit, sive Antiochenos, qui Iulianam anni formam receperunt, quanquam illorum aera triennio Iulianum annum antecedit; appellaturque χρηματισμὸς τῆς Ἀντιοχείας, quod eo anno ἡ αὐτονομία Antiochenis permissa et Iulius Caesar dictator Antiochiae renunciatus est, Artemisii, sive Maii, XXIII. Chron. Alex. p. 438. Est hic annus Urbis 706., quo Caesar victo Pompeio rerum potitus est, per. Iul. 4666., annis ante Dionysianam aeram XLVIII, ante primum Iulianum tribus, ut ex Evagrio colligit Scaliger Isag. Can. l. III. p. 295.; rectius quam in lib. IV. de Emend. Temp. p. 226., ubi Antiochensium aeram ab editione Iuliana inchoari censet, annis ante Christi aeram XLV., ex Eusebii autoritate, qui annum Antiochensium 325. confert in annum Christi 280. Sed magna haec hallucinatio est. Nam Eusebius in Chron.: *Secundo anno Probi*, inquit, *iuxta Antiochenos* CCCXXV. *annus fuit.* Atqui Probi secundus competit anno aerae Christianae CCLXXVIII., quo anno coepit τοῦ χρηματισμοῦ Antiochensium annus CCCXXV. Sic enim Antiochensis aerae primus annus Dionysianam aeram XLVIII. solidis annis antecessit. Necesse est igitur cum anno Probi II. et Dionysiano CCLXXVII. componi Antiochensium aerae CCCXXIV. labentem, et ineuntem CCCXXV., cyclo solis VI. lunae XII. De initio Probi dicetur ad lib. de Mens. et Ponderibus. Anni, ut dictum est, forma Iuliana fuit; mensium eadem quae apud Romanos descriptio, quam in sequenti lateculo proponendam putavimus.

LATERCULUM MENSIUM ANTIOCHENORUM, SIVE ΣΥΡΟΕΛΛΗΝΩΝ.

Αὐδυναῖος	Ianuarius
Περίτιος	Februarius
Δύστρος	Martius
Ξανθικός	Aprilis
Ἀρτεμίσιος	Maius
Δαίσιος	Iunius
Πάνεμος	Iulius
Λῷος	Augustus
Γορπιαῖος	September
Ὑπερβερεταῖος	October
Δῖος	November
Ἀπελλαῖος	December

p. 133. Quae mensium concordia ex Socrate, Evagrio, Suida, veterum Conciliorum inscriptionibus et infinitis aliis testimoniis fidem meretur. Illud vero constat,

Epiphaniam meros menses Iulianos intelligere. Nam Audynaei τὴν ἕκτην (perperam ἕκτου scriptum est) cum VI. Ian. comparat. Rursus enim vitiosa lectio est πέμπτη Ἰανουαρίου, pro ἕκτη. Tametsi Cornarius *quintam Ianuarii* verterit, quod nonnullis imposuit, qui haec Epiph. verba πρὸ ὀκτὼ Εἰδῶν sic accepisse videntur, quasi esset prid. VIII. Eidus, hoc est Nonis ipsis Ianuarii. Sed πρὸ ὀκτὼ Εἰδῶν et similes loquendi formulae Latinis iisce respondent a. d. VIII. Id. etc., hoc est ipso die VIII. Id., ut et alibi scripsimus. Quare ex priori nota diei, hoc est VIII. Id. Ian., corrigenda vox πέμπτη et in ἕκτη mutanda. Quod et Tybi Actiaci, sive Diocletianei, dies ipsa demonstrat, cuius XI. in VI. Ian. convenit. Ac videtur in eo, quod quintam Ianuarii diem pro sexta sumpsit, mysterii aliquid esse. Siquidem et Constantinopolitani postea V. Ianuarii die baptismum Christi celebrabant, quod in VI. vulgo confertur, ut ex Manuelis Novella I. de Feriis et Curopalate colligitur.

Κατὰ Κυπρίους, εἴτουν Σαλαμινίους.] Non est, ut quidam existimat, corruptus hic Epiph. locus, in mensis appellatione. Nam Ian. ab illus Quintus nominatur, ut a Roman. Quintilis, Sextilis, September etc. Sed mendum in voce πέμπτη subesse potius arbitror. Nisi a Ian. secundo Πέμπτον auspicati sint Salaminii. Sed verisimilius est Epiph. aut eius librarium, cum imprudens πέμπτῃ τοῦ Ἰανουαρίου scripsisset pro ἕκτῃ, idem in Salaminiorum mense fecisse. Apparet autem ex hoc loco Salaminios annum a Septemb. Iul. Kal. auspicatos esse, quod indictionis annique primordium Constantinopolitani postea praefixerunt.

Κατὰ Παφίους Ἰούλου τεσσαρεσκαιδεκάτη.] Igitur Iuli mensis initium a XXIV. Dec. Qui si Iulianus fuit, credibile est ab aequinoctio verno circiter annum incepisse Paphios. Nam si Iulus Ianuarius est, mensis ab illo tertius in eum diem propemodum desinit, qui aequinoctio quondam attributus est.

Κατὰ Ἄραβας Ἀλέωμ.] In vulgaris Arabum mensibus neque Aleom, neque qui postea commemoratur Angalthabaith locum ullum habet. Sed neque lunares menses isti sunt; si quidem in Ian. VI. Aleom XXI. incidat, quae tum dies erat lunae XII., cyclo I. Nam neomenia ex Ptolemaicis Mulleri Tabulis contigit Dec. 26. 8. 32′., cyclo 19., anno Iuliano XLIV. De Angalthabaith idem postea demonstrabitur. Quocirca nondum lunarem annum ad civilem usum Arabes transtulerant. Nam cum Arabes nominat Epiphanius, maiorem illius gentis potioremque partem intelligit. Ac Scal. l. II. de Emend. Temp., et Isag. Can. l. II. ac III. veteres Arabes Calippica anni forma usos esse decernit, ut et Chaldaeos ac Iudaeos, Arabum vero duplicem annum facit, alterum Damascenum, sive Hagarenum, cui desultorium intercalandi morem attribuit, cuius periodus CCXXVIII annis Iulianis definit, in qua menses omnes singillatim annum inchoant vicissimque terminant: alteram anni rationem omissa intercalatione solutam ac retextam ex annis lunaribus simplicibus constituit, quam ab Indis olim usurpatam, postea etiam ab Arabibus praesertimque Mahumedanis docet. Nam qui ab Hegira numerantur anni nullo intercalationis fraeno coërciti per Iulianam seriem impune vagantur. Quod si quis requirat unde Scaligero constet vetustos Arabes desultoriam illam intercalandi formam civili praesertim usu tenuisse, aut eandem subinde retexuisse, ac mere lunarem praetulisse, ne unum quidem scriptorem affert qui id vel levissime suadeat. Quare dum confictas illas Arabum periodos operosissime de- p. 134.
scribit, hoc est somnia sua prosequitur, et suo et lectoris otio intemperanter abutitur. Quo quidem in negotio est illud sane iucundum, quod eandem illam per. quae ex CCXXVIII Iulianis annis, Arabicis vero, vel solutis, CCXXXV constat, alicubi excogitatam a se dicat, alibi vero ab Arabibus et Hagarenis ab initio Iuliani anni repertam et institutam imprudens asserat. Etenim l. II. de Emend. p. 134.,

ubi de anno Hegirae disserit, *Contumacissimus*, inquit, *hic annus est, neque facile redit in gratiam cum anno Iul. etc. Quare nulla methodus hinc confici potest. Tutior magna periodus, QUAM EXCOGITAVIMUS, annorum 228, enneadecaeteridum duodecim.* At l. v. p. 485., ubi de eodem anno loquitur, *Arabes*, inquit, *Hagareni periodum 228 annorum INSTITUERUNT ex a. d.* III. *Idus Martii anni Confusionis, cyclo lunae* XIII., *solis* XX. Et paulo post: *Triplicem enim periodum habuerunt, minorem* XXX *annorum solutorum, maiorem 210 annorum, maximam 228 annorum solarium, 235 autem Arabicorum, qua Muharram per totum contextum anni solaris vagatus redit ad eandem diem.* Idem et in lib. III. Isag. Can. repetit. Quid hoc homine facias, aut quam ei demum habeas fidem, sua se ipse confessione tam aperte ac palam induit, ut cuius anni formae ac periodi inventorem se dicit, eam ipsam vetustissimis temporibus in usu fuisse confirmet? Sed ea mihi levia ac tolerabilia videntur, cum ad alia respicio, quae in utroque illo opere temere, inconstanter ac sine autore ullo passim effutiit, quae nos brevi, si dominus dederit, in lucem apertumque proferemus, ut qui chronologicis in rebus deum illum propemodum faciunt, nihil ipsum ad eam rem praeter fastum et arrogantiam attulisse discant. Postremo quam in Antiocheni anni epocha hominis inconstantiam vidimus, eandem in Hagarenis et Arabicis hisce periodis scito esse commissam. Nam l. II. de Emend. p. 116. et l. v. p. 485. periodum Hagarenam ab anno ipso Confusionis, qui proxime Iul. primum antecessit, Arabes inchoasse tradit, per. Iul. 4668. In Isag. vero Canon. l. III. c. IX. p. 235. periodi huius epocham eandem esse docet quam et Antiochensium aerae, hoc est ab anno primo monarchiae Iulii Caesaris, per. Iul. 4666., quae secum perspicue pugnant.

Sed his nugis omissis, verisimilius est Epiphanii saltem tempore civilem Arabum annum solarem fuisse, et aliis quam qui vulgo circumferuntur nominibus menses appellatos esse. Simplicius, uti Scaliger observat, a vere annum suum Arabes inchoasse scribit. Alexandrinum vero Chronicon p. 597. notat Candido et Quadrato coss. Petreos et Bostrenos, qui Arabiae populi sunt, ab hoc ipso anno tempora sua numerare, qui est aerae Dionysianae CV., Traiani Imp. octavus.

Κατὰ Καππαδόκας Ἀταρτᾶ ιγ.] Lunaris igitur Cappadocum mensis extitit; quandoquidem cum Tebeth Iudaico convenit. Imo vero neuter accurate lunaris fuit, cum novilunium medium Dec. 26. competat. Quare si Iudaei ἀπὸ τῆς συνόδου neomenias civiliter deduxissent, Ian. VI. nonnisi XII mens. habuissent. Sin quod aliis placuit, uti glossa c. VII. par. I. Iad R. Maemonidae testatur, neom. nunquam eo die constituta, in quem Molad incideret, neomenia Tebeth XXVII. Dec., Ianuarii autem VI. duntaxat undecima convenit. Scal. lib. VI. de Emendat. cum de anno natali Christi disputat, Epiphanium redarguit, quod Tebeth pro Sebath posuerit. Sed reprehendendus ipse potius, qui ad commentum suum de Calippica periodo a Iudaeis tunc temporis observata Epiphanium adstringere voluit; de qua re paulo post agetur in Disputatione de anno Dominicae Passionis. Fuit hic igitur mensis Tebeth, non Sebath; et est omnino ad Iudaicam illam periodum, quam postea ex Epiphanii mente describemus, accommodatissimus hic locus. Etsi duorum alterum accidisse suspicor, ut vel ιδ' pro ιγ' scripserit Epiphanius, vel quoniam Ianuarii v. pro VI. imprudens usurpaverat, ad eam respiciens XIII. Tebeth adscripserit. Erat enim ex methodo nostra Tebeth 14. Quippe ogdoēcontatessaraeteridis annus iste fuit L., cyclo solis IX., lunae I., a Kal. Ian. anni Iuliani sequentis neomenia Nisan Apr. II., fer. IV. Erat annus simplex or-

p. 135.

dinarius. Igitur Tebeth, sive x. mensis iniit Dec. XXIV. Unde Ianuarii V. Tebeth dies erat XIII., sexto vero Ian. XIV. In quo vides, id quod methodus nostra repromittit, biduum fere iam anticipasse neomeniam civilem, cum dimidia periodus effluxisset. Nam a XXVI. Dec. ad XXIV. retrocessit. Quare vel hic unus locus ostendit nos per. illam ad Epiphanii rationes εὐστοχώτατα digessisse. Vide infra in illa Diatriba de Passione Domini.

Κατὰ Ἀθηναίους Μαιμακτηριῶνος.] Ianuarium Athenienses Maemacterionem vocarunt. Quod ne quis errore librarii factum putet, affirmatur ex eo quod paulo post Novemb. Metagitnionem appellat. Est autem hic locus ad Attici anni, cuiusmodi per illa tempora fuit, ac mensium dispositionem intelligendam observatione dignissimus. Primum enim solarem annum fuisse docet consensus Maemacterionis cum Ianuario. Sed videndum quodnam anni caput fuerit. Primus Atticorum mensium Hecatombaeon fuit; a quo, si Gazae credimus, quartus est Maemacterion, Scaligero vero quintus. Utrius verior opinio sit hoc loco disquirendum. Duo in ordinatione mensium Gazae errata corrigit Scaliger: alterum quod Maemact. IV. loco posuerit eique Pyanepsionem subiecerit, alterum quod Anthesterionem post Pyanepsionem collocaverit, instante iam hieme. Contra quae Scaliger Anthesterionem vernum mensem esse et μετὰ χειμῶνα statuit, unde post Γαμηλιῶνα constituit, Maemacterionem vero praecipitanti iam autumno tribuit, quintum ordine et a Pyanepsione proximum. Utriusque sententiae, ut a lectore facilius percipiatur, laterculum subiecimus.

MENSES ATTICI.

Ex Theodoro Gaza.	Ex Scaligero.
Θερινοί	Θερινοί
Ἑκατομβαιών	Ἑκατομβαιών
Μεταγειτνιών	Μεταγειτνιών
Βοηδρομιών	Βοηδρομιών
Ὀπωρινοί	Ὀπωρινοί
Μαιμακτηριών	Πυανεψιών
Πυανεψιών	Μαιμακτηριών
Ἀνθεστηριών	Ποσειδεών
Χειμερινοί	Χειμερινοί
Ποσειδεών	Γαμηλιών
Γαμηλιών	Ἀνθεστηριών
Ἐλαφηβολιών	Ἐλαφηβολιών
Ἔαρινοί	Ἔαρινοί
Μουνυχιών	Μουνυχιών
Θαργηλιών	Θαργηλιών
Σκιρροφοριών	Σκιρροφοριών

In hac Atticorum mensium recensione quaedam recte Scaliger adversus Gazam defendit, alia perperam ac falso. Quod enim Anthesterionem verno tempori adscribit, non inclinativam autumno, praeclare facit. Sed de Maemacterione ac p. 136.

Posideone parum commode sensisse mihi videtur. Primum Boëdromioni Pyanepsionem, non Maemacterionem adiungit, idque compluribus argumentis persuadere nititur; quae omnia, si unius Harpocrationis testimonium excipias, irrita sunt et inania. Sic autem ratiocinatur: Pyanepsion, ut autor est Plut. Tract. de Iside, congruit Athyr, hoc est Novembri. Posideon autem est Ianuarius, ut Plut. in Caesare scribit, cum semper post brumam incipiat. Atque idem Plut. in Demosth. tres istos menses continuat, Metagitnionem, Boëdromionem, Pyanepsionem. Cum igitur et Pyanepsion sit November et Posideon Ianuarius, nullus alius Decembri congruere potest praeter Maemacterionem. Ad haec Diodorus l. III. continuat hos duos menses Maemacterionem et Posideonem.

Sed eiusmodi est ratio Scaligeri, ut ad contrariam Gazae sententiam approbandam aptior excogitari nulla possit. Nam si Pyanepsion Novembri respondet, Hecatombaeon autem Iulio, ut eidem Scaligero placet, Metagitnion Augusto, Boëdromion Septembri, quis Octobrem alius praeter Maemacterionem sibi vindicabit? Pessime itaque quartam illi sedem attribuit, ac τῶν ὀπωρινῶν primum facit, si Novembri congruit. Sane Pyanepsionem quintum potius quam IV. esse numerandum ex eo colligitur, quod hiemi quoque tribuatur. Nam Thesmophoria Pyanepsione mense fiebant, ut Plut. in Demosth. significat. Thesmophoria porro in hiemem incurrere testatur Aristophanes Θεσμοφοριαζούσαις. Apud quem Agathonis servus de Thesmophoriorum tempore sic loquitur:

— — — — αὐτὸς γὰρ ἔξεισι τάχα
Καὶ γὰρ μελοποιεῖν ἄρχεται, χειμῶνος οὖν
Ὄντος κατακάμπτειν τὰς στροφὰς οὐ ῥᾴδιον
Ἦν μὴ προΐῃ θύραζε πρὸς τὸν ἥλιον.

Accedunt rationes aliae, quas a Theodoro propositas Scaliger dissimulat Ut inter alia, quod Arist. l. VI. de Hist. Anim. c. XXIX. Boëdromioni Maemacterionem subiungit, ubi de cervorum initu loquitur: ἡ δὲ ὀχεία γίνεται μετ' Ἀρκτοῦρον περὶ τὸν Βοηδρομιῶνα καὶ Μαιμακτηριῶνα. Qui locus Scaligero silentium indicit, et Gazae opinionem astruit. Duo enim ex iis verbis recte concludit. Alterum, Maemacterionem paulo post Arcturi ortum incipere, alioqui frustra Maemacterionem Boëdromioni subiiceret. Arcturus autem circa autumnale aequinoctium oritur. Nam Theophrastus κεραυνίαν florere dicit περὶ Ἀρκτοῦρόν τε καὶ ἰσημερίαν. Galenus insuper, ἔστι μὲν, inquit, ὡραιότατον τῆς ἑλάτης τὸ σπέρμα περὶ τὸν ἐπιτολὴν τοῦ Ἀρκτούρου, ὅτις καιρὸς ἐν Ῥώμῃ ὁ καλούμενος μὲν Σεπτέμβριός ἐστι. Quare modicum a Septembri distare Maemacterionem necesse est. Alterum, quod Gaza colligit, est, Maemacterionem Boëdromioni proximum esse. Nam quoties duos menses ita copulat, ut aliquid praesertim circa tempus certum accidere illis mensibus dicat, continuos esse menses ostendit. Ita cum de bobus agit: ἄρχονται τῆς ὀχείας αἱ βοῦς περὶ τὸν Θαργηλιῶνα μῆνα καὶ Σκιῤῥοφοριῶνα. Multo magis, cum praeterea certum tempus et cardinem adiungit, ut περὶ τροπὰς et περὶ τὸν Ἀρκτοῦρον. Tum enim προσεχεῖς illi menses habendi sunt. Praeterea l. VI. c. XII. scribit idem Aristoteles imbecilliora quaeque tam in piscium quam in avium genere appetente frigore prius in commodiora loca migrare, ut coturnices ante quam grues. Τὰ μὲν γὰρ μεταβάλλει τοῦ Βοηδρομιῶνος, τὰ δὲ τοῦ Μαιμακτηριῶνος. At vero grues mense proximo ab eo quo coturnices avolant migrare cernimus. Est igitur Maemacterion Boëdromioni proximus. Postremo idem Aristoteles l. VI. c. XL. scribit inter γαλεούς, quos mustelas Gaza vocat, eum qui ἀστερίας dicitur, ἄρχεσθαι ὀχεύεσθαι Μαιμακτηριῶνος μηνός. Quod statim post aequinoctium contingere piscatores testantur. Iam quod ad Plutarchum spectat,

p. 137.

qui cum Boëdromione Pyanepsionem continuat, errat profecto Scaliger. Plutarchus enim paucis mensibus post reditum in patriam vixisse Demosthenem scribit. Nam Metagitnione mense praelium ad Cranonem contigit; Boëdromione vero praesidium in Munichiam introductum, Pyanepsione demum obiit Demosthenes. Non dicit sequenti post Boëdromionem mense mortuum esse. Potuit igitur medius intervenire Maemacterion. Idem et de Diodori loco iudicium esse debet, qui ita scribit: Ἀπὸ μηνὸς ὃν καλοῦσιν Ἀθηναῖοι Μαιμακτηριῶνα τῶν ἑπτὰ τῶν κατὰ τὸν ἄρκτον ἀστέρων οὐδένα φασὶν ὁρᾶσθαι μέχρι τῆς πρώτης φυλακῆς, τῷ δὲ Ποσειδεῶνι μέχρι δευτέρας. Non enim continuo post Maemacterionem Posideonem sequi declarat, cum et verba ista, ἀπὸ Μαιμακτηριῶνος, de mense non absoluto possint accipi, cui sit proximus alter, hoc est Pyanepsio. Ita demum res eo redigitur, ut praeter Harpocrationem sententiae suae vindicem habeat neminem. Scribit enim in lexico Maemacterionem πέμπτον εἶναι μῆνα. Sed vel τέταρτος pro πέμπτος rescribendum, vel si nihil hic a librario peccatum est, non dubium est quin pluris apud nos Aristotelis et Plutarchi quam grammatici unius autoritas esse debeat.

Sequitur immanis Scaligeri stupor, dum Posideonem ita cum Ianuario comparat, ut post brumam incipiat, quo nihil falsius. Aristoteles l. v. c. IX. de thynnide: ἔστι δὲ ὁ μὲν πρῶτος τόκος περὶ τὸν Ποσειδεῶνα πρὸ τροπῶν. Theophrastus lib. VII. cap. I. de diverso sementis tempore: χειμερινοῦ γὰρ ἀρχὴ μετὰ τροπὰς θερινὰς τοῦ Μεταγειτνιῶνος, τοῦ δὲ δευτέρου πάλιν μετὰ ἡλίου τροπὰς χειμερινὰς τοῦ Γαμηλιῶνος μηνός. Incidit igitur Posideon ante solstitium hibernum, Gamelion post solstitium. Plutarchus autem in vita Caesaris Posideonem cum ineunte duntaxat Ianuario confert: Χειμῶνος ἐν τροπαῖς ὄντος, ἱσταμένου Ἰανουαρίου μηνὸς (οὗτος δ' ἂν εἴη Ποσειδεὼν Ἀθηναίοις). Nam lunaris Posideon nonnunquam Ianuarii partem aufert. Idem et Suidas perspicue docet his verbis: Ποσειδεὼν μὴν παρ' Ἀθηναίοις οὕτω καλούμενος, Δεκέμβριος. Quod vero Γαμηλιὼν proximum a solstitio locum habeat, declarat Aristot. I. Meteor. c. VI.: Ἐπὶ δὲ ἄρχοντος Ἀθήνησιν Εὐκλέους τοῦ Μόλωνος ἐγένετο κομήτης ἀστὴρ πρὸς ἄρκτον, μηνὸς Γαμηλιῶνος περὶ τροπὰς ὄντος τοῦ ἡλίου χειμερινάς. Haec nobis paulo accuratius demonstranda fuerunt, quod et Epiphanii locus ita postularet, et quod indigne ferrem eruditos nonnullos a Scaligero in eundem errorem inductos. E quibus unus asserit imperite omnes ante illum Maemacterionem quartum mensem numerasse. Qui quidem tot convictus rationibus cedat necesse est, et quod a Scaligero didicerat, tandem aliquando dediscat. Caetera quae ad Atticorum mensium disputationem et multa et exquisita dici possent, suum locum habebunt in eo opere quo temporum doctrinam a Scaligeri somniis deo aspirante vindicabimus.

Illud unum lectorem necesse est admoneri, eosdem illos Atticos menses alias lunares esse, alias non lunares, sed tricenarios, vel certe Iulianos. Si lunares, certam nullam in Iuliano contextu sedem obtinent, sed ultro citroque vagantur. Quae varietas efficit ut non iisdem Iulianis mensibus a scriptoribus imputentur. Epiphanius hic de tricenariis, aut utique Iulianis loquitur, de quo paulo post agemus. Caput anni, si vera sunt quae pro Gazae sententia supra disseruimus, ab Octobri Iuliano deducitur. Nam Metagitnion in Novembrem convenit. Ergo Hecatombaeon Octobrem occupat, a quo mense Syromacedonicam periodum orditur Scaliger. Videntur post Constantinianas indictiones novum illud Iuliani anni primordium statuisse et Hecatombaeonem in Maemacterionis locum subrogasse. Alioquin nihil est certius quam Hecatombaeonis περὶ τὰς τροπὰς θερινὰς collocatum fuisse. Lunaris enim Hecatombaeonis neomenia fuit illa, quae solstitio propior esset, tam ante quam post solstitium; id quod adversus Scalige- p. 138.

rianos alio loco probabitur. At in Iuliana, sive fixa stabilique anni forma, Hecatombaeon haesit in Iulio, reliqui sequentes Iulianos menses obtinuerunt. Plutarchus cum Atticorum mensium meminit, nonnunquam fixos illos ac Iulianos intelligit. Quod autem eorum seriem Athenienses retexuerint et Hecatomb. statione dimoverint, haud scio an ex alio scriptore quam ex hoc Epiphanii loco constare possit.

Πρὸ ἕξ Εἰδῶν Νοεμβρίων.] Neomenia Athyr Actiaci, vel Diocletianei, convenit v. Kal. Nov., hoc est Octobr. XXVIII. Ergo duodecimus Athyr Novembris octavo, sive VI. Eid. Nov., quod et num. XVI. supra dixerat, LX. die ante Epiphania. Perperam itaque postea, n. XXVIII., πρὸ ὀκτὼ Εἰδῶν Νοεμβρίων a librario scriptum.

Κατὰ Σαλαμινίους.] Neomenia Choiac incidit III. Novemb., quem mensem tertium appellat, sive quod plures eiusdem nominis essent, ut apud recentiores Arabes duo Rabiu sunt, totidemque Giumediu, sive quod ordine tertius esset. Unde et quintus in Ianuarium incurrit. A. III. Nov. ad Kal. Ian. comprehensis Kal. ipsis dies sunt solidi LX, qui menses duos tricenarios efficiunt. Nam II. Ianuarii πέμπτος mensis iniit. Videntur Salaminii aequabilem et Aegyptiacam mensium ascivisse.

Κατὰ Παφίους.] Apogonici neomenia coepit Octob. XXIV. Iulus iniit Decemb. XXIV. A die XXIV. Octob. ad XXIII. Dec. dies sunt LXI, qui sunt duo Paphiorum menses. Quare Apogonicus Paphiorum fuit November, Iulus December.

Κατὰ Ἄραβας.] Neomenia Angalthabaith Octobris XVIII. competit, a quo die ad XVI. Dec. dies sunt LX, sive duo menses Aegyptiaci, quibus usi sunt Arabes illis temporibus. Nam neomenia Aleon paulo ante coepit Decembris XVII.

Κατὰ Μακεδόνας Ἀπελλαίου.] Macedonici mensis, cum de tempore natalis ageret, mentionem omisit. Convenit porro Apellaei neomenia cum Paphiorum Apogonico. Nam utraque iniit Octobris XXIV. Sed neutra lunaris extitit. Apud mediae vetustatis scriptores, praesertim Christianos, nonnunquam Macedonici menses cum Syromacedonicis, quos et Graecorum menses appellant, confundi
p. 139. videas; ut in insigni illo Anatolii loco, quem in sequenti Diatriba declarabimus, alias vero discerni, ut hoc loco fecit Epiphanius. Et certe Syromacedonicorum mensium alius in anno Iuliano situs quam Macedonicorum fuit, non modo veterum, quos lunares fuisse suspicamur, sed etiam recentiorum ac fixorum. Ac posteriorum quidem, hoc est Macedonicorum, apud antiquos series obscura est ac difficilis, quod de ea varie praestantissimi scriptores existimasse videantur. Sed omissa modo quaestione, vel in aliud potius dilata, tempus sic omnino statuo: Principem mensium locum extitisse qui Hecatombaeoni responderit, quod in Alexandri vita testatur Plutarchus. Galenus quoque in lib. I. Epidem. aequinoctium autumnale κατὰ τὴν ἀρχὴν τοῦ Δίου μηνὸς fieri scripsit, ineunte vero Peritio solstitium hibernum, aequinoctium vernum Artemisio, aestivum solstitium Loo. Quod vel de Iulianis ac fixis mensibus accipi potest, vel de lunaribus, eo videlicet sensu, ut sub quatuor illos anni cardines totidem illi menses ineant. Favet huic coniecturae Iosephus, qui persaepe Xanthicum Nisan esse dicit, ut Origen. lib. I. cap. III., et lib. III. cap. IX. et X., libro vero VIII. cap. II. Iiar cum Artemisio componit, lib. VIII. cap. III. Hyperberetaeum cum Tisri, Dium cum Marchesuvan lib. I. cap. III., Chasseu cum Apellaeo lib. XII. cap. VII. Adde iis astronomica quaedam exempla in Chaldaica periodo apud Ptolemaeum. Quae omnia alibi diligentius explicantur. Inter Macedonicorum mensium ex iis omnibus ordo iste constituendus est.

Menses Iudaici.	Menses Macedonici.	Menses Attici.	Menses Iuliani, quibus fere caeteri respondent.
Nisan	Ξανθικὸς	Ἐλαφηβολιών	Martius
Iiar	Ἀρτεμίσιος	Μουνυχιών	Aprilis
Siuvan	Δαίσιος	Θαργηλιών	Maius
Thamuz	Πάνεμος	Σκιῤῥοφοριών	Iunius
Ab	Λῶος	Ἑκατομβαιών	Iulius
Elul	Γορπιαῖος	Μεταγειτνιών	Augustus
Tisri	Ὑπερβερεταῖος	Βοηδρομιών	September
Marchesuvan	Δῖος	Μαιμακτηριών	October
Chasseu	Ἀπελλαῖος	Πυανεψιών	November
Thebeth	Αὐδυναῖος	Ποσειδεών	December
Schebath	Περίτιος	Γαμηλιών	Ianuarius
Adar	Δύστρος	Ἀνθεστηριών	Februarius

At in epistola Philippi Macedonum regis, quae est apud Demosth. περὶ Στεφάνου, Lous cum Attico Boëdrom. componitur, ut alius per illa tempora mensium apud Macedonas contextus fuisse videatur. De quo alias. Nunc illud, quod dixi, ex diagrammate constat, Macedonicos menses uno fere mense Syromacedonicis anteriores esse. Nam Xanthicus exempli caussa Syromacedonum est Aprilis Iulianus, Macedonicus vero tametsi cum lunaris est Aprili nonnunquam respondeat, saepius tamen in Martium incurrit, maioremque illius partem occupat. Caeterum apud Epiphanium hoc in loco pro Ἀπελλαίου ις', Scaliger lib. v. de Emendat. pag. 482. B. corrigit Ἀπελλαίου ς'. Qua ratione Apellaeus Macedonicus Novembris III. coeperit. Quod verumne sit nescio. p. 140.

Κατὰ Ἀθηναίοις Μεταγειτνιῶνος ἑβδόμη.] Constat ex iis quae paulo ante disputata sunt, Maemacterionem ab Hecatombaeone esse quartum, quod et hic locus evidenter demonstrat. Nam Metagitnion proximus est ab Hecatombaeone. Igitur Epiphanii saeculo Hecatombaeon October erat, Maemacterion Ianuarius. Neomenia Maemacterionis congruit Kal. ipsis Ianuarii. Nam VI. Maemact. eadem est Ianuarii VI. Atqui neomenia Metagitnionis non convenit Kal. Nov. Quippe VIII. Nov. VII. duntaxat est Metagitnionis; nisi mendum sit in Epiphanii codice. A secunda Nov. ad ultimatam Dec. dies sunt LX, menses Atheniensium duo. Proinde non Iulianis, sed aequabilibus et Aegyptiacis mensibus usi sunt Athenienses, cum primum fixum et stabilem annum adhibuerunt. Imo vero idipsum apud illos antiquissimam fuisse non primus Scaliger, ut gloriatur, sed Gaza ante illum docuit lib. de Mensibus, ubi de anno disputat. Etenim annus, inquit, apud illos erat duplex; alter dierum CCCLX, cuius in fine appendices V dies inserebantur, ad quos quarto quoque anno dies unus accedebat, alter lunaris fuit. In priore forma tricenarii menses erant, ad modum Aegyptiaci anni, ultimus mensis V vel VI diebus auctior erat. Haec Gaza. Quod utrum priscis illis temporibus usu populari receptum fuerit, alibi disseritur. Post Iulianam quidem editionem, atque Epiphanii saeculo, eiusmodi annum observatum Athenis fuisse ex hoc Epiphanii loco coniici potest. Ut enim Aegyptiacus annus mensibus tricenariis constans, cum hactenus diei intercalaris omissione per Iulianum annum evagaretur, recepto anno Iuliani typo tricenarios menses nihilominus retinuit, cum ἐπαγομέναις V, et interdum VI, ita credibile est Athenienses in anno suo fecisse, ut tricenis duntaxat diebus singuli menses decurrerent, nec ad Iulianorum mensium descri-

ptionem quadrarent. Scaliger quidem IV. de Emendat. pag. 227., ubi de anno Iuliano Athen. agit, hos ipsos putat non modo Iulianum annum, hoc est solarem et fixum, verum etiam Iulianos menses admisisse, et Hecatombaeonem neom. Kal. ipsis Iulii convenire. Sed in eo probando mirum quam inscite imperiteque versetur. Sic enim disputat: Lucianus in vita Peregrini statim post Olympiacum ludum, cum adhuc frequens mercatus esset, circa mediam noctem Peregrinum se in rogum iniecisse narrat, commodum exoriente luna. Contigit Peregrini mors Eusebio teste Olymp. CCXXXVI., cyclo XIV. Igitur Iulii XVII. luna erat XX., aut XXI., et ideo circa mediam noctem oriebatur. Atqui Olympiacus agon celebrari solebat XV. die mensis primo. Itaque cum eo saeculo Hecatombaeon idem esset qui Iulius, XV. Iulii celebratus est agon, et tertio die a certamine finito luna erat XX. En criticum hominis acumen. Demonstrandum erat, Hecatombaeonem Atticum fixum fuisse in Kal. Iuliis. Ad id Luciani testimonium Hecatombaeonem pertinet, profert, quod ad rem nihil omnino pertinet. Si quid enim ex eo de neomenia mensis efficitur, ad Elidensium, non ad Atheniensium annum ac mensem refertur. Nam in Elide, non Athenis gesta sunt, quae a Luciano narrantur. Deinde illum ipsum Luciani locum quam negligenter attigit! Non enim scribit circa mediam noctem exortam esse lunam, sed amicum illum, ad quem diverterat, circa mediam noctem ad id spectaculum profectum: περὶ μέσας νύκτος ἐξαναστὰς ἀπῆει αὐθὺ τῆς Ἀρπίνης· ἔνθα ἦν ἡ πυρὰ, στάδιοι πάντες οὗτοι εἴκοσιν ἀπὸ τῆς Ὀλυμπίας κατὰ τὴν ἱππόδρομον. Mox vero subiicit: καὶ ἐπειδὴ ἡ σελήνη ἀνέτειλεν, — πρόεισιν ἐκεῖνος. Accidere itaque potuit ut duabus, vel tribus, horis a media nocte iam elapsis apparere luna coeperit. Sed neque tertio vel secundo potius, quam IV. vel V. a celebritate die istud evenisse debuit. Scribit enim Lucianus finitis iam Olympiacis ludis Peregrinum diem de die trahentem demum certam in noctem condixisse: ὁ δὲ αἰεὶ ἀναβαλλόμενος νύκτα τὸ τελευταῖον προετρήκει ἐπιδείξασθαι τὴν καῦσιν. Ad haec quis Scaligerum docuit, XV. Iuliani mensis, hoc est Iulii, non autem lunaris, Olympiacos illos agones de more celebratos esse? Quam haec vana et ἀνάρμοστα sint nemo non videt. Certe Calvisius Olympiadem illam CCXXXVI. Augusti XII., non Iulio peractam existimat. Qui et ipse tamen puerili prorsus errore in illa Peregrini historia sese traduxit, dum scribit Peregrinum Christianum esse factum anno Christi LXXIII., Olymp. CCXIII. In quo centum propemodum annis aberrat. Nam Peregrini mors incidit in Olymp. CCXXXVI., annum Christi CLXV. Vixit autem Herodis Attici tempore sub M. Aurelio Antonino, ut ex Philostrato lib. II. de Vit. Soph. in Herode colligitur, nec non et ex Luciano in illius vita.

p. 141.

Κατὰ Ἑβραίους Μαρσουάν.] Epiphanius Christi baptismum assignat ei anno qui coss. habuit Silvanum et Nervam, qui est Iulianus LXXIII., Novembri mense, cum XXIX annos, menses X implesset. Novilunium medium hoc anno incidit in Nov. VI., horis aliquot post initium noctis, cyclo X. Quare si Novembris dies VIII. Marchesuvan Iudaici dies est VII., neomenia Iudaica iniit Novembr. II, et V solidis diebus novilunium antecessit. Nam Iudaice novilunium quadrabat in Novembris VII., feria I. Sed non puto tantum ab illis dissimulatam fuisse lunarem προήγησιν. Et erratum fortassis est, ut pro ἑβδόμῃ, τρίτῃ vel δευτέρᾳ, vel certe τετάρτῃ, legendum sit, quo tolerabilis neomeniae labes intercesserit. Quin et alius error est in mensis appellatione. Non enim Marchesuvan, sed Chasseu esse debet, si modo lunaris ille mensis fuit. Quod quidem fieri non potest, si integer sit hic Epiphanii locus et Iudaici mensis sexta novilunium commissum fuerit. Quid si aut Iudaei tunc temporis, aut Epiphanius ipse Iudaicorum mensium vocabula Iu-

lianis mensibus tribuerit? Ac tunc October Tisri, November Marchesuvam fuerit. Sed huius rei praeter coniecturam nihil habemus.

N. XXV. Τὸν γὰρ πρῶτον ἐνιαυτόν.] Priore τῆς κηρύξεως anno neminem adversatum esse Christo neque verum est, neque ex Epiphanii, vel eorum omnium qui tria duntaxat paschata numerant, opinione defendi potest, ut ad num. XXVIII. demonstrabitur, ubi quae hoc loco dicuntur diligentius excutienda sunt.

DE ANNO ET DIE DOMINICAE PASSIONIS AD HAERESIN LI. DIATRIBA ALTERA. p. 142.

VARIAE PRISCORUM SENTENTIAE DE ANNO PASSIONIS.

Omnis quae de aliqua re instituitur disputatio certis ex rebus minimeque dubiis debet proficisci; quae aut per sese ipsae verae sint, aut inter eos qui disputant pro veris ac professis habeantur. Quamobrem qui verum passionis annum indagare student, imprimis ea quorum certa sit fides eligere debent, ac principiorum sive ἀξιωμάτων loco ponere. Ac sunt nonnulla de quibus Christiano dubitare nefas omnino videatur, cuiusmodi ista sunt, sub Tiberio Caesare ac procuratore Pontio Pilato passum esse; tum vero parasceve sabbati, sive feria VI., aut si quid aliud est, quod sacrorum librorum auctoritas confirmat. Quibus si contenti eruditi homines fuissent neque suis nos opinionibus ac coniecturis, tanquam scripturae aut ecclesiae decretis, adstrinxissent, multo et veritati melius et posteritati consuluissent. Sed est genus hominum, qui ea quae consensu recepta vulgi et aliquot abhinc saeculis autoritatem nacta non nimis vetera ac diligenter excussa sunt, timide nimis deosculantur, ac propemodum serviliter, eorumque fidem et assensionem ab invitis exprimere ac pro ecclesiae dogmatibus conantur obtrudere. Quorum est quidem hac in parte commendandum studium, quod cum in ea tempora inciderimus, quibus magna est novitatis hominibus iniecta cupiditas, ne ad religionis fideique damnum publicae ille insaniae morbus erumperet, in eam partem peccare maluerunt quae est cautior. Verum uti pio homini ac catholico magna est vetustatis habenda ratio, in iis vero quae ab ecclesia sancita sunt, ne levissime quidem haesitare licet, ita magnopere illud cavendum, ne pro veteribus et sacrosanctis habeantur illa quae paucis abhinc saeculis emerserint, neve ad falsitatis patrocinium speciosum illud ecclesiae ac publicae consensionis nomen transferatur. Quam quidem ecclesiasticae autoritatis adscribendae licentiam cum in aliis impune versatam, tum in ea quam tractamus natalis ac passionis dominicae quaestione grassatam animadvertimus. In qua plurima velut ex communi ecclesiae deprompta fide iactari solent quae aut falsa sunt aut falsorum simillima.

Ne longe exempla repetamus, occurret Bedae sanctissimi hominis et eruditissimi decretum illud, quod in hunc locum distulimus. Hic igitur cap. XL. libri de Temporum Ratione, de aetate ac passione domini in haec verba pronunciat: *Habet enim nisi fallor, ecclesiae fides, dominum in carne paulo plus minus quam* p. 143. XXXIII *annis usque ad suae tempora passionis vixisse, quia videlicet* XXX *annorum fuerit baptizatus, sicut evangelista Lucas testatur, et tres semis annos post baptisma praedicaverit.* Subiicit deinde: *Sancta siquidem Romana et apostolica ecclesia hanc se fidem tenere et ipsis testatur indiculis, quae suis in cereis annuatim inscribere solet, ubi tempus dominicae passionis in memoriam populis revocans*

numerum triginta semper et tribus annis minorem quam ab eius incarnatione Dionysius ponat, adnotat. Denique anno ab eius incarnatione iuxta Dionysium DCCI., *indictione* XIV., *fratres nostri, qui tunc fuere Romae, hoc modo se in natali domini in cereis S. Mariae scriptum vidisse et inde descripsisse referebant: A passione domini nostri IESU Christi anni sunt* DLXVIII etc. Addit postea: *Nam quod dominus* XV. *luna feria* VI. *crucem ascenderit et una sabbatorum, id est die dominica, resurrexerit a mortuis, nulli licet dubitare catholico.* Haec ille. Duo hic, fidei atque ecclesiae decreta proponuntur: alterum, Christum dominum aetatis anno XXXIII. iam expleto, XXXIV. vero inchoato, passum esse, aerae videlicet Dionysianae XXXIV., quia cum XXX. aetatis anno baptizatus fuerit, tres deinde annos cum semisse vixit; unde XXXIV. anno mortem obierit oportet. Quare hinc etiam aliud ecclesiae dogma nascitur, Christum quatuor peregisse paschata, quorum in postremo mortuus est. Alterum ecclesiae decretum, *de quo nulli fas est dubitare catholico*, eiusmodi ponitur, *Christum* XV. *luna passum esse.* Hunc Bedae locum, velut firmissimum quoddam chronologiae munimentum usurpare identidem optimi viri ac doctissimi solent, eoque potissimum telo superior illa Dekerii nostri sententia in Annalibus oppugnatur. Verum illo ipso loco pugnantia secum ac contraria Beda profitetur. Etenim qui vixisse tot annis quempiam asserit, eum, opinor, annum primum numerat quo in lucem editus est, non eum complectitur, quo in matris utero fuit. Hunc igitur si Beda velit excipere, cum is sit aerae Dionysianae primus, ut supra declaravimus, tres ad triginta supererunt anni, quorum in ultimo Christus passus est, aerae tricesimo quarto. Itaque non amplius quam XXXII annis, mensibus tribus Christus vixerit, contra illud ecclesiasticae fidei decretum.

Sed manifestius implicat sese, dum ita concludit: *Quoniam* DXXXII *annis circulus paschalis circumagitur, his adde* XXXIII, *vel potius* XXXIV, *ut illum ipsum quo passus est dominus attingere possis annum, fiunt* DLXVI. *Ipse est ergo annus dominicae passionis et resurrectionis a mortuis, quia sicut* DXXXIII. *primo, ita* DLXVI. *tricesimo quarto per universos solis et lunae concordat discursus.* Omnino statuit anno aerae Dionysianae DLXVI., qui est cycli DLXVII., easdem neomenias ac ferias recurrisse quae erant anno aerae XXXIV., cycli XXXV. Ex quo ita colligit: *Et ideo circulis beati Dionysii apertis, si* DLXVI. *ab incarnatione domini contingens annum* XIV. *lunam in eo* IX. *Kal. Apr. feria* V. *repereris, et diem paschae dominicum* VI. *Kal. Apr., luna* XVII., *age DEO gratias, quia quod quaerebas, sicuti ipse promisit, te invenire docuit.* Quis haec a Beda per ironiam dicta suspicetur? quod Bridefertus Ramesiensis in scholiis adnotavit. *Ironice*, inquit, *dicit hoc, dum nullo modo invenitur.* Sed haec scholiastes ipse ridicule. Neque enim ridendi caussam ullam habuit Beda, cum ista scriberet. Quin ut ex toto illo capite liquet, quid sentiret ipse plane aperteque significavit. Atqui eiusmodi
p. 144. illa sunt, ut per ironiam esse dicta plurimum Bedae ipsius interfuerit. Sunt enim absurdissima. Quippe anno Christi XXXIV., cyclo solis XV., lunae XVI., litera dom. C, novilunium Nicaenum (quod, ut saepe monui, olim etiam ad Christi saeculum accommodabant) contigit Martii VIII., luna decimaquarta, XII. Kal. Aprilis, sive Martii XXI., pascha V. Kal. Apr., sive Martii XXVIII., ut ex Dionysii ac Bedae cyclis apparet. Iidem characteres anno DLXVI. congruunt. Non igitur annis istis luna XIV. incidit in IX. Kal. Apr., feria V., pascha vero in VI. Kal., quod ut eveniat, cyclus esse debet lunae XIII., solis XXI., hoc est Christianae aerae XII. Quamobrem ut vera sint quae a Beda traduntur, non XXXIV. aetatis anno, sed XII. mortuum esse Christum oportet. Sed utcunque adscripti a Beda Martii dies ha-

beant sese, si anno illo XXXIV. passus est Christus, non potest luna XV. id accidisse. Nam Nicaena XIV., quae Christi tempore XIII. erat, convenit Martii XXI., feria I. Unde feria secunda passus erit dominus Martii XXII. [Non minorem cy- p. 457.
clorum annorumque perturbationem comperi apud Victorium Aquitanum. Cuius Fasti sunt penes R. P. Sirmondum cum praefatione, ex qua nonnulla citat refellitque Beda lib. de Temp. Rat. cap. XLIX. In illa ergo praefatione *Victorius* (ita enim in vetustissimo illo codice nominatur, atque etiam *Victor*, non *Victorinus*) de anno dominicae passionis agens, *Passum autem*, inquit, *dominum nostrum Iesum Christum peractis V M* CCXXVIII *annis ab ortu mundi eadem Chronicorum relatione monstratur* (de Eusebii, Hieronymi et Prosperi Chronicis loquitur). *Quod gestum inchoante* XXVIII. *anno non potest dubitari. Siquidem* VIII. *Kal. Apr. primo mense luna* XIV. *vespere praecedente, sicut ab initio creaturae quarta facta est, coepisse doceatur: adiunctisque bissextis ad summam V M* CCXXVIII *annorum, sequenti* IX., XX. *anno*, V. *feria docet se traditione praeventum. Primo vero azymorum die dominus noster Iesus Christus coenans cum discipulis suis postquam sui corporis et sanguinis sacramenta patefecit, ad montem Oliveti, sicut evangelia sancta testantur, progressus, ibique detentus est a Iudaeis tradente discipulo. Deinceps* VI. *feria subsequente, id est* VII. *Kalend. Apr., crucifixus est et sepultus. Tertia die, hoc est* V. *Kal. Apr., dominico surrexit a mortuis.* Hactenus Victorius. Qui passum asseverat Christum Martii XXVI., feria VI., resurrexisse vero Martii XXVIII. Ita dominicalis litera fuerit C, qui character anno aerae Dionysianae XXXIV. congruit, cyclo solis XV. Sed cum dicat lunam Martii XXV., quo die epulum paschale celebravit, fuisse lunam XIV., hoc nonnisi cyclo Nicaeno secundo convenit, vel XIII., si decimam quartam appellavit decimam quintam. Cyclus XIII. competit anno Dionysiano XXXI. Quare in anno cycli lunaris cum Epiphanio ac veteribus consentit, in solari cyclo cum Beda ac reliquis. In expansis Fastorum annis perturbatiora omnia sunt. Illic crucifixum esse dominum ait coss. duobus Geminis, quibus successerunt Ruffus et Rubellius, anno post natalem XXXII., quo anno pascha incidit III. Id. Apr. luna XX. Qua ratione cyclus erit lunae I., lit. domin. C; quae eadem et anno XXXIV. Dionysiano congruit. Sed cycli decemnovennalis foedissima depravatio est.]

Iam quod ad Bedae locum spectat, in quo scribit anno Dionysiano DCCI. ad- p. 144.
notatum fuisse annum a passione domini DCLXVIII., indictione XIV., in Annalibus librariorum culpa DCCI. pro DCCII. irrepsisse creditur; quod maxime miror. Nam DCCII. anno non XIV. indictio, sed XV. competit, quae ab antecedente Sept. coepit. Unde multo est verisimilius natalem illum, quo in cereis ista legerunt monachi, fuisse XXV. Decembris anni Dionysiani DCC., a quo die Christi anni numerari quondam solebant. Sed hoc pacto anno passionis ab antecedente natali, hoc est tribus fere ante diem ipsum passionis mensibus, inchoandi sunt. Nam si e DCC absolutis triginta tres solidos deducas, restabunt DCXLVII absoluti. Ideo DCCI. iniens est DCLXVIII. perinde iniens, qui a natali septingentesimo Dionysiano indict. XIV. incipit. Quod si ipso anni DCCI. natali iniret, esset non XIV. indictio, sed XV. Ac fieri quidem potest ut Romana ecclesia temporibus illis Christum aetatis anno XXXIII. passum esse censuerit. Ita namque septingentesimus exiens incidet in annum passionis DCLXVIII.; si nimirum XXXIII. primus passionis habeatur, quod fortasse verius est. Quanquam de illo Bedae loco cogitandum amplius est. Quod enim ipsum a natali annum auspicari volumus, id quod, nisi mendosa verba sunt, necessarium videtur, cum Dionysiana epocha minus quadrat, quae a Martio mense inire consueverat. Atqui DCCI. annus in natali indictionem habet

XV. Quocirca vel indictiones Romanae iam tum a Ianuario inchoatae sunt et in ultimum Decembris diem desitae, vel pro DCCI. apud Bedam DCC. legendum, quemadmodum legisse scholiastes videtur, vel denique indictio XV. pro XIV. substituenda. Quod si DCC. annum Beda scripsit, tum utique XXXIII. anno ab incarnatione passus erit dominus, aetatis XXXII. ineunte. Paulus Forosempron. lib. IV. Paulinae DCCI. quidem annum hoc in Bedae loco posuit, sed a passione DCLXIX., non DCLXVIII. Ex quo idipsum quod modo significavimus colligit, Christum ex illorum sententia passum esse aetatis anno XXXI. cum tribus mensibus. *Etenim anni*, inquit, *a passione et incarnatione eodem die inchoantur, hoc est ab* VIII. *Kal. Apr. Ergo necesse est secundum Bedam totum illum annum, qui erat*
p. 145. DCCI. *ab incarnatione, esse a passione* DCLXIX. *Detrahe iam annos* DCLXIX *a* DCCI, *restabunt anni* XXXII *ab incarnatione ad passionem. Deductis mensibus novem passus est Christus anno* XXXI. *cum tribus mensibus.* Haec ille. Verum repugnat indictio, nisi aliter locus emendetur. Ex iis omnibus validissime Bedae illa sanctio refellitur, qua ex ecclesiae fide Christum putat mortuum anno XXXIV., vixisseque annos XXXIII, menses III. Quam quidem opinionem *neminem se, qui quadraret, reperisse* Paulus Middelburg. affirmat, quin et Bedam a se ipso dissentire, qui in Chronico, sive lib. de Sex Aetatibus, Augusto annos LVI et sex menses assignat, tum Christum anno illius XLII. in hunc mundum advenisse scribit, anno Urbis DCCLII., Olymp. CXCIV. anno tertio, passum vero Tiberii XVIII. Unde consequens est vixisse sub Augusto annos XIV, menses IX; sub Tiberio annos XVII, menses VI. Colliguntur anni XXXII, menses III ab incarnatione; a nativitate anni XXXI, menses III. Quocirca veteres Middelburgensis existimat Christo in carne tribuisse annos XXXIII nondum absolutos, *sed non ad Bedae sensum qui hos annos extra uterum a natali computat*, sed ita, ut ab incarnatione ipsa numerentur.

Nam quod ecclesiae autoritate qui cum Bedae sententiam illam adstruunt niti se profitentur, velim concilii alicuius decretum, hoc est communem ecclesiae vocem, aut antiquorum certe Patrum constantem in illa tuenda consensionem proferant, quod nunquam omnino perficient. Nec enim ignorare possumus, quantopere a se invicem PP. omnes cum in anno passionis, tum in die ipso dissideant. Irenaeus apostolorum propemodum aequalis inter quadragesimum et quinquagesimum annum aetatis suae passum esse salvatorem asserit, lib. II. cap. 39., idque se et ex evangelio et Ioannis evangelistae discipulis, quod a magistro acceperant, didicisse confirmat. Quem Irenaei locum non recte in Annalibus intellectum video. Negant enim penitus hoc ab Irenaeo esse scriptum. Nimirum aliena manu insertum videri. Cuius coniecturae caussam hanc potissimum afferunt, quod eodem capite paulo ante contrarium profitetur baptizatum esse Christum, cum propemodum XXX esset annorum, ac subinde tria paschata peregisse, quorum in tertio sit passus. Ideo quod subiungitur meram imposturam esse putat.

Sed hac coniectura nihil ab Irenaei mente et sententia fingi potest alienius. Tantum enim abest ut haec Irenaei propria non sint, ut aliter quam si ita sentiret ac scriberet illius procedere disputatio nullo modo potuerit. Agit in illo loco contra Gnosticos tricenarii numeri ac pleromatis patronos, qui XXX. anno ineunte baptizatum Christum, eodem vero anno, mense XII. passum esse dicebant. Quos ex Ioannis evangelio refellit; in quo tria distincte paschata numerantur. Non igitur uno anno praedicatione functus est. Neque vero tria ista paschata sic attulit Irenaeus, ut non plura Christum obivisse crederet, sed quod apud Ioannem liquida illa et expressa leguntur, ex iis saltem ad tertium usque annum

praedicasse, non tantum uno, validissime demonstrat, cum interim tamen ipse longe plura post baptismum praeteriisse velit. Quod adeo rationes illae quibus contra Gnosticos utitur manifeste probant. Christum enim ea aetate docuisse, qua magister appellari merito posset, hoc est perfecta et virili, statuit, quam a p. 146.
XL ad L annos extendit, quo intervallo praedicasse ac demum passum esse dominum existimat, idque sequenti capite Iudaeorum ex illis verbis ostendit: *Quinquaginta annos nondum habes.* Quamobrem licet anno XXX. ineunte baptizatum a Ioanne Christum ex Luca colligat, non tamen statim ad docendum accessisse sentit Irenaeus. Alioqui constare ipse sibi non potest. Tertullianus adversus Iudaeos cap. VIII. Christum decimoquinto Tiberii anno passum arbitratur. Quanquam Hieronymus ad cap. IX. Danielis XXXIII annos, non XXX, ex Tertulliani sententia Christo tribuit. Eusebius in Chronico cum natalem Christi in annum Augusti XLII., ab Abraamo MMXV., reiiciat, passionem vero in XVIII. Tiberii, ab Abraamo MMXLVII., annos post natalem XXXI cum mensibus aliquot vixisse statuit; si quidem natalem ipsum in Decembrem conferat, sin ex Aegyptiorum, quos sequitur Epiphanius, decreto, Ianuarii VI. diem Christi nativitati praefiniat, uno amplius, id est XXXII, annos cum mensibus tribus eidem post ortum imputabit. Longum est enumerare caeteros, qui XXXI, aut XXXII, aut ad summum XXXIII arrogant. Qui autem triginta quatuor assignaret, ante Bedam fuisse puto neminem. Qui ne ipse quidem XXXIV vixisse statuit, sed XXXII duntaxat cum tribus mensibus. Nam ex isto numero primus ille vitae aetatique detrahendus est, quo in virginis utero fuit, ut saepius admonuimus. Quo magis admirari soleo persuasisse sibi nonnullos vetustissimorum Patrum, imo totius ecclesiae hanc esse fidem, Christum aetatis annum quartum et tricesimum attigisse. Cedo vel unum ex omni antiquitatis memoria, qui aut ita senserit, aut, si id verbo tenus iniecisse visus est, non eum annum quo in matris utero gestatus est inter annos illos numerarit. Tantum igitur abest ut haec communis sit de XXXIV. aetatis anno opinio, ut antiquitati omni prorsus inaudita fuerit, vixque paucis abhinc saeculis, eo ipso quidem quo vulgo traditur sensu et interpretatione, obtinere coeperit.

EXPENDITUR CHRONOLOGORUM QUORUNDAM OPINIO QUI XXII ANNOS AERAE DIONYSIANAE DEESSE SUSPICATI SUNT.

Quemadmodum anno passionis, sic in die ac mense quaedam velut certa communi fide constituta sunt: sed illud imprimis, Christum luna XV. in ipso paschate, sive primo die azymorum, esse passum et quidem Martio mense. Quae duo cum multorum animis insedissent, quod consentaneum erat accidit, ut de passionis tempore infinita quaedam opinionum divortia nascerentur. Inter quas ad stuporem usque ridicula est illa quam ex Sigeberto, Mariano, ac caeteris antea retulimus. Quibus cum persuasissimum foret Christum Martii XXV. passum esse, feria VI., hoc est VIII. Kal. Apr., resurrexisse vero VI. Kal. Apr., Martii XXVII., cum in Dionysiano cyclo aeraque communi certam nullam rationem extricare possent, eo tandem difficultate ipsa quaestionis redacti sunt, ut anno p. 147.
aerae Christianae XII. passum dominum asseverantes, ab incarnatione tricesimo quarto, XXI, sive potius XXII, annis aberrasse Dionysium crederent: ut qui duodecimum annum illum constituerit quem XXXIV. numerare debuisset. Etenim uni anno duodecimo quadrant illa quae diximus; uti feria VI. in XXV. Martii conveniat, cyclo solis XXI., litera CB, lunae XIII. Vide quae ex Mariano ac Sigeberto in

superiore diatriba produximus. Eandem illam coniecturam et opinionem de XXII annorum labe divinitus sibi patefactam Paulus Forosemproniensis narrat lib. X. partis II. Paulinae suae. Cum enim minime dubitaret quin Christus Martii XXV., feria VI., crucem pertulisset, neque certum annum satis explicaret, post longam vigiliam affuisse sibi Paulum apostolum narrat, et chronologorum omnium errorem indicasse, qui XXII annos praeteriissent; adeo ut qui XII. in aerae communi censetur, is XXXIV. haberi debuerit. Idem tamen non XV. luna, sed XIV., passum esse Christum existimat; propterea quod plenilunium XXVI. Martii contigit feria VII.; quo die Iudaei pascha celebrabant. Unde colligas ex Bedae, Sigeberti, Mariani aliorumque sententia consequens esse Christum non XV. luna, sed XIV., in crucem sublatum fuisse. Tametsi hanc illi XV. lunam arbitrati sunt, quoniam Nicaenum cyclum ad Christi passionisque tempora sine ulla προηγήσεως, quam ignorabant, suspitione transtulerunt. Paulus vero, ut erat astronomiae peritus, medios lunae motus et tabulas in consilium adhibuit. Caeterum illam ipsam annorum duorum ac viginti labem inde conflatam existimat, quod trium pontificum anni, Cleti, Marci et Marcelli ab Eusebio praetermissi sunt, qui annos XXII ecclesiae praefuerunt. Quae cum omnia Paulus accurate illo in libro disseruisset ac divinitus id se accipisse confirmasset, in sequentibus tamen libris, maximeque XIII., caussam prodidit, et contempta Pauli apostoli ac divinae significationis autoritate ad suum illud προχρονισμοῦ biennium, quod a nobis supra validissime refutatum est, revertitur, ac duobus annis Dionysium verum Christi natalem antevertisse definit. Quocirca imprudentissime sane Casaubonus Exercit. XVI. ad a. XXXIV. num. XXXIV. Paulinum istud commentum adversus obliquam Baronii castigationem tuetur, cum praeter otiosi hominis et aegroti veteris somnium atque ἀλλόκοτον φαντασίαν habeat nihil. Nam ut omittam ab ipsomet, qui id sibi revelatum esse dixerat, tacite damnatum illud ac reiectum, quam absurda ista fabula sit, hunc in modum demonstrari potest. Si XXII annorum vitium in aeram irrepsit, ita ut qui XII. dicitur is XXXIV. numerandus fuerit, non aliter accidisse hoc potest quam ut aliquot anni de numero ac serie ipsa detracti sint, aut certe natalem Christi Dionysius XXII annis infra legitimum tempus summoverit; utputa cum incarnationis et natalis annus ex usu Dionysii sit Iulianus XLVI., debuerit esse XXIV., quibus si XXXIV addas, Iulianus septimus et quinquagesimus existat, qui est aerae Dionysianae XII., quo passum esse Christum illi omnes opinati sunt. At vero utrumque illud perabsurdum ac longe falsissimum est. Sunt enim certissimi temporum characteres, sunt fastorum libri quibus consulatus singuli diligenter adnotantur, sunt Romanorum Imperatorum anni atque hi-
p. 148. storiae summa fide conscriptae, in quibus hiatus tanti ne tenuissimum quidem vestigium apparet. Constat anno aerae Christianae XIV. mortuum Augustum; quod memorabilis illa lunae eclipsis ostendit. Sequuntur et aliae duae; quarum una anno Christi XLV., M. Vinicio et Statilio Corvino coss. Kal. Aug. contigit, quam et Claudius Caesar edicto denunciarat, anno imperii sui quinto, ut autor est Dio: altera Vipsanio et Fonteio coss. pridie Kal. Maias accidit, ut testatur Plinius l. II. c. LXX. Ea convenit anno vulgari LIX., Aprilis XXX., anno quinto Neronis labente. Quibus si eclipses alias addideris, quae partim ante, partim post Christi natalem acciderunt, cum iisque Romanorum coss. seriem compares, ne unum quidem annum deesse intelliges, nedum ut XXII solidi praetermitti potuerint. Ac Sigeberti, Mariani reliquorumque id genus chronologorum mentem ac consilium capere nequeo; qui cum Dionysianam aeram tanto vitio foedatam passim occinant, ab eadem tamen non recedunt. Itaque Marianus anno Urbis con-

ditae DCCLII., Augusti XLI., Olymp. CXCIV. anno tertio natum esse salvatorem scribit, indict. IV. Ubi licet indictio perperam adscripta sit, quae tertio CXCIV. Olymp. anno, et Urbis DCCLII., tertia esse debuit, tamen a vulgari Christi aerae uno duntaxat anno revera dissidet, ex Mariani vero instituto cum eadem illa connectitur. Falsum est itaque XXII annos in Dionysiano cyclo desiderari, cum praeter ea quae diximus multa alia sint quae ex evangelica historia cum domini ortu implicata et coniuncta constat esse. Velut Augusti, Herodis, Pilati Tiberiique tempora; quae omnia cohaerere nequeunt, si tam immanis hiatus admissus fuerit, atque in anteriora XXII annis promovenda Christi nativitas videatur. Nam ut in aera Christiana nihil, in cyclorum vero dispositu mutandum aliquid isti censuerint, nihil ad rem pertinet. Manent enim noviluniorum rati ac constituti nihilominus dies, quoscunque tandem cyclos accomodaris. Ut anno, verbi caussa, Christi XII., sive cyclum lunae XIII., solis XXI., applices, sive alium quemlibet, neomenia Martii XII., plenilunium XXVI. committitur. Anno vero XXXIII. novilunium XIX. vel XX. Martii, plenilunium Apr. II. vel III. Unde quantumlibet cyclorum ordinem commutent, nunquam tamen perficient ut anno illo, quem passioni dominicae praefigunt, luna XV. in Martii XXV. incidat, feriam VI. Accedit quod etsi concedamus illis omnia, hoc ipsum tamen, quod maxime cupiunt, nihilo magis assequentur uti luna XV. Christus sit passus. Quippe anno Christianae aerae XII. novilunium apud Iudaeos et in Hierosolymitano meridiano Martii XII. congruit, feria VII. Passus est autem Christus feria VI. Igitur luna XIV., et Martii XXV., non luna XV., neque plenilunio. Qua in re Beda castigandus est, ut aliquoties dixi, qui lib. de Rat. Temp. cap. XLV. passum esse Christum refert VIII. Kal. Apr. luna XV., anno aerae Dionysianae XXXIV. Nec minus hallucinati sunt qui eodem anno, luna XV. nono Kal. Apr. passum affirmant, concilii Caesariensis fide; de quo paulo post agetur. Nam omnino plenilunium anno Christi XXXIV. decimo Kal. contigit.

Quapropter duo sunt, quae mediae aetatis chronologis crucem in illa quaestione fixerunt: primum quod non dubitarent Iudaeos pascha luna XV. celebrare, ac lunares motus et quidem accuratissimos observasse, alterum, quod id Martio p. 149. mense eiusque die XXV. accidisse vellent, feria VI. Sed recentiores iidemque ab omnibus doctrinarum omnium, praesertim mathematicarum, praesidiis paratiores chronologi, cum haec parum esse consentanea viderent, prius illud quidem de lunari motu tenuerunt, posterius vero de mense ac die nequaquam secuti sunt. Ex quo factum est ut in anno passionis indagando plenilunii cum VI. feria convenientis rationem habendam esse duxerint. Paulus vero Forosempron. lib. VII. partis II. annorum XII, hoc est a XXX. Christi ad XL., novilunia pleniluniaque proposuit, tam media quam vera. Ex quibus sex duntaxat hic adscribemus, ut quaestionis controversiaeque status lectorum oculis subiiciatur, ab anno aerae XXXI. ad XXXVI., quod in horum annorum aliquo Christi passio collocanda sit.

LATERCULUM NOVILUNIUM

AC PLENILUNIORUM TAM MEDIORUM QUAM VERORUM MARTII MENSIS AD MERIDIANUM HIEROSOLYMITANUM AD VI ANNOS.

Ex Paulo Middelburgensi episcopo Forosemproniensi.

Horae et horarum fragmenta a meridie computantur. Feriae a med. nocte ad med.

	Feriae.
Anno Christi XXXI. Cyclo solis XII. Litera G. Cyclo lunae XIII.	
Novil. med. Martii XI, 19, 51′, 12″	Feria II.
Novil. verum Martii XI, 14, 23′	Feria III.
Plenilunium Martii XXVI, 14, 13′, 14″	Feria II.
Plenil. verum Martii XXVI, 13, 5′	Feria III.
Anno Christi XXXII. Cyclo solis XIII. Lunae XIV. Lit F E.	
Novil. med. Martii XXIX, 17, 23′, 51″	Feria I.
Novil. verum Martii XXIX, 12, 0′	Feria I.
Plenil. med. Apr. XIII, 11, 45′, 53′	Feria I.
Plenil. verum Apr. XIV, 0,5′, 1″	Feria II.
Anno Christi XXXIII. Cyclo solis XIV. Lunae XV. Lit. D.	
Novil. med. Martii XIX, 2, 12′, 28″	Feria V.
Novil. verum Martii XIX, 2, 31′	Feria V.
Plenil. med. Apr. XI, 20, 34′, 30″	Feria VI.
Plenil. verum Apr. III, 6, 8′	Feria VI.
p. 150. Anno Christi XXXIV. Cyclo solis XV. Lunae XVI. Lit. C.	
Novil. med. Martii VIII, 11, 1′, 5″	Feria II.
Novil. verum Martii VIII, 19, 21′	Feria III.
Plenil. med. Martii XXIII, 5, 23′, 7″	Feria III.
Plenil. verum Martii XXIII, 6, 59′	Feria III.
Anno Christi XXXV. Cyclo solis XV. Lunae XVII. Lit. B.	
Novil. med. Martii XXVII, 8, 33′, 44″	Feria I.
Novil. verum Martii XXVII, 19, 57′	Feria II.
Plenil. med. Apr. XI, 2, 55′, 46″	Feria II.
Plenil. verum Apr. XI, 0, 11′	Feria II.
Anno Christi XXXVI. Cyclo solis XVII. Lunae XVIII. Lit. A G.	
Novil. med. Martii XV, 17, 22′, 21″	Feria VI.
Novil. verum Martii XVI, 7, 9′	Feria VI.
Plenil. med. Martii XXX, 11, 44′, 23″	Feria VI.
Plenil. verum Martii XXX, 5, 51′	Feria VI.

Ex hac tabella manifestum est anno Christi XXXIV. plenilunium feriae VI. minime convenire quod tantopere pugnatum est, ac si id ad passionis tempus omnino requiritur, duos duntaxat annos esse, quibus obtineri possit, annum videlicet aerae sive incarnationis XXXIII. et XXXVI. Priorem Ioannes Lucidus, Rogerius Bachon et Perrerius noster amplexi sunt, posteriorem Paulus Forosempron. Qui quidem non XXXVI. aetatis anno passum esse salvatorem existimat, ut frustra credidit Onufrius, sed anno XXXIV., quandoquidem Christi natalem biennio infra

Dionysianam epocham summovit. Sed qui XXXIII. anno passum esse volunt Christum Aprilis III., hi luna XV. id accidisse censent. Paulus vero luna XIV., nec in ipso paschate, sive primo die azymorum, sed pridie, videlicet Martii XXX. At Lucas Gauricus, eumque secutus Onufrius, anno XXXIV. passum affirmant, non quidem luna XV., sed XVIII. Martii; quoniam Iudaeos arbitrantur non a novilunio, sed a corniculata effigie neomenias auspicatos esse. Quam nos opinionem postmodum excutiemus.

Nam illud primo videndum nobis est quae fuerit temporibus illis apud Iudaeos anni ratio. Quod illi ne inquirendum quidem opinati sunt quibus exploratissimum erat Iudaeos ad usum festorum ac solennium medios lunae motus adhibuisse; ita ut pascha luna XIV. ad vesperam perageretur, nec alio id tempore celebrari fas esset, ut in Annalibus Ecclesiasticis a. XXXIV. num. XXXIV. legimus. Verum cum ex hoc uno fonte innumerae illae et inextricabiles controversiae opinionesque propagatae sint, in arcem ipsam quaestionis invadendum nobis est, et illud ipsum quod ἀξιώματος apud nonnullos locum obtinet sub inquisitionem vocandum.

DE ANNI IUDAICI FORMA QUAM SUB CHRISTI TEMPORA TENUERUNT. p. 151.

Duplex in Hebraeorum commentariis civilis anni ratio traditur, utraque lunaris, de qua Moses Maimonis F. accurate disserit parte prima Iad, tractat. de Kiddusch hakkodesch et ad eundem tractatum glossa. Prima stante adhuc templo usitata fuit, qua neomenias ἀπὸ τῆς φάσεως indicebant. Quod in hunc modum fiebat. Erat apud Iudaeos בית דין sive συνέδριον, penes quod constituendarum neomeniarum potestas residebat, quam קביעה, *determinationem* vocant. Huiusmodi συνέδρια plura in Palaestina cum essent, praecipuum erat Hierosolymis, a quo caetera penderent. Itaque glossa cap. tractat. Kiddusch §. 8. ראין אנו סומכים אלא על הקביעות בד שהן עמוד ההוראה והוא בד שבירושלאם שהרי כל בתי דינין שבארץ ישראל טפילה והם העקר: *Neque vero nos innitimur alteri, quam definitioni sacri consessus; quoniam haec columna est decisionis. Atqui hic ipse consessus Hierosolymitanus est. Quandoquidem consistoria omnia, quae in Israëlitica terra sunt, velut accessiones quaedam sunt, Hierosolymitanum vero fundamentum est.* Quare Hierosolymis potissimum responsa petebantur. Sed eversa urbe, quamdiu Iudaei in Palaestina remanserunt ac συνέδριον ibidem habuerunt, penes illud ius omne fuit, quousque Gemarae Sapientes desierunt, uti cap. v. §. III. Moses scribit. Proinde qui vixerunt בימי חכמי משנה רבן בימי חכמי הגמרא עד אביי ורבא על קביעת אי' היו סומכים: *In diebus Sapientum Misne et Sapientum Gemarae, usque ad Rabbi Abaie et Rabba, determinatione Israëliticae terrae nitebantur.* Postremi Sapientum Misne vixere circa tempora Antonini, Christi CL.: at Gemaraei ad annum fere D., ut Germen David fidem facit. Toto igitur illo tempore ἀπὸ τῆς φάσεως atque ex Israëlitici consessus praescripto neomenias ordinabant. Quarum quidem constituendarum ea disciplina fuit. Veros et accuratos lunae motus, atque, ut loquuntur, בדקדוק ex astronomicis tabulis consessus ille diligentissime scrutabatur explorabatque num luna suo tempore videndam se praeberet, nimirum tricesima nocte, ut in eam φάσις incideret, sive prima accensio, quam ראיה vocant. Ac si intuendae illius copiam fore cognoscerent, speculatores apponebant, qui statim ac nascentem lunam prospexerant, Concilio renuntiabant. Sed in testium delectu morosa ac superstitiosa diligentia opus erat, quam aliquot capitibus Talmudici autores explicant. Ubi de visione convenerat, tum legati

passim dimittebantur qui futuram neomeniam et קביעדא denuntiarent. Quod si XXX. die testis nullus ac speculator affuisset, tricesimo primo neomeniam definiebant. Ita fiebat ut plenorum cavorumque mensium successio nequaquam constaret, sed ut civiles menses ad sideris aspectum dirigerentur, ut cap. VIII. glossa docet. Deinde qui procul ab eo ubi consessus, sive בית דין erat, habitabant, ut eo legati, quos שלוחין nominant, tam cito aspirare non possent, biduo festas
p. 152. neomenias agebant, quod incerti essent quisnam dies a concilio definitus esset. Atque hoc hodieque Iudaei illi faciunt, qui extra Iudaeae fines ἐν διασπορᾷ degunt. De quo vide cap. V. tract. Kiddusch.

Iam intercalationes mensium non certa descriptione constabant. Quamvis enim tertio quoque anno, vel interdum secundo, mensem, quoad licebat, insererent, tamen persaepe aliter fiebat, et nonnunquam intercalares anni duo continuabantur. Et quidem triplicem caussam intercalandi cap. IV. Maimonides exponit. Prima est Tekupha, sive cardo aequinoctii verni, qui cum in XVI. Nisan, aut post eam, incideret, tum Adar intercalatus est. Altera caussa est, si nondum Abib appeteret, hoc est necdum fruges novae maturae essent, nimirum שעורין להקריב מהן מנחת העומר, *hordea, ex quibus Omer, sive manipulus offerretur;* quod secunda die azymorum fiebat. Tertia caussa est, cum arborum fructus nondum maturuissent. Aliae insuper caussae leviores accedebant et fortuitae quae cap. IV. traduntur: ut si viis pontibusque fractis interclusus ad Urbem esset aditus, si furni nondum refecti, si longius deportatus esset populus et alia id genus. Sed primaria intercalandi caussa Tekupha fuit, ut intra certos solaris anni terminos luna coërceretur, ne nimium evagaretur ac festorum celebritates in alias atque alias tempestates transferret; quod in Arabico anno ac lunari simplici et soluto usuvenit. Sed quae tum solaris anno descriptio a Iudaeis observata sit, postea disseremus. Porro hanc ipsam anni formam stante adhuc templo necdum dispersis penitus Iudaeis usurpatam esse inter Thalmudicos constat. Post templi vastitatem profligatosque e Palaestina Iudaeos, cum iam nulla συνέδρια superessent, altera temporum ordinandorum servata ratio est, ut ex scripto ac mediorum motuum tabulis constantes et certae neomeniae proponerentur, ex cycli decemnovennalis methodo, quem מחזור vocant et עבור. Hic est annus ille Iudaeorum novissimus, ad medios lunae motus accommodatus, de quo Moses cap. VI. et sequentibus, tum accurate Paulus Forosempron., Munsterus et Scaliger aliique disputarunt. Cum hoc Iudaico anno coniunctae sunt feriarum noviluniorumque translationes et sexcentae aliae nugae, morosae illae quidem ac perplexae, sed quae nihil ad institutum pertinent; nisi si quid de translationibus postmodum erit agendum.

Hae sunt anni apud Thalmudicos scriptores formae descriptionesque duae, quarum prior Christi temporibus ex illorum opinione congruit, posterior longe postea est recepta. Quocirca non mediocriter aberrant qui ex recentiori hac methodo mediisque lunae motibus vetera Iudaeorum festa, praecipue paschatis, indagare student; quod Paulus Forosempron. anxie nimis et scrupulose facit, lib. VIII. partis II. Neque minus errant qui Phase Iudaicum luna XIV. ex mediorum motuum accuratis rationibus adstringunt, quandoquidem biduo nonnunquam post mediam coniunctionem φάσις accidere in politico anno potuit. De quo postea.

Nunc enim aliorum post Hebraeos magistros expendenda sententia est, Scaligeri cumprimis, qui lib. de Emend. Temp. II. et in Isag. Can. copiose de Iudaica tam vetere quam recenti anni forma disputavit ex Hebraeorum commentariis.
p. 153. Sed, ut solet, permulta ex ingenio suo conficta ac falsa permiscet; quae alibi,

si dominus dederit, ex instituto refellentur. Hoc vero loco quantum ad susceptam de dominicae passionis anno quaestionem necesse erit, e multis pauca libabimus.

DE IUDAEORUM ANNO VETERE SCALIGERI SENTENTIA.

Nihil hic de antiquissimorum Hebraeorum ac patriarcharum anno dicam, quod ad rem praesentem nihil attinet, sed de recentiori duntaxat aetate, quae Christi natalem aliquot saeculis antecessit. Quo tempore Alexandream, sive Graecam anni formam a Iudaeis admissam et usu civili receptam Scaliger arbitratus est idque chronographis admiratoribus suis omnibus persuasit. Imprimis enim lib. de Emend. II. p. 99. ed. alt. scribit, Iudaeos, cum neomenias ἀπὸ τῆς φάσεως deducerent, accepto Seleucidarum iugo eorum annum et epocham ad politicos usus transtulisse ac Syromacedonicam periodum usurpasse. Erat haec Calippica mera, cyclis Metonicis IV constans, annis LXXVI, ut Censorinus auctor est, diebus 27759. Cyclus porro decemnovennalis Calippicus idem prorsus erat cum Iuliano, dierum 6939, hor. 18. Sed cum periodum suam Calippus eo inchoasset anno quo Darium Alexander ad Arbela vicit, Olymp. CXII. anno secundo, sive Iphiti CCCCXLVI., per. Iul. 4383., cyclo lunae XIII., solis XV., ab autumno, tam Graeci in Macedonia quam Syromacedones in Asia eandem illam decimo nono, quam a Calippo excogitata fuerat, anno instaurarunt, duodecim annis post Alexandri mortem, periodi Iul. 4402., cyclo lunae XIII., solis VI., eamque a Syromacedonibus Chaldaei, Iudaei, Hagareni, Arabes traditam acceperunt. Iudaei vero aeram contractuum מניין שטרי׳ת vulgo nuncupant. In Maccabaeorum libris anni Graecorum appellantur, iidemque Seleucidarum dicti, quod eodem anno quo periodus illa iniit Seleucus Babylone recuperata emergere atque imperium stabilire coepit.

Lunaris anni modus est dierum 354, 8, 5′3, 6″ $^{18}/_{47}$, mensis 29. 12. 44′. 25″ $^{25}/_{47}$. Anni principium ab autumno et quidem Octobris VII. Nam Tekupha Tisri incidit in Octobris VII.: qui dies primus erat anni solaris. Nam et solarem praeterea annum observabant, ut in lib. IV. de Emend. scribit, cuius bisextus ante primum Tisri VII. Octobris infindebatur. Sed postea translato in vernum tempus initio inter primam et secundam Aprilis insertus est. Postea Iuliana anni forma recepta, inter XXV. et XXVI. Martii intercalatus est dies. Igitur lunaris anni dispositio apud Iudaeos Syromacedonica, sive Calippica, fuit, cuius initium ab Octobris VII.

Verum cum cyclus Calippicus lunaris idem est cum Iuliano, lunarem Iudaicum, quem verissimum putat Scaliger, excedat horis 5., scrup. Iudaicis 760., quoniam cycli decemnovennalis excessus est hor. 1. 485, post cyclos vero Calippicos IV., qui Hipparcheum unum faciunt, ad horas 22. 880, hoc est fere diem solidum excessus ille perveniat, Iudaei paulatim labem anni sui deprehenderunt. p. 134.
Etenim Calippicam istam formam ad annum Christi 344. retinuerunt, ut lib. II. de Emend. scriptum est. Circa hunc annum vero bidui vitium animadverterunt, cum iam ab initio Seleucidarum annus 656. laberetur, qui est XLVIII. post Hipparcheas periodos duas. Itaque cum Tisri Iudaeorum Alexandreus esset in XXVI. Sept. feria IV., ex epilogismo hodierno, sive lunari ἀκριβεῖ, character erat 2. 4, 240. Sept. XXIV. *En labes bidui. Nondum enim rationem Calippicam de sede sua solicitaverant Iudaei, sed eam adhuc incolumem servaverant.* Sero igitur tandem errore cognito, adhibita in auxilium astrologia, eum annum instituerunt quo utuntur hodie. Quamobrem ex opinione Scaligeri annus ille Syromacedonicus et Alexandreus Calippicus non solum sub ipsum passionis tempus, verum etiam diu postea apud Iudaeos obtinuit. Sed eodem in opere de Emendatione senten-

tiam mutat ac contrarium docet lib. v. p. 339. Iudaeos enim asserit *Calippica periodo ad tempora usque Diocletiani plus minus usos esse. Sed cum Calippicae neomeniae biduo veras neomenias morarentur, Synedrium Tiberiadense convocatis peritis astronomiae magistris, inter quos, ut existimo, Rabbi Adda fuit, usu Calippicae periodi cum computo annorum Alexandri simul abrogato novam anni rationem instituit, ut neomeniae non per periodos, sed per ipsum motum medium lunarem putarentur. Cum igitur diem, ubi erat locus diei intercalandi, hoc est* VII. *Oct., putarent fuisse primam diem, in qua mundus conditus, hinc computum suum inire decreverunt. Et quia dies aequinoctii et ideo Tekuphae autumnalis erat in* XXIV. *Sept., considerarunt in quot annis Tisri a centro Macedonico, id est a* VII. *Oct. ad* XXIV. *Sept. in anteriora progressus fecerit; quod non potuerunt deprehendere sine doctrina anni R. Adda. Igitur a* VII. *Oct. ad* XXIV. *Sept. dies sunt* XIII *praecise; quibus competunt anni 4104 ex doctrina R. Adda. Totidem enim anni dant* προηγήσεως σεληνιαχῆς *dies* XIII, *horam* I. Idem et lib. IV. p. 261. repetitur. Verum nihil hac Scaligeri doctrina vanius atque inconstantius est. Primum enim retractat id quod dixerat, Calippicam formam post Constantini tempora nondum repudiatam fuisse, et anno primum 344. alteram illam eius loco substitutam. Deinde R. Addam ei concilio interfuisse putat et repudiandae Calippicae periodi ac recentioris instituendae autorem fuisse. Ad haec eiusdem Tiberiadensis Synedrii et R. Addae decreto translatam esse anni epocham a VII. Oct. ad XXIV. Sept., cum tot anni constituti essent, quot ad XIII dierum προήγησιν requiruntur, nimirum 4104. Quae omnia parum est inania et commentitia esse nec ullius scriptoris autoritate, aut ullo antiquitatis testimonio fulciri, nisi contraria etiam sibi ac nullo modo consentanea dicantur. Nihil enim apud Scaligerum cum in libris de Emend. tum in Isag. Canonibus tam crebro decantatum est quam novitium illum, ut vocat, Iudaeorum annum, quo uti hodieque solent, a R. Hillele longe post R. Samuelis Addae tempora excogitatum fuisse. Ac ne calumniari sciens videar, cum iis quae in opere illo de Emendatione scripsit conferam, quae in postremo quem ea de re edidit libro penitus a se diversa ac pugnantia leguntur. Nam Isagog. Can. lib. III. p. 215. *Templo*, inquit, *adhuc stante, mensis mere lunaris Hipparchi in usum a Iudaeis receptus erat. Post excidium templi, ut esset formula quaedam perpetua anni civilis, quo pleraque omnis Iudaeorum* διασπορὰ *uteretur,*
p. 155. *primo typum publicavit R. Samuel cognomento Iarchinai, circiter annum Christi* CCXIII. *plus minus: quando Iudaeis praecepit, ut relicta veteri Tekupha in* VII. *Oct. Tekupham Sosigenis Iulianam in* XXIV. *Sept. amplecterentur. Ipse etiam primus Iudaeorum ex definitione mensis lunaris Hipparchea deprehendit discrimen enneadecaëteridos Iulianae et lunaris esse hor. 1. 485. Postea R. Adda Bar Ahaba, eir saeculo suo Iudaeorum doctissimus, pensitatis Hipparchi rationibus, ex quibus enneadecaëteris lunae minor est una enneadecaëteride Calippica hor. 1. 485, hoc excessu in 19 distributo collegit hor. 0. 82$^{1}/_{19}$ de quadrante Iuliano, sive Calippico, deducendum esse; ut modus anni sit dierum 365, 5. 997$^{12}/_{19}$. Quare R. Adda Iulianum annum et Samuelis Tekuphas reiecit, quod eidem Iuliano die perpetuo haererent, ipse vero cum annum tropicum Hipparcheum suis obtrusisset, in quo post 304 annos solis ac lunae rationes ad amussim quadrant, nec est ulla* πρόπτωσις, *aut* μετάπτωσις, *Tekuphas alias instituit, quae cum novilunüs pari prorsus ratione a Iuliani anni epocha retrocederent.*

Orsus est autem a Tekupha Nisan, non ut Samuel, a Tekupha Tisri, primumque Nisan in ea nocte collocavit quae secuta est Kal. Apr. feria V., cuius character 5. 1. 770 anno hodierni computi 4017., et ab eo deducto charactere VII annorum,

videlicet 5. 15. 158., deprehendit Nisan anni hodierni computi 4010., nempe 6. 10. 620., de quo si deducatur character VII mensium, remanebit Tisri eiusdem anni 2. 17. 469. Cycli CCXI iam elapsi erant, quorum character 7. 12. 265. de 2. 17. 469. deductus relinquit primum Tisri 2. 5. 204.

Postremo R. Hillel princeps anno Christi 344., annis XCIII ab obitu Samuelis utramque factionem conciliare studens, ut veterem Mosis epocham, quae est VII. Octobr., et novam Sosigenis, quae est XXIV. Sept., complecteretur, quot anni congruunt diebus XIII προηγήσεως σεληνιακῆς, qui inter XXIV. Sept. et VII. Oct. interiecti sunt, tot annos ab initio computi sui ad illud tempus numeravit, nempe 4104., ut in lib. II. de Emend. fusius exponitur, ubi ita proditum est: Institutam circa annum 344. periodum annorum 6916. ductis 13 in cyclos solis ac lunae. Cuius periodi annus 4105. init anno Christi 344., cyclo lunae Iudaico I., Romano III., solis XVII., quo quidem annorum spatio προήγησις lunaris facta est dierum 13 hor. 1., quae de 37 diebus, qui a Kalend. Sept. fluxerunt, detracta, relinquunt dies 24. Eodem anno character Tisri a meridie 23. Sept. contigit hor. 10. 204., sive Iudaice ab initio noctis hor. 4. 204., feria 2. Primus autem cycli annus neomeniam Tisri habuit a meridie VI. Oct. hor. 11. 204., sive Iudaice 5. 204., feria 2., anno periodi Iul. 953., adeo ut character Tisri sit 2. 5. 204., quae radix est neomeniarum omnium Iudaicarum, Tekupha vero hor. 9. nocturna fuit, hoc est 7. 9. 0.

REFELLITUR SCALIGERIANA DOCTRINA DE ANNO IUDAICO.

Haec est Scaligerianae doctrinae summa, quae meris coniecturis ac somniis referta secum ipsa conciliari non potest. Atque ut primo loco illud expendamus, p. 156.
quod ex Isag. Canon. allatum est, si templo adhuc stante Hipparchea anni forma a Iudaeis admissa est, supra quam Calippica periodus annis LXXVI excessum colligit hor. 5. 760., id est singulis enneadecaëteridibus hor. 1. 485. et post CCCIV annos unum fere diem, profecto neque Calippica et Alexandrea periodus ad annum usque Christi plus minus 344. retenta est, neque biduum illud προηγήσεως intervenit, inducendaque omnia ista sunt quae in libris de Emend. passim inculcantur, imprimisque scrupulosa illa et anxia v paschatum ac postremi σταυρωσίμου inquisitio, quae in VI. libro proponitur, otiosa et inutilis efficitur.

Iam illud de inventa a R. Hillele periodo conciliatisque factionibus duabus quo tandem autore defenditur? Hebraei ab orbe condito ad Christi natalem Dionysianum annos putant fere 3761. Ideo anno Christi 344. coepit Iudaicus 4105. Intervalla porro temporum accurate pro illorum captu descripta sunt in libro Seder holam. De commentitia ista periodo ad προήγησιν σεληνιακὴν adipiscendam, ne verbum quidem. Viderit ergo Scaliger unde illam exprompserit; neque enim fundum eius et autorem profert ullum, quasi divinare ac fingere id demum sit emendare atque ordinare tempora. Quanquam quae est tandem ista conciliatio? Tekupha Samuelis autumnalis anno Christi 344. incidit in Sept. XXIII., hor. 15. a meridie, sive 9 nocturnis, politice vero Sept. XXIV. Cycli praeterierant decemnovennales CCXVI, quibus προήγησις facta dierum 13, hor. 1. Igitur Tekupha anno primo computi cadit in Octobr. VII., hor. 10. ab initio noctis. Sed hora una negligatur. Quid hoc ad Samuelis Tekupham? Nam ad noviluniorum quidem προήγησιν investigandam, quoniam Iudaicam hodiernam et, ut putat Scaliger, Hipparcheam anni formam Samuel adhibuit, pertinere ista possunt, ad Tekuphas vero Samuelis indagandas nihil omnino conferunt, cum is Iulianum annum Iulianasque Tekuphas amplexus sit, quae nullam habent προήγησιν. Non potest itaque ulli alteri Tekuphae convenire periodus ac methodus illa, quam R. Addae,

sive eius anni formae, quae parem sideris utriusque προήγησιν agnoscit, ad Iulianam fixamque Tekupham plane est inutilis. Sed neque ad R. Addae Tekuphas eadem illa periodus utilior est. Tekupha prima R. Addae vernalis cadit in eam noctem quae secuta est Kalend. Apr. anno primo periodi Iudaicae, Iulianae vero 954., cyclo solis 2., lunae 4. Tekupha solstitialis Iulii 2., autumnalis Kal. Oct., brumalis 31. Decem. Porro Tekuphae autumnalis character fuit, ut Scaligero placet, 3. 9. 41, 14. ipsis Kal. Octobr., hoc est horis 9 nocturnis post XXX. Sept. diem, feria 3., cyclo solis I, lit. F. Vernalis Tekuphae character est 4. 0. 0. initio noctis, quae secuta est post meridiem primi Aprilis diei. Ab hoc anno ad Christi CCCXLIV., sive Iudaicum 4105., cyclis CCXVI elapsis, προήγησις facta est dierum XIII, horae 1. Quare autumnalis Tekupha R. Addae incidet in XVIII. Sept., vernalis in XIX. vel XX. Martii. Quid igitur ad Tekupham R. Addae periodus ista confert, quae ab Octobr. VII. ad Sept. XXIV. praecessionem habet? Ut enim Tekuphis R. Addae servire possit, periodi initium non ab Octobris VII., sed ab eius Kalendis arcessendum fuerit. Praeterea veteris anni Iudaici principium gratis a Scaligero constitutum est Octobris VII. Neque enim argumento ullo necessario,
p. 157. sed inani ac falsa coniectura fretus hoc asseverat.

Nam si quis forte quaerat, cur ille Iudaeorum Tekupham primam, sive initium anni, in Oct. VII. coniiciat, niti hoc totum negotium reperiet ementita illa Graeci anni et Olympicae periodi modulatione, quam omnibus Graecis, adeoque Macedonibus, tum in Asia Syromacedonibus et Seleucidis communem esse voluit. Quippe Graecos existimat annum habuisse duplicem, popularem unum, sive tetraëtericum, quo vulgus utebatur, cuius menses tricenarii, praeter ultimum, cui biduum velut appendicis instar adiungit, unde 362 diebus constabat: lunarem alterum, a quo velut stamen a subtemine ita popularis annus implicatur ac percurritur. Utrumque certos in orbes ac periodos includit, primum tetraëterides et octaëterides, tum maiores, utpote XIX ac LXXVI annorum. Sed postrema haec omnium in anno populari usitatissima fuit, quam cum tacite per tetraëterides suas observarent Graecorum antiquissimi, Calippus eam certis finibus annorumque curriculo definiit et periodum illam instituit annorum LXXVI, in qua tetraëterides sunt XIX, singulae dierum 1447, quorum ordinarii sunt 1440, appendices 7. In iis mensis duntaxat primus lunaris est, caeteri cum tricenarii sint omnes, a lunari modo paulatim abscedunt. Ex tetraëteridibus ac periodis antiquissimam facit Olympiacam, ad cuius exemplum propagatas credit reliquas. Eiusdem initium Iulii IX. definit; eo quod Olympiaci agones post aestivum solstitium plenilunio celebrabantur. Solstitium autem non accuratum neque tropicum intelligit, sed octavam signorum partem. Quocirca cum eo anno, quo primi agones ab Iphito instaurati sunt, hoc est per. Iul. 3938., Tekupha, sive secundi quadrantis finis, et octava pars Cancri πλατυκῶς in VIII. Iulii diem incurreret, ideo IX. Iulii primus solaris anni dies ac quadrantis initium deinceps fuit, *in* quem etiam novilunium commodum incidit. Ita primus tetraëteridis mensis lunaris extitit, quod perpetuo servatum est. Unde et quartus mensis, quem apud Athenienses Pyanepsionem fuisse credit, coepit Octobris VII., post novilunium. Atque in hunc modum reliqui menses et anni necessario contextu, velut catena quadam Chrysippei fati devincti sequuntur, quod in primo de Emend. uberius exponitur. Eadem serie constabat Attica et Macedonica periodus. Nam huius Ὑπερβερεταῖος, illius Ἑκατομβαιὼν a solstitio inibat. Iam vero anno Iphiti 465., periodi Iulianae 4402, periodi Olympicae ac Macedonicae nono, neomenia primi mensis accidit Iulii X. Proinde quartus mensis coepit Octobris VIII. Sed cum

neomeniae lunares in IX. Iulii et VII. Octobr. incidissent, quae est Olympicae periodi vetus epocha, ex Calippi praescripto periodum retexuerunt novamque condiderunt ab anno illo periodi Iul. 4402., cuius epocham VII. Octbr. die defixerunt. Quare Macedones Hyperberetaei tam popularis quam lunaris neomeniam VII. Oct. inchoarunt. *Ideo solaris anni Syromacedonici finis in Octobris* VI. *incidit; eorumque annus popularis nunquam hos fines antevertebat.* Haec Scaliger (de Emend. Temp. II., p. 91. cf. V, p. 339.), qui antiquum illud suum obtinens l. v. hoc ipsum evertit. Scribit enim ultimum solaris anni Syromacedonici diem fuisse Octobris VII., eo quod Hyperberetaeus Macedonicus in X. Iulii incidisset. Itaque primum novilunium Octobris VIII. congruit. Sed imperite facere Iudaeos, qui anno illo p. 158.
a Macedonibus accepto primum novilunium atque anni sui aequabilis initium ipso die VIII. Octobris constituant. Vides quam perplexe in hac doctrina versetur Scaliger, utque in eodem opere quae paulo ante definierat contrariis decretis refellat. Nam modo neomenias aequabilis et popularis anni veterem in situm conciliatas, hoc est a X. Iulii ad IX., et ab VIII. ad VII. Oct. traductas asserit, modo iisdem in diebus retinet, ac secum disconvenit ordine toto. Quod quidem toto hoc in opere, et in Isag. Canon., solenne homini ac perpetuum est; idque propediem, si dominus dederit, suo ac proprio libro demonstrabimus, quem iam dudum in manibus habemus. Atque hic, uti spero, lectori fidem faciet, quae de doctrina temporum a Scaligero excogitata tantoque ambitu ac pompa cum ab ipso commendata, tum fautorum et admiratorum eius plausu excepta sunt, ea falsa, inepta, ἀλογίστως et ἀναποδείκτως effusa esse, neque quicquam praeter speciem et ostentationem habere. Argumento sit Attica illa periodus, quam adeo gloriose et insolenter venditat; cuius nos ineptiam et παραλογισμὸν deteximus in notis ad Themistium. Reliqua operi illi reservamus in quo et de Iudaico anno pluribus disputabitur, et illa Graeci anni forma ac periodi Olympiacae descriptio refelletur. Atqui ficto illo utriusque contextu velut fundamento omnis de vetere anno Iudaico doctrina stabilitur. Non, inquam, aliunde Scaligero constat, Iudaeos aliquot ante Christum saeculis epocham anni sui, sive Tekupham, Oct. VII. defixam habuisse, quam quod ex periodi Graecae popularis ac Macedonicae ratiocinio quartus mensis popularis in illum diem incideret eo anno, quo Syromacedonica periodus est instituta. Sed cum multa sint in tota hac Scaligeri opinione confutanda, eaque res longiorem ac praecipuam disputationem exigat et, ut dixi, brevi consecutura sit, nos, quod in libro illo demonstrabitur, falsam esse anni illius Graeci ac Macedonici structuram pertendimus. Negamus constare, utrum anno illo per. Iul. 4402. popularis et aequabilis Syromacedonum mensis in VII. aut VIII. Oct. incurrerit. Negamus praeterea Iudaeos cardinem illum anni solaris agnovisse, aut in eo collocasse Tekupham. Negamus annum apud Graecos aut Syromacedonas popularem eiusmodi fuisse, qualem ex officina sua procudit Scaliger. Intro magis et in arcem ipsam quaestionis involo. Nego certum esse, num Iudaei Calippica illa lunari vel Syromacedonica forma unquam usi fuerint. Quo labefacto ac confulso caetera quae huic innituntur corruant necesse est. Etenim undenam Scaligero compertum est Iudaeos lunarem Calippi periodum in civilem usum ascivisse? Opinor unum illud argumentum est, quod annis Graecorum tam Maccabaeorum libri, quam Iosephus ac reliqui Iudaicarum rerum scriptores usi sint. At quis ex eo necessario colligat anni dispositionem ipsam Iudaeos usurpasse? Licet enim aeram sive epocham ipsam ac titulum, unde Graeci annorum suorum primordia repetebant, adhibuerint Iudaei, cum Graecorum res gestas, vel suorum cum Graecis implicatas perscriberent, nihilo tamen certius colligi potest illorum

p. 159. annum ipsum recepisse domi Iudaeos quam hoc tempore apud Italos aut Gallos lunares Arabum annos observari, quod illorum scriptor aliquis, cum Turcarum historias scriberet, per Hegirae annos numerare tempus instituerit. Fieri itaque potest ut Maccabaeorum autor Graecis in rebus Graecam temporum rationem usurpaverit, a patria domesticaque diversam, aut certe, ut popularium annorum numerum a Graecorum aera deduxerit, solumque uti dictum est, titulum Graecorum ad suos annos accommodaverit. Quis ut aliud dicamus cogere nos scriptoris ullius autoritate potest? Magnam hominis confidentiam vel oscitantiam oportet fuisse, qui levissimis argumentis inductus affirmare tam obscuris de rebus sine haesitatione ulla potuerit.

QUO DEMUM ANNO USI SINT IUDAEI. UBI ET OBSCURISSIMUS EX EPIPHANIO ILLORUM CYCLUS EXPONITUR.

Atenim lunari anno Iudaeos usos esse propemodum mortales omnes existimant. Ecquam igitur formam potius quam Calippicam amplexi sunt? Si Hipparcheam et quam accuratissimam putat Scaliger recentiorem Iudaicam dixero, dicam quod in Isag. Canon. lib. III. p. 215. idem ille disertis verbis asseverat. In quo magno se ludibrio traducit, dum sua omnia decreta et oracula convellit, et quae tanto cum conatu de Christi passione saepius adstruxerat, nova illa sententia convellit. Sed neutram periodum apud Iudaeos usu ac consuetudine receptam facile dixerim. Lunarem quidem motum utcunque illos assequi voluisse suspicor. Nam id suadet Iosephus, qui lib. III. Orig. cap. X. de paschate loquens, Τῷ δὲ μηνὶ, inquit, τῷ Ξανθικῷ, ὃς Νισσὰν παρ' ἡμῖν καλεῖται, καὶ τοῦ ἔτους ἐστὶν ἀρχὴ, τεσσαρεσκαιδεκάτῃ κατὰ σελήνην, ἐν κριῷ τοῦ ἡλίου καθεστῶτος. Nec non et Philo, qui lib. de Vita Mosis haec scribit: Τῷ δὲ μηνὶ τούτῳ, περὶ τεσσαρεσκαιδεκάτην ἡμέραν μέλλοντος τοῦ σεληνιακοῦ κύκλου γίνεσθαι πλησιφαοῦς, ἄγεται τὰ διαβατήρια δημοφανὴς ἑορτή. Nimirum id in animo illis erat, ut ad lunae motus propius accederent; etsi propter cycli labem ac vitium interdum aberrarent. Quod et Christianorum exemplo declarari potest. Nam ut illi cum paschatis celebritatem ad lunae ψηφισμοὺς, quantum civilis usus patitur, exigere conarentur idque in Nicaeno concilio decretum esset, in tanta rerum astronomicarum luce ac peritia, tamen effugere non potuerunt, quin collectam aliquot saeculis labem annorum ad haec nostra temora propagarent; ut a solis motu decem totos dies, a lunari quatuor aberrarent. Quocirca idem Iudaeis evenisse non dubito ut eorum
p. 160. neomeniae biduo ac triduo nonnunquam a mediis lunae motibus ac veris etiam deflecterent. De cyclo et annorum orbe, in quem neomenias incluserint, etsi nihil admodum definio, verisimile tamen arbitror, quod in hac haeresi Epiphanius exponit, usos esse Christi tempore Iudaeos periodo quadam annorum XIV, sive LXXXIV potius.

Qui quidem Epiphanii locus plurimum debet eruditissimo Keplero, qui in eclogis chronologicis luculentissima disputatione id praestitit, ut ex his salebris emergere ac lucem aliquam his in tenebris intueri possemus. Neque enim est ullus apud Epiphanium obscurior ac difficilior locus. Ac me, priusquam Kepleri commentaria nactus essem, vehementer torserat, et nonnihil tamen eram assecutus; quod illius ope postmodum expoliisse me fateor, ac quaedam etiam paulo ac ille fecit aliter explicasse. Licet autem ne ipse quidem sibi Keplerus satisfaciat, neque ego extricari posse confidam omnia, quod nemo praeter Epiphanium cycli istius meminerit et verba ipsa mendosa sint, proponam tamen, quoad brevissime planissimeque potero, quae aut vera esse iudico, aut certe veris propiora.

Ac primum obscurissimus ille Iudaeorum cyclus exponendus videtur, quo cognito quae sit Epiphanii de passione Christi sententia facilius assequemur.

Iudaici cycli, quo Christi domini tempore usos esse putat Epiphanius, explicandi finis ac scopus est, ut appareat Iudaeos anno ipso passionis biduo vel etiam triduo a lunae ratiociniis aberrasse. Cyclum porro ita fere describit. Iudaeos asserit lunarem annum constituisse dierum 354, horarum 8, quae quidem horae tribus annis diem conficiunt. Ad haec in annis XIV quinque menses intercalari, quoniam e solis cursu, qui est dierum 365. hor. 6, horam unam expungunt. Nam si horas adieceris, restabunt 365 dies παρὰ ὥραν μίαν. Unde illi sexies multiplicatis quatuordecim annis, mensem unum octuagesimo quarto intercalant anno; adeo ut in totum XXXI menses in annos LXXXV imputentur, cum recta ratio XXXI menses et dies XXIV, cum horis 3 requirat. Haec Epiphanius, e quibus nonnullis emendatis, quae singillatim excutientur, hanc cycli formam Keplerus eruit.

Duplex apud Iudaeos lunaris olim cyclus extitit, alter XIV. annorum, minor, alter LXXXIV; uterque septenarius, cuius numeri propter sabbaticos annos rationem videntur habuisse. Tessaradecaëteris ex illorum instituto syzygias habet integras, sed infra solaris anni modum consistit. Post VI demum tessaradecaëteridas ambo in concordiam anni utcunque redeunt. Dixi lunarem annum definiri diebus 354, hor. 8. Quae si quater et decies multiplicentur, dies efficiunt 4956, horas 112, sive dies 4, hor. 16, hoc est dies fere 5. Accedunt intercalares menses quinque, dierum singuli 29, hor. 12. Hi dies 147 cum horis 12 conficiunt. Ex quibus summa conflatur dierum 5103, hor. 12. Postremo si 112 illas horas adiicias, sive dies 4, hor. 16, colliguntur dies 5108, hor. 4. E quibus 13 Iulianis annis deductis, qui sunt dies 4748, hor. 6, supererunt 359, hor. 22, sive 360 dies, una hora minus. Quod si praecise dies quinque in annis XIV intercalentur, primum quod ait Epiphanius, tertio quoque anno diem adiici, id de primis XII annis p. 161. intelligendum erit, at decimo tertio et quarto annis dies unus competet; ita ut anni XIV dies auferant 5108, hor. 12. e quibus ablatis annis XIII restabunt 360, hor. 6. Verum quoniam ultimo illo anno horae duae subtrahi debent, tessaradecaëteris diebus constabit 5108, hor. 10, de quibus detracti anni XIII relinquunt dies 360, hor. 4. Iam vero anni Iuliani XIV dies habent 5113, hor. 12. E quibus detractis 5108, 10, reliqui sunt dies 5, 2. Sed ablatis duabus illis horis discrimen tessaradecaëteridos lunaris et solaris est dierum quinque, qui e cyclis senis collecti post 84 annos dies relinquunt 30, qui initio anni 85 intercalantur. Quare tessaradecaëteris Iuliana diebus constat 5113, hor. 10, lunaris vero 5108, 10. Quae in civili usu ita dispensantur. Prima tessaradecaëteris dies habet 5109, et de posteriori quatuordecim horas decerpit. Secunda dies obtinet 5108, reliquas vero 10 horas ad compensandas priores 14 erogat; restant horae 4, quae post 3. cyclum repensae 6 horas residuas faciunt. Quartus cyclus horas 16 reliquas habet. Cyclus V. diem unum adiicit. Est enim dierum 5109, et horas relinquit duas. Cyclus demum sextus horas *2* relinquit. Colliguntur dies in VI cyclis 30650, hor. 12. Quibus si addas dies 30, qui ex 5 consurgunt, quos singulae tessaradecaëterides solares supra lunares colligunt, dies confient 30680, hor. 12. At anni Iuliani 84 dies postulant 30681. Differentia 12 horarum; quae perimuntur in cyclis VI, hoc est binae in unaquaque tessaradecaëteride. Quare postrema syzygia primae ogdoëcontatessaradecaëteridis dies requirit tantummodo 29, hor. 12. Sed in usu civili tricenos aufert, et de sequenti 12 horas mutuatur; e quibus decem in primo cyclo restitutis compensandae sunt duae. His in secunda tessaradecaëteride perinde redditis superfluae sunt 8. In tertia tessaradecaëteride reliquae fiunt hor. 18.

In quarta addito die solido restant hor. 4. Post quintam tessaradecaëteridem 14 horae supersunt. In sexta dies unus eximitur. Colliguntur dies 30650. Adiectis diebus 30. fiunt 30680. Quare annis 168 dies unus eximitur. Hoc enim spectasse Iudaeos Keplerus existimat, ut quod annum Iulianum scirent tropico maiorem esse, neque de tropici quantitate constaret, in annis 168 diem unum detraherent; qui sunt cycli minores XII, maiores II. Nam 168 Iuliani dies postulant 61362. At cycli duo maiores, et 168 anni tropici, dies 31361. Ita quidem Iudaei post annos 84 lunam cum sole paria facere sibi persuaserant. Sed non ita est. Nam 84 anni lunares, hoc est cycli decemnovennales 4 cum octaeteride dies exigunt 30682, hor. 6. 51′ fere. Discrimen a Iulianis annis 84 est diei 1, hor. 6. 51′. Quare biduo propemodum neomeniae politicae anticipantur in cyclo Iudaico.

Haec summatim Keplerus; qui in Graeco contextu nonnulla commutat, quae paulo post adnotabimus. Atqui duo sunt in eius ratione quae mihi non satis probantur. Primum enim cum Epiphanius dicat Iudaeos de solis cursu, hoc est $365\frac{1}{4}$ horam decedere, sive duodecimam τοῦ νυχθημέρου partem, quod ita Keplerus accipit, ut decimo quarto quoque anno horae illae duae subtrahantur, idem et in lunari anno imprudens facit; quod neque verum est, nec Epiphanius significat. Nam cum XIV anni lunares duodecim horas supra 5108 dies colligant, Keplerus decem tantum horas attribuit, propterea quod e 5108 diebus horisque 12
p. 162. tredecim annis Iulianis detractis, cum residui sint dies 5, horae 2, has ipsas horas duas eximit. Quare tam in lunari tessaradecaëteride quam in Iuliana horas detrahit duas, adeoque post 168 annos utrobique dies unus perimitur; quod in anno lunari prorsus est inauditum. Alterum, quod Epiphanium scripsisse putat, τξ′ ἡμέρα, παρὰ ὥρας δύο, pro τξέ ἡμέραι παρὰ ὥραν μίαν, hoc est horas 4 supra dies 360 superesse. Nam in dierum numero recte quinariam notam inducendam censuit, sed ut παρὰ idem sit ac *praeter*, assentiri non possum, quia defectum potius in eiusmodi constructione significat; estque παρὰ ὥραν μίαν, *una hora minus*. Quod et subinde Keplerus agnoscit et priorem illam rationem haud satis placere sibi fatetur. Igitur diligenter subductis ac tentatis omnibus, quibus difficillimum hunc cyclum tractare atque illustrare possemus, duplici id ratione perfecimus: quarum alterutram, nisi fallimur, aequo atque erudito lectori probabimus.

Prima autem est eiusmodi. Iudaei cyclum usurpabant duplicem, maiorem ac minorem; hunc XIV, illum LXXXIV annorum. Lunarem annum iidem praecise dierum 354, horarum 8 constituebant. Ita in tessaradecaëteride dies erant 5108, horae 4. Anni lunares XIV simplices dies colligunt 4956, syzygias 168, alternis plenas et cavas, hoc est 84 plenas totidemque cavas. Accedunt embolimaeae syzygiae plenae V, sive dies 150. Fiunt in tessaradecaëteride dies 5106, syzygiae plenae 89, cavae 84: supersunt dies 2, horae 4. Reservatis horis in finem cycli maioris reliquum biduum ad duas cavas syzygias adiunctum totidem e cavarum numero detrahit. Ita fiunt 91 plenae, cavae 82 in tota tessaradecaëteride, dies 5108. Quod si quis embolimos menses V singulos dierum duntaxat 29, hor. 12 esse malit, addat ad 4956, dies 147, hor. 12. Colliguntur dies 5103, hor. 12 quae e 5108, hor. 4 detracta relinquunt dies 4, hor. 16. E quibus duodecim horae deductae et ad ultimam intercalarem syzygiam, quam dierum 29, hor. 12 statuimus, accedentes plenam illam efficiunt. Tum vero quatuor illi dies e cavis syzygiis totidem plenas constituunt. Unde plenae syzygiae conflantur 91, cavae 82, ut antea. Restant horae 4. Caeterum anni Iuliani XIV dies exigunt 5113, horas 12. Lunarem igitur tessaradecaëteridem solaris superat diebus 5, hor. 8. Sed tessaradecaëterides lunares VI, sive anni LXXXIV dies colligunt 40679, solares

vero totidem, dies 40681. Biduum ergo deest ogdoecontatessaraëteridi lunari ad solis rationes adipiscendas.

Verum aliud est τεχνικῶς et ad methodum cyclum describere, aliud ad civilem captum accomodare. Tessaradecaëteris Iudaica ex methodo et φυσικῶς dies habuit 5108, horas 4, Iuliana vero 5113, hor. 12. Maior haec est illa diebus 5, hor. 8. At πολιτικῶς soli dies numerantur, horae differuntur, donec solidum diem attigerint. Quocirca prior cyclus dies obtinet 5108, syzygias 173, quarum plenae sunt 91, cavae 82; quae alternis, quoad fieri potest, dispensantur, novem exceptis, quibus plenae cavas excedunt. Horae 4 in cycli maioris finem reservantur. Rursus Iuliana tessaradecaëteris civiliter diebus constat 5113. Nam horae 12 relinquntur. Desunt itaque lunae ad solarem modum dies 5. Quos Epiphanius in octuagesimum quartum annum, sive cycli maioris finem reservatos docet, ut tum demum solidus mensis extra ordinem intercalatus fuerit. Igitur in v prioribus cyclis, qui singuli dies habent 5108, syzygiae sunt 173, plenae 91, cavae 82. Postremus, sive sextus, dies colligit 5109, addito uno, qui ex horis 4 appendicibus conflatur. Accidit deinde plenus ex diebus 5 mensis, qui singulis tessaradecaëteridibus relicti sunt. Ita syzygiis constat hic cyclus ultimus 174, plenis 93, cavis 81. Colliguntur syzygiae in 84 annis, 1039; quarum plenae sunt 548, cavae 491. Differentia plenarum et cavarum, 45. Dies porro sunt 40679. Ad hunc modum ordinari poterunt minores isti cycli. Verum si alternis plenorum cavorumque mensium propagatam successionem velimus, bellissime id fieri potuit, quandoquidem dies 40679 per 59 divisi dant syzygias plenas 520, cavas 519 et 28 dies reliquos, qui ut ad iustam syzygiam perveniant, unus dies e plena quapiam detrahi potest; quo sint plenae 519, cavae 521. Hoc si Iudaei tum instituerint, tessaradecaëteridem ad methodum duntaxat usurparunt, cum civiliter menses alternis 30 et 29 dies obtinerent. Atenim orbis hic annorum LXXXIV abest a solari ratiocinio biduo integro, a lunari vero plus triduo. Nam Iuliani 84 anni dies conficiunt 40681, lunares vero secundum medios motus 40682, hor. 6. 51′. Desunt itaque ogdoecontatessaraëteridi Iudaicae dies 3, hor. 7. Sane Iudaeis in hoc annorum circuitu cum lunarium neomeniarum ἀποκατάστασιν fieri; tum solem cum luna paria facere persuasum esse oportuit. Alioqui nullam cycli huius instituendi caussam habuissent. Quare tam in solaris anni quam lunaris modo definiendo aberrasse necesse est ab utriusque rationibus, et lunarem quidem dierum 354, horarum 8, praecise constituisse; solarem vero 365, hor. 5 minus $^{48}/_{84}$ sive $^{4}/_{7}$, nempe dierum 365, hor. 5, $34^{2}/_{7}'$ vel 365. 34. $17^{1}/_{7}'$. Quod fortasse verum est. Nam quod ad solem spectat, cum minus quam 6 horas appendices ad 365 dies addendum esse scirent, si lunarem annum praecise dierum 354, hor. 8 facerent, eam soli quantitatem tribuere potuerunt, quae anno septenario, id est 84, lunae rationes adaequaret. Ex quo illud etiam apparet, cuius caussa disputationem hanc ingressi sumus; quemadmodum Iudaicus cyclus neomenias coelestes triduo vel quatriduo, aequinoctia biduo paulatim antevertat. Etsi non plus bidui antecessione fieri credidit Epiphanius, hoc est annis LXXXIV lunaribus totidem a Iudaeis assignatos dies, quot in annis Iulianis insunt, nempe 40681; ut tum iusta neomeniarum ἀποκατάστασις esse potuerit. Nam ex illius hoc verbis potest colligi quibus aequinoctium ac plenilunium die martii XXII. contigisse docuit feria L, cum in vitioso Iudaeorum cyclo id acciderit die XX. Nam XIV. lunam ait incurrisse in feriam V. quae conveniebat Martii XIX. Biduum igitur ad Iudaicum annum tam solarem quam lunarem defuit Epiphanii sententia; quod ut ostenderet, totam illam de Iudaico cyclo dissertationem aggressus est, ididemque id quod modo p. 163.

dictum est conficitur, Iudaeos utriusque anni ἀποκατάστασιν diebus 40679 perfici credidisse, Epiphanium vero biduum solum amborum siderum pariandis rationibus deesse velle.

Haec est prior huius cycli Iudaici descriptio, quae Epiphanii verbis innititur,
p. 164. dum ait Iudaici anni quantitatem dierum esse 354, hor. 8. praecise. Ita enim in annis XIV horae confiunt 112, sine dies 4, hor. 16. Ex quo summa dierum toto cyclo consurgit 5108, hor. 4. Addit deinde v esse menses embolimos. Tum horas detrahi duas de solis cursu. Quae subobscura sunt, sed utcunque sic explicari possunt. Caussam affert, cur ex annis XIV cyclum conflaverint: quod nimirum lunam hoc in minore cyclo nondum cum sole conciliare voluerint, sed dies superfluos quinque cum horis 8 reservarint. Ita enim fit, ut si ex anno Iuliano decimoquarto dies auferas v, hor. 8, supersint 360, minus horis duabus. Nam si ex diebus 5108, hor. 4. Iulianos XIII eximas, sive dies 4748, hor. 6, restabunt dies 359, horae 22. Unde corrigenda Epiphanii verba et ita dirigenda sunt: διὰ τὸ ἀφαιρεῖσθαι ἀπὸ τοῦ ἡλιακοῦ δρόμου τῶν τξε′ ἡμερῶν πέντε ἡμέρας καὶ μίαν ὥραν· προστιθεμένων γὰρ τῶν ὡρῶν λοιπὸν γίνονται τξ′ ἡμέραι παρὰ ὥραν μίαν. At in fine numeri ita leg. οἵ τινες ὤφελον εἶναι κατὰ τὴν ἀκρίβειαν τριάκοντα μῆνες καὶ εἴκοσι ὀκτὼ ἡμέραι. Vult enim Iudaeos in annos 84 menses intercalasse 31, cum 30 duntaxat cum 28 diebus computari debeant, hoc est syzygiae 1039 et dies 28. Ita biduum abest Iudaicus cyclus a solaribus annis 84; quem et cyclum lunarem ἀκριβῆ putat Epiphanius.

Sequitur interpretandi cycli ratio altera, ut et tessaradecaëteris dies habeat 5108, hor. 12, et ogdoecontatessaraëteris dies praecise 40681, quibus vertentibus luna Iudaica cum sole redeat in concordiam, sed a mediis lunae motibus biduo civiliter aberret. Quod tam in minore quam maiore cyclo τεχνικῶς aut civiliter fieri hoc modo potest. Tessaradecaëteris habet, ut dictum est, dies 5108, hor. 12. Anni lunares simplices dies 354, hor. 8. $34\,^3/_{7}{}'$, syzygia vero 29. 12. $41\,^{107}/_{113}{}'$. Iam in tessaradecaëteride syzygiae sunt totidem, quot in priori methodo; nisi una forsitan plenis accrescere debeat, anticipatis ex sequente cyclo XII horis, quae ad XII superfluas prioris additae diem faciant, ut sit prior cyclus dierum 5109. Tunc enim plenae syzygiae 92, cavae 81 numerandae sunt. Secundus cyclus dies habebit 5108. Tertius duodecim horis anticipatis de quarto cyclo, 5109. Quartus 5108. Quintus 5109. Sextus 5108, additoque tricenario mense ex epactis solaribus singularum tessaradecaëteridum colliguntur dies 40681, menses pleni 550, cavi 489 et in totum 1039. Porro τεχνικῶς dies 5108, hor. 12. ex 5113, hor. 12, qui est Iulianorum quatuordecim modus, detracti epactas relinquunt praecise dies v, qui in ultimum cyclum differuntur.

Praeter civilem hanc singularum tessaradecaëteridum dispositionem, in qua pleni menses cavos superant 61, alia, ut in priore methodo administrari potuit, eleganti cavorum plenorumque mensium atque aequabili successione. Nam dies 30681 syzygias complent alternis plenas, et cavas 1040 et unum praeterea diem. Ita plenae sunt 521, cavae 519. Ita tota vero periodo embolimi menses pleni *sunt* 31. Sed cum 1040 syzygiae lunares postulent dies 30682, horas 6. 51′, deerunt ad ultimam complendam dies 1, hor. 7. Ideo perperam illi iustam syzygiam conflabant, cum non amplius quam 28 dies, horae 6 superessent. Si enim ex 29. 52. 44′, quae est media syzygia, deducas 1. 6. 51, supererunt 28, 5. 53′, hoc est εἴκοσι ὀκτὼ ἡμέραι, καὶ ὧραι τρεῖς, ut apud Epiphanium emendandum fuerit. Sic biduo fere civiles neomeniae τὰς ἀκριβεῖς anticipabunt. Et quoniam Keplerus coniicit Iu-
p. 165. daeos, ut annum tropicum cum Iuliano conciliarent, unum diem post cyclos ma-

iores duos, sive annos 168, exemisse, atque horas in unaquaque tessaradecaëteride duas, hoc si verum est, tessaradecaëteris Iuliana dies habebit 5113, hor. 10. A quibus quinque diebus ablatis, qui in cyclum postremum reservantur, supersunt 5108, 10. De quibus detracta quantitate tredecim annorum Iulianorum decimus quartus dies auferet $360\frac{1}{6}$. Ut apud Epiphanium legi oporteat: λοιπὸν γίνονται τξ' ἡμέραι, καὶ τρεῖς ὧραι παρὰ ὥραν μίαν. Dies autem in cyclo maiori confient 30680, 12, qui a lunari motu absunt diebus fere duobus, hoc est 1, hor. 18. Quocirca Iudaeos Epiphanius scribit medias neomenias anticipantes biduo ultimam tricenariam imputasse, cum dies duntaxat forent 28, hor. 6. Atque haec posterior cycli conformatio aliter intellectis Epiphanii verbis approbari videtur. Nimirum cum scribit tertio quoque anno diem accrescere ex horis 8, quae singulis annis accedunt. Nam haec ita possunt accipi ut anno XIII. hor. 12, totidemque anno XIV. additae, biennio diem colligant; quod in hunc annorum orbem lunares neomeniae cogantur. Ita cyclus integer dies praecise quinque superfluos sibi vendicat, non ut in priore methodo 4, hor. 16. Reliqua e superioribus facillima sunt.

Negare profecto nemo potest quin utravis illa ratio cum Epiphanii verbis congruat. Caeterum Iudaeos vel hac vel simili annorum dispositione sub Christi, adeoque sub Nicaeni Concilii tempora usos esse, quae a solis motibus aberraret, multa sunt quae persuadent. Sed illud imprimis, quod postea demonstrabimus, pascha in postremo mense, id est ante aequinoctium a Iudaeis saepius peractum. Necesse est itaque labem aliquam ad solarem illorum annum accidisse, propter quam a priore epocha luxatus in anteriora recesserit; cuiusmodi vitium alias tridui, bidui alias extitit, in aureis numeris XIX et VIII Alexandrinis, quos Iudaei simplices habuerunt. In his enim decimaquarta lunaris et quidem paschalis Iudaica in XVIII. ac XIX. Martii convenit, biduo, uti dixi, triduoque ante vernum aequinoctium. Quae quidem labes in hoc Epiphanii cyclo paulatim existit. Siquidem in priori methodo, si neomenia primi mensis ogdoecontatessaraëteridos in aequinoctium incidat, utputa 22. Martii post 84 annos ad 20. perveniet, atque ita deinceps κατὰ μετάβασιν εἰς τὰ προηγούμενα, nisi castigatione et dierum adiectione coerceatur; quod identidem fecisse temporum apud Iudaeos moderatores verisimile est, ac neomenias aliquando tardius indixisse. At in posteriore methodo post 84 annos neomeniae Iudaicae ad eosdem Iulianos dies redeunt, sed coelestes neomenias uno die, horis 7 anticipant. Quare prima illa ratio ad Epiphanii mentem plusculum videtur accedere, cum ab aequinoctio praesertim recessisse Iudaicas neomenias existimari velit. Sed ut ipsis propemodum sensibus res tota subiiciatur, cycli Iudaici maioris, sive tessaradecaëteridum VI typum hic adtexam ea civili forma ac dispositione, quae ex Epiphanii disputatione probabiliter institui potest; ex qua manifestum erit, quemadmodum neomeniae biduo ab epocha solari paulatim in anteriora discedant. Sumatur igitur, ut in prima methodo dictum est, cycli maioris quantitas dierum 30679. Cuius initium ducatur ab anno per. Iul. 4663, cyclo lunae 8., solis 15., litera C, anno ante Christi natalem 51. Ita cum Christi passio ex Epiphanii sententia cadat in annum Iulianum 76., aerae Christianae communis 31., erit is annus cycli maioris 82., tessaradecaëteridis vero sextae annus 13., cyclo Nicaeno 13., solis 12., lit. G. p. 166.

His animadversis constituatur neomenia Nisan cyclo Nicaeno 8. in anno primo tessaradecaët. primae Aprilis VI. Etenim anno periodi Iulianae 4663., cyclo 8., novilunium medium ex Mülleri Tabulis accidit Apr. VI. circa mediam noctem, hoc est Apr. 6. 0. 58'. Reliquae neomeniae necessario contextu sese toto

in cyclo consequentur, ut ex hoc diagrammate liquet, in quo ordines sunt 8. Primus annorum numerum continet, secundus cyclum solis, tertius lunae cyclum, utrumque Nicaenum: quartus dierum numerum, qui singulis annis competunt: quintus neomeniam Nisan in mense Iuliano: sextus literam dominic., septimus characterem neomeniae, octavus dies tessaradecaëteridis collectos. Adiecimus et anni qualitatem, hoc est ὑπερημέρους et ἐμβολιμαίους annos adnotavimus.

TABULA NEOMENIARUM NISAN

IN

ANNIS TESSARADECAETERIDON ET OGDOECONTATESSARAETERIDOS IUDAICARUM

iniens ab anno periodi Iulianae 4663.

TESSARACAEDECAETERIS I.

Anni periodi.		Cycli Nicaeni solis	lunae	Dies annorum.	Neomenia Nisan.	Neom. feria.	Qualitas anni.	Dies collecti.
	1	XV	VIII	354	VI. Ap.	C 3		354
	2	XVI	IX	354	XXVI. Mar.	B 7		708
B	3	XVII	X	ὑπ. 385	XIV. M.	A G 4	Ἐμβ. ple-	1093
	4	XVIII	XI	354	III. Ap.	F 4	nus	1447
	5	XIX	XII	354	XXIII. M.	E 1		1801
	6	XX	XIII	ὑπ. 384	XII. M.	D 5	Emb. ca-	2185
B	7	XXI	XIV	354	XXX. M.	C B 4	vus	2539
	8	XXII	XV	384	XIX. M.	A 1	Emb. P.	2923
	9	XXIII	XVI	ὑπ. 355	VII. Ap.	G 7		3278
	10	XXIV	XVII	354	XXVIII. M.	F 5		3632
B	11	XXV	XVIII	383	XVI. M.	E D 2	Emb. C.	4015
	12	XXVI	XIX	ὑπ. 355	III. Ap.	C 7		4370
	13	XXVII	I	354	XXIV. M.	B 5		4724
	14	XXVIII	II	384	XIII. M.	A 2	Emb. P.	5108

p. 167.

TESSARADECAETERIS II.

B	15	I	III	ὑπ. 355	XXXI. Mar.	G F 1		355
	16	II	IV	354	XXI. M.	E 6		709
	17	III	V	383	X. M.	D 3	Emb. C.	1092
	18	IV	VI	ὑπ. 355	XXVIII. M.	C 1		1447
B	19	V	VII	384	XVII. M.	B A 6	Emb. P.	1831
	20	VI	VIII	354	V. Ap.	G 5		2185
	21	VII	IX	ὑπ. 355	XXV. M.	F 2		2540
	22	VIII	X	383	XV. M.	E 7	Emb. C.	2923
B	23	IX	XI	354	I. Ap.	D C 5		3277
	24	X	XII	ὑπ. 355	XXI. M.	B 2		3632
	25	XI	XIII	384	XI. M.	A 7	Emb. P.	4016
	26	XII	XIV	354	XXX. M.	G 6		4370
B	27	XIII	XV	ὑπ. 355	XVIII. M.	F E 3		4725
	28	XIV	XVI	383	VIII. M.	D 1	Emb. C.	5108

Colliguntur dies in II cyclis 10216.

TESSARADECAETERIS III.

Anni periodi.	Cycli Nicaeni solis	lunae	Dies annorum.	Neomenia Nisan.	Neom. feria.	Qualitas anni.	Dies collecti.
29	XV	XVII	354	XXVI. M.	C 6		354
30	XVI	XVIII	ὑπ. 385	XV. M.	B 6	Emb. P.	739
B 31	XVII	XIX	354	III. Ap.	A G 3		1093
32	XVIII	I	354	XXIII. M.	F 7		1447
33	XIX	II	ὑπ. 384	XII. M.	E 4	Emb. C.	1831
34	XX	III	354	XXXI. M.	D 3		2185
B 35	XXI	IV	354	XIX. M.	C B 7		2539
36	XXII	V	ὑπ. 385	VIII. M.	A 4	Emb. P.	2924
37	XXIII	VI	354	XXVIII. M.	G 4		3278
38	XXIV	VII	383	XVII. M.	F 1	Emb. C.	3661
B 39	XXV	VIII	ὑπ. 355	III. Ap.	E D 6		4016
40	XXVI	IX	354	XXIV. M.	C 4		4370
41	XXVII	X	384	XIII. M.	B 1	Emb. P.	4754
42	XXVIII	XI	ὑπ. 355	I. Ap.	A 7		5109

Colliguntur dies in III cyclis 15325.

TESSARADECAETERIS IV.

B 43	I	XII	354	XXI. M.	G F 5		354
44	II	XIII	383	X. M.	E 2	Emb. C.	737
45	III	XIV	ὑπ. 355	XXVIII. M.	D 7		1092
46	IV	XV	384	XVIII. M.	C 5	Emb. P.	1476
B 47	V	XVI	354	V. Ap.	B A 4		1830
48	VI	XVII	ὑπ. 355	XXV. M.	G 1	Emb. C.	2185
49	VII	XVIII	383	XV. M.	F 6		2568
50	VIII	XIX	354	II. Ap.	E 4		2922
B 51	IX	I	ὑπ. 355	XXI. M.	D C 1		3277 p. 168.
52	X	II	384	XI. M.	B 6	Emb. P.	3661
53	XI	III	354	XXX. M.	A 5		4015
54	XII	IV	ὑπ. 355	XIX. M.	G 2		4370
B 55	XIII	V	383	VIII. M.	F E 7	Emb. C.	4753
56	XIV	VI	354	XXVI. M.	D 5		5107

Colliguntur dies in IV cyclis 20432.

TESSARADECAETERIS V.

57	XV	VII	ὑπ. 385	XV. M.	C 2	Emb. P.	385
58	XVI	VIII	354	IV. Ap.	B 2		739
B 59	XVII	IX	354	XXIII. M.	A G 6		1093
60	XVIII	X	ὑπ. 384	XII. M.	F 3	Emb. C.	1477
61	XIX	XI	354	XXXI. M.	E 2		1831
62	XX	XII	354	XX. M.	D 6		2185
B 63	XXI	XIII	ὑπ. 385	VIII. M.	C B 3	Emb. P.	2570
64	XXII	XIV	354	XXVIII. M.	A 3		2924
65	XXIII	XV	383	XVII. M.	G 7	Emb. C.	3307
66	XXIV	XVI	ὑπ. 355	IV. Ap.	F 5		3662
B 67	XXV	XVII	354	XXIV. M.	E D 3		4016
68	XXVI	XVIII	384	XIII. M.	C 7	Emb. P.	4400
69	XXVII	XIX	ὑπ. 355	I. Ap.	B 6		4755
70	XXVIII	I	454	XXII. M.	A 4		5109

Colliguntur dies in V cyclis 25541.

TESSARADECAETERIS VI.

Anni periodi.	Cycli Nicaeni solis	lunae	Dies annorum.	Neomenia Nisan.	Neom. feria.	Qualitas anni.	Dies collecti.
B 71	I	II	383	X. M.	G F 1	Emb. C.	383
72	II	III	ὑπ. 355	XXVIII. M.	E 6		738
73	III	IV	384	XVIII. M.	D 4	Emb. P.	1122
74	IV	V	354	VI. Ap.	C 3		1476
B 75	V	VI	ὑπ. 355	XXV. M.	B A 7		1831
76	VI	VII	383	XV. M.	G 5	Emb. C.	2214
77	VII	VIII	354	II. Ap.	F 3		2568
78	VIII	IX	ὑπ. 355	XXII. M.	E 7		2923
B 79	IX	X	384	XI. M.	D C 5	Emb. P.	3307 a)
80	X	XI	354	XXX. M.	B 4		3661 b)
81	XI	XII	ὑπ. 355	XIX. M.	A 1		4016
82	XII	XIII	383	IX. M.	G 6	Emb. C.	4399 c)
B 83	XIII	XIV	354	XXVI. M.	F E 4		4753
84	XIV	XV	ὑπ. 355	XV. M.	D 1		5108

Colliguntur dies in VI cyclis 30649.

In hoc cyclo embolimi sunt XXX. At cyclus desinit in IV. Martii; ita ut ogdoecontat. II. incipat a V. Martii. Ascendit igitur neomenia 32 diebus ab epocha
p. 169. Iuliana primi cycli, quae est VI. Aprilis. Quare debet intercalari mensis tricenarius, quo neomenia summovebitur in IV. Apr. et biduo a prisca epocha recedet. Quod erat demonstrandum. Sed Epiphanius ait mensem illum embol. tricesimum primum coniici in annum 85. Itaque annus primus cycli secundi inibit X. Martii. Ubi et Iudaei cyclum figebant, quia citimus illorum terminus triduo Nicaenum
p. 457. antecedit. [Caeterum Victorius Aquitanus in eadem illa praefatione cycli LXXXIV annorum meminit, tanquam a nonnullis ad paschale negotium accommodati. Ut appareat non Iudaeos solum, sed et Christianos eiusmodi annorum orbe usos aliquando fuisse. Et ante Victorium Cyrillus in Praefatione quam ad cyclum suum edidit, quae in eodem codice extabat, reprehendit illos qui LXXXIV annorum paschalem cyclum instituerunt, sive septem Quatuordecennitatum. Ita enim Latinus Interpres convertit.]

p. 169. ## DECLARATUR IUDAICUS ILLE CYCLUS EIUSQUE OPPORTUNITAS APERITUR.

Fuit haec, vel esse potuit, civilis utriusque cycli dispositio; in qua ad amussim observata vides omnia quae paulo ante disputata sunt. Nam et dierum in unaquaque tessaradecaëteride ille numerus est, quem constituimus 5108, vel 5109, semel vero 5107, civili id ratione postulante. Tum τερττοὶ ἡμέραι *tertio* quoque anno, embolimi vero menses ἐναλλὰξ pleni cavique, et in singulis cyclis V, in tessaradecaëteribus embolimi XXX. Imo vero XXXI. Nam totidem imputari debent, ut sint dies in ogdoecontatessaraët. 30679. At Epiphanius ultimum embolimorum ad initium cycli sequentis, sive annum 85 reiicit. Unde prior cyclus diebus constat 30649, secundus 30709, habebitque embolimos 32: alioqui nimium

a) Annus baptismi ex Epiphanio in VIII Novemb.
b) Hic est annus baptismi secundum Latinos VI Ian.
c) Hic est annus passionis ex Epiphanio.

ab epocha neomeniae recederent. Quarum quidem neomeniarum προέμπτωσιν et μετάβασιν εἰς τὰ προηγούμενα in eodem diagrammate potes intueri. Nam post quamlibet tessaradecaëteridem v diebus et horis 8 neomenia Nisan primam epocham antevertit. Ut si primo anno cycli neomenia Nisan Apr. VI. contigerit hora merid. exactis XIV annis ad Kal. Apr. regredietur, et in horam IV. post mediam noctem incidet in A. D. Kal. Apr., atque ita deinceps neomenia Iudaica ab epocha primi mensis et solari longius abscedet; donec volvente maiore cyclo, cum iam XXXII diebus retroacta fuerit, intercalatione pleni mensis ad pristinam epocham revocata biduo duntaxat anticipabit.

Epocha neomeniae Nisan in cyclo Nicaeno VIII. est Aprilis VI., cyclo vero XIII. est Martii XII., eo quod Christi saeculo cyclo XIII. neomenia in illum diem incurrebat, a quo sub Nicaeni Concilii tempus ad XI. transiit. Sed in Iudaico cyclo prima tessaradecaët. neomeniam exhibet in XII., secunda in XI., et ita deinceps usque ad IX., et propter incidentem bisextilem diem ad VIII. etiam recurrit. Anno quidem Iuliano LXXVI. Nisan Martii IX. feria VI. conveniebat; quod ad Epiphanii sententiam totamque illam de passionis anno ac die quaestionem explicandam opportunissime cecidit. Quin et alterum laterculi ac Iudaici illius cycli fructum atque usum paucis aperiam. Scito igitur probabilem ex eo caussam elici, cur Iudaeorum Nisan ab epocha veteri, hoc est aequinoctio, itidemque Latinorum primus mensis aberraverit. Quod enim XIV. Nisan in aequinoctii diem ipsum olim inciderit, docent vetustissimi Iudaeorum magistri, imprimis Agathobuli duo et Aristobulus horum discipulus, qui unus e LXX senioribus fuit, apud Anatolium in fragmento, quod Euseb. citat lib. VII. Hist. cap. XXVII. Asserunt enim τὰ διαβατήρια θύειν δεῖν μετ' ἰσημερίαν ἐαρινὴν μεσοῦντος τοῦ πρώτου μηνός. Idem et Musaeus vetus Iudaeorum scriptor docuit. Sed et Philo lib. de Vita Mosis: τὴν ἀρχὴν τῆς ἐαρινῆς ἰσημερίας πρῶτον ἀναγράφει μῆνα Μωϋσῆς. Adstipulatur et Iosephus p. 170.
lib. III. Orig. cap. X. τῷ δὲ μηνὶ τῷ Ξανθικῷ, ὃς Νισσαὺ παρ' ἡμῖν καλεῖται, καὶ τοῦ ἔτους ἐστὶν ἀρχὴ, τεσσαρεςκαιδεκάτη κατὰ σελήνην ἐν Κριῷ τοῦ ἡλίου καθεστῶτος. Igitur Iudaeorum XIV. Nisan in aequinoctium incurrebat priscis illis temporibus et ex Mosis instituto. At postea praescriptos limites transgrediens aequinoctium diebus aliquot antecessit. Testantur hoc vetustissima Christianorum monimenta, quae Iudaeorum pascha aequinoctium praevertere, et in XII. mense celebrari nonnunquam admonent. Canone VI. Apost. lib. I. Εἴ τις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος ἢ διάκονος τὴν ἁγίαν τοῦ πάσχα ἡμέραν πρὸ τῆς ἐαρινῆς ἰσημερίας μετὰ Ἰουδαίων ἐπιτελέσῃ, καθαιρείσθω. Quem ad locum nugatur Balsamon, cum negat ἐαρινὴν ἰσημερίαν certo die committi, ἀλλ' ὅτε τύχῃ ex solis lunaeque revolutionibus, quod est puerile. Ad haec Constantinus in Epistola, quam ad Ecclesias post Nicaenum concilium scripsit, apud Euseb. lib. III. de Vita Const. Iudaeos eodem anno duplex pascha celebrare. Quod videlicet cyclo XIX. et VIII. Nicaenis ante aequinoctium pascha illorum incideret. Quod et alii plerique tam occidentales quam orientales imitati citimam neomeniam Martii V. fixerunt, XIV. vero Martii XVIII., ut postea dicetur. Equidem Iudaeis non arbitror certo consilio aequinoctii diem, quem ex astronomicis tabulis investigare possent, tam insigniter antevertisse, sed imprudentibus ex corrupti alicuius cycli methodo paulatim vitium istud oblatum. Cuiusmodi methodus in superiore laterculo satis apparet. Nam exactis 84 annis neomenia Nisan, quae ab Aprilis VI. coeperat, in Martii V. reperitur. Quamobrem accidere illud potuit, ut cum post annos aliquot neomenia Nisan ad V. Martii redacta foret deprehensa, cycli labe animum ad emendationem adiecerint et alio cycli genere constituto huius initium in eodem illo anno fixerint, qui cum

ogdoecontatessaraëteridis sequentis primus ac proinde embolimaeus esse deberet, hunc ipsum, utpote cycli recentis initium, communem fecerint. Ita contigit ut deinceps citima neomenia Martii v., XIV. luna Martii XVIII. constiterit.

EPIPHANIUS AB INEPTA SCALIGERI REPREHENSIONE VINDICATUR.

Postremo de hoc Iudaeorum cyclo disputans Scaliger l. II. de Emend. p. 146. *Epiphanium nostrum, ut et omnes veteres scriptores hac in parte* (haec enim illius verba sunt) *negligentiae culpa liberare se negat posse. Sed non melior*, inquit, *tessaracaedecaëteris, quam non solum ut probam et legitimam adducit idem Epiphanius, sed Iudaeos non aliam rationem in anno lunari sequi vult, quam illius methodum.* Tum Epiphanii verbis allatis primum illud reprehendit, quod dixerat, in tres annos diem unum ex horis 8 residuis imputari. *At falsum erit*, inquit, *unam tantum diem post triennium accrescere, cum relinquantur post triennium dies duo, horae 18, quantarum 24 est totum, aut 9 quantarum 12.* Deinde quod annis XIX cyclum definierat, hoc modo redarguit. Negat enim praecisam ullam rationem fieri posse. *Num Iuliani anni dies colligunt 5113, horas 12: anni lunares totidem simplices 4956. Differentia dies 157, 12. De quibus intercalantur pleni menses* V. *Remanent dies 7, 12. Iam 8 horae quaterdecies constituunt dies 4, 16. Quae summa de diebus 7, 12. detracta relinquit differentiam verae tessaradecaët. et falsae dies 2, 12.* Haec Scaliger. In qua quidem Epiphanii reprehensione summam praefert obtrectandi libidinem cum pari vel inscitia vel ἀκροασξίᾳ coniunctam. Nam et immerito Epiphanium accusat, qui quam a Iudaeis noverat obser-
p. 171. vari temporum rationem, eam commentariis suis exposuit. In quo nihil ipse peccat. Neque vero cyclum hunc, ut probum ac legitimum, obtrusit, quod calumniatur Scaliger. Imo e contrario vitiosum fuisse non obscure significat, cum biduo a coelestibus neomeniis aberrasse docet, ut abunde declaratum est.

Iam illud inscitiae et quidem minime vulgaris, quod Epiphanium ne intellexit quidem. Quae est enim ista reprehensio, non posse ex horis octo, quae supra 354 dies singulis annis accensentur, in tres annos diem confici, cum relinquantur post triennium dies 2, hor. 18? An octo ter multiplicata 24 non efficiunt? Atqui hoc solum voluit Epiphanius, tribus annis lunaribus diem competere. Sed mira haec hallucinatio Scaligeri, quod triennium lunare cum Iuliano comparari credidit. Nam trieteris Iuliana dies habet 1095, 18, lunares anni tres simplices 1062, additis ter octo horis et intercalari pleno mense fiunt 1093, qui de Iuliano triennio detracti relinquunt dies 2, 18. Sed hoc ad Epiphanii mentem et institutum nihil pertinet. Non enim duas inter se trieterides comparat, sed de lunari duntaxat triennio loquitur. Caetera quae de solis ὑπεροχῇ quinque fere dierum obiicit, quae praecisam rationem et ἀποκατάστασιν neomeniarum prohibeant, facile ex iis quae antea disseruimus possunt refelli. Non enim cyclum duntaxat annorum 14 usurpasse Iudaeos censet Epiphanius, aut in eo praecisam utriusque sideris conciliationem fieri, sed id 84 demum annis evolutis obtineri ex Iudaeorum opinione docuit. At in tessaradecaëteride lunarium duntaxat syzygiarum ἀποκατάστασιν repraesentari, reservatis diebus V, quae sunt epactae lunares, in annum 84 exeuntem, vel ineuntem 85. Quae omnia perpendere eius intererat qui aut alterius errorem arguere vellet, aut existimationi suae consulere.

EXPLICATUR E SUPERIORIBUS EPIPHANII DOCTRINA.

Hactenus Iudaeorum reconditus ille cyclus ex Epiphanii sententia declaratus est, sed nondum opera omni defuncti sumus. Plurimum enim iis in verbis quae cycli enarrationem antecedunt obscuritatis ac molestiae superest, quae diligentiam a nobis, patientiam a lectore mereantur. Sed ea quoque eiusdem doctissimi mathematici beneficio illustrata explicataque sunt. Cuius quidem de hoc loco coniecturam nonnulla nostra accessione locupletatam paucis aperiam.

Aequinoctium vernum medium Iulii Caesaris aevo in 25. Martii conveniebat, quo die Christum resurrexisse concilium Caesariense sub Victore pontifice celebratum a. Christi 198. decreverat; cuius fragmentum apud Bedam lib. de Aequin. verno sic se habet: *Passus namque dominus ab* XI. *Kal. Apr., qua nocte a Iudaeis traditus est et a* VII. (sed VIII. rescribendum [quomodo in antiquissimo P. Sirmondi codice reperimus. In quo praeterea illud observavimus, fragmentum illud, quod ad Bedae libellum de aequinoctio attextum est, cum hac inscriptione: *De Ordinatione Feriarum Paschalium per Theophilum*, alterius autoris titulo notatum esse, nimirum isto: *Incipit epistola Philippi de pascha*]) *Kal. resurrexit.* p. 453. p. 171. *Quomodo ergo tres dies excluduntur?* Igitur ex concilii sententia Christus passus est Martii 23., et 25. resurrexit. Qui dies cum Caesaris tempore aequinoctii medii ac politici sedes fuisset, vulgo persuasum erat Christum in aequinoctio resurrexisse. Necessario hic annus esse debet Iulianus LXXVI., aerae Dionysianae XXXI., cyclo lunae XIII., solis XII., litera dom. G. Constat enim Christum feria v. ad vesperam comprehensum, passum VI., et dominica resurrexisse. At annus ille, quem dixi, ferias istas praefinitis a concilio diebus exhibet. Est igitur Iulianus LXXVI., Tiberio v. et Seiano coss., cyclo lunae XIII. Caeterum cum cyclus Nicaenus XIII. novilunium paschale constitueret Martii XI., plenilunium XXV., ex concilii autoritate plerisque persuasum fuit Christum plenilunio ipso resurrexisse. Atqui neomeniae Christi tempore tardius contingebant, puta novilunium cyclo XIII. accidebat Martii XII., plenil. XXV. Nam Iuliano ipso LXXVI., ut Paulus Forosempron. observat, commissum est in meridiano Hierosolymitano Martii XI., 19, 51′, 12″, hoc est Martii XII., plenilunium Martii XXVI., 14, 13′, 14″, hoc est Martii XXVII. Sed politice Martii XXVI., quia neomenia Martii XII. Verum προηγήσεως lunaris nulla tum mentio; quare non dubitabant quin Christi tempore eundem illum situm habuissent qui a Nicaeno concilio constitutus fuerat. Hoc igitur Epiphanium fefellit, quod et plenilunii et aequinoctii die Christi resurrectionem accidisse crederet. Qua προλήψει iam imbutus animum adiecit ad aequinoctii diem, quod cum veteres omnes, qui Diocletiani aeram paulum antecesserant et Anatolius imprimis in XXII. Martii deprehendissent, tametsi Nicaenum postea XXI. diem praefixisset, nihilominus existimavit Christum Martii XXII. resurrexisse, et quidem plenilunio, quod ipsemet diserte significat cum in XI. Kal. Apr. plenilunium cum aequinoctio confert. Neque vero mirum est de aequinoctii anticipatione nihil Epiphanio tum in mentem venisse, cum neque aliquot postea saeculis Computorum Ecclesiasticorum non ignobiles scriptores quicquam eiusmodi suspicari potuerint. Ut imprimis Beda; cuius aestum ac sollicitudinem cum aliis in locis, tum in cap. XLIII. libri de Natura Rerum intelligimus. Quin et nostra etiam aetate chronologi quidam non animadversa aequinoctiorum προηγήσει, cum aequinoctii verni die conditum universum censeant, Martii XXI. definiunt. Simillimus igitur Epiphanii fuisse videtur error, ut cum aequinoctio ipso ac plenilunio resurrexisse dominum putaret, XXII. id Martii contigisse scripserit. Et

quoniam Iudaicum cyclum biduo coelestes neomenias nonnunquam antevertere videbat, idque ipso passionis anno factum, vitium illud ac popularis neomeniae retrocessionem cum illo ipso die Martii XXII. contulit. Cum igitur luna XV. in aequinoctium, hoc est, ut falso credidit, Martii XXII. incurrerit, eoque die Christus resurrexerit, passum oportet Martii XX., luna XIII. Nicaena, legali autem coena defunctum ac comprehensum XIX. Martii ad vesperam, exeunte luna Nicaena XII., ineunte XIII. Atqui coena paschalis luna XIV. ad vesperam legitime fit, Christus vero legitimo utique tempore celebravit. Proinde XII. Nicaena Iudaeis in illo vitioso cyclo XIV. esse debuit, et sequenti, hoc est XX. Martii, luna XV., adeoque neomenia Iudaica Martii VI. convenit, Nicaena vero VIII. Unde consequens est a coelestibus ac Nicaenis Iudaicas neomenias biduo deerrasse. Per idem tempus Iudaei certam ob caussam, de qua paulo post agetur, pascha in sequentem a legitimo diem, hoc est in sabbatum, sive XXI. Martii, transtulerunt, nec eodem quo Christus die celebrarunt. Hic enim ἐν ᾗ ἔδει θύειν ἡμέρᾳ, hoc est XIV. luna civili ac politica, celebravit, non utique coelesti atque ex medio et astronomico siderum ratiocinio deprompta, de qua nihil a legislatore praescriptum. At Iudaei XV. luna sequente XVI. pascha peregerunt. Neque vero *solus id*
p. 173. Christus fecisse videtur, ut legitimum tempus et a deo constitutum inventis hominum anteferret, sed alii plerique patrii instituti tenaciores ac ritus. Unde θόρυβος et perturbatio in celebritate ipsa paschatis exorta. Non aliam Epiphanii, cum haec scriberet, mentem esse debuisse facile ipsius verba demonstrant. At enim multis modis hallucinatur Epiphanius. Primum enim neomenias Nicaenas fixas ac perpetuas esse credit. Deinde aequinoctium, quod ex Anatolio et vetustioribus Aegyptiis in XXII. Martii collocabat, eodem die Christi etiam tempore commissum arbitratur. Quo ex errore factum est ut quae in XXIII. Martii, hoc est tertium ante aequinoctium diem, competerent, ea ad Martii XX. transtulerit. Proinde lunam illam vocat decimam quintam in Nicaeno cyclo, quae erat Nicaena XII., Christi vero saeculo XI., Martii XXII., et characteres dierum, sive ferias, conturbat. Quippe Martii XX., quo passum salvatorem asserit, feria tum erat tertia, at XXII. feria V. Sed haec minus tunc animadvertit Epiphanius, id unum cogitans, quemadmodum bidui labem illam explicaret. Sane lunae istae Nicaenae, quas ad annum passionis Epiphanius accommodat, cyclo XVI. conveniunt, non XIII., hoc est anno Christi XXXIV. Feriae vero cyclo Nicaeno solari XV., hoc est anno Christi XXXIII. Quos cyclos atque annos invicem confusos alienum in annum intrusit. Quod enim XXXI. annum aerae Dionysianae passioni dicaverit, ex coss. serie paulo ante declaratum est. Atque ut Epiphanii mens et haec nostra disputatio magis perspicua sit, cyclorum feriarumque perturbationem hoc in diagrammate proponam.

LATERCULUM LUNARUM AC FERIARUM TAM VERARUM QUAM VITIOSARUM AUT FALSARUM ANNO DOMINICAE PASSIONIS.

Kal.	Martii dies.	Luna Nicaena vera.	Luna Nicaena Epiphanii.	Luna Iudaica vera.	Luna Iudaica reipsa vitiosa.	Luna ex vitiosa Epiphanii mente.	Feriae verae.	Feriae Epiphaniae falsae.
16	XVII	7	10	6	9	12	7	3
15	XVIII	8	11	7	10	13	1	4
14	XIX	9	12	8	11	14	2	5
13	XX	10	13	9	12	15	3	6
12	XXI	11	14	10	13		4	7
11	XXII	12	15	11	14		5	1
10	XXIII	13		12	15		6	
9	XXIV	14		13	16		7	
8	XXV	15		14			1	
7	XXVI			15				

Habes in hac tabula lunarum ac feriarum dispositum, cuiusmodi anno illo Iuliano LXXVI. tam revera fuit quam et ex Nicaeni concilii instituto et ex vitioso Iudaeorum cyclo, et postremo ex Epiphanii sensu esse potuit.

COLLLIGITUR E SUPERIORIBUS EPIPHANII DE VERO ANNO PASSIONIS AC DIE SENTENTIA. p. 174.

Superest ut ad eum usum finemque, cuius gratia disputata sunt, superiora omnia revocentur. Est autem is potissimum, ut verum ex Epiphanii autoritate passionis tempus aliquando statuatur. Si quis igitur aberrantem sanctissimi patris opinionem in viam reducere velit et his tenebris obductam veritatem in lucem extrahere, hoc e superiore nostra de Iudaico cyclo dissertatione ita consequetur. Quoniam apud veteres Iudaeos XIV. Nisan in aequinoctium cadebat, quod Christi saeculo XXV. Martii πολιτικῶς quadrabat, citima neomenia Nisan convenit Martii XII., quem in diem sub initium ogdoecontatessaraēteridos incurrit. Verum ob cycli pravitatem neomenia sensim ad IX. Martii pervenit, decima quarta vero luna ad Martii XXII., id quod anno cycli LXXXII. contigisse laterculus docet. Erat autem is annus ex hypothesi Iulianus LXXVI., idemque passionis annus. Quocirca passus erit Christus Martii XXIII., feria VI., luna Iudaica XIV., Nicaena XIII., quae eadem media, seu coelestis, erat XII. Celebravit porro Christus typicum pascha Martii XXII. ad vesperam, exeunte XIV. Iudaica, et ineunte XV., ἐν ᾗ ἔδει θύειν: Pharisaei eorumque sectatores pascha peregerunt Martii XIII., luna XV. exeunte, ineunte XVI. Non aliud scripturus erat Epiphanius, si aut aequinoctii προήγησιν agnovisset, aut de solari cyclo ac feriis vel tantillum cogitasset. Sed ille qualiscunque tandem est error, praeclaro ac singulari eius doctrinae fructu compensatur, qua nos anni Iudaici perturbationem unus docuit. Qua re longo intervallo animadversa, summis molestiis et inextricabilibus difficultatum laqueis expediti sumus, atque hoc demum didicimus, verum dominicae passionis annum hactenus frustra per astronomicos abacos et coelestes siderum motus indagatum fuisse; quod tum denique verum foret, si Iudaei lunaris et solaris anni ratam ac constantem rationem tenuissent. Sed cum ab ea maiorem in

modum deflexerint, ut paulo post copiose declarabitur, alia, si sapimus, insistenda via est, ut autoritate magis scriptorum veterum ac consensu quam accurata coelestium motuum descriptione nitamur.

At vero fuit illa maxime communis antiquiorum opinio, Christum Tiberii anno XVIII., Iuliano LXXVI. passum esse; quod Epiphanius amplexus est, cum annum illum designavit quo Tiberius VI. et Seianus coss. fuerunt, cyclo lunae XIII., solis XII.; etsi Vinicium et Longinum perperam adscribat, quod par unum coss. in duo distraxerit. Est autem is annus Olymp. CCII. secundus exiens, per. Iulianae 4744. Cuiusmodi annorum nexum certissimum esse rationum omnium momenta persuadent. Quod autem Tiberii XVII. exeunte, Iuliano LXXVI., hoc
p. 175. est cyclo XIII. passus sit, demonstratum est a plerisque. Nos, quoniam ita necesse est, summa probationum capita libabimus.

Omnium primo vetus illa traditio est, quam in Caesariensi concilio secutos esse patres fragmentum illud indicat, quod Beda descripsit, ubi Christus ea nocte traditus dicitur quae sequitur XI. Kal. Apr., passus vero X. Kal. Apr. atque VIII. Kal. resurrexisse. Igitur literam dominicae fuisse G necesse est, cyclo solis XII., quem annus Iulianus LXXVI. exhibet. Sed quod Dekerius noster hanc patrum opinionem *sedis apostolicae declarationem ac velut ecclesiae definitionem* appellat, nihilo id verius est quam quod eadem in synodo dictum est, aequinoctium XXV. Martii committi, anno Christi CXCVIII., et, quod longe absurdius est, eodem illo die initio conditi orbis haesisse. Notum enim est rationes ipsas, quae in conciliis afferuntur, neque veras esse perpetuo, neque inter fidei decreta censeri. Habet tamen autoritas illa communem de passionis resurrectionisque die fidem vetustissimorum temporum; ad quam et illa adiungenda testimonia sunt quibus passio domini a. d. X. Kal. Apr., hoc est XXIII. Martii, resurrectio vero in VIII. Kal. coniicitur; quam Graecis tribuit Paulus Forosempron., et Lactantius secutus est lib. IV., cap. X. Ubi asserit anno XV. Tiberii, Geminis duobus coss., ante diem X. Kal. Apr. Christum cruci affixum. Sed pro X. Kal. quidam codices VII. habent.

Paulus vero Forosempron. ante diem decimam Kalendarum idem esse putat quod XI. Kal., et Pauli Iuriscons. verbis utitur, qui ait: *Ante diem* X. *Kalendarum et post diem* X. *Kal. aeque utroque sermone* XI. *dies significari.* Verum mendosa lectio Paulum Forosemproniensem in errorem induxit. Nam lib. CXXXII. §. 1. de Verb. Signif. Iurisconsultus ita pronunciat. *A. d.* X. *Kal. post diem* X. *Kal. neutro sermone* XI. *dies significantur.* Certe a. d. X. Kal. idem est quod X. Kal., quemadmodum ante Kal. proximas idem est quod Kal. proximis lib. 56. §. *Qui ita stipulatur.* D. de Verb. Obl. Subauditur enim aliquid, ut sit integra locutio: *ante diem absolutum.* Hinc est quod Gallicanae ecclesiae resurrectionis festum in XXV. Martii defixerint, ut autor est Beda; qui et ipse lib. de Temp. Rat. cap. LXVII. decimo Kal. passum existimat Christum; etsi cap. XLVII. id VIII. Kal. factum asseveret. Plura apud Dekerium videri possunt. Quibus testimoniis efficitur, Iuliano LXXVI. passum esse dominum, Martii XXIII. Atque haec insuper Africani vetustissimi theologi sententia fuit, qui passum voluit Christum anno I. Olymp. CCII., ut refert Eusebius. Cui et Patres illi suffragati sunt, qui XVIII. Tiberii anno contigisse narrant. Nam Tiberii annos Iudaico vel ecclesiastico more ab antecedente Nisan numerant. Atqui anno Iuliano LXXVI. desinente decimo septimo Tiberii XVIII. iniit. Quin etiam Apollinaris Laodicenus apud Hieronymum comment. ad cap. IX. Dan. cum post annum passionis dominicae sex Tiberii annos enumerat, omnino passum arbitratur exeunte XVII. Accedunt et certorum intervalla temporum, quae a passione computantur. Ut cum Iacobus minor XXX. annos

Hierosolymis praefuisse, et Neronis anno septimo sub paschalem celebritatem interfectus esse dicitur ab Hieronymo lib. de Script. Eccles., quod Iuliano CVI. congruit. Igitur anno LXXVI. Iuliano praeesse coepit. Item Paulus apostolus apud p. 176.
eundem Hieronymum anno XXV. post passionem domini, Neronis II., vinctus Romam mittitur; ubi et Neronis anno XIV., post passionem XXXVII., capite truncatus est, Capitone et Ruffo coss., Iuliano CXII. Neronis initium contigit post mortem Claudii, Iuliano XCIX., post III. Eid. Octobr. Ergo annus XIV. coepit ab Octobri anni Iuliani CXII. Sed Hieronymus manifeste annos exorditur ab antecedenti paschate. Adeoque ex eius ratiocinio passioni domini annus adstruitur LXXVI. Ita Petrus, eodem Hieronymo teste, anno II. Claudii Romam advenit, ubi XXV annos ecclesiae praefuit, et XXXVII. post passionem anno, Neronis XIV., cum Paulo necatus est. Denique Hierosolymitana clades accidit anno XL. post passionem, ut veteres plerique testantur, Hieronymus, Eusebius lib. III. Hist. cap. VIII., et lib. VI. de Demonstr. cap. XVI., Chrysostomus ac reliqui. Eversa sunt autem Hierosolyma anno secundo Vespasiani, Iuliano anno CXV. Proinde anno LXXVI. Christi passio congruit. Caeterea ex Dekerii et Kepleri commentariis repetenda sunt.

At urgemur Phlegontis imprimis et Thalli testimonio, qui anno IV. Olymp. CII. horribilem solis eclipsin accidisse memorant, hoc est Iuliano LXXVIII., quam illam ipsam esse quae sub domini necem contigit, antiqui patres interpretantur, Africanus, Hieronymus, Eusebius et alii. Hoc argumento instant illi praecipue qui plura quam tria paschata dominum exegisse contendunt, neque satis pudentis esse hominis existimant tantae autoritatis praeiudicio ac tot scriptorum consensioni refragari. Sed illud imprimis volo mihi respondeant, eosne putent, a quibus Phlegontis testimonium didicerunt, Phlegontem ipsum legisse. Quod ubi confessi fuerint, tum quid caussae sit explicent, cur iidem qui solare deliquium, quod a Phlegonte commemoratur, illud esse statuunt quod sub Christi passionem contigit, passioni tamen ipsi non quartum Olympiadis annum sed secundum tertiumve praefiniant. Africanus enim apud Hieronymum in caput IX. Dan., et in Eusebii fragmentis pag. 63., Christum passum asseruit anno secundo Olymp. CCII., Eusebius et Hieronymus anno tertio. Quid autem absurdius est quam Phlegontis adversus gentiles autoritate atque eclipsi illa solis utentem, quam is quarto anno contigisse dixerat, non eidem anno passionem tribuere? Quamobrem ne tanti stuporis atque inscitiae, imo praevaricationis, gravissimi illi patres arguantur, eo demum necessario redigimur ut Phlegontis testimonium illud vitiose ab librariis, aut Hieronymo ipso dicamus in Chronicis expressum. Sane in Graeco Eusebii Chronico pag. 118. ita scriptum est: τῷ δὲ ἔτει τῆς σβ' Ὀλυμπιάδος; ut appareat extritam fuisse numeralem notam, pro qua anagnostes Hieronymo δ', id est quartum annum legerit, cum esset coniuncto δέ. At Keplerus in Eclogis Phlegontem suspicatur de alia solis eclipsi locutum, quae anno primo Olymp. CCII. contigit, Nov. XXIV., anno Iuliano LXXIV., quaeque in Asia vel Syria totalis fuit, hora una atque altera ante meridiem. Quod cum Africanus et alii ad eam Olympiadem qua passus est dominus convenire cernerent, idem illud deliquium solis esse sibi persuaserunt quod Christo patiente praeter naturam evenerat. Postremo cum obductio illa lucis naturalis non fuerit, neque ex mathematicis tabulis indagari potuerit, non aliunde Phlegon, si eius mentionem at- p. 177.
tigit, quam ex aliorum testificatione illam competit; in quo facile locus errori fuit, ut alter pro altero annus ab eo substitueretur. Aliud ex Dionysii Areopagitae historia solet obiici. Hic enim Epist. VII. ad Polycarpum exponens quae ipso passionis tempore cum Apollophane Heliopoli viderat, plenilunium tunc

fuisse significat. Nam post eclipsin, καὶ τὴν ἐπιπρόσθησιν εἰς τὸ τοῦ ἡλίου διάμετρον ἀντικαταστῆναι lunam asserit, hoc est in eum coeli locum pervenisse qui e diametro solem respiceret. Sed ex illis Dionysii verbis nihil de plenilunio colligitur. Ut enim lunam tunc ἀμφίκουρτον fuisse demus, cum ea post ἐπιπρόσθησιν pristinum ad locum regrederetur, per eam coeli plagam quae soli ex adverso erat opposita transiisse solum dicitur, non in ea constitisse. Plus enim dimidiato orbe percurrit. Quocirca nihil est quod Epiphanii, adeoque communi antiquorum patrum sententiae de vero passionis anno negotium facessat. Nunc autoris verba singillatim expendemus, si prius, quod propemodum exciderat, Onufrii ex Gaurico sententiam de Christi passione refellamus. Hic enim cum anno aerae Dionysianae XXXIV. illam accidisse confirmet, Martii XXVI., luna XVIII., quae antecedente vespera iam inchoata fuerat, Iudaeos asserit neomeniam non a coitu luminarium, sed a corniculata effigie coepisse, hoc est tertio die post novilunium, quod IX. die Martii circa solis occasum commissum est. Unde civilis eorum neomenia ἀπὸ τῆς φάσεως iniit Martii XII. Igitur decima quinta incurrit in XXVI. Martii. Haec Onufrius. Quae cum ex Iudaica doctrina hausisse se profiteatur, multum tamen ab ea discrepant. Neque enim neomenia cum ἀπὸ τῆς φάσεως constitueretur, triduo ab vero coitu unquam abfuit, sed uno ad summam die post illum civilis neomenia denunciari solebat, ut ex R. Mose constat, de quo vide glossam cap. I. Kiddusch. Atqui anno illo XXXIV. cyclo lunae XVI., solis XV., novilunium verum incidit in Martii IX., horis V cum triente fere a media nocte, octo circiter horis post mediam coniunctionem quae veram antecessit in meridiano Hierosolymitano. Quare falsum est tertio demum die, hoc est XII. Martii, neomeniam esse defixam.

N. XXVI. Πάσχει δὲ ἐν τῇ πρὸ δέκα τριῶν.] Nulla Sibyllae folia neque Sphingis aenigmata cum eorum quae sequuntur obscuritate conferri possunt, quae ne ille quidem eruditissimus mathematicus assecutus est qui hunc cyclum solertissime declaravit. Imprimis enim Iudaeos ait ὑπερβάσει, hoc est translatione, pascha submovisse, Christum vero passum luna XIV. νυκτερινῇ μέσῃ. Optime Keplerus lunam hic Nicaenam intelligit. Passus est autem, ut credit Epiphanius, XIII. Kal. Apr., id est Martii XX. Atqui luna tum Nicaena, eodem Epiphanio autore, fuit XIII., sub vesperam autem coepit XIV., cum in cyclo Iudaico vitioso esset XV., sequente XVI. Sed καθ' ὑπέρβασιν ab iisdem XIV. facta est, cum in eam pascha traiecissent. Verum de hac posteriore accipi non potest, quia νυκτερινὴν illam vocat. Iudaeis vero post μετάβασιν XIV. desiit in XV., ideoque fuit ἡμερινὴ XV. Fieri potest ut emendationem hic locus potius quam interpretationem requirat legendumque sit: τριςκαιδεκάτῃ ἡμερινῇ μέσῃ, hoc est luna XIII., quae ab ortu solis incipit, labente, imo μεσαζούσῃ, sub meridiem videlicet diei, quo civiliter
p. 178. XIII. luna numeratur. Quod nisi ita est, nihil occurrit aptius quam quod Keplero placuit, decimam quartam Nicaenam vocari XIII., quod in eam noctem desinat a qua XIV. initium accepit, quemadmodum dies azymorum ab evangelistis paraseve ipsa paschatis, sive decima quarta mensis appellatur κατὰ πρόληψιν. Sed tum μέσῃ vox, si meridiem significet, parum apte cohaerebit. Non enim est νυκτερινὴ μέσῃ, quae nonnisi post vesperam coepit. Sed neque medios ad motus astronomicos mea sententia respexit Epiphanius. Quamobrem τὸ μέσῃ abesse per me quidem potest.

Προλαβὸν γὰρ, καὶ ἔφαγον.] Hic ille nodus est propemodum inextricabilis, quem acutissimus ille mathematicus non dissolvit. Sic enim interpretatur: Christus cum Iudaeis quibusdam pascha oblit luna Iudaica vitiosa XIV. exeunte, Ni-

caena XII., hoc est XIV. Kal. Apr. pridie eius diei, quo passus est, biduo igitur Nicaenam lunam anticipavit. Iccirco προέλαβον, inquit Epiphanius, καὶ ἔφαγον τὸ Πάσχα biduo ante legitimum tempus, quod erat XIV. Nicaena cadens in XII. Kal. Quasi haec verba, προέλαβον etc., non de Iudaeis omnibus accipienda sint, sed de Christo et apostolis, ac si qui sunt alii, qui maiorum ritus observaverint. Nam quod ad Iudaeos reliquos attinet, pascha suum in posterum diem, hoc est XIII. Kalend. quo passus est Christus, καθ' ὑπέρβασιν traiecerunt. Unde non biduo, ut alii, sed uno tantum die Nicaenam XIV. anticipaverunt, quia Iudaica vitiosa XV., Nicaena XIII. celebrarunt. Quare scripsit Epiphanius, ὑπερβεβηκότων αὐτῶν μίαν ἡμέραν; quod et repetit num. XXVII. Verum quod sequitur, feria tertia pascha comedisse, quod feria V. factum oportuit, in quam XIV. luna (Iudaica, et vitiosa) convenerat, parum sibi constare censet Epiphanium, qui quidem feria tertia Christum pascha peregisse velit, cum luna in XIV. praestiterit. Est enim contra evangelii fidem, Christum feria III. pascha celebrasse. Propterea ita corrigendum existimat, Christum id egisse feria V., quod oportuerit VII. Ego vero cum nondum suspicarer Epiphanium alio die Christum velle quam feria V. pascha suum obiisse, haec quae de III., IV. caeterisque feriis iniicit, similitudinis caussa usurpata credideram. Nam quia luna Iudaica XIV., Nicaena vero XII. celebraverat, ut eam cycli pravitatem oculis subiiceret, hunc in modum declarare voluisse, perinde istud esse ac si fingamus Iudaicum cyclum vitii nihil habuisse, reveraque lunam XIV. Nicaenam in Martii XIX. incidisse, ac tum cogitemus Christum biduo illam antevertentem XVI. Kalend., sive Martii XVII., pascha comedisse, feria 3., quod feria 5., hoc est Martii XIX., fieri decebat. Tam ergo vitiose cyclus ille Iudaicus decimonono Martii lunam XIV. exhibuit, tamque abnormis a vero lunae ratiocinio fuit illa V. feria Martii XIX., quam tertia cum quinta comparata, si haec ipsa Nicaena fuisset. Denique tota haec Epiphanii disputatio ὑποθετικὴ et λόγου χάριν assumpta mihi videbatur. Sane negari non potest, quam si feria V. celebrasse Christum existimaverit, probabiliter ista dicantur.

Verum dum haec attentius perscrutor, comperi aliam sanctissimi patris opinionem fuisse, et falsam illam quidem, sed ab eo tamen aliquoties inculcatam, nimirum Iudaeos plerosque cum Christo pascha suum obiisse non feria V., sive pridie eius diei, quo passus est, sed feria tertia. Quod ipsum disertissimis verbis p. 179.
docet in calce Panarii huius, in Expositione Fidei num. XXII. Ubi de ecclesiae ritibus agens meminit inter caetera ieiunii quartae ac sextae feriae, cuius instituti caussam aperit: ἐπειδὴ περ ἐπιφωσκούσῃ τετράδι συνελήφθη ὁ κύριος, καὶ τῷ προσαββάτῳ ἐσταυρώθη: *Quonium ineunte quarta feria comprehensus est dominus et feria* V. *crucifixus.* Quo posito consequens est Christum ea nocte, quae feriam 3. sequitur, et Iudaice feriae 4. tribuitur, captum esse, cum paulo ante pascha celebrasset. Audierat itaque et a maioribus acceperat Epiphanius duas illas ferias dominicae passioni recolendae praestitutas fuisse ac ieiunio consecratas. Cum autem certo constaret feria VI. in cruce suffixum esse, nulla passionis eius restare visa est alia pars quam comprehensio et alligatio. Proinde feria IV. appetente captum atque vinctum esse dominum credidit. Neque vero alio tempore quam quo Iudaei plerique celebrare voluit. Igitur etiam Iudaei feria tertia peregerunt. Vitiose, quis negat? Sed quod maxima pars eo die pascha comederet, biduo cum illis anticipavit. Erat enim feria V. Martii XIX. celebrandum, cum in hunc diem XIV. Iudaica vitiosa concurreret. Cur autem adeo praepropere Iudaei isti pascha comederent, caussam attulit nullam. Sed hoc tamen significare videtur, Iudaeos nonnullos, videlicet Pharisaeos ac Scribas, communem hunc errorem

emendare cupientes pascha suum in XX. Martii diem distulisse, quo passus est Christus, quo nimirum propius ad aequinoctium accederent, vel etiam coeleste plenilunium. Nam hoc verba ipsa tacite demonstrant: καὶ ἰσημερία πρὸ ἕνδεκα Καλανδῶν Ἀπριλλίων, δι' ἣν πλανηθέντες ὑπέρβατον μίαν ἡμέραν ἐποίησαν. Ergo διὰ τὴν ἰσημερίαν, et fortasse propter lunam etiam, ne tantopere ab utroque recederent, diem diffuderant. Poterat enim vel ipse sideris aspectus vitii illos admonere; quod saltem minuendum esse decreverunt.

Cum haec Epiphanius manifeste sentiat, caetera quae ab eo dicuntur eodem dirigenda sunt atque hoc modo constituenda: Christus legale pascha celebravit cum plerisque Iudaeis XVI. Kal. Apr., feria III., luna Iudaica vitiosa XII., cum feria V. luna XIV. vitiosa perfici debuerit. Biduo igitur antevertit. At Pharisaei, Iudaeique alii luna Iudaica XV., Martii XX., quo die passus est Christus, καθ' ὑπέρβασιν diei unius a luna XIV. ad XV. Ex iis falsos eos esse constat qui Epiphanio Graecorum sententiam adscribunt; quod Christus pascha luna XIII. celebrarit, ante Iudaeos, qui id postridie peregerint. Non enim XIII. luna, sed XII. Christum id egisse censet, quatenus feria III. contigisse putat. Quod si ex communi certissimaque sententia feria V. celebrasse Christum arbitratus esset, non alia luna quam quae ex vitioso cyclo XIV. foret factum assereret. Unde ex castigatiori Epiphanii iudicio definiendum est Christum feria V., luna XIV. cum nonnullis Iudaeis, caeteros vero cum Pharisaeis feria VI. pascha comedisse. Qua ex Epiphanii opinione duo colliguntur, quae cum de passionis anno quaeritur acerrime disputari solent: alterum Iudaeorum principes non eodem cum Christo die legitimo agni epulo perfunctos, alterum cum sine commutatione aliqua temporum ac festorum id accidere non potuerit, translationem aliquam illis temporibus extitisse. Quare ad hanc Epiphanii disputationem illustrandam totidem illae quaestiones paucis hoc loco disceptandae sunt.

p. 180. ## UTRUM IUDAEI TRANSLATIONE FESTORUM OLIM USI FUERINT.

In recentiori Iudaeorum computo scrupulosus et anxius quidam est dierum delectus ad neomenias figendas. De quo multa in Thalmudicis Commentariis, Tractatu de Anni Capite, et in tomo primo Iad R. Mose, Tract. Kiddusch hachodesch, nec non et in עבור שנים R. Isachar ben Mordechai aliisque libris; in quibus infinitae regulae ac cautiones praescriptae sunt. Duorum vero mensium, Tisri ac Nisan imprimis, neomeniae ab illis observantur, quarum transferendarum caussa duplex ibidem affertur, naturalis aut civilis. Etenim cum supra ferias excurrentes minutiae ad horas 18 perveniunt, et lunaris ψηφισμὸς meridiem diei insequentis attingit (nam Iudaei diem ab initio noctis auspicantur, a quo 18 horae computatae diei civilis sequentis meridiem assequuntur): tum in alteram feriam naturalis neomeniae translatio fieri dicitur. Sed cum opportunitatis alicuius gratia dies diffunditur civile hoc totum est, et ab hominum voluntate et institutione dependet. Ex hoc fonte feriarum apud Iudaeos sunt natae divortia. Nam aliae reiiculae sunt, aliae probae ac legitimae. Reiicula, quae סמרל ab illis dicitur, est triplex quae in Tisri τεχνικῷ hoc vocabulo continetur אדו *Adu*. Itaque Tisri neomenia nunquam incipit a feria I., IV., vel VI. In Nisan vero est בדו *Badu*, significatque neomeniam Nisan nunquam in feriam cadere II., IV., vel VI. Reliquae quatuor feriae קביעות *Kebihhoth* dicuntur, quod in iis figantur retineanturque neomeniae. Negligendarum porro feriarum cautio inde profluxisse putatur, quod duo sabbata, sive festa, in Tisri praecipue continua esse nollent,

quod is mensis totus fere solennitatibus occupatur. Nam si Tisri in feriam I. incidat, decima quinta die erit scenopegia, proxime post sabbatum. Si in IV., decima dies, quae festum est Kippurim, in VI. feriam incurret. Si in VI. denique ceciderit, scenopegia VI. feria proxime ante sabbatum continget. In Nisan alia caussa est quam duorum sabbatorum continuatio. Nam et ea devitari nihilo magis poterit. Ut cum neomenia Nisan incipit a feria I., quae legitima est, decima quarta die sabbatum est, et sequenti solenne azymorum. Caetera cum apud Hebraeos, tum ex Latinis apud Paulum Forosempron. lib. VIII. part. II., Munsterum in Kalend., nec non et Scalig. lib. II. et VII. de Emend. Temp. legi poterunt, quibus merito supersedemus.

Nunc illud in disquisitionem vocatur, fueritne priscis usurpata temporibus dierum ac feriarum illa distinctio; adeo ut quo anno passus est Christus Iudaei ex praescripta formula pascha transtulerint. Antiquissimum hunc morem fuisse et ante Seleucidarum tempora receptum defendit Scaliger, et cur id in Tisri praesertim observatum sit, caussam esse putat, quoniam aegre coctos cibos biduo servare possent in illis regionibus, quae autumno ferventissimae esse solent. Quae ratio tacite id sumit quod alio loco refutatum est, nullis omnino festis diebus cibaira coquere Iudaeis fas fuisse. Hoc vero de solis sabbatis aut, si forte, p. 181. Kippurim etiam die praeceptum in lege veteri demonstravimus, in reliquis solennibus servilem operam duntaxat exceptam, at quae ad victum attinent licite praeparasse. Sed nihilominus translationem characterismi Tisri sub Seleucidis observatam probat lib. II., ubi de periodo Iudaeorum Alexandrea disserit, idque aliquot exemplis confirmat. Velut quod anno dominicae passionis Tisri, cum in XXIV. Sept. feria 4. incidisset, in quintam translatum est, propterea quod Nisan in sabbatum, hoc est a VI. feria in VII. transierit. Nam erat annus Alexandreus 344., et proinde XL. periodi V. Sic anno Christi LXX. neomenia Nisan cum ex Alexandreo cyclo in feriam VII. conveniret, in I. translata est. Ergo et Tisri a feria IV. in V. anno embolimaeo defectivo. Quod autem Nisan feria prima coeperit ex eo colligit quod Iosephus decimam quartam Nisan convenisse dicat cum XIV. mensis Iuliani. Erat annus primus VI. periodi contractuum, Tisri VI. Sept. feria IV., cyclo solis XXII. Translata itaque neomenia in V. feriam, et propterea Nisan a VII. in I., quae Kal. Apr. convenit, cyclo solis XXIII. traductus est.

Verum in utraque demonstratione sui similis est Scaliger, et ad id quod dubium est approbandum dubia magis affert et incerta. Quis enim hoc primum illi concesserit, annum esse passionis illum, quem ipse statuit, Iulianum LXXVIII., aerae Dionysianae XXXIII.? Quid si praeterea ne Alexandream quidem istam periodum Iudaei unquam amplexi sint? id quod antea discussimus. Quare vel levissima inficiatione demonstratio Scaligeriana convellitur neque proficit hilum. Neque vero solidior ac firmior est altera, nec minus falsis et obscuris postulatis innititur. Nam quod Iosephum ait XIV. Nisan cum Aprilis XIV. anno excidii Iudaici coniungere, nunquam id Iosephus dixit, sed azymorum diem XIX. Xanthici mensis accidisse docet lib. V. de Exc. cap. XI.: καὶ τῆς τῶν Ἀζύμων ἑνστάσης ἡμέρας τεσσαρεςκαιδεκάτῃ Ξανθικοῦ μηνὸς, ἐν ᾗ δοκοῦσιν Ἰουδαῖοι τὸν πρῶτον ἀπαλλαγῆναι καιρὸν Αἰγυπτίων. Xanthicum hoc loco Iulianum Aprilem esse divinat Scaliger, quasi perpetuo Macedonicas illas mensium appellationes Iulianis mensibus indiderit; quod est falsissimum. Nam Xanthicus saepenumero idem est ac Nisan; ut lib. III. Orig. cap. X.: τῷ δὲ μηνὶ τῷ Ξανθικῷ, ὃς Νισσὰν παρ' ἡμῖν καλεῖται, καὶ τοῦ ἔτους ἐστὶν ἀρχὴ, τεσσαρεςκαιδεκάτῃ κατὰ σελήνην, ἐν χριῷ τοῦ ἡλίου καθεστῶτος etc. pascha celebrari scribit; quod et cap. IX. de mense dixerat.

Translationum vetustatem asserit et Paulus Middelburgensis lib. VIII. part. II., ex eaque passionis domini tempus explorat. Sed in Annalibus ad a. XXXIV., n. 34. acerrime cum iis expostulatur qui novam de translato paschate in ecclesiam dei invexerunt opinionem, cum id deus gravissime praeceperit, ne alia die quam XIV. luna ad vesperam sacrum pascha celebraretur. Unde qui propterea quod immundi essent XIV. die primi mensis peragere nequissent, non in sequentem, aut tertium quartumve diem, sed in XIV. lunam mensis secundi reiecti sunt, quod et Ezechiae regis exemplo demonstrat II Paral. cap. XXX. Atqui hoc argumentum contra festorum translationem leve admodum videtur. Primum,
p. 182. quia nusquam in sacris literis praeceptum est, ut luna XIV. pascha celebretur, neque lunae mentio fit, sed decimaequartae diei primi mensis. An vero lunam XIV. sic observatam esse putabit aliquis, ut veri, vel medii saltem sideris huius motus explorandi fuerint? Non enim hoc in civili et aequabili usu praestari potuit. Hoc autem remoto nihil superior ista ratiocinatio colligit. Nam qui translatas esse ferias defendunt, non id asserunt, alio die quam XIV. ad vesperam pascha celebratum, sed neomeniam ipsam, a qua XIV. dies numeratur, alterum in diem traiectam existimant. Hoc vero negant necesse fuisse, ut instante ipso coelestis plenilunii die festivitas iniretur; cum vel ex cycli lunaris vitio, vel ex φάσεως observatione, XIV. dies mensis luna XV. aut XVI. esse potuerit.

Haec dixerim non ut illico politicam illam recentioris computi translationem apud Iudaeos veteres, adeoque Christi tempore usurpatam esse definiam. Hoc enim vel Iudaei ipsi negant. Siquidem R. Mose ben Maimon cap. VII Kiddusch hahodesch §. VII. et VIII. reiectionem feriarum natam ex eo tempore esse putat, quo ad medios motus, veris praetermissis, computum suum dirigere coeperunt; ומפני מה אין קובעין בחשבון זה אלא כפי שהחשבון הזה הוא לקיבוץ הירח והשמש בהלוכם האמצעי לא במקום האמתי כמו שהודענו לפיכך עשו יום קבועה ויום דחיידה כדי לפגוע ביום קבוץ האמתי: *Quam ob causam in hoc computo neomeniam non collocant in feria* I. IV. *et* VI.? (nempe in Tisri) *Ob id videlicet, quod computus iste accommodatus est ad coniunctiones solis ac lunae, secundum medium motum illorum siderum, non habita ratione veri eorundem loci, quod iam ostendimus. Propterea dies certos praefinierunt, quibus neomenias defigerent, et alios reiiculos, ut ea ratione veram coniunctionem assequi possent.* Quamobrem cum ex observatione τῆς φάσεως et veri motus ratiociniis ante et post Christi passionem aliquot annis neomenias indixerint, ut idem autor est Moses, consequens est diu postea superstitionem illam introductam.

Verum quia ex Epiphanii aliorumque gravissimorum theologorum sententia Christus pridie eius diei, quo Scribae et Pharisaei pascha celebrarunt, ultimo paschate ac solennibus cerimoniis functus est, ineunda probabilis aliqua ratio est, propter quam Iudaei pascha a legitimo die in sequentem contulerint. Est ea vero, nisi fallor, haud absurda, cuius ex Rabbinorum commentariis coniecturam cepimus.

Scribunt illi, interque caeteros R. Moses in illo Tractatu quem saepe memoravi, differendi primi mensis ac paschatis caussas olim extitisse complures; quas antea perstrinximus. Ut cum fruges arborumve fructus nondum maturi viderentur, si interrupti pontes essent, fornacesve dirutae, ac reliqua id genus, quae solennitatem impedirent. De quibus consessus illius, quem בית דין nominant, decretum erat expectandum. Ita fiebat ut incerta res admodum esset primi mensis

ac paschatis tempus, et in illorum arbitratu posita, quemadmodum apud Romanos ex pontificum libidine contrahi aut intercalatione proferri annorum spatia solebant. Quare ut iidem isti pontifices mensibus singulis kalare, hoc est Kalendas denunciare solebant, sic apud Iudaeos synedrium, quod ordinandis temporibus praeerat, certorum mensium neomenias per nuncios, quos שלוחים vocabant, indicere consueverat, eorum videlicet mensium quibus solennia quaedam festa peragebantur, quorum tempora difficile coniici possent. Erant ii Nisan, Ab, Elul, Tisri, Chasseu, Adar: de quibus cap. III. Moses disserit. His stante templo propter pascha minus liar accesserat. Igitur posteaquam auditis approbatisque testibus, qui se nascentem lunam vidisse confirmabant, neomenia sanctificata fuerat, in Tisri ac Nisan, primo ipso die post solis ortum egressi nuncii et Palaestinam obeuntes longius excurrebant ac neomeniam indicebant. In vicinioribus oppidis, quo nuncii citius aspirabant, uno tantum die, in longinquioribus biduo neomenias agebant, quod incerti essent, quem diem synedrium praefixisset. De quo vide cap. v. Tractatus R. Maimonidae. Atque hoc hodieque Iudaei ἐν τῇ διασπορᾷ retinent, et τὰς ἱερομηνίας biduo celebrant, hoc est τὴν τριακάδα, sive ἕνην καὶ νέαν, ac νουμηνίαν. Unde ab Horatio dictum, p. 183.

Hodie tricesima sabbata.

Ut autem evidentius constet quam inconstans et mutabilis esset neomeniarum definitio, luculentus quidam locus est in cap. III. Tractatus eiusdem §. XV. et XVI., quem hic totidem verbis adscribam. Nihil enim ad coniecturam nostram dici potest aptius: בית דין שישבו כל יום ל׳ ולא באו עדים והשכימו בנשב ועברו את החודש כמו שבארנו בם זה ואחר ד׳ או ה׳ ימים באו עדים רחוקים והעידו שראו את החודש בזמנו שד׳ו ליל שלושים ואפיל׳ו באי בסוף החודש מאיימין עליהם אימה גדול ומטריפים אותם בשאלות ומטריחין עליהם בבדיקות ומדקדקין בעדות ומשתדל׳ין בד׳ שלא יקדשו חודש זה הואיל ויצ׳ שמו מעובר ואם עמדו העדים בעדותם ונמצא מבורנת והרי העדות אנשים ידועים ונבונים ונחקד׳ העדות ברעוי מקדשין אותו ותחזרים ומונין לאותו החודש מיום שלושים הואיל ונד׳ הירח בליל׳:

Postquam synedrium toto die tricesimo consedit, neque testis ullus advenit, summo diluculo surgunt et mensem intercalant; quemadmodum in hoc capite declaravimus. Quod si post quartum quintumve diem longinqui testes accedant ac se lunam suo tempore prospexisse confirment, hoc est tricesima nocte, imo vero etiamsi sub finem mensis adveniant, primum quidem magnum illis terrorem obiiciunt et interrogationibus lacessunt ac morosius interrogando fatigant, et illorum testimonium scrupulosius examinant atque in omnes se partes versant, quo novam illam sanctificationem declinent, postquam semel intercalatum est. Verum si testes illi in testimonio suo constantes fuerint, idque verum omnino deprehensum fuerit; sed et ipsi testes noti ac prudentes sint, ac denique rite, et ut par est, exploratum illorum testimonium fuerit, de integro neomeniam definiunt, ac mensem illum retexentes a tricesimo die superioris computare dies illius incipiunt; quandoquidem sua in nocte luna conspecta est. Manifestum est ex hoc loco Christi domini tempore neomenias non tam certo constitutas fuisse, ut non vel affecto iam mense retexere ac retractare licitum esset, adeoque solennitates ipsas, quae a mensis capite penderent, in alios dies incidisse. Quare cum totum hoc negotium perperam a stolidissimis magistratibus et contra maiorum ritus administraretur, grassante superstitione

p. 184. corruptissimisque temporibus, verisimile est aliquos repertos qui hanc ceremoniarum rituumque perturbationem, quatenus in ipsis erat, emendare studerent, et quae privatim obire poterant sacra legitimis temporibus perficerent. Cuiusmodi paschalis agni coena fuit, quam anno suae passionis Christus cum apostolis atque aliis etiam fortasse Iudaeis pridie quam caeteri praepostere id facerent usurpare maluit. Neque hoc unius alteriusve diei discrimen admirabilius esse debet quam quod Christianis ipsis non modo ante Victoris papae decretum, aut Nicaenum concilium, verum etiam aliquot postea saeculis accidit, ut in religiosissima paschatis celebritate uno plerumque mense, nonnunquam diebus VII., a se invicem differrent. De quo nonnulla ad Nicephori Breviarium in Προθεωρίᾳ olim adnotavimus. Ubi non solum inter haereticos, sive Quartadecimanos, et catholicos, sed inter orthodoxos ipsos flagrasse istiusmodi dissidia planum fecimus.

UTRUM CHRISTUS EODEM QUO IUDAEI CAETERI DIE PASCHA CELEBRARIT.

Celebrem per sese quaestionem insigniorem reddidit Graecorum Latinorumque controversia. Nam illi, ut suae de fermentato pane sententiae patrocinentur, Christum dominum non luna XIV., sed XIII., pascha egisse pertinacissime defendunt, cum nondum Iudaei azymis uterentur. Contra Latini, ne hoc sibi de domini exemplo praesidium extorqueri sinerent, negarunt alio quam quo Iudaei caeteri die legitimum agnum comedisse, hoc est XIV. luna sub vesperam. Sed ista Graeculae faecis opinio, quatenus Christum sine azymis celebrasse pascha docet, inscitiae et absurditatis habet plurimum. Etenim quocumque tandem die pascha Christus obierit, cum una et azymorum solennitas delibanda fuerit, non magis sine azymis potuit quam sine agno solenni huic religioni satisfacere. Proinde non fermentato usus est, ne legem, cuius autor erat, infringeret. Sed neque verum est quod Graeci, et inter caeteros Cedrenus ac Nicephorus affirmant, Christum die mensis XIII., non XIV., paschalem obiisse coenam; neque id Epiphanius sentit, ut magni quidam viri crediderunt. Imo vero etiam ante XIII. lunam egisse pascha statuit, hoc est exeunte Iudaica luna XII., Nicaena vero XI., ut suo loco declaratum est. Sed obscuritas loci facit ut iis concedenda venia sit qui false Epiphanii sententiam interpretati sunt. Verum omissa Graeculorum controversia, quae difficultatis habet nihil, in reliqua omni quaestione tractanda eo breviores erimus, quod plerique suis illam scriptis diligenter explicarunt. Quamobrem utriusque partis rationes paucis aestimandae sunt.

p. 185. Qui eadem die, qua Iudaei ceteri, pascha celebrasse Christum volunt, evangelistarum trium autoritate nituntur, Matthaei, Marci ac Lucae. Quorum primus cap. XXVI, 5. τῇ δὲ πρώτῃ, inquit, τῶν ἀζύμων προσῆλθον οἱ μαθηταί: *Prima die azymorum accesserunt discipuli.* Marcus vero cap. XIV., καὶ τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ τῶν ἀζύμων, ὅτε τὸ πάσχα ἔθυον: *Prima die azymorum, quando pascha sacrificabant.* Denique Lucas cap. XX., 7. ἦλθε δὲ ἡμέρα τῶν ἀζύμων, ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα: *Venit dies azymorum, in qua oportebat immolare pascha.* Manifeste primam azymorum appellant, quae a vespera feriae v. coepit, qua die pascha de more ab apostolis praeparatum et patrifamilias denunciatum videtur.

Alii vero, qui cum Epiphanio caeterisque gravissimis scriptoribus negant eodem die pascha celebratum, Ioannis testimonium proferunt, qui id aperte ac citra ambages significat, primum cap. XIII., 1: πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ *πάσχα* scribit Christum paschate suo defunctum, id est *ante festum paschae.* Item c. XVIII, 28. Iudaeos ait ipso die parasceves *ingredi noluisse praetorium, ne contaminarentur,*

sed ut comederent pascha. Ad haec cap. XIX., 14. *erat autem parasceve paschae hora quasi sexta.* Caetera vel testimonia vel argumenta praetereo. Sunt enim ista praecipua.

Iam in tanto opinionum autoritatumque conflictu in eo potissimum acquiescendum iudicio, quod iis testimoniis approbatur quae in alteram trahi sententiam nequeant, cum caetera, quae contraria videntur, conciliari explicarique possint. At eiusmodi est posterior illa, quam Epiphanius secutus est, sententia, cui non pauci, iidemque autoritate et eruditione principes suffragati sunt, maximeque Paulus Burgensis, Paulus Forosemproniensis episcopus, Ioannes Lucidus, Onufrius, Iansenius, Maldonatus noster et alii. Quanquam et ii, et omnes fere qui hactenus hanc opinionem amplexi sunt, ad vulgatam illam festorum translationem et feriarum delectum confugere solent, existimantque primum azymorum diem nunquam a Iudaeis feria VI. celebratum. Verum nondum istud Christi tempore constitutum fuisse, docent ipsimet Hebraei. Ac profecto si reiiciendarum asciscendarumque feriarum ordinaria fuisset illa ratio atque ab universis recepta, neque Christus dominus, nec ulli omnino Iudaei neomenias festosque dies aliter quam ex legis istius praescripto celebrassent. Non enim praeceps nec abrupta fuit feriarum illa mutatio, sed iam tum in ipso anni capite provideri ac designari consueverat. Velut anno passionis factum esse ex opinione Scaligeri supra diximus; in quo cum Tisri a feria IV. in V. transiisset, consequens fuit ut et Nisan a VI. summoveretur in VII. Hoc igitur si vulgare ac perpetuum esset, nemo a communi consuetudine recederet. Quocirca extraordinariam quandam et singularem perturbationem extitisse verisimile est, quae eo duntaxat mense contigerit quo Christus passus est; adeo ut non ipse solum cum apostolis, sed et alii diverso a caeteris die celebrarint. Nam et illud Epiphanii verba ipsa declarant, cum θόρυβον ac dissensionem in obeunda celebritate incidisse significant.

Hunc in modum explicata a nobis ac defensa communis illa sententia multo quam altera probabilior mihi videtur, cum tam diserta expressaque Ioannis testi- p. 158.
monia sint, nulla ut cavillatio possit eludere. Quod enim diem festum paschae pro civili ipso die ac τοῦ νυχθημέρου posteriori parte sumi quidam existimant, quae a sequenti ortu solis inciperet, id alii merito repudiant. Neque enim commodus hic sensus videtur: *Ante festum paschatis Christus pascha celebravit;* quod ex ista responsione sequitur. Falsum et illud est quod de secundo Ioannis testimonio dicitur: *Manducare pascha,* de quocumque victimarum usurpari genere, quae per septenos dies immolantur. Quod ex Deuteron. XVI., 2. et Paral. II. cap. 30. ac 35. comprobare nititur. Nullus est enim scripturae locus, ubi paschatis, sive Phase vocabulo holocausta ac sacrificia caetera significentur, ut sit idem sacrificare vel manducare Phase, quod eas immolare ac manducare victimas, quae per septenos azymorum dies in templo mactabantur. Ac Deuteronomii quidem locus ita concipiendus est: *Immolabisque Phase domino deo tuo oves et boves.* LXX. Καὶ θύσεις τὸ πάσχα κυρίῳ τῷ θεῷ σου πρόβατα καὶ βόας. Iubet nimirum praeter pascha etiam alias immolari victimas; non autem eas victimas appellat Phase. Iam illud, quod II. Paral. cap. 35. scriptum affirmant, *quod* VII *diebus agebatur Phase, et comedebatur Phase,* unde acceperint nescio. Nusquam enim id legitur. Quin potius pascha caeteris ab sacrificiis manifeste discernitur, cap. 30. com. 15., et cap. 35. com. 16. et 17.

Postremo parascevem paschae inaudita quadam loquendi ratione dictam volunt parascevem sabbati, quae eadem et pascha, sive prima dies azymorum esset. Neque enim paschatis ullam parascevem fuisse censent; quoniam nulla pridie

illius diei cibaria parabantur, cum id ipso festo liceret agere. Verum quis est qui tolerabilem hanc loquendi formam putet esse, ut parasceve paschatis sit parasceve sabbati, in quam incideret pascha? Nimium hoc absurdum est. Sed et illud falsissimum, primae diei azymorum caeterorumque festorum parascevem nullam fuisse, quod ex Hebraeorum scriptis ab aliis refutatum est, ut in eo commorari nihil sit necesse. Est illud quidem recte in Annalibus observatum, nulla parasceve ad cibos in festum diem apparandos opus fuisse, quod in solis sabbatis coquere cibos interdictum esset, liceret in caeteris, in quo plerosque viros eruditos hallucinatos esse monuimus. Sed praeter cibaria constat alia quaedam praeparari oportuisse, quae aut absque servili opere praestari non possent, aut ad ipsius festi celebritatem ineundam anteverti deberent. Quocirca nihil est quod adversus tam evidentem Ioannis autoritatem possit excipi. At vero quae ex aliis tribus evangelistis contra hanc opinionem adducuntur, nullo negotio conciliantur. Primam enim illi diem azymorum vocant eam scilicet, cuius in vesperam paschae celebritas et azymorum initium incurreret, utique ex lege maiorumque praescripto; quod animadvertens Lucas prudenter adiecit, ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι, quasi Scribas ac Pharisaeos oblique notaret, qui ἐν ᾗ οὐκ ἔδει sacrificaverant. Adiuvat communem hanc interpretationem coniectura illa nostra, quam antea proposuimus, eiusmodi tunc fuisse celebritatem paschatis, ut cum praepostere ac perturbate a concilio denuntiatum esset, atque etiam illi fortasse praestitutam neomeniam paschatisque diem retexuissent, plerique cum Christo et apostolis diem
p. 187. illum observandum putaverint, quo prius et quidem legitimo tempore fuerat indictum, neque vanam illam magistrorum retractationem curaverint. Ex quo factum sit ut apostoli parata apud illum hospitem omnia repererint.

Συλλαμβάνεται δὲ τῇ τρίτῃ.] Iam haec facilia sunt, intellecta semel Epiphanii sententia. Quanquam librariorum culpa quaedam sunt concepta perperam; quae ex diagrammate corrigenda sunt. Caeterum ἡμερινὴν eam lunam vocat, quae civiliter ab ortu solis ad occasum perducitur; νυκτερινὴν vero quae noctem occupat. Qua ex observatione corruptae lectionis vitium per sese proditur. Scribe igitur, autore Keplero, πέμπτη τριςκαιδεκάτη νυκτερινὴ, ἡμερινὴ δὲ δωδεκάτη. Quod utique necessarium est, si τετρὰς fuerit δωδεκάτη νυκτερινή. Nam hae sibi invicem succedunt, ut quae νυκτερινὴ fuerit fiat ἡμερινή. Notum enim est Iudaeos a nocte diem auspicari. Deinde, προσάββατον τεσσαρεςκαιδεκάτη νυκτερινὴ πρὸ δεκατριῶν Καλ. Nam superior dies πρὸ δεκατεσσάρων iam habuit. Item σάββατον πεντεκαιδεκάτη νυκτερινή. Nam de Nicaena luna loquitur, non de Iudaica. Quae omnia ex superiori laterculo repetenda sunt.

Ἐπιφώσκουσα κυριακή.] Qui hunc Epiphanii locum percurrit, diligenter id animadvertere debet quod superiori dissertatione copiose traditum est, falsa haec esse quae de luna dicuntur omnia et ex Epiphanii hallucinatione profecta; qui aequinoctium a XXV. Martii ad XXII., plenilunium vero ab eadem XXV. die ex Nicaena formula, vel potius a XXVI. perinde ad XXII. transtulerit. Quo posito cyclorum omnium ac feriarum rationem permiscuit. Quae quonam pacto corrigi possent, et in viam ab errore deduci, supra declaravimus. Igitur ex tot errorum argumentis nata est vitiosa illa feria anno Iuliano LXXVI., hoc est dominica Martii XXII., cum revera esset feria V. Ἐπιφώσκουσα ergo κυριακὴ lunam habuit XV. diurnam. Hic ἐπιφώσκουσα proprie sumitur. Quippe XXII. die ab ortu solis coepit XV. diurna. Unde ἡμερινὴ pro νυκτερινὴ substituimus. Alioquin ἡ κυριακὴ XV. νυκτερινὴ dici potest, si eius initium ab antecedente nocte reputatur. Neque vox ἐπιφώσκουσα quicquam obstat; quae persaepe de illucescente die, nonnunquam et

de diei Iudaico principio, sive nocte antecedente, solet usurpari. Non quod lux aliqua sive lunae, sive stellarum saltem oriens utcunque diem auspicetur, quod Casaubonus in Exercit. XVI., num. XV. verum existimat; ut cum Lucas ait cap. XXIII., 54: καὶ σάββατον ἐπέφωσκε, sic accipiendum sit ut si dixisset, καὶ ἐπέφωσκεν ἡ σελήνη ἡ ἄγουσα τὸ σάββατον. Haec enim sententia subabsurda et supervacanea videtur. Verum simpliciter et nullo alio subaudito ἐπιφώσκειν est *appetere*, vel *inire, adventare*. Hoc autem ex eo natum arbitror quod cum prima ac naturae maxime consentanea diei appellatio lucem significet, tempusve ab ortu solis ad occasum, pleraeque postea nationes variis temporum initiis constitutis diem nihilominus appellarunt spatium illud temporis, quod ab eo puncto quod sibi statuerant ad idem punctum revolvitur. Quare ut in primaria illa ac naturali diei notione ἐπιφώσκειν proprie dies dicitur, quod eius initio sol oritur, ut et ἡμέρα, ἀπὸ τῆς ἠοῦς, ita translatis ad reliquas formas diei appellationibus idem hoc usurpatum initii vocabulum est; etsi minus quam illic proprie. Sive igitur a media p. 188.
nocte, sive a meridie, sive ab initio noctis, diei repetatur exordium, ἐπιφώσκειν ubique dies, hoc est inchoari et inire simpliciter dicetur. Quemadmodum νουμηνίας vox cum nascentem lunam proprie significet, ad omnia mensium initia, etiam minime lunarium transfertur, puta tricenariorum et Agyptiacorum. Unde alia est νουμηνία κατὰ σελήνην, alia οὐ κατὰ σελήνην. Hoc ego sensu τῷ ἐπιφώσκειν evangelistas simpliciter usos arbitror. Ut cum Matth. cap. XXVIII., 1. ita loquitur: Ὀψὲ δὲ τῶν σαββάτων τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν τῶν σαββάτων. Ubi nulla argutatione opus est ut vel dies ipsa a nocte incipiens tum demum, cum sol oritur ἐπιφώσκειν dicatur, vel ut luna aut sidera subaudiantur. Nam hic meo iudicio sensus est: Confectis sabbatis, sive hebdomada peracta, die sequenti, quae inibat cum feria prima; quod apertius Lucae cap. XXIII., 54. declaratur: Καὶ ἡμέρα ἦν παρασκευὴ καὶ σαββάτον ἐπέφωσκε. Ubi verbum ἐπέφωσκε nullam lucem significat, sed initium. At apud Epiphanium in Expositione Fidei num. XXII. circa gallicinium τῆς κυριακῆς ἐπιφωσκούσης solvi paschale ieiunium dicitur, hoc est post mediam noctem, a qua diem Christiani inchoant. Item paulo post scribit nonnullos hebdomada sancta vigilare τὴν μετὰ τὴν πέμπτην ἐπιφώσκουσαν εἰς τὸ προσάββατον. Ubi ἐπιφώσκειν videtur proprie sumpsisse, quasi nox postridie lucescat, hoc est in lucem desinat. Noctem enim intelligit quae parascevem praecedit.

Καὶ ὅτι ἀνάστασις καὶ ἰσημερία.] En erroris argumentum. Christum enim, quem aequinoctio ipso resurrexisse didicerat, hoc est XXV. Martii, eo die resurrexisse credidit, quo Diocletiani tempore aequinoctium incidit. Nam ex Anatolio, ut opinor, et Alexandrinis veteribus aequinoctium Martii XXII. statuit, cum Nicaenum aliquot annis postea in vicesimum primum intulerit. Unde qui successerunt Alexandrini scriptores XII. Kal., hoc est XXI. Martii, aequinoctium fixerunt; ut inter alios Proterius Alexandrinus apud Bedam lib. de Aequinoct. Vernali, qui est tomo III. Is inquam XXV. Phamenoth, qui est XII. Kal. Apr., aequinoctium collocavit, Leonis papae temporibus. Itaque μνημονικὸν est ἁμάρτημα eruditissimi Keplerl, dum in Eclogis pag. 193. Proterium ait circa initium Diocletiani aequinoctium XI. Kal. definiisse; sed Anatolio id convenit, cuius illustre fragmentum describit Eusebius lib. VII. cap. XXVI. ex eiusdem Paschalibus Canonibus, quod et Beda commemorat lib. de Aequinoctio, ubi et Anatolii verba ex depravatissima Ruffini interpretatione perperam accepta alienam in sententiam detorquet. Quare cum ex eo Anatolii decreto tanquam ex fonte Epiphanii doctrina profluxerit, nobis integrum non est, tam illustrem disputationem silentio praetermittere.

ANATOLII INSIGNIS LOCUS EXPENDITUR.

Vixit Anatolius Diocletiani fere tempore, genere Alexandrinus, qui cum ad
p. 189. Synodum Antiochiae contra Paulum Samosatenum habitam Laodicea iter haberet, episcopus a Laodicenis electus est. Floruit igitur sub Aureliani ac Diocletiani tempora, vir imprimis eruditus et mathematicis artibus excultus. Quae inter caetera Canones Paschales condidit, ex quibus haec Eusebius exscripsit: Ἔχει τοίνυν ἐν τῷ πρώτῳ ἔτει τὴν νουμηνίαν τοῦ πρώτου μηνός· ἥ τις ἀπάσης ἐστὶν τῆς ἐννεακαιδεκαετηρίδος, τῆς κατ' Αἰγυπτίους μὲν Φαμενὼθ ἕκτῃ καὶ εἰκάδι, κατὰ δὲ τοὺς Μακεδόνων μῆνας Δύστρου δευτέρᾳ καὶ εἰκάδι, ὡς δ' ἂν εἴποιεν Ῥωμαῖοι, πρὸ ἕνδεκα Καλανδῶν Ἀπριλλίων. Εὑρίσκεται δὲ ὁ ἥλιος ἐν τῇ προκειμένῃ Φαμενὼθ ἕκτῃ καὶ εἰκάδι οὐ μόνον ἐπιβὰς τοῦ πρώτου τμήματος, ἀλλ' ἤδη καὶ τετάρτην ἡμέραν ἐν αὐτῷ διαπορευόμενος. Τοῦτο δὲ τὸ τμῆμα πρῶτον δωδεκατημόριον, καὶ ἰσημερινὸν, καὶ μηνῶν ἀρχὴν, καὶ κεφαλὴν τοῦ κύκλου, καὶ ἄφεσιν τοῦ τῶν πλανητῶν δρόμου καλεῖν εἰώθασι· τὸ δὲ πρὸ τούτου, μηνῶν ἔσχατον, καὶ τμῆμα δωδέκατον, καὶ τελευταῖον δωδεκατημόριον, καὶ τέλος τῆς τῶν πλανητῶν ἐπιόδου. Διὸ καὶ τοὺς ἐν αὐτῷ τεθεμένους τὸν πρῶτον μῆνα, καὶ τὴν τεσσαρεςκαιδεκάτην τοῦ πάσχα κατ' αὐτὴν λαμβάνοντας οὐ μικρῶς, οὐδ' ὡς ἔτυχεν ἁμαρτάνειν φαμέν. Haec nos Latine ita reddimus: *Habet porro in anno primo mensis primi neomeniam, quae totius enneadecaëteridos initium est, Phamenoth secundum Aegyptios* XXVI., *secundum Macedones Dystri* XXII., *ut autem Romano more loquar,* XI. *Kal. Apr. Quo quidem die* XXVI. *Phamenoth sol non modo primum signiferi segmentum ingressus reperitur, sed etiam quartum iam in illo diem percurrisse. Atque hoc primum segmentum dodecatemorion et aequinoctiale et mensium primordium, ac cycli caput, et quosdam velut planetarum circuitus carceres appellare solent. Quamobrem qui in eo primum mensem constituunt, et in eo decimam quartam paschalem usurpant, eos non mediocriter aberrare statuimus.* Cum igitur aequinoctium Martii XXII. fixisset, permirum hoc plerisque visum est, qui et recentiores Alexandrinos scriptores et, quod caput est, Nicaenam Synodum vicesimo primo Martii constituisse meminerant. Qua de re Beda consultus magnopere aestuat, et a Ruffino corrupta, uti dixi, Anatoli verba proferens, alienum iis sensum accommodat. Ruffinus enim ita priora reddidit: *Est ergo in primo anno initium primi mensis, quando est decem et novem annorum initium, secundum Aegyptios quidem Phamenoth* XXVI., *secundum Romanos vero* XI. *Kal. Apr. In qua die invenitur sol non solum conscendisse primam partem, verum etiam quartam iam in eadem die habere, id est in prima ex* XII. *partibus etc.* Quae Beda sic accipit, aequinoctium ob bisextum interdum in XII. Kal., interdum in XI. incurrit. Nam cum Iulianus annus Aegyptiacum et simplicem horis VI. superet, aequinoctii μετάπτωσις fit in anno communi. Quare sit aequinoctium anno ipso bisexitili XXI. Martii mane, anno primo post bisextum incidet in meridiem, anno II. post bisextum in occasum diei XXI., anno III. in mediam noctem, anno IV. per intercalationem a XXII. iterum in XXI. et matutinum tempus recedet. Cum igitur in vesperam, vel mediam noctem incidit, ad XI. Kal. pertinet; eo quod nox ipsa Christianorum ritu sequenti feriae tribuitur. Cum autem ad meridiem vel matutinum tempus pervenit, Martii XXI., sive XII. Kal. Apr. arrogatur. *Unde,* inquit, *consulte Anatolius non vetat in* XI., *sed ante* XI. *Kal. Apr. pascha celebrari. Non enim prima sedis aequinoctialis tempora, sed ultima signavit, hoc est ea a quibus paschae celebrationem incipere posse noverat. Cum enim* II. *vel* III. *anno post bisextum paschae*
p. 190. *dies dominicus in* XI. *Kal. Apr. occurrerit, constat nimirum, quod cum aequinoctio paschae dies inchoatur. Cuius caeremoniae partes celebrantur prima nocte, cum*

eadem mediante, vel inchoante perficiatur aequinoctium. Tum vero rite pascha peragitur; quia resurrectionis, quae diluculo facta est, praecipua pars post aequinoctium celebratur. Haec fere Beda lib. de Aequin. Qui sic Anatoli verba declarat: Cum duo sint aequinoctio attributi dies, Anatolium de posteriore loqui; in quo scilicet nocte illa, quae XXI. Martii diem sequitur, aequinoctium contingit. Imo vero de vespertino potissimum aequinoctio intelligit; quod Anatolius dicat celebrandum pascha quando luna soli opposita e regione deprehenditur, sic ut vernalis aequinoctii partem sol obtineat, luna vero autumnalis. *Quid ergo,* inquit, *mirandum, si in* XI. *Kal. aequinoct. fieri dicat, cum de illa loqui se hora declaret, quando occidente ad vesperum sole luna e contrario suum attollit exortum?* Pergit deinde, et quod Anatolius scripserat, *in* XI. *Kal. Apr. solem non tantum primam partem* τοῦ δωδεκατημορίου *conscendisse, verum etiam quadram iam in eadem die habere,* sic exponit: *Quia quoties aequinoctiale tempus iuxta rationem praefatam in* XI. *Kal. incidit, toties in ipso temporis momento illa quarta pars diei, quae annuatim accrescere solet, secundum naturam perfecta esse dignoscitur.* Quare sol cum aequinoctium attigit, iam diei quadrantem absolvit. Quasi dicat, ab aequinoctio uno verno ad alterum, dies intercedunt solidi CCCLXV., et horae VI. Verum ut quantum ab Anatolii sensu deerrarit intelligas, insignis primum ille locus a nobis explanandus est.

Censet igitur Anatolius mensem primum anni primi totius cycli decemnovennalis νουμηνίαν habere in XXVI. Phamenoth, sive Martii XXII., vel XI. Kal. Apr., qua die sol primum zodiaci segmentum percurrit. Quod segmentum primum δωδεκατημόριον, et ἰσημερινὸν, et principium mensium adeoque cycli totius appellat, et ἄφεσιν τοῦ τῶν πλανητῶν δρόμου, hoc est velut carceres ex quibus emittuntur. Nam *absolutionem* Ruffinus non recte interpretatus est; niai absolvi stellas sit idem quod emitti. Quanquam epocha illa, sive punctum aequinoctiale idem sequentis cursus initium est, et antecedentis terminus. Unde vehementer eos hallucinari docet qui in anteriore postremoque segmento mensem primum, et XIV. paschalem constituunt. Graeca enim ad hunc sensum accommodanda esse series ipsa orationis indicat: διὸ καὶ τοὺς ἐν αὐτῷ τιθεμένους τὸν πρῶτον μῆνα. Pronomen αὐτῷ ad τελευταῖον δωδεκατημόριον, et τέλος τῆς τῶν πλανητῶν περιόδου pertinet. Nec recte quidam emendant πρὸ αὐτοῦ. Nam de postremo segmento loquitur. Pergit deinde: καὶ τὴν τὸ' τοῦ *πάσχα* κατ' αὐτὴν λαμβάνοντας οὐ μικρῶς, ὡὸ' ὡς ἔτυχεν ἁμαρτάνειν φαμέν. Pro κατ' αὐτὴν omnino κατ' αὐτὸ legendum affirmo. Nihil enim est quo commode pronomen illud referatur. At proxime dixerat, τοὺς ἐν αὐτῷ τιθεμένους, videlicet τελευταίῳ τμήματι. Quod si quis ad ea quae remotiora sunt, puta μηνῶν ἀρχὴν, et κεφαλὴν, et ἄφεσιν pertinere contendat, contrarium quidem eius quod pugnamus quodque Anatolium sensisse volumus ex ea oratione sequetur. Nimirum non licere XIV. paschalem primo illo die quo aequinoctium conficitur, sed in superiori tmemate defigere, ideoque pascha XXII. die celebrari posse. Si enim nefas est κατ' αὐτὴν τὴν ἡμέραν aequinoctii XIV. paschalem ponere, licet igitur proximo ante illam die, ut citimum pascha XXII. Martii constituatur, quod et verum est post Nicaeni concilii tempora licitum esse. Verum hoc Anatolium existimasse, aut ad eam mentem illius referri verba posse, id vero constanter nego. Imprimis enim absurdum est, pronomen αὐτὴν cum iis coniungere quae tanto ante orationis intervallo posita sunt. Deinde refellit eos Anatolius, qui ante primum segmentum et aequinoctii diem primum mensem celebrabant; quod non facerent si XIV. paschalem in ipso aequinoctiali die collocarent; hoc enim primi mensis initium est. Ad haec quae ex Iudaeorum pla- p. 191.

citis ad suam illam probandam sententiam affert, nullum dubitandi locum relinquunt. Statuebant enim seniores illi post commissum aequinoctium ad vesperam, quo tempore luna in altero aequinoctio e regione solem respicit, τὴν τῶν διαβατηρίων ἑορτήν, hoc est pascha Iudaicum agi debere. Hoc autem XIV. luna ad vesperam celebratum est. Ergo XIV. in ipsum aequinoctium cadere debet, non praecedere; quia μετὰ τὴν ἰσημερίαν, ut saepius repetit, Iudaice pascha peragendum est. Cum igitur id quod dixerat ex Iudaeorum doctorum sententia profectum asserat, Iudaei porro XIV. negent ante aequinoctium indici posse, manifestum est Anatolium nolle XIV. ante ipsum aequinoctii diem statuere. Praesertim cum Christiana XIV. ex vetustissima traditione in aequinoctium ipsum, non ante hunc diem incidere debeat. Quocirca vitiosa est vulgata illa lectio κατ' αὐτὴν, et κατ' αὐτὸ rescribendum. Hunc Anatolii locum novissimus interpres (nam de Ruffino postmodum agemus) magnopere depravavit. Sic enim vertit: *Quapropter qui principium primi mensis in illo* XXVI. *die Phamenoth esse putant, ad* XIV. *diem proxime secundum illum festum paschatis celebrandum statuunt, eos vehementer errare dicimus.* Putavit αὐτῷ ad XXVI. diem pertinere, cum de postremo signiferi segmento sit accipiendum. Quamobrem ex disputatis hactenus apparet primum mensem Tropicum, sive Κριῶνα hic ab Anatolio intelligi. Neque enim lunaris esse potest, cum in Alexandrino cyclo neomenia primi mensis cyclo primo sit Martii XXIII. Nam Alexandrini cycli annus primus paschalem neomeniam ab hoc die incipit. Latinorum vero post Alexandrinum receptum primus cyclus iniit Apr. IV., qui
p. 457. est Alexandrinus cyclus ultimus, ut alibi, deo dante, fusius docebimus. [Sic et Ambrosius in epistola ad Aemiliae episcopos: *Incidit autem mensis non secundum*
p. 458. *vulgarem usum, sed secundum consuetudinem peritorum ab aequinoctio, qui dies est duodecimo Kal. Apr. et finitur undecimo Kal. Mai. Inde maxime intra hos*
p. 191. *triginta et unum dies saepe celebrati paschae dies.*] Cum igitur neomenia primi mensis lunaris ea sit, quae post aequinoctium proxime sequitur, apparet cur Alexandrini et eos secuti Nicaeni patres cyclum I. Martii XXIII. statuerint, quod videlicet Anatolii caeterorumque paschalis cycli conditorum vel tempore vel decreto aequinoctii sedes esset Martii XXII. Unde licet aequinoctium in XXI. postea transierit, nec citima neomenia XXII. Martii contigerit, nihilominus cyclum primum veteri statione non dimoverunt. Quare neomenia Krionos, sive mensis primi solaris est citimus terminus paschalis, sive XIV., quae ex Anatolii scito convenit cyclo V. Nam cyclus decemnovennalis, sive paschalis, autore Beda, ad terminos sive decimas quartas lunares investigandas accommodatus est, uti cyclus lunaris ad novilunia. Ideoque merito primus paschalis mensis a prima XIV. coepit, hoc est ab aequinoctii die, quod Anatolius in Martii XXII. constituerat. Indeque constat non in omnibus paschalis mensis diebus pascha celebrari posse,
p. 192. sed neomeniam eius excipi, quae est, uti dixi, XIV. cycli V. Quod ipsum et Anatolius indicat, cum eos reprehendit qui in superiori segmento, quod ultimum est, primum mensem et XIV. lunarem collocant. Consequens enim est decimas quartas lunares omnes intra primi mensis epocham coërceri. Quod cum Beda minus animadvertisset, falso credidit Anatolium eam primi mensis neomeniam constituisse, in quam citimum pascha conveniret. Nam qui negat XIV. paschalem ante initium primi mensis incidere, idque ipsum mensis initium XI. Kal. figit, manifeste prohibet ipso mensis initio pascha celebrari; quod si fiat, iam XIV. extra prioris mensis fines egredi et in ultimum reiici necesse sit.

Nam quod aequinoctio biduum tribui oportere narrat, eoque qui posterior est die pascha celebrari, de quo et Anatolium loqui putat, verum id quidem est

aequinoctium μετεμπτώσει in sequentem diem excurrere, sed ex ambobus politice ad aequinoctii sedem, annique cardinem ille deligitur in quo praecipue et maxima temporis parte retineri creditur, non is in quem evagandi licentia paulatim effunditur, nec in eo tamen diutius consistit, verum intercalatione subinde velut quodam fraeno revocatur. Cuiusmodi ex Anatolii opinione XXII. Martii extitisse Beda narrat. Quod secus se habet. Alioqui si plerumque in XXI. Martii aequinoctium contineretur, ac nonnisi secundo vel tertio post bisextum anno ad XXII. accederet, imo vero ne utroque illo anno quidem civilis diei metas attingeret, hoc est non ultra mediam noctem a. d. XI. Kal. Apr. nunquam Anatolius XXII. potius quam XXI. anni cardinem ac paschalem terminum assignasset. Quemadmodum hoc tempore post Gregorianam recensionem, licet aequinoctium κατὰ μετέμπτωσιν in aequabili anno ad mediam fere noctem, quae XXII. antecedit, perveniat, nihilominus in XXI. defixum est, quod eum diem toto fere Iuliano quadriennio percurrit. Non est igitur dubitandum quin Anatolius XI. Kal. Apr. aequinoctium civile statuerit ad eum modum, quo post Nicaenum concilium in XII. Kalend. translatum est; adeo ut nulla XIV. luna, quae ante XI. Kal. accideret, paschalis haberetur. Id enim Anatolii verba disertissime testantur.

Sane si mediam anni tropici formam sequimur, cuiusmodi est Alphonsina, quae caeteris anteponitur, Anatolii tempore aequinoctium utriusque diei partem ex aequo sibi vendicabat. Vixit enim medio fere tertio post ortum Christi saeculo. Cumque anno Christi CC. aequinoctium vernum contigerit Martii XXI., horis 7, 16, 13.″ post meridiem, anno vero CCC. Martii XX., horis 13, 22′, 53.″: si excessum Alphonsinum ex aequo partiaris, invenies a meridie ferme XXI. Martii ad meridiem XXII. aequinoctium ultro citroque commeasse. Sed Anatolius aequinoctium illud, quod a maioribus acceperat, in XXII. retinuit, cum Ptolomaeus toto ante saeculo vernum aequinoctium XXII. Martii in meridie observasset, anno Christi CXL., bisextili. Ut hac ratione inter meridiem XXII. et XXIII. progrederetur. Quod si Ptolemaici et Hipparchei anni formam, quae CCC. annis diem unum perimit, Anatolius amplexus sit, cum προήγησις plus minus annorum centum horas VIII. postulet, invenies Anatolii aevo aequinoctium in anno bisextili contigisse octo circiter horis ante meridiem diei XXII. proindeque bellissime hunc ipsum diem civilem aequinoctio praestitutum. Tametsi fieri potest ut tropicam p. 193. illam προεμπτωσιν penitus dissimulaverit, ut post Nicaenum concilium aliquot saeculis ignoratam esse constat, et ab ipso Beda praecipue, qui propterea multis modis hallucinatus est. Nam ex eadem hypothesi Bedae saeculo aequinoctium longius a XXII. recesserat et ad XVIII. pervenerat. Et tamen ad horologiorum gnomonumque fidem provocat, ut aequinoctium Nicaenis ipsis cardinibus adscribat.

INSIGNIS ERROR, IMO HAERESIS, SCOTORUM MAXIME, EX FALSA RUFFINI INTERPRETATIONE NATA DECLARATUR, ET ANATOLIUS A CALUMNIA LIBERATUR.

Verum ut tam absurdae interpretationis errorisque fontem aperiamus, scito non tam eam Bedae hominis eruditissimi et in eo genere exercitatissimi culpam esse, qui Anatolii Graeca non viderat, quam Ruffini scriptoris, ut omnes norunt, ineptissimi, qui in mutilandis depravandisque veterum scriptis potius quam interpretandis stilum suum exercuit. Hic enim ex Anatolii verbis nonnulla sustulit, quae tam Bedae quam aliis quibusdam turpissimi erroris occasionem dederunt.

Cum enim Anatolius scripserit: διὸ καὶ τοὺς ἐν αὐτῷ τιθεμένους τὸν πρῶτον μῆνα, καὶ τὴν τεσσαρεςκαιδεκάτην τοῦ πάσχα κατ' αὐτὴν λαμβάνοντας οὐ μικρῶς, οὐδ' ὡς ἔτυχεν ἁμαρτάνειν φαμέν. Hoc est: *Cum postremus mensis ultimumque zodiaci segmentum proxime* τμῆνα *istud* ἰσημερινὸν *antecedat, vehementer hallucinari necesse est eos qui primum mensem et* XIV. *paschatis in illo utique postremo segmento collocant.* Nam pro κατ' αὐτὴν, κατ' αὐτὸ legendum esse, nemo, ut opinor, negaverit, cum haec, inquam, huius loci sententia sit. Ruffinus ita vertit: *Et ideo non parum dicimus delinquere eos, qui ante initium hoc novi anni pascha putant esse celebrandum.* Ubi haec verba καὶ τὴν τεσσαρεςκ. τοῦ πάσχα, ac XIV. paschalis mentionem omnem flagitiosissime sustulit. Atqui expunctis paucis illis voculis falsa et absurda sententia, ac non modo Anatolii decreto, sed et catholico dogmati contraria sequitur, nimirum pascha in civili aequinoctii die atque in ipso termino celebrari posse. Quid est luna XIV. paschalis? Ea nimirum, quae aut in aequinoctii diem ipsum incidit, aut proxime post ipsum. Quod enim post aequinoctium, non in ipso aequinoctio peragendum esse pascha putet Anatolius, aperte eodem in loco profitetur, cum hoc ipsum, quod de paschatis observatione scripserat, Iudaeos tanto ante pronunciasse dicit; videlicet: δεῖν τὰ διαβατήρια θύειν ἐπίσης ἅπαντας μετὰ ἰσημερίαν ἐαρινὴν, μεσοῦντος τοῦ πρώτου μηνός. Igitur post ἰσημερίαν, non in ἰσημερίᾳ pascha tam Iudaeis quam Christianis incurrit; quod et subinde rursus inculat, τὴν τοῦ πάσχα καὶ τῶν ἀζύμων ἑορτὴν δεῖν πάντως μετ' ἰσημερίαν ἄγεσθαι.

p. 194. Atqui τὴν ἰσημερίαν Anatolius Phamenoth XXVI., sive XI. Kal. Apr. constituit, ibidemque primi mensis exordium. Negat igitur illo ipso die pascha rite celebrari. At vero ex Latina Ruffini versione celebrari potest. Scriptum est enim: *Aberrare vehementer eos qui ante hoc initium primi mensis pascha celebrant.* Quare ipso mensis initio licet, hoc autem est XIV. luna ex superiori definitione, quam Nicaenum concilium et catholica omnis ecclesia scivit. Tanti nimirum est cum caeteris in rebus et officiis, tum in scriptoribus interpretandis praestare fidem; quod saepe interpres iste neglexit. Proinde vel eo nomine pessime de Anatolio deque catholico dogmate atque omni posteriate meruit, dum sanctissimum eruditissimumque patrem absurdissimi fautorem dogmatis atque haereseos autorem constituit. Quod ne quis a me iracundius quam verius affirmari putet, consulat quae de Scotorum et Τεσσαρεςδεκατιτῶν altercationibus a Beda in Eccl. Hist. narrantur. Ex quibus intelliget, qui huic errori patrocinarentur unius potissimum autoritate fretos Anatolii Christiano dogmati restitisse. Quam quidem autoritatem non ex ipsis Anatolii fontibus, sed ex lacunis Ruffinianae interpretationis hauserant.

Luculenta sane de paschate controversia illa fuit, quam ingenti animorum contentione toties agitatam apud Anglos ac Scotos autor est Beda. Sed imprimis lib. III. cap. XXV. nobilissima Wilphridi presbyteri catholici et Colmani episcopi Scoti coram rege habita collatio describitur. In qua cum hoc Scotis Wilphridus obiiceret, quod contra Nicaenum Canonem et Romanae ecclesiae decretum pascha a luna XIV. ad XX. celebrarent, Colmanus ita demum occurrit: *Nunquid Anatolius vir sanctus et in praefata historia ecclesiastica multum laudatus legi vel evangelio contraria saputt, qui a* XIV. *usque ad* XX. *pascha celebrandum scripsit?* Sed et antea cap. III. eiusdem libri de Aiduno episcopo ab Oswaldo rege in Angliam e Scotia arcessito scribens, ait illum *pascha more suae gentis a* XIV. *luna ad* XX. *celebrasse, quod idem Scotorum ac Pictorum natio faceret, existimans se in hac observantia sancti ac laude digni patris Anatolii scripta secutum.* Vides, opinor, schismaticos illos omnes praecipuum pervicaciae opinionisque suae praesidium in Anatolii autoritate posuisse, non illa quidem, ut dixi, ex illius scriptis

quae nunquam viderant, sed ex ecclesiasticae historiae, hoc est a Ruffino interpolatae, fide ac testimonio deprompta. Redeo ad Wilphridum, qui Anatolium ita purgat, ut in caussa potius praevaricari videatur. Certe hanc illi opinionem tribuit, quam ne somniavit quidem unquam; imo vero, quae ipsum, quod Scoti pugnabant, oppugnabat autem Wilfridus, efficiat, quod est profecto ridiculum. *Constat*, inquit, *Anatolium virum sanctissimum, doctissimum ac laude esse dignissimum etc.* Mox: *Ille sic in paschae dominicum* XIV. *lunam computavit, ut hanc eadem ipsa die more Aegyptiorum* XV. *lunam ad vesperam esse fateretur. Sic idem* XX. *diem dominico paschae annotavit, ut hanc, declinata eadem die, esse* XXI. *crederet. Cuius regulam distinctionis vos ignorasse probat, quod aliquotiens pascha manifestissime ante plenilunium, id est in* XIII. *luna facitis.* Ergo id Anatolius sanxit, luna XIV. ἡμερινῇ, ut loquitur Epiphanius, νυκτερινῇ πεντεκαιδεκάτῃ pascha rite perfici, quod merum est Scotorum et Quartadecimanorum dogma, horum, inquam duntaxat, qui etsi dominicum diem celebritati praefinirent, non p. 195. dubitabant tamen, quoties dominica in XIV. incideret, eo die festum incidere. Non aliud sensisse vel Scotos vel caeteros eiusdem haeresis ac factionis homines notius est quam ut res probatione egeat. Certe Scotos ipsos a XIV. luna ad XX. celebrasse Beda scripsit, cum catholici a XV. ad XXI. id egerint, ut unius diei discrimen fuerit. Ut igitur catholicis XV. paschalis ea est, quae in XVI. desinit, estque πεντεκαιδεκάτη ἡμερινὴ, ita Τεσσαρεσδεκατίταις XIV. perinde ἡμερινὴ, νυκτερινὴ vero XV. esse debuit. Nam si XIII. ἡμερινῇ pascha anteverterent, non uno die, sed biduo a catholicis differrent. Verum ex iis quae statim idem Wilfridus obiicit coniici potest, quid aut ipse senserit, aut sensisse Anatolium existimet, cum ait Scotos plerumque pascha luna XIII. ante plenilunium celebrasse. Fuit enim haec Theophili, Cyrilli ac Bedae ipsius adeo sententia, lunam novam nullam dici, *quae non ante occasum solis accendatur;* adeo ut si post occasum duntaxat solis accensa sit, hoc est cum sole coniuncta, tametsi 23 horis postea luxerit, illam, quam occidente sole habuit, appellationem retineat. Ut si sabbato post occasum solis coniunctio fiat, non sequente dominica, sed feria 2. neomenia statuenda sit, quod lib. de Temp. Rat. cap. XLI. a Beda traditum est ex recentiorum Alexandrinorum placitis. Ex eo porro, quod neomenia nonnunquam integro die summovetur, necesse est ceteros lunae dies tardius succedere, atque ita si e. c. sabbato statim post solis occasum plenilunium commissum sit, appellabitur nihilominus tota illa dies XIV. luna, non plenilunium; unde et anterior dies XIII. non XIV. computabitur. Haec fuit, uti dictum est, Alexandrinorum sententia, quam et Hebraei quidam amplexi sunt. Nam in Glossa cap. VII. Tract. Kidduseh Hahodesch tomo I. Iad Maimonidae variae doctorum sententiae de ea re commemorantur. Eandem a Beda propugnatam et a Forosempr. refutatam lib. III. par. II. pluribus astruit explicatque Petrus Pitatus Veron. cap. IV. et XV. Can. Pasch. Ecclesia vero catholica minime sequitur, quae paschalis festi ratiocinia ad civilem usum et aequabilem cyclum, non ad mediorum motuum observationes adstringit. Caeterum ex hac ipsa opinione sequitur lunam XIV. nonnunquam in plenilunium incidere, ob idque plenilunium apud quosdam scriptores appellari XIV. Quod et propter lunarem προήγησιν post Nicaenum concilium accidit, post tria circiter saecula. Tum enim aureis numeris iisdem diebus haerentibus, XIV. Nicaena plenilunium est facta, idque κατὰ συμβεβηκὸς ob ἀνωμαλίαν sideris; cum alioqui neque plenilunium ex instituto ecclesiae terminus unquam paschalis fuerit, nec in XXII. lunam dilatum pascha; quae est hallucinatio Scaligeri a Clavio nostro, et novissime a Guldino eiusdem societatis, validissime refutata. Sed ad priorem sensum

illa Wilfridi disputatio pertinet. Nam Scotis exprobrat, quod cum in XIV. pascha celebrarent, non eam tamen XIV. paschalis rationem haberent, quam Anatolius praescripserat. Hic enim XIV. illam paschalem duntaxat esse voluerat, quam ad vesperam plenilunium exciperet, hoc est ante solis occasum; alioqui XIII., non XIV. diceretur. At Scoti nullo istiusmodi delectu, XIV. illam paschali celebritati
p. 196. consecrabant, quae in eum diem incideret, post cuius ortum subsequente duntaxat nocte plenilunium committeretur, propterea que non XV. luna, sed XIV. vocaretur, ea vero, qua pascha peractum fuerat, XIII. Haec est omnino difficillimi illius loci sententia; secundum quam Anatolius Τεσσαρεςκαιδεκατιτῶν errori patrocinatur, dum illud statuitur, paschalem ex eius instituto XIV. illam esse quae in plenilunium desinit. Quae nova est istorum hallucinatio et in Anatolium coniecta calumnia. Cuius occasionem inde oblatam suspicor, quod cum ex Iudaeorum magistris τῶν διαβατηρίων, hoc est typici paschatis canonem illum ad illustrandam Christiani doctrinam paschatis attulisset, quo praecipitur, ut XIV. luna ad vesperam pascha celebretur, sub ipsum oppositionis ac plenilunii tempus, hoc illi ad Christianum pascha transtulerunt, rati ex Anatolii decreto XIV. die celebrari posse, et quidem maturius quam Iudaeis liceat, quod est inauditum et Anatolio prorsus indignum.

PERGITUR IN EXPLICANDIS ANATOLII VERBIS.

Sed illud in Anatolii loco illo difficilius est, quod addit die Martii XX. solem non tantum segmentum zodiaci primum ingressum esse: ἀλλ' ἤδη καὶ τετάρτην ἡμέραν ἐν αὐτῷ διαπορεύεσθαι. Ruffinus: *in qua die sol inveniretur non solum conscendisse primam partem, verum etiam quartam iam in eo die habere:* id est in prima ex XII partibus. Ita apud Bedam legitur, ut et in vulgaris Ruffini codicibus. Porro Beda per *quartam*, sive, ut subinde vocat, per *quadram*, Iulianum quadrantem intelligit. Nam cum sol primum Arietis segmentum ingreditur, iam in ea die quadrantem confecit. Sed haec interpretatio iocularis est. Neque enim Graeco ipsi convenit. Scribit Anatolius τετάρτην ἡμέραν ἐν αὐτῷ διαπορευόμενος, hoc est *quartam iam diem;* quemadmodum apud Ruffinum restituendum esse emendatiora quaedam exemplaria persuadent. Tum illud ἐν αὐτῷ ad τμήματι refertur, non ad ἡμέραν; ut Latine concipiendum sit, *quartum iam in ea diem.* Hoc igitur censet Anatolius, solem XI. Kal. Apr. quartum iam in primo τμήματι τοῦ δωδεκατημορίου diem agere. Quod mirum mihi videtur. Nam hac ratione solem existimavit primum punctum Arietis ingredi XIV. Kal. Apr. hoc est XIX. Martii. Ex quo illud suspicari possumus, aequinoctialem cardinem non in primo Arietis puncto, sed in IV. ab eo constitutum. Quemadmodum veteres olim in VIII. signorum parte solstitia et aequinoctia fieri putabant; ut testatur Plinius lib. XVIII. cap. XXV., et Columella lib. IX. cap. XIII., ex Eudoxi et Metonis Fastis; quod et Sosigenes persuasisse Caesari videtur. Nam initia mensium quatuor, quae cardinibus proxima sunt, ab VIII. fere parte signorum incipiebant aetate Caesaris. Apud Geminum αἱ τροπαὶ χειμερινὰι ex Eudoxo quarto die contingunt, ex quo sol Capricornum ingressus est. At secundum Euctemonem primo ipso die. Vernum autem aequinoctium sexto ab ingressu Arietis die secundum Eudoxum,
p. 197. cum ex Calippi parapegmate primo ipso die committatur. Utrum vero idem de IV. signorum parte sibi persuaserit Anatolius, cogitandum amplius est. Nam illa Bedae ratio nullo modo probabilis est, Anatolium cum XI. Kal. Apr. aequinoctium figit, de vespertino duntaxat loqui, hoc est de eo quod accidit cum luna sub occasum soli opposita est; propterea quod ex antiquorum sententia patrum statuit

ad paschalem celebritatem non modo solem in aequinoctio verno, sed et lunam in autumnali sitam esse debere; quod tum fit quando aequinoctiale punctum sub occasum solis incidit. Primum enim non de Christiano paschate ex antiquorum patrum scriptis, sed Iudaico ex Aristobuli autoritate istud attulit: ὡς εἴη ἐξ ἀνάγκης τῇ τῶν διαβατηρίων ἑορτῇ μὴ μόνον τὸν ἥλιον τὸ ἰσημερινὸν διαπορεύεσθαι. Deinde ne hoc quidem voluit, in aequinoctialibus punctis opposita sibi invicem sidera illa esse oportere, sed ἐν τμήμασι, quae latitudinem habent: ut videlicet in primo zodiaci segmento, et in eius aliqua parte sol, luna vero in septimo versetur. Denique quoties aequinoctium in XXII. diem incidit, non est necesse XIV. lunam, aut XV. cum eo concurrere. Id enim toto in cyclo tantum semel accidere potest. Quid autem absurdius quam Anatolium arbitrari de eo tantum aequinoctiali die loqui, qui non amplius quam semel toto decemnovennali cyclo possit contingere? Frustra igitur alius eius loci, si quidem minime mendosus est, sensus quaeritur ab eo quem ipsa prae se verba ferunt, ut ingressum in Arietem Anatolius in Martii XIX. contulerit. Qua ex opinione aliud quoddam πόρισμα sequi videtur, quod hic paucis explicare operae pretium arbitror. Quod enim ex Anatolii verbis efficitur, punctum ipsum τῆς παρόδου in Arietis segmentum convenire Martii XIX., suspicari licet occidentales plerosque ac Latinos epocham anni, sive primi mensis neomeniam in XIX. Martii contulisse, itaque citimum terminum in eo die fixisse, uti Anatolius in XXII. Nam Latini diu Alexandrino cyclo reiecto Iudaicum retinuerunt; qui lunaris a Beda et aliis dicitur, et triennio differt ab Alexandrino. Nam Alexandrinorum primus est XVII. Latinorum, XIX. autem Alexandrinorum Latinorum est XVI., et VIII. eorumdem Alexandrinorum Latinorum est V. Qui duo posteriores, hoc est Alexandrini XIX. et VIII., cum apud ipsos embolimaei forent, apud Latinos, ut et apud Iudaeos, erant simplices. Erant enim XVI. et V. Ita Latini pascha in Nisan Iudaico, Alexandrini in Iiar celebrabant. Propterea paschalis neomenia Latinorum erat a. III. Non. Martias, sive Martii V. ad Aprilis II., cum Nicaena ab VIII. duntaxat Martii ad Nonas Apr. extendatur. Unde et XIV. paschalis citima Latinorum erat Martii XVIII., remotissima XVI. Aprilis, cum Alexandrinae et Nicaenae decimae quartae a XXI. Martii ad XIV. Kalend. Maias, sive Apr. XVIII. pertineant. Quod ex Beda discimus, qui cap. XLIX. de Temp. Rat. Latinorum refellit errorem eorumque signiferi Victorini, quem Victorium nominat; cuius etiam fragmentum extat in eodem Bedae capite. Undenam igitur manasse putandum est, quod Latini primi mensis neomeniam in XIX. Martii collocaverint, nisi ex Anatolii decreto, ut quidem vulgo conceptum est, quo primum Arietis ingressum in XIX. Martii coniicere visus est? Hinc enim paschalem terminum quae fuit apud Latinos XV., non XVI., in Martii XIX. contulerunt. Nam, ut initio fassi sumus, obscurus admodum et implicatus est Anatolii locus. Siquidem illo ipso p. 198.
die, quo aequinoctium statuit, Martii videlicet XXII., quartum iam primi segmenti gradum attigisse solem indicat. Hoc autem segmentum primum δωδεκατημόριον καὶ μηνῶν ἀρχὴν vocat, τὸ δὲ πρὸ τούτου μηνῶν ἔσχατον καὶ τμῆμα δωδέκατον. Ergo et tres illi gradus, quos Martii XIX. XX. XXI. sol conficit, cum in primo segmento sint et extra postremum, ad mensem primum pertinent. Quocirca proroganda erunt mensis primi spatia, ut XIX. diem etiam amplectantur. Et cum subiicit, non mediocriter hallucinari eos omnes qui primum mensem et XIV. paschalem in ultimo illo segmento collocant, intra primum δωδεκατημόριον, hoc est a XIX. Martii rite XIV. inchoari posse significat. Itaque parum haec cohaerere videntur. Sed ut obscurior appendix illa sit, caput ipsum opinionis propemodum constat; nimirum cardinem et epocham anni XII. esse Martii, quam et κεφαλὴν ἐννεαδεκαετη-

ρίδος vocat. Igitur ἐννεακαιδεκαετηρὶς neque ab Eusebio reperta, ut Beda lib. de Temp. Rat. cap. XLII., neque a Nicaeno concilio, ut quidam asserunt; cum Anatolius eius meminerit, ac diu ante a Metone et Euctemone primum excogitata fuerit, ut Diodorus Siculus, Geminus et Censorinus affirmant. Quanquam alia lunaris anni ac mensium dispositio tum fuit. Quapropter verisimile est Latinis hunc Anatolii locum fraudi fuisse. Atqui ridicule admodum paschalem illum suum canonem condidit Victorinus. Non solum, quod pascha XVI. luna duntaxat celebrari iubeat, quod canoni repugnat, verum etiam quod inutiles aliquot terminos et otiosos habuerit. Prima illorum XIV. fuit, ut dictum est, Martii XVIII: decima quinta vero prima omnium Martii XIX. quem et terminum fixerunt. Et tamen nunquam ante XXII. pascha celebrabant; cum citimum pascha debuerit esse XX. Martii. Quare aut in XXII. lunam prorogabant, aut in secundum mensem. Caussam huius stolidissimae rationis Beda putat esse, quod ante aequinoctium celebrare religioni ducerent. Ego vero cum Anatolii, tum Caesariensis ac Nicaeni concilii decreto paruisse illos arbitror, neque praescriptos ab illis ac communi consensu receptos paschatis limites transgredi ausos esse; atque ita Paulus Forosempron., cuius tu lib. v. consule, ubi aliquot exempla paschalium διαστροφῶν ac dissensionum proponit.

Postremo etiam atque etiam videndum, an Iudaei, qui Epiphanii tempore vixerunt, in XIX. vel XX. Martii epocham anni aequinoctiumve statuerint; quod Epiphanius ad Christi tempora transferens anno illo quo passus est crediderit aequinoctium in eodem haesisse die quo ab illis suo tempore statutum videbat. Cum enim Iudaei, ut ex Iosepho, Philone et iis antiquioribus, Aristobulis et Agathobulo constat, non ante aequinoctium pascha suum celebrare voluerint, certum sit autem annum XIX. et VIII. cycli, qui Alexandrinis embolimaeus erat, Iudaeis communem extitisse, coniecturae locus est, a Iudaeis aequinoctii diem paulo ante Nicaena tempora, et secundum ea, XIX. Martii tributum fuisse. Quam ab illis opinionem Latini una cum lunari cyclo traditam acceperint, Anatolii praesertim autoritate freti, qui primum Arietis ingressum eodem illo die collocare visus est. Sane non alia probabilior investigari caussa potest, cur vel Iudaei vel Latini tam praefracte
p. 199. decimas quartas in Martii XVIII. retinuerint, nisi quod aequinoctium citius committi, quam Alexandrinis placuerat, falso sibi persuasissent. Quippe cum et Iudaeorum pascha in ipsum aequinoctii punctum, aut proxime saltem ex decreto seniorum incidere oporteat, Latini vero post Nicaeni concilii sanctionem paschalem terminum tandiu ante aequinoctium definire nefas esse didicissent.

ALTERA ET PROBABILIOR DE ANATOLII LOCO CONIECTURA PROPONITUR.

Sed haec nostra coniectura si minus eruditorum hominum assensionem obtinuerit, invidiam certe ac reprehensionem non meretur. Quo lectoris candore et humanitate confisus aliam de hoc Anatolii loco suspicionem proferam; quae mihi, cum haec scriberem, veniebat in mentem. Crediderim equidem in iis, quae locum illum antecesserant, disputasse adversus illos Anatolium, qui vetus aequinoctium, hoc est Iulianum, die Martii XXV. retinebant, nec ante VIII. Kal. celebrari festum sinebant, quae est XXIX. Phamenoth, praesertim quod eodem die Christum resurrexisse persuasum haberent, ex concilii Caesariensis fide, de quo postea. Quorum ut errorem corrigeret mathematicis astronomicisque doctrinis perpolitus Anatolius, aequinoctium in XXII. Martii committi docuit. Quo posito, XXV. Martii, sive Phamenoth XXIX. quartum iam in Arietis segmento diem agit.

Quamobrem si pro ἕκτῃ καὶ εἰκάδι, ἑνάτῃ καὶ εἰκάδι scripseris, bellissime hunc locum restitueris. Invenimus, inquit, ἐν τῇ προκειμένῃ Φαμενὼθ ἑνάτῃ καὶ εἰκάδι (ἐν τῇ προκειμένῃ, quam ad oppugnandum sibi proposuerat cuiusque in superioribus meminerat) solem IV. iam diem in segmento Arietis processisse. Firmat hanc coniecturam nostram, quod Anatolium certum est de aequinoctiali tempore Canones illos instituisse. Hinc Nicephorus lib. VI. cap. XXXVI., καὶ περὶ τῆς ἰσημερίας τοῦ πάσχα ἀκριβεστάτους ὅρους ὑπέδειξε: *De aequinoctio paschali accuratissimos canones sanxit.* Videlicet cum id, quod in Caesariensi synodo a Theophilo habita propositum fuerat, vulgo omnes opinarentur, aequinoctium XXV. Martii committi, hoc ipsum corrigens Anatolius aequinoctium ex Ptolomaicis astronomicisque fontibus in XXII. Martii transtulit. Vides levi voculae unius commutatione quanta impeditissimo huic loco lux oborta sit. Ut merito posterius hoc verissimum et ad Anatolii mentem aptissimum esse iudicem. Duae quippe paschatis διαστροφαὶ totidem ex aequinoctialibus terminis in usum ecclesiasticum irrepserant. Nam alii cum κρυπτῆς τροπικῆς ignari cardinem vernum ibi, ubi a Sosigene semel positus fuerat, retinerent, pascha ante XXV. Martii celebrandum minime putabant, quibus obviam itum est Caesariensis concilii decreto. Alii, ut Iudaei recentiores et qui Iudaeos sequebantur, cum haud dubie aequinoctium, vel ingressum solis in arietem aliquot ante diebus accidere putarent, pascha suum anticipabant. Utrosque in hisce canonibus refellit Anatolius. Priores quidem ea, quam diximus, aequinoctii epocha stabilita, posteriores vero, cum disputat primum mensem primo signiferi dodecatemorio definiri; supra quem postremum sit segmentum mensisque postremus, in quo paschalem XIV. sumere canonica sanctio prohibet; quia, ut hactenus probatum est, citimus terminus in aequinoctium incurrit. Et ut posterior cautio ad Iudaeos et Christianos Ἰουδαΐζοντας, quales occidentales et Latini fuerunt, proprie pertinet, ita prior adversus illa pugnat quae in Actis Caesariensis Synodi leguntur, quorum fragmentum apud Bedam reperitur post libellum de Aequinoctio. In quibus primum aequinoctium Martii XXV. constituitur, tum vero quoniam Christus eodem illo resurrexisse die, et ab XI. Kal. passus credebatur, ideo triduum ad paschales terminos arrogatur, ea lege praescripta, ut ab XI. Kal. Apr. ad XI. Kal. Maias paschalis celebritas obiri possit, *ne tantum passionis sacramentum extra limitem excludatur.* Sed ut de Synodalibus illis Actis dicam quod sentio, fuit istud quidem provinciale concilium Victoris papae iussu a Theophilo Caesariensi coactum, quo tempore controversia fida de paschate Christianum orbem vehementer exagitabat. Sed non omnia quae in Actis illis comprehenduntur pro fidei decretis habenda sunt, verum rationes privatim a patribus allatae sunt pleraeque, quibus sententiam suam illustrarent, quae non ipsae inter fidei dogmata censentur. Tum quod Eusebius lib. V. cap. XXII. narrat per idem tempus cum alibi passim, tum Romae a Victore de eadem quaestione synodalia decreta edita fuisse, quae in eandem de paschate celebrando conspirarent sententiam, non sic intelligendum est ut quae in Actis illis allegarentur omnia a pontifice Romano probata sint et pro catholicis dogmatibus recepta, sed ea duntaxat, quae ex falsis illis principiis utcunque deducta, vera solidaque reperta sunt. Cuiusmodi sanctiones illae fuerunt, ut neque in XIV. luna pascha fieret, nec alio quam dominico die; quod erat propositum. Reliqua, quae incidentia dici possunt, cum partim perspicue falsa, partim dubia et ecclesiasticis canonibus contraria sint, nullius autoritatis ne Caesarienses quidem ipsi patres esse voluerunt, neque Victor unquam approbavit. De qua re supra, cum de dominicae tempore passionis actum est, adversus quorumdam super-

p. 200.

stitiosam nimis credulitatem disseruimus. Nunc aliud, quod institutae disputationis magis proprium est, in iisdem Actis notabimus. Censent enim illa aequinoctium XXV. Martii fieri, quo haec pronunciabantur tempore, hoc est anno Christi CCXCVIII. Quod quam falso creditum sit, vel observationes ipsae Ptolemaei ac mathematicae tabulae demonstrant, ex quibus notum est aequinoctium tunc in XXII., imo etiam XXI. incidisse. Sed hoc non urgeo. Esto XXV. Martii dies aequinoctii. Iam quis absurdissimum esse et ecclesiasticae disciplinae repugnare non videt, quod illi sciscunt, pascha triduo ante aequinoctium indici? Vetus est canon, qui inter apostolicos refertur: Εἴ τις πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, τὴν ἁγίαν τοῦ πάσχα ἡμέραν πρὸ τῆς ἐαρινῆς ἰσημερίας μετὰ Ἰουδαίων ἐπιτελέσει, καθαιρείσθω. Quare deponendi patres omnes illi fuerunt, si vere pronunciarunt aequinoctium in XXV. Martii fieri.

Ac ne satis quidem accurate mihi paschalis terminus per illud tempus in XXI. Martii positus videtur. Etenim anno Christi CCC. ex Alphonsina methodo
p. 201. aequinoctium in noctis initium cadit, hoc est horam VII. a meridie XXI., ita ut spatium, per quod excurreret, fuerit XXII. Martii dies. Rectius igitur pascha citimum in XXIII. Martii haerere potuit, ubi et Anatolius aliique constituerunt; quos Nicaenum concilium postea secutum usurpandae vetustatis gratia non quidem citimum pascha, sed anni primi τῆς ἐννεακαιδεκαετηρίδος initium eodem in illo die XXIII. reliquit. Non male igitur hactenus operam posuimus, qui et nobilissimum Anatolii fragmentum idemque perobscurum diligenter exposuimus, et ab egregio sanctissimoque patre tam insignem calumniam atque iniuriam depulimus. Qua in quaestione controversiaque disceptanda longiores nos fuisse, neque nos ipsos, qui id necessario fecimus, poenitere convenit, neque lectori, cui consultum voluimus displicere.

Ἤ τις ἐμπίμτει διὰ ἐτῶν τριῶν.] Keplerus ἤ τινι legit.

Καὶ ἄλλας κατ' ἔτος τέσσαρας ὥρας.] Cuiusmodi XII constat τὸ νυχθήμερον. Nam hora apud Epiphanium duae sunt aequinoctiales horae.

Ὡς εἶναι εἰς τὰ τρία ἔτη.] Vide quae superius adnotavimus.

Διὸ παρ' αὐτοῖς πέντε μῆνες.] Caussativa ista particula aegre cum superioribus cohaeret. Forte idem est quod διότι vel ὅτι, nec inferendi vim habet, sed novam sententiam inchoat, qua XIV. annorum cyclus exponitur. Quod si illativam esse mavis, ad antecedentia pertinebit. Nam quia lunaris annus dies habet CCCLIV, fit ut tertio et sexto anno singuli menses, et in totum XIV annis quinque menses intercalentur, quod XI diebus solaris annus lunarem superet. Utcunque sit, XIV annorum cyclum indicare videtur, in quo quini menses inseruntur. Sed utrum in usu politico observatus ille cyclus fuerit, an penes synedrium retentus et ad methodum conformatus, cum plenorum cavorumque mensium perpetua successione communis annus evolveretur, antea dubitavimus.

Διὰ τὸ ἀφαιρεῖσθαι ἀπὸ τοῦ ἡλιακοῦ.] Cur XIV annorum orbe neomeniae conclusae sint, caussam ista reddunt, sed pro varia cycli dispositione diversa fingi potest. Nos duplici ratione cyclum explicari posse diximus. Prima est, ut annis lunaribus praecise trecenti et quinquaginta quatuor dies, horae octo tribuantur, XIV autem annis dies 5108, horae 4. Hoc temporis spatio cyclum constituebant, in quo solius lunaris ἀποκαστάσεως rationem habebant, nec illius ratiocinia cum sole comparabant. Quare de ultimo, hoc est XIV. anno solari, et quidem politico, qui est CCCLXV dierum, dies quinque et horam unam detrahebant; propterea quod si ex 5104. 4. Iulianos XIII eximas, decimus quartus dies habebit CCCLX, una hora minus; quo intervallo lunares neomenias restitui credebant. Sed haec τυχ-

νικῶς duntaxat, non politico usu; secundum quem, si minor hic cyclus usurpatus fuerit, horae illae IV. appèndices in finem cycli reiectae sunt. Itaque cum post cyclum lunarem XIV annorum, de solis rationibus quinque dies, horae octo reliquae forent, quinque dies duntaxat superesse sibi persuaserant; quibus reservatis post cyclos minores sextum mensem solidum intercalabant. Ita dies fiebant 30679. Quorum οἰκονομίαν typus ille antea propositus ostendit.

Altera ratio: si quinque dies solidi ex horis octo conflati XIV annis arrogentur. Quae omnia diligenter habes explicata superius. Ubi et ex utraque methodo Epiphanii verba correximus.

Τοῦ ὀγδοηκοστοῦ τετάρτου ἔτους.] Mensem illum embolimum XXXI. cum in fine LXXXIV. anni intercalari debuerit, in sequentis cycli primum annum conlici docet Epiphanius. Atqui tessaracaedecaēt. postremus annus proprio iam embolimo praeditus est. Duo igitur embolimaei sese proxime sequentur. Quod olim factum esse Hebraeorum doctores asserunt. Imo vero menses ipsi embolimi duo simul inculcabuntur, eruntque tria Adarim. Sed tertius anni LXXXV. initium erit; ne si Nisan pro Adar substituatur, epocha relicta neomenia in anteriora laxius evagetur. De duobus embolimaeis proxime consequentibus fatetur Keplerus; posterius, de tribus Adarim obiici potest. Sed utrumque ex laterculo et superiori disputatione commodissime dissolvitur. Nam aliud est tessaresdecaēteridas seorsim ac separatas intueri, aliud in maiore cyclo aptas invicem et consertas. Minores cycli singuli per sese V menses embolimos in III. VI. VIII. XI. XIV. annis postulant; sed in continua serie et in maiore cyclo non semper XIV. embolimaeus est. Unde neque duos Adarim exigit. Postremus vero ultimi cycli annus, qui est LXXXIV., Adar quidem alterum sibi vendicat; eo quod mensis ei XXXI. ex epactis cyclorum accrescit, proindeque VI embolimaeos habere debet, ut cum solari anno utcunque lunaris adaequetur. Verum autor est Epiphanius in LXXXV. annum mensem illum esse dilatum; qui cum revera sit Adar, Nisan a Iudaeis, ut opinor, est factus. Inde accedit, ut epocham anni sui anteverterint, et in eodem anno bis pascha celebraverint. Quod uberrime antea declaratum est. p. 202.

Οἵ τινες ὤφειλον εἶναι.] Mendum hic esse et quidem duplex superiora satis ostendunt. Primum τριάκοντα μῆνες legendum, non τριακονταεὶς μήν. Deinde falsum est supra XXX menses reliquos esse dies XXIV. horas VI. Alioqui ex tessaradecaēt. Iuliana dierum 5113. 12, relinqui tantummodo dies oporteret quatuor, horam unam, essetque lunaris tessaradecaēt. dierum 5109. 11., syzygiae singulae 29. 12. 49′. $35^{135}/_{173}$″. Aut si de XIV. Iulianis annis eximantur horae duae, ut sint dies 5113. 10., tessaradecaēt., lunares singulae dies habebunt 5109. 9., syzygiae 29. 12. 48′. $54^{10}/_{173}$″. Quod ego verum non arbitror. Corrigendus itaque Epiphanii aut librarii ipsius error, et vel εἴκοσι ὀκτὼ ἡμέραι, vel εἴκοσι ὀκτὼ καὶ ὥραι τρεῖς hoc loco scribendum. Vide quae antea diximus.

N. XXVII. Ἕνεκεν τοίνυν τούτου.] Non illud significat, quod arbitratur Keplerus et quod prima specie velle videtur, ex huius cycli pravitate biduo Iudaeorum pascha legitimum tempus antecessisse; quasi bidui tantum προήγησις a vera XIV. facta sit, Pharisaeos vero diei unius ὑπερβάσει constituta uno die duntaxat anticipasse, cum biduo solido Christus Nicaenam XIV. anteverterit. Nam eodem sensu hoc loco dixit Iudaeos προλαβεῖν ἡμέρας δύο, quo superiore numero, Ἔφαγον τὸ πάσχα πρὸ δύο ἡμερῶν τοῦ φαγεῖν. At illic bidui anticipatio nequaquam ad Nicaenam XIV., sed ad Iudaicam vitiosamque comparatur, quae cum in feriam V. Martii XIX. incideret, Christus cum Iudaeorum vulgo feria III. Martii XVII. pascha celebravit. Quare neque hoc loco δύο ἡμέρας προὔλαβεν Nicaenam XIV., sed ex

cyclo communi Iudaicam. Propterea sic Epiphanii mens interpretanda videtur: ἕνεκεν τούτου, hoc est cum depravata illa methodo ac cycli dispositione uterentur, secundum quam XIV. luna biduo coelestem, hoc est Nicaenam antevenirent, animad-
p. 203. versa labe Pharisaeos, quoad pleniluniun propius accederent, pascha in XV. lunam distulisse. Itaque dupliciter vitiosa paschatis celebritas fuit: primum apud eos, qui feria III. luna XII. Iudaica pascha comederunt, quod feria V. luna XIV. faciendum erat, tum apud Pharisaeos, qui ὑπερβάσει recepta XIV. cycli sui praetergressi sunt. Christus porro cum maiori populi parte feria tertia celebravit. Ita quidem Epiphanius, nec aliter interpretari licet, aut ab errore vindicare. Neque enim feria tertia, hoc est quarto ante passionem die, Christus paschate functus est, neque biduo in vinculis habitus; quod frustra credidit Epiphanius. Nam de σταυρώσεως tempore nobiscum sentit. Emendandus igitur est ad eum modum, quem supra demonstravimus pag. 172. [CLIII. sq.]

Ὑπέρβατον προθέντες.] Forte προσθέντες.

Καὶ ἐκεῖ τὸ πάσχα.] Quid hic audio? ἐκεῖ, id est in horto pascha manducasse? Minime id quidem. Sed vel ἐκεῖ ad superiora pertinet, vel traiectione peccat hic locus. Quod subiicit, οὐκ ἄλλως ποιήσας, Christum excusat, cur non legitimo tempore pascha peregerit, quod ad publicum et communem usum accommodare se maluerit.

N. XXVIII. Εὐθὺς πρῶτος Οὐαλεντῖνος.] Haec ex Irenaeo expressa sunt, qui lib. II. cap. XXXVIII. Valentinianos refutat, qui XXX Aeonum collegium hoc annorum Christi numero fulciebant. Quippe Christum asserebant anno aetatis XXX. passum esse, mense XII. Contra quos cap. XXXIX. demonstrat biennio et aliquot mensibus praedicasse. Posteaquam igitur de utroque anno, tam quo natus quam quo passus est dominus, accuratissime disputavimus, consentaneum est ut de paschatum quae post baptismum Christus obiit numero difficillimam quaestionem explicemus. Quam nos hunc ipsum in locum merito distulimus; quod cum superiori de passione Christi disputatione connexa atque implicata videretur.

QUOT SECUNDUM BAPTISMUM PASCHATA CHRISTUS OBIERIT.

Mitto veteres illos, non haereticos solum, ut Valentinianos, sed etiam patres, qui anno aetatis XXX. passum dominum memoriae prodiderunt, quique unum ei duntaxat praedicationis annum assignarunt, ut inter alios Tertull. lib. c. Iud. cap. VIII. Item Lactantius lib. IV. cap. X. Clem. Alex. lib. I. et VI. Strom. Africanus apud Hier. in Dan. cap. IX.

His, inquam, praetermissis, quorum opinio manifeste cum Ioannis ac caeterorum evangelio pugnat, tres sunt praecipuae de paschatum numero sententiae. Nam vel tria, vel quatuor, vel quinque statuuntur, quorum postremum illud est in quo, vel sub quod Christus in cruce suffixus est, quod proinde σταυρώσιμον dicitur. Ex iis secunda mediae vetustatis, tertia infimi saeculi, prima veterum propemodum omnium est. Ut igitur plura tribus paschata post baptismum elapsa
p. 204. credantur, evangeliorum testimonio ratum fieri videtur, imprimisque Ioannis, qui distinctius ea caeteris tribus nominatimque perscripsit. Apud quem primum pascha paulo post baptismum et miraculum in Cana factum cap. II. com. 13. recensetur. Secundum cap. V. com. 1. ubi festum diem a Iudaeis celebratum ait; quod de paschate Irenaeus accipit lib. II. cap. XXXIX. Tertium est cap. V. com. 4. post saturata quinque millia panibus quinque ac duobus piscibus. Quartum est illud in quo passus est. Ad hanc Ioannis historiam et intervalla temporum reliquorum narrationes, quae minus distinctam habent descriptionem temporum,

velut ad regulam accommodare nitentur. Nam primum quidem pascha solum Ioannem commemorasse putant; secundum quod Ioannes adhuc baptizasse legitur, Ioann. III, 23. Quo in vinculis conjecto praedicare Christus coepit, Matth. IV, 11. et Marci I, 14.; a quo tempore tres caeteri res a Christo gestas velut ab initio deducunt. Sequitur ergo pascha secundum, quod cum Ioann. V., tum Matth. XII., Marc. II., Luc. VI., tacite significatur, eo quod sabbato deuteroproto per sata transisse dicuntur apostoli et spicas vellicasse; quod tempus in ipsas azymorum ferias incurrit. Jam tertium praeter Ioannem cap. VI. etiam Matth. XIV., Marc. VI. Luc. IX. prodiderunt. Quippe miraculum illud multiplicatorum panum exponunt quod Ioannes sub ipsum pascha contigisse scribit. Hunc in modum vere vulgo paschata digerunt, qui harmonias evangelicas contexunt, nisi quid paulo ab aliis aliter explicatur, quod scrupulosius persecutari otiosum arbitror.

At Scaliger in lib. VI. de Emend. quinque reperiri paschata vehementius pugnat. Nam praeter primum Ioann. II. alterum illud esse statuit de quo Ioann. V. Cui tertium adiungit illud a quo per sata iter habuisse feruntur apostoli. Quartum est Ioann. VI. Quintum τὸ σταυρώσιμον. Additque singulorum characteres ac delineationes; cuius ἀφιβολεγίας vanitatem copiose ante redarguimus.

Veteres autem, uti dictum est, ad annum omnes, nisi qui trigesimo aetatis anno passum putant dominum, tria duntaxat paschata numerant. Imprimis Irenaeus loco citato. Tum Apollinaris Laod. apud Hieron. in cap. IX. Dan., Origenes lib. II. c. Cels. ubi Iudam non solidum triennium egisse cum Christo scribit, Eusebius in Chronico. Ubi post XV. Tiberii ac domini baptismum τριετῆ χρόνον τῆς διδασκαλίας διαγενέσθαι ex Ioannis evangelio confirmat. Quibus accedit Epiphanius.

Sed eorum aliqui haud satis firma ratione inducti videntur ut biennio praedicasse Christum asseverarent. Nimirum quod apud Esaiam cap. LXI. com. 2. legitur, ubi Christus missum se a patre profitetur, καλέσαι ἐνιαυτὸν κυρίου δεκτὸν, καὶ ἡμέραν ἀνταποδόσεως, suspicati sunt ἐνιαυτὸν illum δεκτὸν, *annum acceptabilem*, priorem e duobus esse; in quo contradicente nemine evangelium praedicarit. Ex quo ratiocinati sunt alterum ei respondere τὸν ἀντιλεγόμενον. Ita enim Epiphanius praesertim n. XXV. At longe tolerabilius meo quidem iudicio Clem. Alex. aliique, qui ex Esaiae verbis ac singularis anni mentione Christi praedicationem annuo spatio definierunt. Nam hoc pacto ἐνιαυτὸς δεκτὸς non Iudaeorum comparatione, sed ipsiusmet dei vocabitur; quo sensu Esaias שנת רצון ליהוה dixit. Quae recte D. Hieron. vertit, *annum acceptabilem domino*. Idemque in Comm. *annum acceptabilem et diem retributionis omne praedicationis eius, quo in carne versatus est, tempus* significare docuit. Quo et apostolus Paulus respexit, cum II. ad Cor. VI. dixit, *ecce nunc tempus acceptabile*. Haec Hieron. Quod et ante ipsum Iren. lib. II. cap. XXXVIII. docuerat, annum videlicet, quem propheta vocat acceptabilem, omne ab adventu Christi tempus ad consummationem usque significare. Nec aliud Esaias voluit. Quare quod ex eo PP. quidam argumentantur de uno vel altero praedicationis anno, quod non sine veniae praefatione dictum sit, ab Esaiae mente prorsus alienum videtur. Ac profecto si duo duntaxat ante postremum illud et σταυρώσιμον paschata transegerit Christus, fieri non potest ut priorem annum sine ullius offensione ac contradictione consumpserit. Multas enim et hostiles vexationes, insidias, contumelias in eum annum conlici necesse est, ut postea declarabitur. Quanquam ne commoda quidem ab illis paschatum ac temporum instituta distributio. Irenaeus primum pascha statuit illud cuius meminit Ioann. cap. II. com. 13. Secundum vero ex Ioann. V. com. 1. deducit,

p. 205.

ubi diem festum Iudaeorum nominat; quocum alterum capitis VI. com. 4. confundit, ante quod multiplicatorum panum prodigium accidit. His duobus subiicit τὸ σταυρώσιμον. Miror hunc Irenaei locum non satis expendisse, qui secundum pascha ex illius autoritate constituunt istud ipsum, de quo Ioann. cap. V. Ita ut tertium sit cuius Ioann. VI. mentio fit. Etenim si duo haec festa distincta esse credidisset Irenaeus, cum triplex duntaxat pascha praedicationi tribueret, nunquam prius illud festum Ioann. V. pascha esse dixisset. Sed largius peccat Epiphanius, qui num. XXV. primum pascha festum illud facit, in quo vociferatus est Christus, *si quis sitit veniat ad me et bibat.* Ioann. VII, 37. Alterum vero, de quo in eodem cap. dixit, *non ascendo ad diem festum istum.* In quo etiam cum Pharisaei comprehendere illum cuperent, metu repressi sunt, com. 44. Multa sunt a sanctissimis patribus nonnunquam parum vere attenteque scripta; quae quidem praestare velle, religiosi fortasse, sed parum prudentis esse arbitror, vehementius autem accusare, neque religiosi neque prudentis. Nos ea, qua par est, moderatione in divinorum hominum, sed hominum, errores ac lapsus non tam inquirimus, quam oblatos ultro ac vel invitis occurrentes, ne cui fraudi sint, patefacimus, tueri autem ac defendere nihilo magis quam eorum vitia, si quae fuerint, imitari debemus. Eiusmodi sunt in hoc scriptore nostro fortasse nimium multa. Sed inter ea nihil minus dissimulandum est quam illa paschatum distinctio. Primum enim duo illa, quae cap. VII. a Christo pronunciata dicuntur, ad idem festum attinent. Deinde non illud pascha fuisse, sed scenopegiae festum docet com. 2. Tertio praepostere haec Epiphanius accepit. Nam quae primo loco dicta memorat, exeunte festo, quae posteriora ponit, ante festum usurpata leguntur. Omitto caetera; nec enim falsitatem illam accuratius libet persequi.

Quocirca nobis alia duorum paschatum ordinandorum ineunda ratio est. Sed prius caput ipsum quaestionis intuendum, unde quarti paschatis firmamentum petitur. Cum, ut ante diximus, Ioannes exactius caeteris tribus paschata distinxerit ex eius potissimum autoritate digerenda sunt tempora. Quare si is cap. V. festi nomine pascha significarit, de IV ut minimum paschatibus confecta res
p. 206. erit; siquidem cum paschate cap. VI. com. 3. minime confundatur. Ad haec quoniam prodigium illud, quo V hominum millia panibus V et duobus piscibus saturavit, idem omnino est, quod et Matth. cap. XIV. et Marc. VI. et Lucae IX. describitur, necesse est pascha illud, ante quod miraculum, Ioanne teste, contigit, diversum ab eo esse quod tacite a tribus illis evangelistis exprimitur, cum scilicet Christus per sata cum discipulis ambulavit; quod utique post pascha factum est, hoc est sabbato deuteroproto. Igitur si iter illud per segetes susceptum post aliud pascha, quam quod a baptismo proximum est, incidit, procul dubio plura tribus paschata constituenda sunt. Sin conciliari ista possunt, ut neque festus ille dies Ioann. V. pascha sit, et sabbatum deuteroproton, de quo Lucas cap. VI., statim post primum pascha successerit, nihil omnino de IV paschatum intervallo confici potest. Nam quod ad festum diem V. Ioann. cap. spectat, multi et gravissimi patres negant de paschate locutum Ioannem, sed alii pentecosten, alii aliud festum intelligunt. Quod autem Irenaei testimonium affertur, iam a nobis contra illius autoritatem praescriptum est, quod is nullum aliud pascha secundum agnoverit quam quod VI. capite commemoratur; quocum festum illum diem Ioann. V. confuderit. Quare hoc ipsum illis pascha, quod Ioann. V. legitur, facile remiserim, dum ex Irenaei sententia nequaquam a posteriore discernant; neque plura quam illa paschata Christo tribuant. Atenim tria tantum erant festa quibus sistere se Hierosolymis oportuit, pascha, pentecoste et scenopegia. Cum ergo unum ex

illis tribus festum illud extiterit, cuius caussa Christus ascendit, neque posteriora duo locum istic habeant, necesse est de primo, hoc est paschate, Ioannem locutum. Quod enim neque pentecoste, neque scenopegia fuerit, argumento est, quod superiori capite Christus dixerat com. 35. quatuor menses ad messem reliquos fuisse. At haec meo iudicio levissima sunt. Nam ut omittam quod Maldonatus existimat, proverbium quoddam inter Iudaeos eiusmodi versatum, adhuc menses IV ad messem supersunt; cum nihil quod urgeret esse significare vellent, cur fateri cogimur unum illud festum e tribus fuisse maioribus? Nonne et ad encaenia venisse Christum testantur evangelia et reliquos ab eodem verisimile est dies esse celebratos? Quare nisi ad pentecosten cum Chrysostomo, Cyrillo atque ex recentioribus Maldonato aliisque pertinere velimus, at Phurim, sive Sortium festum, quod Adar 15. celebratum est, nihil vetat intelligi. De quo erudite Keplerus in Eclogis. Iam sabbatum illud deuteroproton post primum a baptismo pascha collocari potest, ut et Keplerus ibidem et nos ipsi subinde monstrabimus. Unum superest quod ex Kemnitio proponit dissolvitque Keplerus. Etenim Christus praedicationem exorsus est postquam Ioannes in carcerem est missus, Matth. IV, 12., Marc. I, 14. Coniectus autem est in vincula Ioannes post pascha primum. Nam eo celebrato Ioannes baptizare pergit, Ioann. III, 23. Quare sabbatum Lucae deuteroproton et ille per segetes incessus non potest primo paschati subiici; quia iamdudum, cum haec agerentur, praedicare Christus coeperat. Ex quo sequitur IV saltem elici paschata, ut paulo ante disputavimus.

Verum non ante Ioannis carcerem praedicandi munus attigisse Christum, ac tanto tempore otiosum ac desidem fuisse, perabsurdum videtur. Et si verum p. 207.
fateri volumus Nicodemi illa cum Christo congressio eiusque verba ista: *Scimus quia a deo venisti magister; nemo enim potest haec signa facere quae tu facis, nisi fuerit deus cum eo,* tum quae superiori capite narrantur de multis in ipsum credentibus, praedicasse iam Christum et ad populum fecisse verba demonstrant. Adde his omnia quae ante vinctum Ioannem a Christo dicta factaque caeteri tres aliquot capitibus complexi sunt. Quin et Petrus Act. I. a baptismo Christum coepisse testatur. Idem Euseb. lib. I. cap. X. et hoc loco docet Epiphanius. Irenaeus enim XXX. anno baptizatum putat, et post aliquot annos cum iam idoneam ad docendum aetatem esset adeptus, triennem praedicationem inchoasse. Nam quod ad Epiphan. attinet, supra num. XXIV. postridie eius diei quo baptizatus est praedicationem illam occoepisse dicit quae ad ἐνιαυτὸν δίχτὸν refertur. Quid igitur evangelistis illis faciemus, qui coniecto demum in carcerem Ioanne Christum narrant praedicare coepisse? Keplero visum est traiectione versiculi unius negotium posse confici. Nam si Matth. IV. vers. 12., *cum autem audisset Iesus quod Ioannes traditus esset, secessit in Galilaeam*, item Marc. I. si comma 14. alio traiicias, narrationis ordinem aptissime contexes. Mihi vero haec unius versiculi traiectio violenta sane videtur. Nihil enim clarius est quam quae subiiciuntur cum illis ipsis versiculis esse connexa. Satius est igitur commoda aliqua interpretatione loci illius difficultati consulere. Hoc vero perfacile est. Nam Matthaeus et Marcus nequaquam illud docent, Christum tunc solum, cum Ioannes in vincula missus est, praedicare in populum, hoc est publice verba facere coepisse; quod ex illis ipsis evangelistis falsum esse monstratur. Sed hic sensus est, post captum Ioannem novum velut initium praedicandi fecisse, ac cum accuratius in illud negotium incubuisse, tum vero speciatim illud inculcasse, *poenitentiam agite, appropinquat enim regnum coelorum.* Cuiusmodi cohortationem vel nondum antea, vel minus crebro ac vehementer usurparat, quod eam sibi Ioannes praedicandae

poenitentiae provinciam velut propriam ac peculiarem sumpsisset. Nihil, opinor, hac nostra coniectura fingi probabilius potest. Nunc ut Epiphanii veterumque de tribus paschatibus opinio magis illustretur, brevem evangelicae narrationis seriem ad illorum intervalla dirigam.

EVANGELISTARUM NARRATIO AD EPIPHANII SENTENTIAM DE TRIBUS PASCHATIBUS ACCOMMODATUR.

Post baptismum et XL dierum ieiunium ea contigerunt quae Ioann. I. capite narrantur de apostolorum vocatione. Inde nuptiae in Cana Galilaeae Ioann. II. usque ad comma 13. quando Capharnaum cum suis profectus est. Ubi cum paucis diebus haesisset Galilaeam obiit, ibique praedicavit evangelium Luc. IV. com. 14. Nazarethum petiit, ubi propemodum a civibus occisus est. Post haec apostolos denuo vocavit Marc. I, 16. Iterumque conscensa navi Petrum ac caeteros ad sese pertraxit. Tum Capharnaum venit Marc. I, 21. Luc. IV, 31. Ubi in synagoga daemoniacum curat. Inde Petri socrum ac leprosum. Sequitur Matthaei vocatio Matth. IX., Marc. II., Luc. V. Sub haec accedentes Ioannis discipuli cum Pharisaeis expostulant cum eo quod ipsius discipuli minime ieiunarent. Inde primum pascha post baptismum Ioann. II. Necesse est enim multis antea miraculis editis ac praedicatione coepta claruisse dominum, ut ex Nicodemi oratione colligitur. Per eosdem paschatis dies Christus negotiatores a templo summovit. Postea vero per sata transiit Matth. XII., Marc. II, 23., Luc. VI, 1. Sequuntur gesta Matth. XII. ad 21. comma. Et Marc. III. usque ad 13. com., Luc. VI. ad 12. comma. Apostoli deinceps eliguntur Marc. III. a comma 13. ad 19., Luc. VI. a 12. ad 16., Matth. X. toto capite. Postea partim in monte, partim in loco campestri varios sermones instituit; quos magna ex parte Matthaeus anticipavit cap. VI. et Luc. VI. Centurionis deinde servum a morbo liberat Luc. VII. a 1. comma ad 10., Matth. VIII. a 5. ad 10. Tum viduae filium ad oppidum Naim Luc. VII. a comma 12. ad 18. Inter haec Ioannes iam in carcerem missus discipulos ad Christum allegat Luc. VII. a comma 18. ad 35., Matth. XI. Sequitur peccatricis mulieris officium Christo praestitum Luc. VII. comma 37. Inde domum venit Marc. III, 20. Daemonium mutum eiicit. Luc. XI, 14., Matth. XII, 22. Ideo Pharisaei in Beelzebub haec illum facere criminantur. Venit mater cum fratribus Marc. III, 31., Matth. XII, 46. Tum egrediens domo ad mare pervenit. Ubi parabolam sementis et alia quaedam edisserit. Marc. IV., Matth. XIII., ac forte etiam quae Luc. XI, 33. leguntur. Interim nonnulli ad Christum accedunt ac sequi se velle profitentur Matth. VIII, 18. Post in altum evectus procellam sedat Marc. IV. Traiecto freto in Gerasenorum agro daemoniacum liberat. Matth. VIII. Marc. V. Rediens archisynagogi filiam curat. Tum sanguinis profluvio laborantem Matth. IX., Marc. V., Luc. VIII. Egressus inde in patriam abiit Marc. VI., Matth. XIII. Apostolos binos cum amplissima potestate mittit. Marc. VI., Luc. IX. Interim Herodes cum multa de Christi prodigiis accepisset, Ioannem a mortuis excitatum putat, et illum videri gestit, at is sese subducit. Quare sub haec tempora Ioannem interfectum esse credibile est. Ad eandem Christi fugam refero caput IV. Ioannis; cum relicta Iudaea in Galilaeam secessit, quo in itinere cum Samaritana muliere collocutus est. Quare hiatus ingens est historiae inter cap. III. et IV. Ioann., quod prioris anni res gestas evangelistae reliqui accuratissime scripsissent. Caput vero VI. cum IV. connexum est. Nam post illa omnia ad festum quoddam Christus accessit, quod a paschate haud longe aberat, nimirum Phurim, aut aliud quodpiam. Sequitur

p. 203.

miraculum ingens, cum quinque millia hominum panibus quinque et piscibus duobus saturavit, Ioann. VI., Matth. XIV., Marc. VI., Luc. IX.; quando veritus, ne rex a plebe fieret, secessit in montem et inde in Capharnaum transmisit, quo etiam tempore super aquas ambulavit. Sub idem tempus habita est ad populum illa disputatio, quae Ioann. VI. describitur. Inde in terram Genezareth profectus.

Sequitur pascha secundum Ioann. VI, 4. Hinc illa cum Pharisaeis altercatio Matth. XV., Marc. VI. Post in Tyriorum Sidoniorumque fines profectus Chana- p. 209.
naeae filiam curat, nec non et daemoniacum mutum ac surdum ad mare Galilaeae, quando Pharisaei calumniantes in Beelzebub fieri ista dixerunt. Quod quidem bis omnino contigit: primum Matth. IX., Marc. III., deinde Matth. XII. et Marc. VII., Luc. XI. Subiiciendum his omnibus est aliud prodigium, cum quatuor hominum millia septem panibus satiavit Matth. XV., Marc. VIII. Inde in partes Dalmanutha proficiscitur Marc. VIII., ubi Pharisaei signum quaerunt, Matth. XVI., Luc. XI., quod et ante petierant, Matth. XII. Invitatur a Pharisaeo, et in pluribus disserit Luc. XI., Matth. XXIII. Abit trans fretum Marc. VIII., 13. Luc. XII., Matth. XVI. De cavendo Pharisaeorum fermento praecipit, Bethsaidae caecum curat Marc. VIII, 22. Petrus confessionem edit Marc. VIII, 27. Matth. XVI, Luc. IX, 18. Post dies VIII vel VI. transfiguratur Matth. XVII, Marc. IX, Luc. IX. Postridie lunaticum sanat. Orta inter Apostolos de principatu contentio Marc. IX, 32. Luc. IX. Ad scenopegiae festum e Galilaea profectus Hierosolymam Ioann. VII. Unde iterum reversus in Galilaeam cum complerentur dies assumptionis eius Hierosolymam rediit Luc. IX, 51., Marc. X, 32., quo in itinere a Samaritanis urbis aditu prohibetur. Pharisaei cum eo de uxore dimittenda disputant Matth. XIX. Marc. X. parvulis benedicit. Designat LXX. discipulos Luc. X. In encaeniis tantum non lapidatur Ioann. X, 22. Tum Zebedaei filiorum postulatio, cum ante de passione disseruisset Matth. XX., Marc. X., Luc. XVIII. Caecus ad Hierichuntem sanatur. Inde a Zacchaeo publicano domo et convivio excipitur Luc. XIX. Ad Mariae et Marthae hospitium divertit. Caetera ad passionem domini gesta ex evangeliis, ac potissimum Ioannis aperta sunt, hoc est ad tertium, sive σταυρώσιμον pascha.

Ad hunc modum ordinari evangelica narratio potest; aut ut alia singularum rerum dispositio sit ac descriptio. Neque enim accurate modo in ordinem ipsum inquirimus. Apparet tamen commodissime res a Christo gestas triplici paschate concludi. Primum accidit anno Iuliano LXXIV., Tiberii XV., neomenia Nisan ex Iudaico cyclo vitioso Martii XXX., feria IV., cyclo lunae XI., solis X. Prima dies azymorum Aprilis XIII. Secundum pascha Iuliano LXXV., Tiberii XVI., neomenia Nisan, Martii XIX., feria I., prima dies azymorum Apr. II. Tertium pascha anno Iuliano LXXVI., Nisan Martii IX., feria VI., prima dies azymorum Martii XXIII., feria VI., anno Tiberii exeunte XVII. secundum Romanos, vel Iudaice XVIII. a Nisan inchoato.

N. XXIX. Εὑρίσκομεν γὰρ καὶ ἐμφερόμενόν που.] Quibus in libris reperisse dicat, non satis declarat. An de hoc suo opere loquitur Epiphanius, in quo librariorum oscitantiam accuset? Verum ex iis quae sequuntur videtur καθόλου chronologicos, sive historicos commentarios intelligere. In quibus si XL. Augusti anno natum salvatorem esse proditum fuit, non adeo recens est illa Dekerii assertio quae eum ipsum annum tuetur.

Φάσκει γὰρ ὅτι πρὸ δέκα δύο.] Mendosus procul dubio iste locus est. Neque enim, opinor, asserebant illi apud quos quadragesimo Augusti anno natum salvatorem reperit, natalem eius XII. Kal. Iunias, vel Iulias, accidisse, sed ut se- p. 210.
quentia demonstrant, de conceptionis die locuti sunt. Quare restituendum verbum

est συνελήφθη, quod culpa librariorum effugit. Utinam caetera tam facile extricare possem! quae sunt impeditissima. Imprimis enim par illud coss. Σουλπικίου Καμμαρίνου et Βηττέω Πομπηϊανοῦ ὑπάτων nullis in Fastis reperio (quos fuisse suffectos oportet per illa tempora). Cum igitur autores illi, quos citat Epiphanius, natum dixerint Christum anno Augusti XL., conceptum vero Iunio vel Iulio mense, ac VII duntaxat menses in utero gestatum, si natalis eundem cum Aegyptiis et Epiphanio diem statuerint, convenient hi coss. in annum Augusti XXXIX. Sed Augusti Imper. annorum diversa sunt initia, de quibus copiose dictum est. Nam aut ab ipsa Iulii Caesaris nece, Iuliano II. numerantur, aut a sequente, Iul. III. Unde XL. Augusti Iulianus est vel XLI. vel XLII.; in quorum alterutrum natalem Christi scriptores illi coniecerant; conceptum autem asserebant Iul. XL. vel XLI., quorum aliquis suffectos illos coss. habuit. Verum quoniam Augusti annos ab Epiphanio μετὰ πρόληψιν numerari docuimus a Kal. Ian., ut annus illius XLII. sit Iulianus ille, cuius ab Augusto mense XLII. Augusti inierit, unde ex eiusdem sensu XLII. Augusti coss. sibi vendicat Aug. XIII. et Silvanum, hac ratione XL. Augusti cadit in consulatum C. Calvisii et L. Passieni, XXXIX. vero Aug. XII. et L. Sullam coss. habet, quibus suffecti sunt Sulpicius Camerinus et Pompeianus ille Buteo; de quibus circa hos annos nulla in Fastis mentio. Sed anno demum Iuliano LIV. Q. Sulpicius Camerinus et Poppaeus Sabinus coss. adscribuntur. De Βηττέῳ Πομπηϊανῷ nihil reperio. Quod nomen mendose in dandi casu scriptum est. Corrig. itaque Βηττέω Πομπηϊανοῦ, quod orationis series postulat. Alioqui non sum nescius, quin Latino more coss. nomina per dativum interdum expressa legantur. Ut in Vet. Inscript. Alexand. Chronicon pag. 497. anno Augusti XL. natum esse Christum memorat, monarchiae XXVIII. Sed mendosum esse locum necesse est. Quia pag. 453. annos Augusto tribuit LVI, menses VI, ex quibus XIV post Christi natalem vixit. Unde XLII. agere debuit quo tempore natus est Christus. Caeterum Cornarius pro Βηττέω Πομπηϊανοῦ *Cn. Pompeiano* reddidit. Nos Buteonem utcunque maluimus, quod Fabiorum cognomen fuit.

Εὑρήκαμεν γὰρ ἀπὸ τούτου τοῦ Προπόσωνος.] Foedissimum hic mendum est, de quo capillum non promittam, neque occipiam hariolarier. Quanquam ex consequentibus quid scribendum fuerit elici potest. Etenim ab eo die, quem isti natali praefixerant, ad a. d. VIII. Eid. Ian. menses ait interesse VII lunares, minus diebus IV. Atqui VI lunares menses dies colligunt 177, quibus additi 26 efficiunt dies 203, qui de 371 detracti relinquunt dies 168. Itaque 169. die a Kal. Ian., hoc est XIV. Kal. Iulias, conceptum esse Christum, et 203. postea die, sive VI. Ian. natum asseverarunt illi de quibus Epiphanius loquitur. Adeoque sic concipiendus hic locus fuit: ἀπὸ τῶν πρὸ δέκα δύο Καλανδῶν Ἰουλίων. Vel quia dies est Epiphi XXIV. ἀπὸ τῆς τοῦ Ἐπιφὶ κδ'. At Cornarius πρὸ Πίσωνος legisse videtur. Quod non est improbandum. Ut ita fortassis interpretandum sit: ab anno consulatus Aug. XIII. et Plautii, atque a XIV. Kal. Iul. eius anni ad XI. Tybi, quo Lentulus et Piso coss. fuerunt, VII lunares menses intercessisse.

p. 211. Τινὲς δέ φασιν ὡς δέκα μῆνας.] Si natalem domini XI. Tybi, sive Ian. VI. constituerint opinionis illius vindices, conceptum eius ipsis Kalend. Aprilis posuerint oportet. A quo die ad VI. Ian. menses numerantur IX, dies XV, qui sunt dies in totum 281. Quod si ex communi sententia in XXV. Dec. natalem contulerint, conceptus Christi cadit in Martii XX. Epiphanius vero pro comperto habuit Christum natum esse VI. Ian., quae fuit Aegyptiorum opinio. Quamquam utrum ea die *sit* natus dubitasse videntur; ut Cassianus X. Coll. cap. II. significat. Clemens Alexandrinus I. Strom. varias ea de re sententias refert. Ut eorum, qui XXV. Pachon

natum dicerent, hoc est Maii xx., Basilidianorum, qui xv. Tybi, sive Ian. x., aliorum denique qui, ut Epiphanius, xi. Tybi. Ipse vero Clemens a natali domini ad obitum Commodi annos numerat cxciv, mensem i, dies xiii. Quod si verum esset, natalis Christi conveniret Athyr xxii., qui est Nov. xviii. Commodus enim obiit anno aerae Dionysianae cxcii. prid. Kal. Ian. Natus igitur erit Christus Iuliano xliii. Nov. xviii. Sed vetus et ab omni ecclesia recepta traditio est, Christum Dec. xxv. natum esse, quam nemo prudens temere sollicitaverit. Quare ridicula et explodenda est Scaligeri divinatio, qui in append. operis de Emend. Temp. et Isag. Can. iii. ex ephemeriarum et sacerdotalium functionum orbe natalem Christi coniiciendum asserit in Sept. exeuntem. Quod merum somnium est neque ulla demonstratione aut certo aliquo firmamento nititur. Primum quia nondum satis exploratum est quae fuerit apud Iudaeos anni ac mensium dispositio. Deinde nec illud certum est, utrum Iudas Maccabaeus cum sacrificia et sacerdotum functiones instauraret, ἄνωθεν καὶ ἀπαρχῆς ephemeriarum orbem repetierit, an post interruptum ἐνδελεχισμὸν ἐφημερίαν illam substituerit, quae priori, sub qua templum ab Antiocho violatum est, successura fuerat. Ad haec Maccab. i. cap. iv. com. 42. sacerdotum delectum habuisse dicitur, eorum scilicet qui integri immaculatique forent, quales nondum fortassis erant primae vicis sacerdotes. Postremo baptizatum esse Christum Iuliano xxiv., vel aetatis absoluto xxx., sumptum a Scaligero, non demonstratum est, ut suo loco probavimus. Quod si quod in illo vicium, et ephemeriarum circuitu momenti ad eruendum Christi annum esse videtur, potest quilibet nonnullis eodem, quo Scaliger, iure usurpatis ac positis, quocunque libuerit orbem illum ac circuitum deducere. Nam et Keplerus ex eadem illa serie natalem domini xxv. die Decembris retinuit.

Sed ut ad illam revertar, quam Epiphanius adduxit, nonnullorum rationem, qui ex x. mense dies aliquot libasse Christum in utero matris existimarunt, quod Sap. vii, 2. scriptum sit, *decem mensibus concretus in sanguine*, eodem argumento catholicus Armeniae usus est in epistola quam citat Scalig. in Isag. Can. pag. 301.

Καὶ περὶ αὐτὴν τὴν ἑνδεκάτην.] Quoniam natum esse Christum vi. Ian. arbitratus est, baptizatum vero viii. Nov., facile fuit Epiphanio primum illud mutatae aquae miraculum eodem, quo natus erat, die factum asserere. Verum cum veteri ecclesiae consensione, non Ian. vi., sed Decembr. xxv. Christi natalis attributus sit, baptismus vero Ian. vi., fieri non potest, ut aut eodem quo natus est, p. 212.
aut etiam quo baptizatus est, die aquam in vinum verterit. Alioqui perabsurdum est anno demum post baptismum elapso, cum iam, ut ante docuimus, praedicationem orsus esset, primum ab eo miraculum editum velle. Hoc enim evangelicae historiae manifeste repugnat; multo vero magis, si tria duntaxat paschata cum veteribus assignemus. Quamobrem alio die quam vi. Ian. miraculum istud accidit, tametsi eodem quo baptismus die ab ecclesia celebretur. De quo vide Perrerium lib. xi. Comm. in Dan. et Baron. in Ann.

N. xxx. Διὸ καὶ ἐν πολλοῖς τόποις.] Quod horum fontium historiam et Epiphanii fidem in dubium revocavit Calvinista quidam nuperus in Casauboni Defensione, facit impudentissime. Sed hunc Epiphanii locum pluribus illustravit Heribertus Rosweydus noster in Talione contra Casaubonum, a quo iniuria notatus erat illustrissimus Annalium conditor.

Κανᾶ γὰρ ἑρμηνεύεται.] Vocabuli huius originem a verbo קָנָה deducit, quod possidere significat.

N. xxxi. Φάσκει πάλιν ὁ Λουκᾶς.] Quomodo cum caeteris evangelistis Ioannes

consentiat, ex eo deducit quod pascha primum, Ioann. II. diserte nominatum ab aliis expressum sit, cum sabbati deuteroproti mentionem faciunt. Hoc enim post primam azymorum incidit. Historiam vulsarum spicarum ad primum pascha merito refert Epiphanius, ex fine num. huius intelligere potes, quod est harmoniae supra a nobis propositae consentaneum. Iam vero ex hac caeterorum suffragatione Alogorum, Valentinianorum ac caeterorum mendacium convincit, qui unicum duntaxat Christo pascha tribuerint. Cum enim eum post primum pascha vixisse et per sata transiisse constet, falsum est uno paschate res ab eo gestas circumscribi debere.

Ἵνα δείξῃ σάββατον πρῶτον.] De sabbato deuteroproto vide quae ad haer. XXX. num. XXXII. disputavimus. Nam illo loco priorem Epiphanii sententiam, et quidem probabiliorem, exposuimus. Quae autem hoc in numero traditur, obscurior est et a vera vocabuli illius origine ac notione remotior. Duplex apud Iudaeos sabbati genus constituit. Unum antiquius et naturale, quod ab rerum initio conditum est, alterum secundum et posterioris ordinis, quia Iudaei festa omnia sabbata vocabant; quod e Scriptura demonstrat. Mox vero subiicit: εἰς ὃ ἑπτὰ ἡμέρας πάλιν ἀνακυκλούμενον δεύτερον καλεῖται πρῶτον. Ex quibus, ut et ex sequentibus illa Epiphanii sententia posterior elicitur, sabbatum deuteroproton esse pentecosten, in qua δεύτερον illud sabbatum πρῶτον appelletur. Cur autem δευτερόπρωτον dicitur, nihil apertum ac liquidum ex Epiphanii verbis extricare possum, sed illa Maldonati opinioni huic aptissima videtur, quoniam ex primariis tribus festis, sive sabbatis, azymorum, primitivorum et scenopegiae, proximum a priore et δεύτερον sit pentecostes solenne, ideo δευτερόπρωτον appellari. Haec igitur altera est Epiphanii sententia ac vocis illius interpretatio, a superiore longe diversa et, si verum fateri volumus, minus quam illa probabilis.

Τοιαύτη ἁγία τοῦ προσαββάτου.] Prosabbatum nihil aliūd est quam parasceve; quod ad hunc locum pertinet nihil. Non enim azymorum VII. in parasceven ne-
p. 213. cessario convenit, quam subinde in I., aut II., aut III. feriam cadere posse declarat. Aut igitur expungenda ista vox est, aut προσάββατον pro VI hebdomadae diebus usurpavit, quas חול, hoc est profanas, nominant, quaeque sabbatum antecedunt.

Διὰ τὸ μὴ εἰς πλάτος.] Scribe διὰ δὲ τὸ μὴ εἰς πλάτος φέρειν τὸν λόγον, ἐπὶ τὴν ἀκολουθίαν.

N. XXXIII. Εἶτά τινες ἐξ αὐτῶν πάλιν.] Obiiciebant haeretici mendacem fuisse Ioannem, qui ad eam ecclesiam edita sibi a domino mandata scriberet, quae nulla tum esset. Respondet Epiphanius hoc ipso constare propheticum hunc esse librum, cum ad ecclesiam scripserit, quam olim futuram cognosceret, tametsi quibus scribebat temporibus nondum extaret ulla. Sed haec Epiphanii responsio nisi ἀντιλεκτικῶς et ad hominem, et vulgo loquuntur, accipiamus, haud satis probabilis videtur. Ac longe melius est negare Ioannis tempore nullam Thyatiris ecclesiam extitisse; quod impudenter haeretici mentiti sunt.

Νῦν δὲ διὰ τὸν κύριον ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ.] Duae illae quae sequuntur notae temporum vel librariorum vitio, vel autoris ipsius hallucinatione, depravatae sunt. Hieron. in Script. Eccles. Ioannem asserit Apocalypsin scripsisse Domitiani XIV., qui iniit Iuliano CXXXIX., Christi XCIV., Nonio Asprenate et Arricino coss. Quare vel hoc ipso anno, vel sequenti saltem, Ioannes Apocalypsin scripsit. A quo tempore ad annum Christi CCCLXXV., quo Epiphanius hoc opus elaborabat, anni sunt CCLXXXI., non CXII., ut habent Epiphanii verba. Deinde falsum est, quo tempore scripta est Apocalypsis, Thyatiris Cataphrygas haereticos

fuisse, qui nondum emerserant. Nam ut eos quam antiquissimos faciamus, non ante tempus Antonini esse potuerunt, cuius anno XIX. Montanus prodiit, ut haeresi XLVIII. scripsit Epiphanius; qui annus congruit Christi CLVI. Atqui nos ibidem Epiphanium aberrasse docuimus, nec ante Aurelii tempus exortos Cataphrygas, eiusque anno XI. ut scribit Eusebius. Quare longe infra illud tempus amandandi sunt.

Ὅς ἦν χρόνος μετὰ τὴν τοῦ σωτῆρος ἀνάληψιν.] Aliud agens Epiphanius haec scripsit. Non enim post ἀνάληψιν, hoc est ascensum domini, sed post eius γέννησιν et natalem XCIII. elapsis annis Apocalypsin Ioannes attigit. Verum perplexe admodum loquitur Epiphanius, et cum antea fateri visus sit, Ioannis tempore nullum Thyatiris vestigium ecclesiae superfuisse, mox idipsum post apostolorum ac Ioannis aetatem contigisse dicit: διὸ καὶ ἐσπούδασε τὸ ἅγιον πνεῦμα ἀποκαλύψαι ἡμῖν, πῶς ἔμελλε πλανᾶσθαι ἡ ἐκκλησία μετὰ τὸν χρόνον τῶν ἀποστόλων, τοῦ τε Ἰωάννου καὶ τῶν καθεξῆς; quod tempus annis XCIII μετὰ τὴν τοῦ σωτῆρος ἀνάληψιν definit. Si Cataphrygum haeresis anno Christi CLVI., hoc est Antonini XIX., initium habuit, ut censet Epiphanius, Christus autem passus est et in coelum subvectus anno XXXIV., vel XXXIII., additis CIII fiunt anni circiter CXXVI, quibus elapsis Thyatirorum ecclesiam intercidisse putat; quod ne ipsum quidem tempus ad Cataphrygum originem convenit. Quare nisi librariorum culpa vitium in numerorum notas incurrerit, Epiphanium errare necesse est.

Κατ' ἐκείνου καιροῦ.] Scribe κατ' ἐκεῖνο.

Ἐν χρόνοις Κλαυδίου.] Perperam, ut supra monuimus. Nam sub Domitiano relegatus est. p. 214.

N. XXXIV. Οἵ τινές εἰσιν Ἀσσύριοι.] Persae ad Euphratem minime siti sunt. Sed κλατωκῶς pro Persarum imperio Persas usurpavit. Quatuor monarchiae, quae Dan. VII. capite describuntur, neque recte ab Epiphanio numeratae sunt, et ad Apocal. locum illum nihil omnino faciunt. Nam haec Ioannis visa ad extrema mundi tempora referuntur, quibus IV, hoc est universi daemones, vel eorum praecipui, qui hactenus alligati fuerant, soluti vinculis in humani generis perniciem grassabuntur. Haec simplicissima loci huius expositio quatuor illas veteres monarchias excludit, quae ne ipsae quidem ab Epiphanio ex historiae veritate proponuntur. Nam ut omittam Assyriorum imperii, quod iampridem intercíderat, mentionem apud Danielem fieri nullam, certe proximi ab Assyriis Medi sunt, inde Babylonii. Quanquam Assyrios, nisi fallor, non veteres illos intelligit quorum ultimus Sardanapalus ab Arbace imperio exutus est, sed posteriores, qui extincto vetere illo amplissimoque regno ex eius ruinis excitati sunt, ut et Babyloniorum imperium. Sed utroque videntur antiquiora Medorum initia, si quid Diodoro ac caeteris omnibus historicis creditur. Qua de re ita paucis accipe. Cum ex omnium ferme scriptorum autoritate constet ante Cyrum et Persas maxima duo imperia floruisse, Assyriorum a Nino et Medorum, Cyrum autem Olymp. LV. anno primo, sive ineunte, sive potius labente, coepisse, demus, id quod alibi demonstrabitur, exeunte anno primo Olymp. LV. Cyrum Astyagen vicisse, annus hic erit in Iuliana periodo 4155., ante Dionysianam aeram 560. Ante hunc igitur annum Assyriorum Medorumque tempora collocanda sunt; quae ob vetustatem scriptorumque dissensionem parum certa sic ordinanda putamus. Medorum imperium Ctesia et Diodoro testibus CCC ferme ac XVII annos obtinuit. Coepit igitur anno per. Iul. 3838. Assyriorum regno mille ac trecentos circiter a Belo tribuimus, praeeunte in Chronicis Eusebio. Quamobrem initium Beli convenit anno per. Iulianae 2539. Ex iis consequens est Medorum primordia

centum annis Olympiadas antecessisse, quarum initium annus est in per. Iulian. 3938. Constituto Medorum imperio duo quaedam alia paulatim efflorucrunt, Assyriorum ac Babyloniorum, quae Assyrii illius maximi ac diuturni velut naufragio disiectas ubique tabulas arripuerunt. Quorum apud exteros scriptores pertenuis est et obscura memoria, in sacris vero literis cum amborum, tum Babyloniorum praesertim luculenta est ac freqnens mentio. Sed priores memorantur Assyrii, quorum primus IV. Reg. XV, 19. occurrit Phul, qui et Belochus dicitur. Hunc a Medis defecisse probabile est. Successit Teglath Phalassar ibid. com. 29. Inde Salmanassar IV. Reg. XVII, 3. Tum Sennacherib eius filius IV. Reg. XVIII, 13. Postremus fuit Assaraddon cap. XIX, 37. Iam vero primus Assyriorum principum Phul sub Manahen Israëlis et Azaria Iudae rege collocatur. Azarias iniit anno per. Iul., ut arbitramur, 3905. Quare Assyriorum regnum, quod sub Azaria fun-
p. 215. datum est, longe posterius est Medorum initio videlicet annis fere LXX. Ad haec Ezechias coepit ex chronologiae nostrae ratiociniis per. Iul. 3987. Ergo annus eius XIV., quo Sennacherib interfectus videtur, est per. Iul. 4000. circiter.

At Babyloniorum regnum, si a Nabonassaro repetas, aliquot annis post Assyriorum initium extitit. Coepit enim Nabonassari aera Babylone per. Iul. 3967. Primus autem e Babyloniis regibus in scripturis nominatur Merodach filius Baladan IV. Reg. XX, 12. circa annum Ezechiae 14., circa per. Iul. 4000., eodem tempore quo Sennacherib et Assaraddon in Assyria regnabant. Quare Merodach iste vel idem est cum Nabonassaro, vel potius Baladan Merodachi pater, a quo Babylonicum imperium ad Nabuchodonosorem et posteros usque propagatum est, donec a Cyro et Persis extinctum est. De posterioribus Assyriis suspicor locutum Epiphanium, potius quam de antiquis illis. Quem nos ut ab errore utcunque vindicemus, quatenus Medos Babyloniis posteriores posuit, ad Darium illum Medum respexisse credimus, qui ex multorum sententia Medorum postremus rex fuit et cum Cyro, Babylone capta, eandem solus obtinuit. Quod etsi nequaquam probamus (neque enim Darius ille Danielis Medorum rex fuit), nihilominus ex eo manavit praepostera illa regnorum apud Epiphanium distributio. Alioquin certissima est et ad Danielis visionem accommodatissima Hieronymi sententia, quatuor animalia totidem imperia significare, Babyloniorum, Persarum, Macedonum, Romanorum.

Ἐπιτρέπειν τοῖς ἔθνεσιν εἰς πόλεμον.] Ὁ νοῦς: Angeli nationum praesides vincti detinentur prohibenturque ne subiectos sibi populos ad bella provocent.

AD HAERESIM LII., QUAE EST ADAMITARUM.

Spurcissimae huius haeresis autorem Theodoretus facit Prodicum, cuius meminit Clem. III. Strom.

N. II. Διὰ τὸ εἶναι ἔθμην.] Hes. Ἔθμὴ ἀτμὸς, καπνὸς λεπτὸς, ἀτμή.

Δίκην Καμψαρίων.] Idem Hes. κάμψα, θήκη, γλωσσοκομεῖον. Et καμψία, κανᾶ, κανίσκια. Suidas: Κάψα, κίστη, ἢ θήκη. Igitur capsarii sunt ἱματιοφύλακες, hoc est, ut glossae reddunt, *vestiarii*. Supra in Hebion. *olearios* vocabat. Paulus lib. 3. §. ultim. D. de Offic. Praet. Vig. eadem voce capsariorum appellat.

AD HAERESIM LIII., QUAE EST SAMPSAEORUM.

De ea iam in superioribus diximus, ut et de Elxaeo, sive Elxai.

AD HAERESIM LIV., QUAE EST THEODOTIANORUM. p. 216.

Theodoti Coriarii Byzantini meminit Eusebius lib. v. histor. cap. XXVII., et alii citati a Baronio a. 196. Augustinus Theodotionem nominat. Extant collectanea e Thodoti cuiusdam scriptis apud Clem. quae non sapiunt catholicum.

N. I. Οὐκ οἶδα εἰπεῖν ἐν τῷ τοιούτῳ.] Correximus ὁποίῳ. Sub M. Aurelii persecutione istud contigit, ut Baron. ibidem asserit.

N. II. Καὶ ἀγνοεῖ ὁ ἐλεεινός.] Vide interpretes, imprimisque Maldon.

N. III. Εἶτα, φησὶ, καὶ τὸ εὐαγγέλιον.] Vis ista ratiocinationis huius fuisse videtur. Theodotus ut probaret Christum merum ac simplicem hominem esse Lucae verbis utebatur, quibus angelus Mariae dixit, superventurum in eam spiritum sanctum, non autem in ea futurum, vel, ut paulo post loquitur, in eam ingressurum. Nam illa verba, ἐπελεύσεται ἐπί σέ, adventitium aliquid et extrinsecus accedens indicare videntur.

N. IV. Προφασίζεται πάλιν ὁ Θεόδοτος.] Hieremiae locus ille, quem Theodotus afferebat, ex LXX seniorum editione depromptus est: Ἄνθρωπός ἐστι, καὶ τίς γνώσεται αὐτόν; Hebraica vox אנרש ambigua significatione occasionem interpretationis illius dedit, ut animadvertit Hieron. *Nam si legamus* אֱנוֹשׁ, *homo dicitur, si autem* אֲנַרְשׁ, *inscrutabile, sive desperabile; eo quod nullus cor hominum valeat invenire.* At sancti PP. contrarium eius, quod Theodotus pugnabat, ex eodem loco deducunt Christum non simplicem hominem esse, sed una etiam deum; quod Hieronymus non probat. *Solent*, inquit, *quidam nostri, bono quidem voto, sed non secundum scientiam, uti hoc loco contra Iudaeos, quod homo sit dominus aeque atque salvator, secundum dispensationem carnis assumptae, nullusque possit nativitatis eius scire mysterium, secundum illud quod scriptum est: Generationem eius quis enarrabit? nisi solus deus, qui arcana rimatur, et reddit unicuique secundum opera sua. Melius autem est, ut simpliciter accipiamus, quod nullus cogitationum secreta cognoscat, nisi solus deus.* Haec ille. Ad eundem sensum refert etiam Theodoretus. Tertull. vero contra Iud. cap. XIV., Cyprianus c. Iud. cap. X., Lactant. lib. IV. cap. XIII., et alii, quos tacito nomine notat Hieron. ad Christi divinitatem.

N. V. Ἐλέγχῃ δὲ πάλιν, Θεόδοτε.] Ex eo quod ad patris dexteram collocatus sit filius, pari et eadem cum illo dignitate ac potestate esse dicendus est. Ambros. Serm. III. de Pentecoste: *Ne miremini*, inquit, *quod ad dexteram patris residere dixi filium: ad dexteram residet, non quia maior patre, sed ne minor patre esse credatur, sicut haeretici blasphemare consueverunt.* Idem colligit ad Psalm. XVIII. ex illo Psalm. 109. loco: *Sede a dextris meis.* Quibus et similibus ex locis apparet falsam eorum esse sententiam, qui sinistram apud veteres honoratiorem dextra fuisse contendunt. Cuius opinionis autor. Nebriss. cap. XXXIX. Quinquagenae.

AD HAERESIM LV., QUAE EST MELCHISEDECIANORUM. p. 217.

N. I. Ἀποσπασθέντες τάχα.] A Theodotianis ortos esse Melchisedecianos censet Epiphanius. Tertull. vero lib. de Praescript. cap. LIII. etiam Theodotum sectae huius autorem constituit, non priorem illum et Byzantium, sed alterum, quem ἀργυραμοιβὸν Theodoretus fuisse narrat. Eusebius lib. V. cap. XXVII. Theodoti coriarii discipulum quendam commemorat Theodotum Trapezitam, a quo deceptus Natalis confessor insigni miraculo resipuit, cuius et Theodoretus meminit. Hic igitur Theodotus ad magistri sui impietatem hoc adiecit, ut Christo

Domino Melchisedecum anteponeret, ut scribit Tertull. Theodoretus vero Melchisedec ex illius sententia δύναμίν τινα καὶ θείαν καὶ μεγίστην extitisse κατ' εἰκόνα δὲ αὐτοῦ τὸν Χριστὸν γεγενῆσθαι. At Augustinus et Philastrius nullum Melchisedecianis errorem alium tribuunt, nisi quod hominem esse negaverint, sed virtutem dei esse statuerint. Vide Epistolam Hieron. CXXVI. ad Evagrium.

Τὸ δὲ ἀπάτωρ, ἀμήτωρ.] Perperam Erasmus *ignoti patris ac matris*; qua stolida interpretatione mysterium omne sustulit, quod in harum notione verum apostolus constituit.

Ἔτι ταύτην τελετὴν κατ' ἔτος.] Τελετὴ hoc loco vel solenne festum ac celebritatem significat, vel sacrificium. Hesych. Τελεταὶ, ἑορταὶ, θυσίαι, μυστήρια. Orus Thebanus apud Etymol. autorem τελετὰς appellat τὰς μείζους καὶ μετά τινος μυστικῆς παραδόσεως ἑορτάς. Recte igitur cum Cornario *festum* hic interpretati sumus. Tametsi de sacrificio potuimus accipere, quod Serrario nostro placuit: praesertim cum haer. LXXVIII. eandem historiam narrans θυσίας vocet. Ἐν Σικίμοις, τοῦτ' ἔστιν ἐν τῇ Νεαπόλει, θυσίας οἱ ἐπιχώριοι τελοῦσιν εἰς ὄνομα κόρης. Quod vero ταύτην τελετὴν ἄγουσιν hoc loco dixit, simpliciter usurpatum puto pro eo quod est *ritus illos instaurant*, vel *sacri illius memoriam celebrant*. Potest et ταύτῃ pro ταύτην legi. Nam de humanis hostiis, quod suspicatur Serrarius, verum non arbitror, praesertim Epiphanii aevo, sub Christianis principibus, qui execrandas illas ac detestabiles ceremonias ubique prohibuerunt.

N. II. Καὶ γὰρ καὶ παρά τισι τοῦ Μελχισεδέκ.] Quae de Melchisedeci parentibus narrat Epiphanius, redolent apocryphorum somnia; cuiusmodi multa sunt hoc in opere bona fide a sanctissimo patre descripta, quae discutere aut refellere otiosi, temere fidem adhibere parum prudentis fuerit.

Ἐν τῇ τῆς Σαβῆς πεδιάδι.] Ubinam Sabe illa sita sit, divinare utcunque licet. Iosue XIX. cap. II. in tribu Simeonis recensentur Bersabee et Sabee, quae eiusdem oppidi nomina R. Isaias et Mazius esse putant. Quod si verum est, in Bersabeensi agro Melchisedeci parentes habitaverint.

p. 218. Σαλὴμ δὲ ἡ πόλις.] Antiquissima est illa quaestio, utrum Hierosolyma, an Sicimorum oppidum fuerit Salem Melchisedeci domicilium; de qua vide quae Perrerius aliique ad Gen. disputant, et novissime Salianus noster in Annalibus. A. M. 2118. Communis et vera sententia est Hierolyma potius quam Sicimorum urbem fuisse Melchisedeci regiam. Quod isti pluribus affirmant.

Μετὰ γενεὰς δεκαδύο τῆς τοῦ Ασυ[.] A Levi ad Sadok filium Achitob, qui sub Davide summum Sacerdotium tenuit, II. Reg. cap. VIII, 17. γενεαὶ sunt XIII non XII. Ab Aarone non VII, sed X numerantur I par. cap. VI. Quarum laterculum proposuimus.

1 Levi	8 Bocci
2 Kaath	9 Ozi
3 Hamram	10 Zarajas
4 Aaron	11 Merajoth
5 Eleazar	12 Amarias
6 Phinees	13 Achitob
7 Abisue	14 Sadok

Sadok X. est post Aaronem, post Levi XIII. Sed in priori numero μετὰ γενεὰς δεκαδύο infinite dictum ab erroris culpa scriptorem vindicat. Haec autem, ἑβδόμης δὲ ἀπὸ τῆς Ἀαρὼν διαδοχῆς, excusari non possunt, cum sint X. Ad haec pro ἑβδόμης crediderim ἑπτὰ scribendum esse, ut ad μετὰ referatur. Nam in arithmetica nota deceptus est librarius.

N. III. Καὶ ὅτι μὲν ὁ Μελχισεδέκ.] Quod sit acumen in illa Epiphanii ratiocinatione, vix assequi possum. Ut hominem fuisse Melchisedecum ex apostolo demonstret, haec illius verba proponit: ὁ δὲ μὴ γενεαλογούμενος ἐξ αὐτῶν δεδεκάτωκε τὸν πατριάρχην. Ex quibus ita colligit: δῆλον οὖν ὅτι ἐξ αὐτῶν οὐ γενεαλογεῖται. Quae nihil ad institutam probationem attinent, nec illis omnino verbis hominem extitisse docet apostolus. Quare mendosus hic locus videtur, et ita corrigendus: δῆλον οὖν ὅτι ἐξ ἑτέρων γενεαλογεῖται. Nam ex eo, quod apostolus dicat, Melchisedecum οὐ γενεαλογεῖσθαι ἐκ τοῦ Ἀβραὰμ, aut ἐκ τῶν Λευιτῶν, utcunque sequitur ἐξ ἑτέρων γενεαλογεῖσθαι, hoc est externae, diversaeque ab illis stirpis fuisse.

Ἠλίας ὁ Θεσβίτης.] Eliam e sacerdotali fuisse stirpe Hebraeorum fert opinio, qui eundem illum faciunt cum Phineez Eleazari filio. Hanc opinionem refert p. 219.
Kimchius ad lib. III. Reg. cap. XVII., nec in ea tamen acquiescit; amplectitur autem Elias in voce Thisbi. Neque vero id Hebraei veteres omnes arbitrati sunt. Siquidem ex eodem Davide constat nonnullos e tribu Gad, alios e tribu Beniamin Eliam oriundum putasse. Ipse autem certi nihil affirmat. E Christianis praeter Epiphanium, Alexandrinum Chronicon pag. 376. sacerdotalem Eliae originem adscribit additque Thisbiten dictum a Thisbi sacerdotali urbe in Arabia. Quod ex libro de Vita Prophetarum, qui Epiphanii nomine inscribitur, mutuatum videtur. Ἠλίας, inquit, ὁ προφήτης· οὗτος ἦν ἐκ Θεσβῶν, ἐκ γῆς Ἀράβων, ἐκ φυλῆς Ἀαρὼν, Λευίτης, οἰκῶν ἐν Γαλαὰδ, ὅτι ἡ Θίσβις δῶμα ἦν τοῖς ἱερεῦσι δεδομένη. Quem ad locum superintendens nescio quis e Lutheranis qui novissime librum illum de prophetis interpolavit, mirifice aestuat, ut illas voces, ἐκ γῆς Ἀράβων, expungat. Quas quidem parenthesi inclusit, ut alienas esse significet. *Si enim*, inquit, *Thisben in Arabia collocabimus, non amplius ad cives Gileaditicos, vel ad regnum Israëliticum pertinebit.* Hic coniecturam suam adtexit; et videlicet quaerenda occasio fuit adversus monachos declamandi, quorum inscitia intrusas illas voculas suspicatur. Cum enim ἐκ φυλῆς Ἀαρὼν legeretur, aliaque ad marginem adnotata foret lectio, ἐκ γῆς Ἀράβων, *ea crescente*, inquit, *monachorum barbarie in ipsum autoris contextum recepta fuit.* Sed in ea coniectura summam iste pastor imperitiam suam ac levitatem detexit. Neque enim scivit Arabiam olim latissime patuisse, ut non modo Transamnanae, seu Peraeae, optimam partem, sed etiam Coelesiriam ac Damascum complexa sit. Siquidem regio ipsa Basan et Galaaditis Arabia continebatur, autore Hieronymo in II. Esa. et in Abdiam; ubi quae prius vocabatur Galaad, eam postea nominatam Arabiam, et postremo suo tempore Gerasam, observat. De Damasco Tertull. lib. III. c. Marc. cap. XIII., *Damascus*, inquit, *Arabiae retro deputabatur, antequam transcripta esset in Syrophoenicen.* Arabiae itaque nomine liber ille de Prophetarum Vita Galaaditidem intellexit. At Kimchius ita nominatum putat: מעיר ששמד תורשב הידד תחלה ואחר כן ישב בגלעד hoc est, *ab urbe, in qua primum habitavit; unde postea in Galaad migravit.* Quae quidem Davidis verba Elias Levita Hebraeus doctissimus nequaquam intellexit. Nam illius sententiam sic exponit: והרדק פירש שבראשונה ישב בעיר ששמה תורשב ואחר כן ישב בגלעד אבל לא פירש למה נקרא מתורשבי גלעד. Hoc est: *R. D. Kimchi sic interpretatur: Quod initio habitaverit in urbe, cuius nomen erat Toschab, postea vero in Galaad migraverit. Verum non explicat, quare dictus sit ex habitatoribus Galaad.* Atqui aliter, nisi fallor, Kimchius accipiendus est. Non enim censet nomen urbis fuisse תורשב, quod absurdum est, sed ibi, in ea scilicet urbe, hoc est Thisbi, principio consedisse. Quare legendum est שָׁמָּה non שֶׁשָּׁמָּה.

Neque verum est quod Elias subiicit, causam a Davide nullam afferri cur Eliam scriptura dicat esse ex habitatoribus Galaad, cum expressis verbis hanc ipsam significet: quoniam Thisbi profectus in Galaaditidem migraverit. Elias vero Levita urbem in Galaad Thisbi fuisse docet; quae cum ab Israëlitis post illam Gabionitarum cladem, qua Galaaditae pariter involuti sunt, Iud. XXI., solo esset aequata, plerique, qui caedem illam effugerant, reversi postea oppidum instaura-
p. 220. runt, ab eoque casu תּוֹשְׁבֵי גִלְעָד nominati sunt. Quorum unus Elias fuit. Nam illis vixisse temporibus argumento est, quod tum superstes erat Phinees, quem eundem esse cum Elia magistris placet. Haec Levita. Quae sunt insulsissima. Fingamus enim Eliam esse Phinees, quomodo is ad necem quaesitus ab Israëlitis ac fuga lapsus crędi potest, qui ab illorum partibus steterit, iisdemque praefuerit? Atqui hanc eadem de Phinees fabulam, quod idem sit cum Elia, habet Hieron. lib. Quaest. Hebr. in Paralip., cuius autoritate fretus Petrus Damianus Epist. IV. ad Nicol. Pontificem eandem pluribus exponit. Quod ne refutationem quidem meretur. Abulensis sacerdotem fuisse negat omnino, sed levissima coniectura, quod Galaaditidis incola nominetur. Imo vero saltem ex eo contrariae suspicioni locus; quoniam מֵתוֹשָׁבִים *ex inquilinis* fuit, hoc est non indigena, neque ex illa tribu, sed peregrinus et in alieno solo degens. Verum in re dubia utrinque larga divinandi ac somniandi copia est. Nos otiosi non sumus. Quod ad oppidum vero Thisbi pertinet, de eius situ nemo certi aliquid prodidit, nisi quod Tobias I. ex LXX. translatione Thisbi, e quo oriundus fuisse Tobias asseritur, in Galilaea ponitur, supra Aser; quae in Latina minime reperiuntur. Sed et Mazius ad XI. Iosue Θηβῆς pro Θισβῆς scribendum existimat. Iosephus lib. VIII. cap. VII. Thesbonem Galaaditidos urbem Eliae patriam esse dicit.

Ἀδελφὸς γέγονεν Ἰωδαέ.] Hic est Ioiadas pontifex, qui sub Athalia et Ioas sacerdotio functus est, sub hoc vero mortuus, cum vixisset annos CXXX. Torniellus anno mundi 3191. mortem illius, Ioas tricesimo quinto fere, consignat. Coepit autem Ioas, ex chronologia nostra, per. Iul. 3836.; proinde 35. eiusdem convenit in a. per. Iul. 3870., e quibus detractis 130 reliqui sunt 3740. Itaque anno per. Iul. 3741. praeter propter natus est Ioiadas, Roboami 2., annis post templi conditum plus minus XXXI. Quod si Ioiadae frater Elias fuit, et Achimaas filius, consequens est Azariam eundem esse cum Ioiada. Quippe libri I. Par. cap. VI. a Sadok usque ad templi excidium sacerdotum series ista proponitur:

1 Sadoc	8 Sadoc
2 Achimaas	9 Sellum
3 Azarias	10 Helcias
4 Iohanan	11 Azarias
5 Azarias	12 Saraias
6 Amarias	13 Iosedec
7 Achitob	

p. 221. Fuerit igitur Azarias idem ac Ioiadas, quod nonnullos arbitratos esse testatur Abul. in hunc locum lib. I. Paralip. Sane pertricosa res est Iudaeorum pontificum successio; quorum nomina apud Iosephum ab iis quae in lib. Paralip. traduntur diversissima sunt. Expeditissima conciliandi ratio est, ut plerosque multiplici nomine praeditos affirmemus. Caeterum in sacerdotali Eliae ac Ioiadae stirpe duos praetermisit Epiphanius. Nam Aziam, qui est in Scriptura Ozi, filium fuisse Phinees tradit, cum eius pronepos fuerit. Omisit enim Abisue et Bocci.

Ἡ μόνον ἐν ταῖς Παραλειπομέναις.] De Eliae stirpe in Paralipom. libris quod

sciam verbum nullum. Alioquin sublata omnis esset illa de Eliae quaestio, si de qua tribu natus esset vel levissime significaret.

Σεμαρεῖται μὲν γὰρ τοῦτον.] Ita sensisse Iudaeos declarat Hieron. ad Evagrium Epist. CXXVI. et ex Midrasch Agada docet R. Selomoh in XIV. Gen. nec non et Aben Hezra. Nec dubium est, quin ex Hebraeorum et Latinorum rationibus congruant tempora. Nam Abrahamo supervixit Sem annos XXXV. At ex LXX seniorum editione nequaquam conveniunt, ut recte colligit Epiphanius. Verum de hac Iudaeorum aut Samaritanorum opinione, ac caeteris de Melchisedeco veterum erroribus, pluribus agit Hieron. loco citato, copiosissime vero recentiores sacrarum literarum interpretes et chronologi; ut eo minus in hac quaestione commorari necesse sit.

Ὅτε γὰρ Ἀβραὰμ ὑπῆρχεν.] Falsus est aliquot annis numerus iste. Nam ut ex Genes. XVI. cap. constat, LXXXV duntaxat annorum erat Abraamus cum Agar ancillam duxit, quod posterius est expeditione illa contra reges IV.

Καὶ ἐξέβαλεν αὐτῷ ἄρτον.] Egregius hic locus ad tuendam ab haereticorum calumniis communem PP. omnium autoritatem ac sententiam, qui ex illis Geneseos verbis deducere solent, Melchisedecum ad usum sacrificii panem et vinum protulisse, et eo ipso sacrificio incruentum Christi corporis ac sanguinis adumbrasse sacrificium. Quod et Hieron. docet Epistola ad Evagr. et veteres, uti dictum est, propemodum omnes; quorum testimonia a catholicis scriptoribus iamdudum studiose collecta sunt. Sed eximius atque imprimis disertus est, qui mihi forte nunc occurrit Clementis Alexand. locus lib. IV. Strom. Μελχισεδὲκ βασιλεὺς Σαλήμ, ὁ ἱερεὺς τοῦ θεοῦ τοῦ ὑψίστου, ὁ τὸν οἶνον καὶ τὸν ἄρτον τὴν ἡγιασμένην δόδοὺς τροφὴν εἰς τύπον εὐχαριστίας. Vide August. Epist. XCV.

Ὁ δὲ τοῦ Ἀβραὰμ πατήρ.] Quod Abraamum anno aetatis suae LXX. genuerit Thare diserte scriptura docet, ac tergiversationem omnem excludit. Nec aliter vetustissimi quique patres eum locum interpretati sunt, ut vel contrariae opinionis patroni fateri coguntur, qui contra Mosis autoritatem, non LXX., sed CXXX. Thare anno natum patriarcham videntur asserere. Viderint illi quam recte tot saeculorum, adeoque PP. omnium consensum repudient. Nos quae ab illis opponuntur tanti esse non credimus, ut propterea lucere meridie negandum sit.

Iam vero hac in generationum descriptione non ab Hebraicis modo fontibus, p. 222.
sed etiam a LXX seniorum numeris, cuiusmodi hodie extant, aberrat Epiphanius. Dabo hic Hebraeorum ac Graecorum seriem, ut quae observanda sunt facilius quisque percipiat.

Hebraeorum et Latinorum series.		Ex editione vulgata LXX seniorum.		Vixerunt post generationem. Ex Hebr. et Latinis.	Vita integra.
Sem post diluvium genuit anno	2	Sem anno	2	500	600
Arphaxad	35	Arphaxad	135	303	338
Sala	30	Cainan	130		
Eber	34	Sala	130	403	433
Phaleg	30	Eber	134	430	464
Reu	32	Phaleg	130	209	239
Seruch	30	Reu	132	207	239
Nachor	29	Seruch	130	200	230
Thare	70	Nachor	179	119	148
Abraham		Thare	70	135	205
Colliguntur ad Abraami ortum anni	292	Colliguntur ad Abraami ortum anni	1172		

Atqui ex Epiphanii ratione colliguntur anni duntaxat DCCCCXLII a diluvio ad Abraami ortum. Differentia est annorum CCXXX, qui in LXX seniorum editione ex CXXX Cainan, et centenis Nachoris consurgunt. Vulgo enim Nachor CLXXIX tribuuntur, ab Epiphanio vero LXXIX. At vero in praefatione huius operis et in Ancorato num. CXVI. easdem illas γενεὰς pertexens Cainan inseruit. Ut illud appareat, LXX seniorum editionem hac in parte variam et interpolatam fuisse. Nam alii codices Cainan asciscebant, alii expungebant. Siquidem apud Eusebium edit. Graecae pag. 9. ex Africano et LXX interpretibus, nec non ex Samaritanorum Hebraicis exemplaribus, in huius genealogiae contextu Cainan omissus est, nec annorum summa DCCCCXLII excedit a diluvio ad natalem Abraami, quot videlicet annos Epiphanius hoc loco numerat. Quare Eusebium hic quidem secutus est.

De Cainano vetus est quaestio, quae a recentioribus varie disceptari solet. Mihi praetermittendus omnino videtur, cum nec in Hebraica veritate, nec in Latinorum editione extet uspiam. Quod enim vitium in Hebraeos codices irrepsisse nonnulli statuunt, nimis hoc otiose fingitur. Lucae autoritas graviorem facit
p. 223. controversiam. Sed et huic a piis et eruditis viris iampridem satisfactum est. Cum enim Graecorum codices vulgo Cainanum exhiberent, Lucas, qui Graecis scribebat, non aliunde genealogiam istam, quam ex illorum libris scripsit, ideoque et Cainanum inseruit, quem si alioqui praetermitteret, Graecos ipsos offenderet. Quare nihil alterutram in partem affirmans, quas in Graeca editione generationes repererat, simpliciter reddidit. Quemadmodum si quis Aethiopas catholicam ad fidem perducere volens regum illorum successionem ex vulgatis eorum annalibus excerperet, tametsi quispiam intrusus in numerum fuisset, non haec catholici scriptoris, sed historiarum et annalium esse culpa crederetur. Hoc ego cum Perrerio nostro, Iansenio, Genebrardo aliisque doctis et piis scriptoribus probabile censeo.

Ἕβερ δὲ γεννᾷ τὸν Φαλέκ.] Mendum est non Epiphanii, sed librarii in numerorum nota. Leg. itaque ρλδ' ut ex sequenti collectione perspicue constat.

Κατὰ δὲ ψῆφον ἄλλον ἀντιγράφων.] Quaenam illa sint exemplaria, quae ab ortu Sem ad LXXX., vel XC. Abraami annos putent DCXXVIII, hoc est a diluvio ad Abraami ortum DCCXLVIII, comperire non potui. Neque enim Hebraica aut Samaritana, aut postremo LXX seniorum editiones ita numerant. Quocirca vereor ut integrae sint numerales Epiphanii notae. Secundum Samaritanos et nonnulla LXX interpretum exemplaria, quae a diluvio ad ortum Abraami annos numerant DCCCCXLII, additis CLXXX. fiunt ab ortu Sem ad LXXX. Abraami anni MCXXII.

N. IX. Τὸ γὰρ μυογαλίδιον.] Nicander Ther.

Τυφλήν τε, σμερδνήν τε βροτοῖς ἐπὶ λοιγὸν ἄγουσαν
Μυγαλέην τροχοῇσιν ἐνὶ θνήσκουσαν ἀμάξαις.

Scholia docent in rotarum orbitis deprehensum murem araneum, quod caecus sit, illic interfici. At Plinius lib. IX. cap. XVIII. *Iidem ubicumque sint, orbitam si transiere, moriuntur;* quasi non obtritu rotarum, sed vi quadam orbitis ipsis indita conficiantur.

Εἰς λώβησιν κελεφίας.] Diu quid esset κελεφίας λώβησις ignoravimus: tametsi doctissimos plerosque viros, ac praesertim medicos de ea voce consuluissemus. Quare Graecum ipsum nomen in Latina interpretatione exprimendum putavimus, et ad marginem haesitationem nostram ingenue professi sumus. Inter omnes, quos adhibui, constabat depravatum hoc esse vocabulum. Quibus ne assentirer obstabat, quod aliis in locis sine ulla varietate vox eadem repetita legeretur.

Velut haeresi LXVI. n. IX. et XXVIII., ubi Manichaeorum hoc esse decretum asserit, ut qui hominem occiderit εἰς κελεφοῦ σῶμα, ἢ εἰς μῦν, ἢ εἰς ὄφιν transiret post obitum. Tandem vero a Graecis ipsis didici vulgari Graecorum idiotismo κελεφὸν appellari τὸν λεπρὸν et κελεφίαν lepram. Qua in significatione vocis acquiescendum arbitror. Neque enim apud scriptorem ullum vox haec a me lecta, nec uspiam reperta. Caeterum qui a mure araneo icti fuerint, haec ipsa, quae narrantur ab Epiphanio, experiri eos autor est Aëtius lib. XIII. cap. XIV. *Qui igitur ab eo morsi sunt*, ait, *his vulnera manifesta fiunt. Quadrifido enim ordine vulnera conspicientur. Et sanguis quidem primum purus promanat, paulo post vero saniosus. Animal enim ipsum putrefactione occidit. Consueverunt enim bullae exsurgere, quas si quis dirumpat, carnem subiacentem faeculentam videbit per fissuras disparatam.* p. 224. *Inflatio autem sequitur demorsos.*

Τὸ δικαίωμα ὑπάρχει.] Hebraicum est משפט, *mos, consuetudo, proprium quiddam.* Ius in scripturis plerumque redditur, quod tamen ad iustitiam et aequitatem referre non perpetuo licet. Ut cum I. Reg. cap. VIII, 11. Samuel Israëlitis regem postulantibus regni ius exponit: *Hoc erit ius regis, qui imperaturus est vobis.* Τοῦτο ἔσται τὸ δικαίωμα τοῦ βασιλέως τοῦ βασιλεύοντος ἐφ' ὑμᾶς. Ubi vox ipsa iuris non sic interpretanda videtur, quasi quae sequuntur regibus facere atque usurpare licuerit, quae magna ex parte iniqua ac nefaria sunt, sed ius pro prava consuetudine et παραχρήσει sumitur I., quemadmodum R. Levi et R. David explicant: ראחשוב שאין המלך מיתר בארתם העניינים שזכר אבל רצה שמואל ליראם ולבהלם והודיע מדת שיעשה המלך כשיתחזק על ממלכתו כשיקשה להם ממדת שאי אפשר לעשותו מצד משפטי התורה (ait Levi) *Existimo regi nequaquam ea licuisse omnia, quae commemoravit. Verum Samuel perterrefacere illos ac metum incutere voluit, et indicavit quaenam rex facturus esset, ubi semel regnum suum constituisset, quando darius illis onus imponet quam ex legis praescripto facere possit.*

AD HAERESIM LVI., QUAE EST BARDESANISTARUM.

N. I. De Bardesane meminit Eusebius lib. V. cap. ultimo, August., Philastrius, Theodoretus et alii. Vide Ann. Bar. a. CLXXV.

Ἀπολλωνίῳ δὲ τῷ τοῦ Ἀντωνίνου.] Hic est Apollonius Chalcidensis, de quo Eusebius in Chron.

Φόρτον ἀσυνείκαστον.] Hoc est quod nulla coniectura prae copia ac pretio potest assequi. Quod simplicius mihi videtur quam quod Casaub. placebat ἀνείκαστον, sic enim legit idem esse atque minime congruentem.

AD HAERESIM LVII., QUAE EST NOETIANORUM.

N. I. Τῆς Ἐφέσου πόλεως.] Theodoretus Smyrnensem facit.

Διὰ τὸ μηδένα πρὸ αὐτοῦ etc.] Imo diu antequam Noëtus emergeret, idem ille error patronos habuerat, ut ex Tertull., Cypriano Ep. LXXIII., Ignatio Epist. ad Philipp. colligit Pamelius et Baronius. Hos vero Patripassianos appellat Cyprianus et Marius Victorinus I. c. Arium.

N. III. Ἰδοὺ συνήσει ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός.] Isa. XLII. ita legitur: Ἰακὼβ ὁ παῖς μου, ἀντιλήψομαι αὐτοῦ· Ἰσραὴλ ὁ ἐκλεκτός μου, προσεδέξατο αὐτὸν ἡ ψυχή μου· δέδωκα τὸ πνεῦμά μου ἐπ' αὐτόν. Ubi priori illa, ἰδοὺ συνήσει, nusquam comparent; quae ab Epiphanio constanter praefixa sunt, quoties Isaiae locum illum citavit, quod saepius fecit. Nam haec vocabula Ἰακὼβ, Ἰσραὴλ apud LXX. obelo notata

vocant, potestatem ecclesiae ac sacerdotibus detraherent, ut reliquos eorundem errores omittam, Novatiani tanquam haeretici damnati sunt. Alioqui lapsos, hoc est idololatriae contagione pollutos, in perpetuum ab ecclesia summovere nondum pro haeretico decreto cognitum fuerat. Quinetiam priscis illis florentis ecclesiae temporibus certis peccatorum generibus communione interdictum, et quidem perpetuo fuisse, quamplurima concilia ac SS. PP. testimonia declarant. Quod cum ad antiquam ecclesiae disciplinam cognoscendam pernecessarium sit, et ad varios usus opportunum, nos quae de ea re longo studio ac diligenti lectione conquisivimus, in theologorum potissimum gratiam paulo accuratius explicabimus.

QUIBUSNAM PECCATORUM GENERIBUS ET QUATENUS NEGATA COMMUNIO SIT IN ECCLESIA VETERI.

Nullum esse delicti flagitiique genus, quod non eadem illa, quae ligare ac retinere potest, solvere ac remittere possit ecclesiae potestas, neque probandum hoc loco est, neque ab aliis quam ab evangelii atque ecclesiae desertoribus in controversiam adducitur. Huius vero potestatis usum, cum in eiusdem ecclesiae arbitrio positus sit, varie temperatum et administratum esse non dubium est, et ad continendam sanciendamque disciplinam severioribus interdum legibus et institutis adstrictum. Quocirca sub ipsum Christianae religionis exordium, flagrante peraeque studio pietatis et improbitatis odio, multo et graviores in delicta
p. 228. poenae et diuturniores constitutae sunt. Quae res eo usque progressum habuit, ut atrocioribus quibusdam sceleribus venia indulgentiaque funditus denegata fuerit, nunquam ut cum ecclesia reconciliari possent. Quod ut ab hodiernis moribus et institutis abhorrens ne quis incredibile forsitan arbitretur, autorem dabo Tertullianum, qui in libro de Pudicitia clare id ac diserte testatur. Scripsit autem hunc librum cum iam ex catholico Montani factus esset assecla, adversus Zephyrini papae decretum, quo is adulteros post poenitentiam admittendos edixerat: *Pontifex scilicet maximus* (Tertulliani verba sunt), *episcopus episcoporum dicit, ego et moechiae et fornicationis delicta poenitentia functis dimitto.* Quod summi pontificis edictum Tertullianus oppugnans ex eo redarguit quod cum tria sint gravissima scelera, idololatria, homicidium et adulterium, exclusis et in perpetuum reiectis duobus reliquis solum adulterii crimen ad veniam exceperit. *Quid agis*, inquit, *mollissima et humanissima disciplina? Aut omnibus eis hoc esse debebis (beati enim pacifici), aut si non omnibus, nostra esse. Idololatram quidem et homicidam semel damnas, moechum vero de medio excipis, idololatriae successorem, homicidii antecessorem, utriusque collegam? Personae acceptatio est, miserabiliores poenitentias reliquisti. Plane si ostendas de quibus patrociniis exemplorum, praeceptorum coelestium, soli moechiae et in ea fornicationi quoque iamiam poenitentiae expandas.* Haec cap. v. At postea cap. IX.: *Hinc est quod neque idololatriae, neque sanguini pax ab ecclesiis redditur.* Quae quanquam Montani iam imbutus errore scripserit, ex ipsa tamen argumentandi ratione colligitur, certis criminibus pacis ac veniae spem per illa tempora subtractam fuisse. Ut enim ex eo, quod in libro de Ieiunio contra Psychicos catholicos reprehendit, quod unico Quadragesimae ieiunio contenti caetera a Montanistis inventa repudiarent, quadragesimalis ieiunii vetustas hoc ipso Tertulliani testimonio contra haereticos hodiernos adstruitur, ita profecto duobus illis saltem, vel tribus initio peccatis pacem nullam ab ecclesia concessam, ex eiusdem autoritate ac ratio-

cinatione concludi non immerito potest. Ac nescio an et idem Pacianus Barcilonensis episcopus docuerit in Paraenesi ad Poenit., quae est tomo III. Bibl. PP. In qua peccatorum genera duo distinguit: alia quae capitalia vocat, quaeque Ioannes Epist. I. cap. V. *ad mortem* esse dixit. Ea vero non alia sunt quam tria illa quorum Tertullianus meminit, idololatria, fornicatio et homicidium, quae Act. XV. in synodica illa apostolorum epistola nominatim prohiberi putat. *Despectus*, inquit, *in multis spiritus sanctus haec nobis capitalis periculi conditione legavit. Reliqua peccata meliorum operum compensatione curantur. Haec vero tria crimina, ut basilisci alicuius afflatus, ut veneni calix, ut lethalis arundo, metuenda sunt.* Ac nonnullis interiectis: *Haec quicunque post fidem fecerit, dei faciem non videbit. Desperavere tantorum criminum rei. Quid vobis ego feci? Nunquid non fuit in potestate ne fieret? Nulluane admonuit? Nemo praedixit? Tacuit ecclesia? Nihil evangelia dixerunt? Nihil apostali comminati sunt? Nihil rogavit sacerdos? Quid quaeritis sera solatia? Tunc decuit, cum licebat. Dura ista vox est, sed qui vos felices dicunt in errorem vos mittunt etc.* Haec igitur persuadere possunt in Hispania saltem pristinam illam disciplinae servitatem Paciani tempore viguisse. Tametsi ne id penitus affirmem, prohibent illa quae proxime subiunxit. *Accipite remedium, si desperare coepistis, si miseros vos agnoscitis, si timetis.* p. 229. Nisi hoc fortasse remedium ad solam poenitentiam pertineat, quae in eo genere peccati relaxanda nunquam fuerit.

Ex iisdem, nisi fallor, fontibus Eliberitani concilii decreta illa profecta sunt, quorum severitas paulo nonnullis acerbior visa eo demum illos impulit, ut ei concilio culpam et errorem affingerent. Contra quos alii Innocentii decreto pugnant, qui in Epist. III. cap. II. tacito nomine illius autoritatem tuetur et excusat. Ego tam hos, quam illos aberrare censeo. Sed concilii Canones imprimis animadvertendi sunt. In his multa adversus superiora illa et atrocissima crimina sanciuntur, ac plerumque ne in vitae quidem exitu communio conceditur. Nam in Primo Canone ita PP. constituunt: *Placuit ut quicunque post fidem baptismi salutaris adulta aetate ad templum idoli idololatraturus accesserit, et fecerit quod est crimen capitale* (al. lectio *quod est crimen principale, quia est summum scelus*), *nec in fine eum communionem suscipere.* Rursus Can. II. *Flamines, qui post fidem lavacri et regenerationis sacrificaverint, eo quod geminaverint scelera, accedente homicidio, vel triplicaverint facinus, cohaerente moechia, placuit eos nec in fine accipere communionem.* At Can. III. *Si non immolaverunt, sed munus tantum dederunt, placuit in fine eis praestare communionem, acta tamen legitima poenitentia. Item ipsi, si post poenitentiam fuerint moechati, placuit ulterius his non esse dandam communionem, ne lusisse de dominici communione videantur.* Rursus Can. VII. *Si quis forte fidelis post lapsum moechiae, post tempora constituta acta poenitentia, denuo fuerit fornicatus, placuit eum nec in fine habere communionem.* Tu caeteros consule, quorum plerique ad eandem severitatem implicati sunt. In his communionis nomine sunt qui eucharistiam duntaxat intelligant; quasi a peccatis exsoluti fuerint illi quidem, sed dominici corporis minime facti participes. Quibus nullo modo ab eruditis conceditur. Neque enim veteris ecclesiae ritu ambo ista seiuncta fuisse putant, neque quisquam pacem ac reconciliationem cum ecclesia quam nos *absolutionem* dicimus, obtinuisse videtur, quin una participandorum mysteriorum ius potestatemque sit adeptus. Nam post στάσιν, qui quartus ordo poenitentiae fuit, in quo solam ad orationis communionem admittebantur, subinde nullo interiecto gradu εἰς τὸ τέλειον, quod ultimum erat ac perfectissimum, pervenire solebant. De quo sub finem disputationis

huius nonnulla disserentur. Videamus nunc quodnam de iis Innocentii iudicium extiterit, imo utrum de illis locutus omnino sit, quod plerique omnes existimant. Hic enim epistola III. ad Exuperium cap. II. ita scribit: *Et hoc quaesitum est, quid de his observari debeat qui post baptismum omni tempore incontinentiae et voluptatibus dediti in extremo fine vitae suae poenitentiam simul et reconciliationem communionis exposcunt. De his observatio prior durior, posterior intervenientе misericordia inclinatior est. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur eis poenitentia, sed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebrae persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu, negata merito communio est, concessa poenitentia, ne totum penitus negaretur, et duriorem remissionem fecit temporis ratio. Sed postquam dominus noster pacem ecclesiis suis reddidit, iam depulso terrore communionem dari abeuntibus placuit, et propter domini misericordiam, quasi viaticum profecturis, ne Novatiani haeretici negantis veniam asperitatem et duritiam subsequi videamur. Tribuetur ergo cum poenitentia extrema communio etc.* Hunc Innocentii locum, quod in eo genere luculentissimus sit, totum adscripsimus. Cum autem ad Eliberitani concilii decreta nominatim respexisse, cum haec scriberet, Innocentium putent homines eruditi, mihi quidem non probant. Nam Eliberitanum concilium καθόλου de iis loquitur qui graviora et capitalia delicta commiserant, quae ad tria genera Tertullianus et Pacianus revocant; quos quidem, quocunque demum tempore admitti sese postulaverint, repudiandos decernit. At Exuperii sciscitatio ad eos tantum pertinebat qui post atrocia scelera poenitentiam in extremum vitae tempus distulissent. Alioqui cum infiniti canones de lapsorum ac quorumcumque peccatorum poenitentia et reconciliatione conditi fuissent, tam ante quam post Nicaenum concilium, cumque Nicaenum ipsum de lapsis recipiendis tam diserte sanxisset, inepta sane fuisset Exuperii illa quaestio, si universe atque infinite percontatus esset. Sed nimirum alia, et a lapsis ac peccatoribus reliquis illorum separata caussa fuit, qui poenitentiam ad instantis obitus periculum usque distulissent, quibus etiam moribundis olim interclusa communio est. Quod Cyprianus Epistola LI. ad Antonianum evidenter significat. Nam cum adversus Novatianos ita scripsisset: *Miror autem quosdam sic obstinatos esse, ut dandam lapsis non putent poenitentiam, aut poenitentibus existiment veniam denegandam;* postea ista subiicit: *Et idcirco, frater carissime, poenitentiam non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde et manifesta lamentationis suae professione testantes, prohibendos omnino censuimus a spe communicationis et pacis, si in infirmitate atque in periculo coeperint deprecari, quia rogare illos non delicti poenitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit, nec dignus est accipere solatium qui se non cogitavit esse moriturum.* De iis et Exuperius interrogaverat, et respondet Innocentius, quibus negatam esse communionem mirum videri non debet, cum vel catechumenos, qui, quod nondum ecclesiae potestati subditi essent, humanius tractandi fuerant, eadem illa canonum severitas perstrinxerit. Nam qui baptismum in obitum usque prorogassent, non illis quidem quod petebant denegatum fuit, sed iidem velut infamiae notis inusti a sacerdotio penitus arcebantur; quos etiam clinicos nominabant; quod in caussa Novatiani testantur 88. PP. et conc. Neocaesariense decrevit Can. XII. De clinicis igitur, ut ita dicam, poenitentibus accipiendum est rescriptum illud Innocentii. Vel potius, cum et de illis agat praecipue, et eo narratio tota referatur, altius tamen negotium repetens, quid de omni peccatorum genere ecclesiae consuetudo tenuerit, in memoriam revocat; quod ad clinicos istos suspicamur postea fuisse restrictum.

p. 230.

Primum enim de libidinosis et incontinentibus rogatus de lapsis, hoc est idolo- p. 231.
latris nominatim decreta profert. Deinde cum poenitentiam sine communione concessam asserit, non tam istud ad clinicos quam ad quoscumque peccatores attinet. Atqui de moribundis duntaxat interrogabat Exuperius, et aliter dubitare, hominis erat parum in ecclesiae ritibus eruditi. Quamobrem verisimile est Innocentium hypothesin ad thesim, hoc est generalem disputationem controversiamque revocasse et caussam attulisse, cur aliquando tardis illis poenitentibus, olim vero etiam quibuslibet graviorum criminum reis communionis spes praecisa fuerit. Nimirum, quo poenarum metu in officio Christiani continerentur, principio communione prohibitos capitalium, uti dixi, scelerum conscios, nec unquam sive incolumes, sive moribundos, ecclesiae restitutos. Postea vero nondum penitus constituta pace poenitentiam quidem illis ac communionem indultam, qui mature ad eam petendam accessissent, caeteris in perpetuum reiectis. Ac postremo pacatis ecclesiae rebus etiam tardiores illos instante iam morte communionem impetrasse. Tria haec necessario distinguenda sunt ecclesiae tempora, ut dissidentes a se invicem gravissimorum patrum autoritates concilientur. Et quidem prima illa severissimaque disciplina sub apostolorum tempora et ad Tertulliani fere saeculum obtinuit, quae a Zephyrino pontifice, quod ad moechiam spectat, paululum relaxata Cypriani temporibus maiores ad lenitatem progressus habuit. Fuit enim secundum illud maxime tempus quo nullum peccati genus a fructu communionis exceptum est, sed ita tamen, si temporius se ad poenitentiam applicarent. Nam tum eos, qui in obitum usque proferrent, penitus interclusos fuisse censeo. Tandem vero ne istis quidem negari communionem placuit, cum instaurata ecclesiae libertate plurimum de antiquorum rituum severitate ac duritia decessisset. Per haec incrementa paulatim, quantum arbitror, disciplina processit. Neque tamen ubivis terrarum et in omnibus ecclesiis moribus haec subinde recepta videntur, et cum aliae aliis citius adscivissent, veteris instituti ac severitatis reliquiae penes aliquas diu admodum resederunt. Nondum enim generali aliqua sanctione, qua omnes ecclesiae tenerentur, ea res constituta fuerat, aut illam certe tardius regionis alicuius consuetudo atque usus admisit. Quam in rem facit Cypriani dictum illud Epist. ad Anton. *Et quidem apud antecessores nostros quidam de episcopis istic in provincia nostra dandam pacem moechis non putaverunt, et in totum poenitentiae locum contra adulteria clauserunt, non tamen ab episcoporum suorum collegio recesserunt.* Haec ille Novatianum perstringens, quod ad intempestivam in lapsos crudelitatem, quod minime necessarium erat, dissidium adiunxisset, cum alioqui de lapsis quod vellet privatim sentire potuerit, nec ab ecclesiae societate divelli. Quod de Tertulliano perinde usurpandum erat, si tam iste quam Novatianus hactenus procederent, ut lapsos reconciliari non oportere dicerent, non autem veniae tribuendae ius ab ecclesia prorsus abiudicassent; quam ob caussam merito tanquam haeretici damnati sunt. Iam vero ex illorum numero, quod spissius ac tardius in eam lenitatem infractos esse diximus, Hispanienses ecclesiae atque antistites recenseri debent, quos non p. 232.
magis quam caeteros omnes, adeoque ecclesiam initio totam tuetur excusatque pontifex. Volo enim Innocentii verba prudens lector animadvertat, *observationem, sive consuetudinem priorem tenuisse*, quod de provincialis synodi canone ac decreto nequaquam diceret, sed de eo utique ritu qui totius ecclesiae sit, aut maioris saltem partis consuetudine receptus. Quocirca praeclare id, quod superius positum est, hoc Innocentii testimonium confirmat, negatam maximis sceleribus olim communionem fuisse; qua postea permissa soli illi excepti videntur qui ad

extremum usque vitae periculum in delicto perseverassent. Unde in concilio Arelat. I. Can. XXIII.: *De his, qui apostatant, et nunquam se ad ecclesiam repraesentant, nec quidem poenitentiam agere quaerunt, et postea infirmitate correpti petunt communionem, placuit eis non dandam communionem, nisi revaluerint et egerint dignos fructus poenitentiae.*

Est aliud insuper in illo Innocentii loco minime praetereundem, cum ait *negatam fuisse communionem, concessam poenitentiam, ne totum penitus negaretur.* Ex quo ita colligere licet: nisi poenitentiae nomine absolutionem Innocentius intelligat, quae a dominici corporis usurpandi iure distincta sit, de quo postea dicemus, quibusdam peccatoribus poenitentiam ita permissam esse, ut ea nunquam relaxaretur. Sic enim sese res habuit. Non temere quivis ad poenitentiam admissus est, ut, quamvis nunquam in gratiam cum ecclesia rediturus esset, tamen cum aliquo delectu publicam ad satisfactionem poenitentiamque reciperetur. Nam et in publica poenitentiae functione, vel citra absolutionis spem, suus quidam erat fructus, quod imprimis fidelium precibus commendatiores essent. Quod si praeterea perpetua illa poenitentia damnatis gradatim, ut caeteris, ad quartum ultimumque ordinem liceret evehi, quam σύστασιν vocabant, non contemnendum operae pretium extitit, si minus ad pacem et eucharistiae participationem, ad interiorem tamen orationis caeterarumque rerum societatem transferri. Quanquam vix est ut credam perpetuis illis poenitentibus postremum illum gradum patuisse, quin potius tribus prioribus definitos illos esse suspicor. Ita apud Basilium Can. LXXIII. ad Amphil. qui Christum negaverit, inter προσκλαίοντας in perpetuum relegatur. Ὁ τὸν Χριστὸν ἀρνησάμενος, καὶ παραβὰς τὸ τῆς σωτηρίας μυστήριον, ἐν παντὶ τῷ χρόνῳ τῆς ζωῆς αὐτοῦ προσκλαίειν ὀφείλει, καὶ ἐξομολογεῖσθαι χρεωστεῖ, ἐν τῷ καιρῷ ᾧ ἐκβαίνει τοῦ βίου τῶν ἁγιασμάτων ἀξιούμενος, πίστει τῆς παρὰ θεοῦ φιλανθρωπίας. Ancyranum vero Can. XXIII. eos qui voluntarium homicidium perpetraverint toto vitae tempore ὑποπτώσει subiicit: περὶ ἑκουσίων φόνων, ὑποπιπτέτωσαν μὲν, τοῦ δὲ τελείου ἐν τῷ τέλει τοῦ βίου καταξιούσθωσαν. Atqui Balsamo ad Basilii Canonem non putat illos τῶν προσκλαιόντων gradu perpetuo fuisse damnatos, sed reliquos omnes ex Ancyranae synodi praescripto percurrisse; quod haud scio an verum sit, quoniam Ancyranus Canon satis commode ad eum sensum revocari videtur. Hoc vero, quod ex Innocentii epistola colligitur, etiam Cypriani autoritas comprobat, qui in Epist. ad Anton. duo illa sic distinguit:
p. 233. *Miror*, inquit, *quosdam sic obstinatos esse, ut dandam lapsis non putent poenitentiam, aut poenitentibus existiment veniam denegandam.* Aliud itaque fuerit, poenitentiam concedere, aliud poenitentes ad spem reconciliationis admittere. Quod in Novatianis nihilominus reprehendit Ambrosius lib. I. de Poen. cap. I. *Quid autem durius*, inquit, *quam ut indicant poenitentiam, quam non relaxent?* Sed alius Ambrosii saeculo iam usus percrebuerat, nullum ut peccatorum genus amplius excluderetur. Nisi forte adhuc in Hispania quibusdam in locis antiqui moris vestigium extaret, eoque sensu Pacianus accipiendus sit, cum tria illa capitalia crimina nullam impetrare pacem veniamque pronunciat. Quorum conscios cum ad procurandum nihilominus remedium hortatur, fieri potest ut ad capessendam sine ulla spe reconciliationis poenitentiam impellat. Certe negari non potest quin obscure ac perplexe de hac re Pacianus disputet, adeo ut ex Eliberitano consessu asperiorem illam disciplinam expressisse videri possit.

Ex iis omnibus liquet procul a Novatianorum errore ac perfidia Eliberitanos patres abfuisse, nec aliud omnino nisi aut priscam ecclesiae disciplinam, sed usu iam obliteratam, denuo revocasse, aut haerentem adhuc in Hispaniis novis legi-

bus adstrinxisse, cum capitalium scelerum rei, praesertimque trium, idololatriae, homicidii et adulterii olim, ut Innocentius docet, communi consuetudine veniam nullam et absolutionem obtinerent; non quod absolvi ab ecclesia non possent, ut Tertullianus asserebat, sed quod eius, quam amplissimam a Christo susceperat, potestas usum certis finibus circunscripsisset.

Huic tam compertae exploratae que doctrinae nullos acrius repugnaturos intelligo quam qui antiquitatis ecclesiasticae minus periti veteris ecclesiae formam hodiernis ritibus institutisque metiuntur; quibus asperum et inhumanum videtur, homini ulli, qui commissi criminis dolorem ac poenitentiam prae se ferat, pacem et absolutionem denegari. Quod ipsum tamen olim certo in hominum criminumque genere servatum fuisse tot illa hactenus allata testimonia demonstrant. Quibus unum alterumve ad cumulum accedat, ut vel ab invitis assensum res ista mereatur. Ac primum idem non obscure Cyprianus indicat Epistola XIII. Cum enim lapsi quidam libellos a martyribus impetrassent, quibus freti recipi se in ecclesiae communionem impatienter peterent, consultus ea de re Cyprianus ita constituit: *Ut qui libellos a martyribus acceperunt, et praerogativis eorum apud deum adiuvari possunt, si incommodo aliquo et infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata praesentia nostra apud presbyterum quemcumque praesentem, vel, si presbyter repertus non fuerit, et urgere exitus coeperit, apud diaconum quoque facere exhomologesin delicti sui possint, ut manu eis in poenitentiam imposita, veniant ad dominum cum pace.* Hoc illis duntaxat Cyprianus indulsit, qui libellos a martyribus accepissent, caeteros, qui iisce libellis carerent, expectare tandiu iussit, donec ecclesiae pax esset reddita. Quamobrem ne in praesenti quidem mortis discrimine posterioribus illis pacem tribuit. Alioqui nihil inter istos et priores interesset, quos tamen meliori aliqua conditione uti oportuit. At enim exhomologesis apud Cyprianum sacramentalem, ut vocant, confessionem non significat, neque pax absolutioque illa perinde sacramenti pars fuit, cum etiam p. 234.
a diacono manus imponi iubeat, nisi presbyteri copia suppeteret. De exhomologesi dicam postea pluribus. Quod ad pacem reconciliationemque pertinet, sciendum est duplicem in ea partem ac velut fructum extitisse. Nam et a peccatis, hoc est culpa ipsa, quam diuturna poenitentia diluerant, absolvebantur, et in integrum restituti ad perfectum cum ecclesia fidelibusque commercium ac divinorum mysteriorum communionem adhibebantur.

Cum igitur ab antistite vel sacerdote pacem acciperent, utrumque merebantur. Sin nulla sacerdotum esset potestas, tum ecclesiae tantummodo conciliati pacem a diaconis impetrabant, cuius cumulum a sacerdote postmodum obtinerent. Quare Cyprianus libellis martyrum praeditos, si minus utrumque, alterum certe beneficium consequi voluit, quo eucharistiae saltem compotes fieri possent. Neque enim existimare licet, id quod hodie fit, prius illos a peccatis absolutos quam poenitentia, hoc est corporum poenis ac luctuosis sordibus ecclesiae satisfecissent. Huic affines, sed mitiores tamen reliquae illae canonum sanctiones ac patrum decreta sunt, quae peccatoribus nonnullis perpetuam poenitentiam ita praescribunt, nunquam ut communionem reconciliationemque, nisi in fine vitae perciperent. Cuiusmodi sunt Basilii ad Amphilochium Can. LXXIII., Ancyranus XXIII. iam a nobis citati. Accedit et Arelat. I. Canon XIV. *De his qui falso accusant fratres suos placuit, eos usque ad exitum communicare.* Toletanum quoque I. Can. XIX. sanxit, *Ut episcopi vel diaconi filia, si devota fuerit, et peccaverit, et maritum duxerit etc., si vivente marito secesserit, et poenituerit, nullo modo nisi vita deficiens, accipiat communionem.* Sed et Valentinum Can. III. de iis *qui se post*

unum et sanctum lavacrum vel profanis sacrificiis daemonum, vel incesta lavatione polluerint, statuit: *Ut his iuxta synodum Nicaenam satisfactionis quidem aditus non negetur, ne infelicibus lacrymis, vel solatii ianua desperatione claudatur, acturi vero poenitentiam usque in diem mortis, non sine spe tamen remissionis etc.* In quo mirum est, cum Nicaenus Canon XI. eorumdem reos scelerum duodecim annis duntaxat satisfacere iubeat, atque ita reconciliari, Valentinos illos patres, qui se Nicaenam synodum sequi profitentur, tanto rigidiores ac severiores fuisse. Ad haec in synodo quae Side in Pamphylia contra Massalianos habita legitur apud Photium p. XVIII. decretum est, ut quisquis post damnatam hanc haeresin seu verbis seu factis contagione illius infectum se esse prodiderit, nunquam in posterum admittatur, quamvis millies se poenitentium gradus omnes expleturum promittat: μηκέτι λοιπὸν χώραν ἔχειν, μηδ' ἂν μυριάκις ἐπαγγέληται, τὴν τάξιν ἀναπληροῦν τῶν μετανοούντων. Sic apud Eusebium l. VI. Hist. Eccl. c. μβ', vel XXXVI., Serapion senex vir egregius, quod in persecutione lapsus esset, tametsi communionem persaepe postulasset, nunquam est admissus. Οὗτος πολλάκις ἐδεῖτο, καὶ οὐδεὶς προσεῖχεν αὐτῷ, καὶ γὰρ ἐτεθύκει: ut ad Fabium scribit Dionysius Alex., qui Novatiani, adeoque Cypriani aetate floruit. Addit nihilominus Dionysius moribundum iam Serapionem a se in communionem receptum. Haec et alia superius ex antiquiorum autoritate libata planum istud faciunt, nonnunquam absolutionem postulantibus ex usu veteris ecclesiae denegatam fuisse, imo vero ne
p. 235. in ipso quidem mortis periculo plerisque concessam. Hic iustis de caussis ambigitur, utrum austeriore illo Tertulliani saeculo, quo peccatis quibusdam spem omnem reconciliandae gratiae praereptam docuimus, ne in vitae quidem exitu repraesentata communio sit, idque vulgo ac passim observatum fuerit. Sunt qui ante Cypriani tempora morem hunc in ecclesia viguisse censent; quo quidem, ut ingenue profitear, Tertulliani ac reliquorum qui disciplinae istius meminerunt propensiora testimonia sunt. Sed et Cyprianus, quoties instante obitu communionem lapsis impartiri praecipit, tacite significat recens illud esse decretum, et χθὲς καὶ πρώην ab ecclesia constitutum, quo vetus et contraria sit abrogata sanctio. Primum enim quid attinebat lapsis iis, qui libellorum praesidio niterentur, in mortis tantummodo discrimine communionem concedere, negare caeteris, si nemini sub mortem neganda pax esset? Deinde cum Romanus clerus de eodem negotio scribit ad Cyprianum, Epist. XXXI., ex ipsa loquendi ratione non obscure idem demonstrat. *Cuius*, inquit, *temperamenti moderationem nos hic tenere quaerentes, diu, et quidem multi et quidem cum quibusdam episcopis vicinis nobis et appropinquantibus, et quos ex aliis provinciis longe positis persecutionis istius ardor eiecerat, ante constitutionem episcopi nihil innovandum putamus* (de lapsis videlicet recipiendis), *sed lapsorum curam mediocriter temperandam esse credimus; ut interim dum episcopus dari a deo nobis sustinetur, in suspenso eorum, qui moras possunt dilationis sustinere, caussa teneatur, eorum autem, quorum vitae suae finem urgens exitus dilationem non potest ferre, acta poenitentia et professa frequenter suorum detestatione factorum, si lacrymis, si gemitibus, si fletibus dolentis ac vere poenitentis animi signe prodiderint, cum spes vivendi secundum hominem nulla substiterit, ita demum caute et sollicite subveniri.* Vides quam anxie quamque solicite ac post longam exactamque consultationem eo demum inclinarint ut periclitantibus, ac desperatis potius, communionem conferrent. De quo utique deliberandum non erat, si tum legitimum et usitatum esset, neminem in exitu vitae a communione prohiberi. Eadem ex Dionysii Alexandrini verbis coniectura potest elici, qui apud Euseb. lib. VI. cap. μδ', vel XXXVI., in illa Serapionis

historia, de qua superius mentionem egimus, scribit optimum illum senem appropinquante iam obitu puerum ad presbyterum misisse. Ἐντολῆς δὲ ὑπ' ἐμοῦ δεδομένης, τοὺς ἀπαλλαττομένους τοῦ βίου, εἰ δέοιντο, καὶ μάλιστα εἰ καὶ πρότερον ἱκετεύσαντες τύχοιεν, ἀφίεσθαι, ἵνα εὐέλπιδες ἀπαλλάττωνται: *Mandato a me*, inquit, *edito, ut qui ex hac vita discederent* (poenitentes scilicet ac lapsi), *si id postularent, adeoque ante suppliciter rogassent, absolverentur, quo meliori cum spe migrarent.* Postremo cum in Ancyrana synodo can. ante citato praeceptum sit, ut homicidae non nisi sub mortem reconcilientur, argumento est olim ne in morte quidem pacem illis fuisse concessam.

Sed huic assertioni nonnihil refragari videtur, quod in magna Nicaena synodo Can. XIII. sancitum legitur: Περὶ δὲ τῶν ἐξοδευόντων ὁ παλαιὸς καὶ κανονικὸς νόμος φυλαχθήσεται καὶ νῦν, ὥστε εἴ τις ἐξοδεύοι, τοῦ τελευταίου καὶ ἀναγκαιοτάτου ἐφοδίου μὴ ἀποστερεῖσθαι. Appellat παλαιὸν καὶ κανονικὸν νόμον, quo moribundis dandam pacem esse praescribitur; quod utrum ad aevum Cypriani restringi debeat, amplius cogitandum. Caeterum ad eius, quam hucusque demonstravimus severitatis ac negata communionis fidem pertinet, quod deinceps uberius disputandum nobis est, publica semel poenitentia defunctis, si eadem in crimina relaberentur, omnem ad poenitentiam ac pacem aditum maiores nostros interclusisse, aut aegre admodum ac raro tribuisse. p. 236.

POENITENTIAM AC PACEM SEMEL, AN SAEPIUS ECCLESIA VETUS INDULSERIT.

Non ad antiquissima solum ac severiora tempora dubitatio ista pertinet, sed etiam posteriora eademque commodiora complectitur. Nec de poenitentiae genere omni, sed de illa sola quaeritur quae ob atrociora delicta publice susciperetur; cui proprie pax et reconciliatio respondere dicitur. Eam vero semel in omni vita permissam iampridem eruditi viri docuerunt. Nam et istud ipsum ex vetustissimis patribus Tertullianus, ex posterioribus Augustinus et Ambrosius disertissime testati sunt. Tertulliani ex lib. de Poenit. verba sunt: *Collocavit in vestibulo poenitentiam secundam, quae pulsantibus patefaciat, sed iam semel, quia iam secundo, sed amplius nunquam, quia proxime frustra.* Scripsit autem hunc librum Tertullianus antequam ad Montani dogma descisceret, ne quis in eo cavillationi locus esse possit, idque satis ipse per sese declarat; quanquam utrum Tertulliani sit Erasmus ac Rhenanus ambigunt. Nec diffitendum est dissimili a caeteris stylo esse conscriptum, ac paulo diffusiore quam autor ille soleat. Sed sive Tertulliani sit, quod verisimilius cum Pamelio esse suspicor, sive alterius, vetustissimi plane scriptoris est et eruditi. Multo id apertius tradit Augustinus Epist. LIV. a quo cum Macedonius quidam vir primarius quaesisset, utrum pietatis putaret esse, episcopis reorum poenas deprecantibus annuere, itaque dubitasset: *Nam si a domino peccata adeo prohibentur, ut ne poenitendi quidem copia post primam poenitentiam tribuatur, quemadmodum nos possumus ex religione contendere, ut nobis qualecunque illud crimen fuerit, dimittatur?* Augustinus ita respondet: *In tantum autem hominum aliquando iniquitas progreditur, ut etiam post actam poenitentiam, post altaris reconciliationem, vel similia vel graviora committant etc. Et quamvis eis in ecclesia locus humillimae poenitentiae non concedatur, deus tamen super eos suae patientiae non obliviscitur. Ex quorum numero si quis nobis dicat, aut date mihi eundem iterum poenitendi locum, aut desperatum me permittite, ut faciam quidquid libuerit, quantum meis opibus adiuvor*

et humanis legibus non prohibeor, in scortis omnique luxuria, damnabili quidem apud dominum, sed apud homines plerosque etiam laudabili. Aut si me ab hac nequitia revocatis, dicite utrum mihi aliquid prosit ad vitam futuram, si in ista vita illecebrosissimae voluptatis blandimenta contempsero, si libidinum incita-
p. 237. *menta fraenavero, si ad castigandum corpus meum multa mihi etiam licita et concessa negavero, si me poenitendo quam prius vehementius excruciavero, si miserabilius ingemuero, si flevero uberius, si vixero melius, si pauperes sustentavero largius, si caritate, quae operit multitudinem peccatorum, flagravero ardentius: quis nostrum ita desipit, ut huic homini dicat, nihil tibi ista proderunt in posterum; vade saltem huius vitae suavitate perfruere? Avertat deus tam immanem sacrilegamque dementiam. Quamvis ergo caute salubriterque provisum sit, ut locus illius humillimae poenitentiae semel in ecclesia concedatur, ne medicina vilis esset aegrotis, quae tanto magis salubris est, quanto minus contemptibilis fuerit, quis tamen audeat dicere, quare huic homini, qui post primam poenitentiam rursus se laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterum parcis? etc.* Augustino suffragatur Ambrosius lib. II. de Poenit. cap. x. *Merito reprehenduntur, qui saepius agendam poenitentiam putant, quia luxuriantur in Christo. Nam si vere agerent poenitentiam, iterandam non putarent; quia sicut unum baptisma, ita una poenitentia, quae tamen publice agitur. Nam quotidiani nos debet poenitere peccati, sed haec delictorum leviorum, illa graviorum.* Demum Origenes Hom. xv. in xxv. cap. Levit. *In gravioribus enim criminibus semel tantum, vel raro poenitentiae conceditur locus: ista vero communia, quae frequenter incurrimus, semper poenitentiam recipiunt, et fine intermissione redimuntur.* Quam caeteri nunquam iterari contendunt, Origenes interdum, sed raro, plus semel adhiberi significat. Quare hic locus insignis est. Verum Alexandriae, atque in aliis, si forte, provinciis diversum atque in caeteris usum fuisse probabile est. Neque enim opinor, posterioris aetatis rigidior disciplina fuit, ut, cum antea poenitentiae ac reconciliationis iterandae potestas fieret, ea post primam deinceps negari coeperit. Ita quidem pronunciandum videtur, nisi aliter Origenis Graeca se habeant, aut hic eius locus interpolatus fuerit. Nam in eo doctorum consentanea iudicia sunt, poenitentiam publicam non amplius quam semel impetratam fuisse.

Ex quo perdifficilis existit quaestio, quid illis tandem hominibus factum sit qui post priorem poenitentiam in eadem scelera rursus incurrerent, verumne sit ab ecclesia reiectos illos penitus, nec ad privatam saltem aliquam receptum habuisse, cuius beneficio in integrum restituti ad divinorum mysteriorum communionem redirent. Qui antiquioris ecclesiae formam ac consuetudinem ex hodiernis institutis et moribus aestimare voluerit, facile mitiorem in partem inclinabit, nec ab omni ecclesiae sacramentorumque consortio repudiatos illos persuadere sibi poterit. Quam in sententiam copiose quidam nuper ita disseruit. Triplicem ait apud antiquos fuisse poenitentiam: publicam unam ob publica peccata, alteram privatam ac secretam propter occulta, tertiam ob eadem occulta crimina publice susceptam. Hanc vero postremam non eum tantum habuisse fructum, ut peccatorum culpam ac sempiterni supplicii noxam abstergeret; sed ut temporarias insuper poenas dilueret, ac peccatores in integrum cumulatissime restitueret. Proinde non eius copiam promiscue esse factam, neque quoties quisque peteret, facile permissam, sed in omni vita semel duntaxat. Haec ille. Ex quibus et ex iis quae consequenter disputat, velle istud videtur, istiusmodi criminum reos post priorem poenitentiam ad privatam confugisse, eiusque beneficio nihilominus communionem assecutos esse.

Sed ad veterum patrum testimonia ac priscae illius ecclesiae normam et communem adeo sensum animum adiicienti mihi parum commode pleraque explicata videntur. Etenim si graviorum delictorum conscii citra publicam illam, quam antea suscepissent, poenitentiam emergere et ad communionem pacemque reverti alterius ac privatae beneficio potuerint, nonne melior illorum quam caeterorum conditio fuit, quibus sine publica poenitentia reditus in ecclesiam non patuit? Atqui nemo tam vecors erit, qui humanius cum illis actum putet qui in eadem saepius incurrissent, et quidem horrenda flagitia, quam cum eis qui semel ea commisissent; quod ex illa opinione consequitur. Cuiusmodi vero istud est, velut gratiae ac beneficii loco publicam illam poenitentiam spisse ac difficiliter indultam? Nam si privata et occulta defungi possent et in eodem ac caeteri loco esse, quis non tanto molestiarum ac temporis compendio mallet uti cupidissimeque se, publica illa contempta, ad commodiorem alteram breviorem-que transferret? Volo enim illud mihi respondeat: Qui atrocioris culpae conscius tum primum ad poenitentiam accederet, utrum absque publica per privatam restitui potuerit, an necessario usurpanda illa fuerit. Si prius dixerint, si, inquam, necessariam illis publicam poenitentiam negaverint, antiquitatis totius memoria teste refellentur. Siquidem vetera omnia concilia omnesque canonum conditores ita publicam lapsis poenitentiam praescribunt ac tempus rationemque definiunt, ita porro Tertullianus, Cyprianus, Pacianus, antiqui ad unum omnes eosdem illos hortando, comminando, obiurgando vel invitos urgent et impellunt, ut minime hoc illis integrum fuisse significent. Restat igitur, nullo ut alio, ac ne privatae quidem poenitentiae subsidio recipi in communionem ecclesiae potuisse concedant. Quod cum dederint, tum de illis quid sentiant requiram, qui secundo in graviora peccata lapsi publica uti poenitentia non poterant, ecquid eos censeant per privatam poenitentiam reconciliari potuisse? Nam si istud asserant, necesse erit una fateantur feliciorem multo conditionem eorum extitisse qui saepius quam eorum qui semel in vita deliquissent. Quod quibus tandem persuadere poterunt? p. 239.

Cum hic sit quaestionis controversiaeque status, exponam breviter quemadmodum res tanta dissolvi meo iudicio explicarique possit. Principio peccatorum apud antiquos invenio genera fuisse duo, alia mortalia, sive capitalia dicebantur; non ut nos intelligere vulgo solemus quaecunque dei nos gratia ac spiritalibus caritatis ornamentis spoliant, sed huius generis certa duntaxat, quae cum graviora caeteris essent, tum canonibus ac synodorum decretis nominatim expressa. Haec inquam, capitalia nominabant, quibus poenae a canonibus singillatim propositae. Neque enim vetustissima illa tempora persequor, quibus ea duntaxat capitalia vocabantur quae ab omni spe communionis arcerentur, de quibus ex Paciano aliisque supra diximus. Alia vero leviora et quotidiana dicebantur, sive quae nos venialia nuncupamus, sive alioqui mortalia, sed de quibus nulla nominatim extaret in conciliorum decretis mentio. Quale verbi gratia esse potest asperius in quenquam maledictum, aut convicium, periurium, aliaque sexcenta, quae quanquam letalia sint, nullae tamen iis a canonibus erant poenae constitutae. Declarat hoc Origenes loco ante citato verbis istis. *Si vos*, inquit, *aliqua culpa mortalis invenerit, quae non in crimine mortali, non in blasphemia fidei, quae muro ecclesiastici et apostolici dogmatis cincta est, sed vel in sermonibus, vel in morum vitio consistat, hoc est vendidisse domum, quae in agro est, vel in vico, cui murus non est. Haec ergo venditio huiusmodi culpa semper reparari potest, nec aliquando tibi interdicitur de commissis huiusce modi poenitentiam ge-* p. 240.

rere. In gravioribus enim criminibus semel tantum, vel raro poenitentiae conceditur locus. Quisquis igitur prioris generis crimen aliquod perpetrasset, hic ad antistitem ac sacerdotem accedens publicae ab eo poenitentiae ius capiebat, praestituto ex canonibus modo ac tempore, quo demum expleto a peccatis absolutus communioni restituebatur, neque alia ratione, quam publice obita poenitentia, reconciliari poterat; quod infinitis locis cum PP. caeteri, tum Cyprianus evidentissime declarat. Aliorum caussa erat explicatior, quorum letalis alioqui culpa nulla canonum definitione comprehenderetur, ideoque privata poenitentia satisfaciebant, quam sacerdotis prudentia moderabatur. Ac priores illi poenitentes proprie dicebantur. Concilium Toletanum I. Can. II. poenitentes in clerum cooptari prohibet. Tum ista subiicit: *Eum vero poenitentem dicimus, qui post baptismum aut pro homicidio, aut pro diversis criminibus gravissimisque peccatis publicam poenitentiam gerens sub cilicio, divino fuerit reconciliatus altario.* Caeterum post publicam illam poenitentiam, si iisdem se criminibus obstrinxissent, ab ecclesiae aditu et a mysteriorum communione penitus exclusi reconciliari amplius non poterant; quod imprimis Augustinus affirmat. Quanquam fieri potest ut in quibusdam ecclesiis poenitentiam iterare licuerit; cum id raro, adeoque nonnunquam fieri scribat Origenes. Neque vero id aut incredibile, aut adeo mirabile videri par est, si quis animo repetat quanta in plerosque peccatores canonum austeritas et constantia fuerit, ut qui semel duntaxat graviora flagitia commisisset, inexpiabilem noxam contraheret, aut inter poenitentes assidue degens instante demum obitu pacem perciperet. Ut homicidae in Ancyrano Can. XXI., Christi negatores in Basilianis Canonibus Can. LXXI., aliaque id genus, aut iis etiam severiora quae ex superiori disputatione huc transferri possunt. Accedit quod extremo vitae tempore communione donati sunt, praesertim post Nicaenum canonem editum, quo moribundis negari viaticum prohibuit, quod ubique terrarum deinceps obtinuit.

Quoniam Novatianae haeresis cognoscendae studium et argumenti dulcedo quaedam eo nos provexit, ut de poenitentia tam multa verba faceremus, producenda paululum oratio est, ac de celeberrimo illo Nectarii facto, quo confessionem ac poenitentiam abrogasse iactatur ab haereticis, postremo disputandum. Cuius historiae tractatio ad ea quae superius exposuimus illustranda magnum adiumentum afferet, ne cui nimium haec aliena ac longinqua forte videantur.

p. 240.

DE MEMORABILI NECTARII CONSTANTINOPOLITANI PRAESULIS HISTORIA; ET UTRUM ILLE CONFESSIONEM SUSTULERIT.

Nihil ad elevandam confessionis autoritatem urgeri ab haereticis acrius solet, quam Nectarii facinus illud quod apud Socratem et Sozomenum memoriae proditum est, quo ille propter vulgatum diaconi flagitium confessionis ac poenitentiae usum abrogasse fertur. Cui quidem plerique dum occurrere ac veritati patrocinari student, in absurdas et inextricabiles fabulas aestu quodam disputationis abrepti sunt. Nonnullis etiam Cassiodori atque Historiae Tripartitae depravatus locus erroris occasionem dedit, dum ex Latinis interpretibus potius quam ex Graecis fontibus narrationem istam repetunt. Utrisque vero, sed nostris potissimum, consulere hoc capite decrevimus. Nam quod ad haereticos spectat, id me, deo iuvante, perfecturum confido, ut inscitiae anae monimentum in hac obiicienda nobis historia defixisse potius quam momentum ullum ad caussam suam attulisse aequi omnes et iniqui statuant.

Sed ut a capite ipso disputationem arcessamus, proponam ante omnia quae de hac historia Socrates ac Sozomenus scriptis commendarunt. Nam ab istis in reliquorum scriptorum commentarios facti illius est derivata memoria. Scribit igitur imprimis Socrates lib. v. cap. XIX. ex eo tempore, quo Novatiani primum emerserunt, episcopos poenitentiarium presbyterum adiunxisse, ut qui post baptismum deliquissent sua apud illum peccata confiterentur. Eundem porro Constantinopoli his de caussis abrogatum fuisse. Femina quaedam primaria ad eum confitendi caussa sese contulerat. Cui cum peccata, quae post baptismum admiserat, omnia singillatim exposuisset, obire poenitentiam iubetur, ac ieiuniis et orationibus assiduis insistere. In quo longius progressa (hoc est, ut declarat Sozomenus, diutius in ecclesia perseverans) aliud quoddam scelus suum aperuit, stuprum videlicet, quod cum diacono commiserat. Τοῦτο λεχθὲν, hoc est, *cum hoc dictum esset*, diaconus in ordinem redactus est. Fremente vero ac tumultuante plebe et flagrantibus invidia clericis Nectarius Eudaemonis cuiusdam presbyteri genere Alexandrini consilio poenitentiarium presbyterum sustulit et unumquemque suae conscientiae permisit, ut ex eius arbitrio de mysteriis usurpandis apud se statueret. Haec ad verbum Socrates, eademque Sozomenus lib. VII. cap. XVI.

Ex quibus antiquatum Constantinopoli confitendi ritum ac poenitentiae sacramentum esse sublatum post Calvinium haeretici omnes colligunt. Nostri partim confictam hanc a Novatianis historicis fabulam opponunt, in eaque, ut in aliis plurimis, mentitos illos esse defendunt, partim non sacramentalem, ut vocant, confessionem, ac tacitam, sed publicam putant esse sublatam. Sic enim p. 241.
existimant, eos qui publice poenitentiam susciperent sua quaedam crimina, quae sacerdos designasset, propalam et in frequenti ecclesiae coetu confiteri solitos, et eam ipsam publicam confessionem antiquasse Nectarium, quae non tam ad culpae promerandam veniam quam ad poenam satisfactionemque spectaret. Etenim matronam illam a diacono constupratam aiunt, cum ad publicam de more confessionem venisset, praescriptos sibi a poenitentiario sacerdote terminos egressam, imprudenter incestum una illum patefecisse. Alii conscio et autore sacerdote divulgasse malunt, quod ob eam rem ab officio remotus fuerit.

Sed de publica confessione mox. Illud interim considerandum unde tandem acceperint, mandatum mulieri, uti sua pro concione peccata omnibus ediceret. Duo sunt in Graeca narratione verba, ex quibus utcunque deduci potest. Nam apud Socratem: ἡ δὲ προβαίνουσα, καὶ ἄλλο πταίσμα ἑαυτῆς κατηγόρει .Quia προβαίνουσα dixit, et κατηγόρει, interpres ita vertit: *Mulier longius in confitendo progressa, alterius culpae seipsam insimulat.* Non recte, si quid in his video. Neque enim προβαίνουσα ad confessionem pertinet, multo minus ad publicam, quod de suo viri quidam boni solent adtextere. Sed nimirum, ut ex Sozomeno colligitur, cum in ebeunda poenitentia, in oratione, ieiunio, frequentanda ecclesia, longius procederet, alterum nefas interim commisit, et subinde declaravit (κατηγόρησεν vel κατεμήνυσεν, ut habet Sozomenus), non utique propalam, nec in publico conventu, sed privatim, et coram poenitentiario sacerdote, apud quem identidem peccata deponeret, aut etiam citra sacramentum cum eo aut alio colloquens. Quidvis denique potius, quam ut publicam ad confessionem adactam dixerimus aut mulierem istam, aut ullum omnino mortalium. Hoc igitur a sacerdote, ab antistite, a paucis denique flagitio comperto, depositus est ille diaconus, ex quo paulatim percrebescente fama rem subodoratus est populus. Hinc illae lacrymae. Mentiar, nisi manifeste is ipse, cuius autoritate nituntur, Sozo-

menus falsam illorum coniecturam redarguat. Qui instituendi poenitentiarii sacerdotis caussas disputans: Φορτικὸν, ait, ἐξ ἀρχῆς τοῖς ἱερεῦσιν ἔδοξεν, ὡς ἐν θεάτρῳ ὑπὸ μάρτυρι τῷ πλήθει τῆς ἐκκλησίας τὰς ἁμαρτίας ἐξαγγέλλειν. Πρεσβύτερον δὲ τῶν ἄριστα πολιτευμένων ἐχέμυθόν τε καὶ ἔμφρονα ἐπὶ τοῦτο τετάχασιν, ᾧ δὴ προϊόντες οἱ ἡμαρτηκότες τὰ βεβιωμένα ὡμολόγουν· ὁ δὲ πρὸς τὴν ἑκάστου ἁμαρτίαν, ὅ, τι χρὴ ποιῆσαι ἢ ἐκτίσαι ἐπιτίμιον θεὶς ἀπέλυε, παρὰ σφῶν αὐτῶν τὴν δίκην[1]) εἰςπραξαμένους. *Durum*, inquit, *et intolerandum initio sacerdotes esse iudicarunt, sic tanquam in theatro, pro ecclesiae coetu ac concione peccata pronunciare. Quare presbyterum quendam secretorum tenacem ac prudentem ei muneri praeposuerunt, ad quem peccatores adeuntes vitae suae noxas exponerent: at ille pro cuiusque peccato meritas poenas infligens dimittebat, cum a seipsis illas exegissent.* Quae Sozomeni verba publicum illud confitendi genus alienum a maiorum instituto et a poenitentiarii illius officio perspicue significant. Sed mirum quam haec absurde Latini autores interpretati sint, qui e Sozomeno hanc historiam expresse-
p. 242. runt. Nam in Histor. Tripartita lib. IX. cap. XXXV. ita scriptum est: *Quoniam omnino non peccare divinum et ultra humanam naturam esse cognoscitur, peccantibus autem et poenitentiam agentibus veniam deus dari praecepit; qui vero confiteri refugiunt, maius peccatorum onus acquirunt, propterea visum est antiquis pontificibus, ut velut in theatro sub testimonio ecclesiastici populi delicta pandantur etc.* Quae sunt veri sensus inanissima, ac non solum a Graecis Sozomeni verbis abhorrent, sed et pugnant ipsa secum. Quare haud vana suspitio est librariorum culpa vocem aliquam excidisse, atque ita restituendum esse: *Propterea visum est molestum antiquis pontificibus etc.* Nam alioqui quid opus erat ἐχέμυθον sacerdotem deligere, si velut in theatro traducendus esset poenitens et ab ipsomet aut a sacerdote illius peccata publicanda?

Quae cum absurdissima sint, et iis haud multo meliora, quae a nonnullis afferuntur, nos in ea controversia duo quaedam excutienda duximus. Alterum quorsum ille sacerdos institutus, alterum quatenus illius sit abrogata functio. Ac de Socratis fide, etsi quod ad ipsum narrationis caput attinet, nihil hoc loco dubitemus, permulta tamen ad historiam ab eodem adtexta credimus, ut Novatianorum sectam, cui erat addictus, commentis ac mendaciis sublevaret, quod plerumque usurpare consuevit. Exemplo sit e multis illud, quod sub stylum modo subiit. Scribit ille lib. v. cap. 22. Caesareae in Cappadocia eos qui post baptismum peccaverint a communione reiici, quemadmodum Novatiani instituunt. Quod est mendacissimum, ut ex Basilio eiusque poenitentialibus canonibus liquet. Loquitur vero Socrates de veteribus ecclesiarum τοπικῶν ritibus, ne quis post Basilii obitum aliter obtinuisse coniiciat. Eiusmodi igitur, hoc est confictum esse, vehementer suspicor, quod sub Novatianorum duntaxat ortum poenitentialem presbyterum constitutum esse dixit, quem cum ait τῷ κανόνι προστεθεῖσθαι ab episcopis, tecte admodum et callide Novatianae crudelitatis virus instillat, quasi tum demum totum hoc poenitentiae negotium excogitatum fuerit ac novo canone sancitum. Neque enim recte τῷ κανόνι προστεθεῖσθαι accipiunt vulgo cum interprete, ut sit *Canoni adiicere*. Nam canonis decreto vult eum presbyterum adiunctum. Quare mox sequitur hunc canonem ab omnibus aliis receptum, a Novatianis duntaxat repudiatum fuisse. Verum ut de institutionis tempore nihil pugnemus, quod ad summam haud multum interest, sic, opinior, explicare ista possumus. Cum duo apud veteres essent, ut antea docuimus, peccatorum ge-

1) Fort. εἰς πραξομένους.

nera, alia graviora et capitalia, quae nominatim canones complectebantur, quibusque publica poenitentia opus erat, leviora altera, hoc est a canonibus praeterita, primis ecclesiae temporibus, qui se prioris generis peccatis obstrinxissent, ad episcopos utplurimum adeuntes praescriptam ab iis poenitentiam explebant. Ac si quis vetustissima monimenta diligentius exploret, inveniet ab episcopis ipsis administrata ferme omnia, quae ad poenitentes attinebant, cum et pauciores adhuc Christiani forent, et rariora delicta, quae publicam poenitentiam exigerent. Posteaquam vero pariter et fidelium numerus, et maioris illa poenitentiae seges excrevit, graviora scilicet capitaliaque crimina, cum unus par omnibus esse non p. 243.
posset episcopus, vicarium sibi presbyterum substituit, quo cum laborem partiretur, quique iis potissimum audiendis vacaret qui publica poenitentia ex canonum sanctione tenerentur. Nam eos, qui privatam tantummodo desiderarent, a minutioribus presbyteris absolutos esse credibile fit. Et quidem olim absente episcopo nonnunquam a presbyteris reconciliari poenitentes solebant; sed extraordinarium ius illud erat, et identidem ab episcopo mandatum, non ordinarium ac certis hominibus in perpetuum attributum. Quare ut apud Romanos capitalium causarum cognitio primum a senatu, quoties opus erat, consulum alteri, ambobusve, aut aliis magistratibus committebatur, postea quaestione publica constituta singulis criminibus, quae quidem atrociora essent, suus est iudex ac praetor appositus: sic in ecclesia quondam poenitentium causas quibus vellet disceptandas mandabat episcopus, postea certus ac perpetuus graviorum criminum iudex, hoc est publicae poenitentiae administrator institutus est. Eiusmodi poenitentiarius ille presbyter fuit, orientibus Novatianis, si Novatiano historico credimus, a catholicis adscitus. Idem postea stupri illius occasione Constantinopoli sublatus, unaque cum eo poenitentiae publicae usus interruptus est. Poenitentiae, inquam, non confessionis publicae, quae nulla unquam in rerum natura fuit. Quod enim publica duntaxat poenitentia supressa sit, vel autor ipse post Socratem narrationis illius Sozomenus ostendit, qui idem, quod Constantinopoli abrogatum dixerat, alibi terrarum, et in occidente ac Romae potissimum perseverasse docet; quod cuiusmodi esset exponens nullum alium nisi publicae poenitentiae ritum significat, luctum videlicet, lacrymas cum poenitentium ipsorum, tum episcopi ipsius ac totius populi, ad haec ieiunia, crebras orationes ac stationes, sexcenta id genus, quorum in veteribus conciliis ac sanctorum patrum monumentis frequens est et accurata mentio. Nuspiam autem publicae confessionis usum ne litera quidem attigere Socrates ac Sozomenus; neque porro privatae, vel confessionis, vel poenitentiae meminerunt; quam utramque salvam atque incolumem etiam Constantinopoli mansisse nemini dubium esse debet. Neque quenquam moveat, quod Socrates subiicit, Eudaemonem istum, qui Nectario abrogandi poenitentiarii presbyteri consilium dedit, hortatum esse, ut unumquemque suae conscientiae relinqueret: συγχωρῆσαι δὲ ἕκαστον τῷ ἰδίῳ συνειδότι τῶν μυστηρίων μετέχειν: *Ut suapte conscientia fretus eiusque secutus arbitrium mysteria capesseret.* Nam illud inter antiquitatis ecclesiasticae peritos convenit, publicam olim poenitentiam, hoc est poenas ipsas, quibus satisfaciebant, earumque tempus ac rationem tam constanter ac severe et ad unguem observasse priscam ecclesiam, ut ante iustam ac legitimam illius functionem nefas esse putaret ad pacem et communionem accedere. Hinc acres ac vehementes illae Cypriani praesertim querelae, quas in libro de Lapsis, et in Epistolis inculcat. *Ante expiata delicta* (ait libro de Lapsis), *ante exhomologesin factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio et manu sacerdotis, ante offensam* p. 244.

placatam indignantis domini et minantis, pacem putant esse, quam quidem verbis fallacibus venditant. Hanc poenitentiae formam cum episcopi diligenter exigerent, nec nisi absoluta illa perfectaque quenquam admitterent, ablata Constantinopoli publica poenitentia, privatim unicuique moderandae illius ac terminandae potestas est facta, cum ea tamen cautione, ut nisi rite et pro delictorum modo a seipso poenas repeteret, apud deum nequaquam culpa careret. Aliquanto difficilius est quod Sozomenus disserit. Queritur enim hoc velut fraeno detracto maiorem ad omne scelus impunitatem ac licentiam extitisse: ἐπεὶ πρότερον ὡς ἡγοῦμαι μείω τὰ ἁμαρτήματα ἦν, ὑπό τε αἰδοῦς τῶν ἐξαγγελλόντων τὰς σφῶν αὐτῶν πλημμελείας, καὶ ὑπὸ ἀκριβείας τῶν ἐπὶ τούτῳ τεταγμένων κριτῶν: *Quandoquidem minora, ut opinor, erant ante peccata, cum propter eorum verecundiam, qui illa confitebantur, tum ob eorum, qui ei negotio praeerant, diligentiam ac solicitudinem.* Verum etsi Novatiani verba praestare nihil necesse sit, possunt ea tamen sic accipi uti leviora fuisse crimina doceat, quod et illa confiteri, uni videlicet alicui sacerdoti, oportuerit, utputa poenitentiario, et ab eodem inflictas poenas excipere. Sublata vero poenitentia, tametsi nihilo secius confiterentur, tamen publice nullam peccati sui significationem dabant; quod unum poenitentibus molestissimum erat et acerbissimum. Quare αἰδὼς illa et verecundia non tam ad ἐξαγγελίαν referenda quam ad publicam infamiam et poenam, quae graviorum criminum confessionem necessario sequeretur. Nam aut nulla aut leviori verecundia deinceps affecti sunt, quod scirent publica se ignominia ac tam diuturno cruciatu caituros. Ad eam mentem ac sententiam dirigi possunt, quae a Chrysostomo cum aliis in locis, tum Hom. v. de Incompr. Dei Natura, parum commode dicta videntur, ubi peccatores ea se lege negat obstringere, ut hominibus, sed ut uni duntaxat deo peccata fateantur. Διὰ τοῦτο παραιτοῦμαι, καὶ δέομαι, καὶ ἀντιβολῶ ἐξομολογεῖσθαι τῷ θεῷ συνεχῶς. Οὐδὲ γὰρ εἰς τὸ θέατρόν σε ἄγω τῶν σῶν, οὐδὲ ἀναλύσαι τοῖς ἀνθρώποις ἀναγκάζω τὰ ἁμαρτήματα· τὸ συνειδὸς ἀνάπτυξον ἔμπροσθεν τοῦ θεοῦ, καὶ αὐτῷ δεῖξον τὰ τραύματα, καὶ παρ' αὐτοῦ τὰ φάρμακα αἴτησον. *Non te,* inquit, *in scenam ac conservorum tuorum consessum prodire iubeo; neque hominibus peccata tua patefacere: imo vero conscientiam tuam coram deo aperi etc.* Etenim quod tum poenitentiae publicae usus intercidisset, peccata coram hominibus publicari desierant, hoc est externo illo squallore ac sordibus, cilicio, volutatione, reliqua omni moeroris ac luctus significatione detegi. Quamquam multa sunt a sanctissimis patribus, praesertimque a Chrysostomo in Homiliis aspersa, quae si ad exactae veritatis regulam accommodare volueris, boni sensus inania videbuntur. Quippe declamatorio illo more ad imperitam fere multitudinem exaggerandi caussa et subito quodam impetu dicendi ac calore profusa feruntur plerumque licentius. Unde ex aliorum comparatione locorum, vel conciliorum potius ac patrum, temperanda et in gyrum veritatis revocanda sunt.

p. 345. Atqui innumera sunt antiquitatis testimonia quae peccatorum confessioni, et quidem secretae ac tacitae, luculentissime suffragantur; quae cum hac una vel altera paulo obscuriore Chrysostomi sententia compensari possunt. Nam ut ego paucis absolvam, neque enim id modo agitur, quotcumque veterum PP. scripta sunt, vel conciliorum decreta, quibus poenitentiae modus indicitur, totidem confessionis arcanae firmamenta ac monimenta retinemus. Iubent antiquissima PP. atque ecclesiae consulta lapsos pro peccatorum gravitate plecti, et ab antistitibus aut sacerdotibus poenitendi leges ac conditiones accipere, ut eorum caussa cognita ac prudenter aestimata levioribus illos gravioribusve poenis coërceant. Quis nisi insanus aliter id administrari posse putet quam si peccata sua

ille ipse qui admisit exponat? Confessione igitur ac declaratione aliqua opus est. Ea vero privata ac tacita, ut hodie est, ita perpetuo fuit; nec ulla unquam publica usu ac moribus ecclesiae recepta; quod postremo loco demonstrandum suscepimus.

FUERITNE QUONDAM PUBLICA PECCATORUM CONFESSIO ECCLESIAE MORIBUS RECEPTA.

Inveteravit haec apud quamplurimos aetatis nostrae scriptores opinio, publicam peccatorum confessionem poenitentiae partem fuisse, eandemque perinde ut caetera illius officia communi usu ac consuetudine receptam. Sed cuiusmodi demum ea fuerit, quibusque definita peccatorum generibus, non eodem modo pronunciant omnes, verum alii tolerabilem, alii prorsus absurdum hunc errorem interpretatione sua faciunt.

Fuere qui nullum peccatorum genus a publicae lege confessionis exciperent, ne occulta quidem, quos prudentiores caeteri merito reiiciendos putant. Alii publica duntaxat crimina vulgoque cognita publicae illi professioni subiiciunt. Alii denique certa duntaxat ex omnibus a poenitentiae praesidibus delecta contendunt. Rursus aliqui poenitentes ipsos asserunt in concionem productos sua propalam peccata confessos, alii, quo illorum pudori consuleretur, eas partes sacerdotibus damnandas putarunt, qui aut memoriter, aut ex scripto poenitentium crimina in populum efferrent.

A quibus omnibus vehementer ego dissentio. Neque enim adduci possum ut existimem legem ullam in ecclesia fuisse unquam eiusmodi, quae peccata proferri publice decreverit. Fuerit enim interdum aliquis, qui abundantia quadam doloris ac pietatis delicta sua coram omnibus exposuerit, nequaquam tamen id in exemplum consuetudinemque iure potest transferri. Sed ut magis in arcem quaestionis illius involemus, utriusque momenta partis et pondera diligenter p. 246.
aestimanda sunt, negantis, inquam, meae et affirmantis alterius.

Haec igitur ex Nectariana illa historia nata potissimum videtur. Quam cum nostri acerrime ab haereticis opponi cernerent, neque alium exitum difficultatis expedire possent, ingeniose istud ac solerter excogitarunt. Videbant enim id omnino sublatum a Nectario, unde tanta se invidiae flamma concitasset. Hoc autem quid aliud esse, quam id ex quo matronae stuprum ac diaconi flagitium manarat in populum? Eam vero procul dubio confessionem fuisse, quod ita latine apud Socratem legeretur: *Mulier longius in confitendo progressa.* Nefas autem est arbitrari privatam et a Nectario confessionem extortam, et quod caput est, ab illius successore Chrysostomo minime revocatam. Ob eas causas dubium nemini fuit quin praeter privatam illam ac legitimam, et vero necessariam, quaerenda esset altera, constituendaque publica. Cui stabiliendae asserendaeque varia postmodum praesidia conquisierunt, ex quorumdam PP. autoritatibus, tum vero exhomologesin illam eo traxerunt, cuius antiquitas omnis Christiana persaepe meminit. Haec illorum ratio fuit. Nostra vero est eiusmodi. Cum de priscis ecclesiae ritibus agitur, nihil temere nec absque veterum scriptorum expressis testimoniis afferendum. Neque enim id unum intueri satis esse, quam te probabiliter e laqueis quaestionis alicuius explices, quod in scholasticis controversiis usu venit, sed quodcunque demum antiquioris ecclesiae moribus adscripseris, huius ex historia tibi veritatem esse praestandam. Iam vero hic ille confessionis publicae mos, quo de agitur, non modo solidum habet nihil, aut expressum ex omni vetustatis memoria, quo tueri sese possit, sed multis validis-

simisque rationibus evertitur. Sed repugnat prae caeteris gravissima S. Leonis sanctissimi pontificis auctoritas, qui hanc profitendorum publice scelerum consuetudinem tanquam apostolicae regulae contrariam improbat Epistola LXXX. cap. 2. Cuius verba hic omnino describenda sunt. *Illam*, inquit, *etiam contra apostolicam regulam praesumptionem, quam nuper agnovi a quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri (de poenitentia videlicet, quae ita a fidelibus postulatur), ne de singulorum peccatorum genere libellis scripta professio publice recitetur, cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudanda, quae propter dei timorem apud homines erubescere non veretur, tamen quia non omnium huiusmodi sunt peccata, ut ea, quae poenitentiam poscunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis consuetudo, ne multi a poenitentiae remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis sua facta reserari, quibus possint legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio, quae primum deo offertur, tum etiam sacerdoti, qui pro delictis poenitentum precator accedit.* His verborum sententiarumque fulminibus commentum illud publicae confessionis percellitur. Si enim ne volentibus quidem atque ultro flagitantibus criminum reis publice ista pronunciari passus est, eamque *contra traditionem*
p. 247. *apostolicam praesumptionem* esse definit, estne ut reiectum ac damnatum tanti pontificis iudicio morem legitimum aliquando fuisse putemus et communi ab omnibus ecclesiae iure servatum? Atenim plerique sic respondent: Leonem de occultis duntaxat criminibus loqui, quae publice confiteri nemo debuerit, non autem de publicis, quae unica publicae confessionis seges extitit. Commodius isti sane, qui ab hac publici lege dedecoris occulta saltem excipiunt: quod ne alii quidem remittunt. Quorum nonnulla temeritas Tridentini concilii voce ac decreto notatur. Etenim Sess. XIV. cap. v. cum docuisset publicam confessionem *nullo divino praecepto mandatam* fuisse, statim adiicit, *nec satis consulte humana aliqua lege praeciperetur, ut delicta, praesertim secreta, publica essent confessione aperienda.* Divinum prorsus ac tanto consessu dignum oraculum, ex quo non modo de secretorum criminum, sed etiam publicorum publica professione colligi potest nulla unquam humana, hoc est ecclesiastica lege, quam divino praecepto Tridentini patres opponunt, poenitentibus impositam fuisse, ac ne imponi quidem prudenter potuisse. Siquidem vox illa *praesertim* hanc habet vim, ut caetera quoque parum consulte pronunciari censeantur, adeoque quae de illis publice confitendis lata fuerit lex inconsulta sit minimeque prudens, etsi altera quae de secretis idem statueret, prudentiae minus habeat. Apparet igitur ex Tridentinorum PP. sensu nullam unquam istiusmodi legem extitisse, quae ad publicam quoruncumque peccatorum confessionem poenitentes adstringeret. Quare Leonis etiam decretum ad omnia peccatorum genera pertinet. Atque vel ex eo, quod fateri isti coguntur, publica solum crimina confitenda fuisse, non occulta, nullam omnino confessionem publicam lege constitutam esse validissime probabitur. Etenim cum ob graviora duntaxat et capitalia scelera poenitentia publica praescripta sit, qui haec publice omnibusque consciis admisisset, cum publice postea poeniteret, quid ea confiteri necesse habuit, aut qui tandem in illis publice profitendis pudor ac verecundia, cui in abroganda confessione Nectarius consultum esse voluerat? Queritur Sozomenus sublato hoc ipso, quodcunque tandem Nectarius antiquavit, velut fraeno quodam detracto, maiorem ad omne scelus licentiam homines habuisse, cum ante τῆς ἐξαγγελίας metus illos ac verecundia coërceret. Nostri hoc ad publicam confessionem transferunt. Si, ut volunt, publi-

corum duntaxat, quis ille tantus pudor fuerit non video, aut quis praecipuus ex ea fructus, quodque ad deterrendos a flagitiis homines momentum, cum ignota quae profiterentur essent nemini. At seclusa confessione publicus ille poenitentium luctus, abiectio ipsa sui, sordes, lamentatio, supplicatio, caeteraque id genus satis magnam verecundiam praeter sensum doloris attulerunt, quibus refraenari a vitiis et in officio contineri possent. Quam et ipsam fateor publicam quandam peccati professionem fuisse. Ad quam accesserit sane nonnunquam etiam expressa verbis altera et publica, sed quam non ulla ecclesiastica lex praescriberet, ac ne permitteret quidem fortasse, sed vehemens potius dolor ac pietatis sensus extunderet. Denique quod a paucis aliquando factum, idque perobscure, colligitur, non id in consuetudinem, ac multo minus in legem, debet referri. Quod prudentissime ab eodem illo Tridentino concilio declaratur his verbis: *Etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum et sui* p. 248.
humiliationem, cum ob aliorum exemplum et sui humiliationem, tum ob ecclesiae offensae aedificationem, delicta sua publice confiteri possit, non est tamen hoc divino praecepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege praeciperetur etc. Addam et aliud denique, ut quam parum sibi opinio illa constet omnes intelligant. Qui poenitentiae publicae partem confessionem aeque publicam faciunt, iidem maiori ex parte occulta crimina palam declarari negant oportuisse. Atqui saepenumero propter occulta solum, et ab ipso qui commiserat sponte prodita, publica est indicta poenitentia. Caruit tum igitur aliqua sui parte, et quidem necessaria, publica illa poenitentia. Quod autem etiam arcanis sceleribus publice inflicta poenitentia sit, fidem faciunt antiquissimi canones, imprimis Basilii, qui Can. LXI. ad Amphilochium, de fure sic praecipit. Si quis sponte sua commissum fateatur, ut uno duntaxat anno poenitentiam obeat. Sin convictus ac deprehensus fuerit, biennio. In Conc. Carthag. III. Can. XXXII. decretum est, *ut presbyter inconsulto episcopo non reconciliet poenitentem, nisi absente episcopo, et necessitate cogente. Cuiuscunque autem poenitentis publicum et vulgatissimum crimen est, quod universa ecclesia noverit, ante apsidem manus ei imponatur.* Haec ipsa concilii sanctio clarissime significat, alia praeter publica fuisse peccata, quae poenitentia coërcerentur, cum a caeteris publica nominatim excipiat. Deinde nec illud obscure colligitur, si ulla, qualem isti fingunt, publica fuisset peccatorum confessio, perraro tamen usum illius incidisse. Nam si publice et in frequenti ecclesiae conventu iam ea prodidissent, cur in manifestissimis duntaxat certisque criminibus manus iis ante absidem imponitur? Quippe omnium sine ullo discrimine poenitentium peccata iam erant illorum confessione manifesta. Neque vero dici istud potest, illustri aliqua autoritate veterum ac patrum niti confessionem istam publicam. Nam praeter Nectarianam, uti diximus, historiam nihil est admodum, ad quod coniectura illa possit adhaerescere. Sed hoc quam inane praesidium sit copiose demonstravimus. Intellectum est enim, non mulieris publica et ecclesiastica confessione, sed aliunde stuprum illud esse compertum, totam denique publicae confessionis tragoediam ab interpretis errore derivatam, qui ad id, quod Socrates scripserat, *longius progressam esse mulierem*, levi additione, sed magna veritatis fraude *confitendi* vocabulum adiunxit. Caetera denique ita composita explanataque sunt, nullum ut inde fucum coloremque sibi ementita illa confessio possit arcessere. Superest Origenis unus alterve locus, qui publicae confessionis suspicionem aliquam possit iniicere. Sed si diligentius consideretur, adversus illos ipsos magnopere pugnat, qui eius se praesidio defendunt. Origenes itaque Hom. II. in Ps. XXXVII. ea Davidis verba declarans: *Amici mei et proximi*

mei adversum me appropinquaverunt et steterunt, haec ad poenitentem refert, qui peccato suo medicinam facere volens amicorum contemptum irrisionemque negligat. *Si ergo*, inquit, *huiusmodi homo memor delicti sui confiteatur quae commisit, et humana confusione parvipendat eos qui exprobrant eum confitentem et notant vel irrident, ille autem intelligens per haec sibi veniam dari etc. Si ergo sit aliquis ita fidelis, ut si quid conscius sit sibi, procedat in medium, et ipse sui ac-*
p. 249. *cusator existat, hi autem qui futurum dei iudicium non metuunt, haec audientes cum infirmantibus quidem non infirmentur, cum scandalisantibus non uranter, cum lapsis non iaceant, sed dicant, Longe te fac a me, neque accedas ad me, quoniam mundus sum, et detestari incipiant eum quem ante admirabantur, et ab amicitia recedant eius qui delictum suum noluit occultare, super his ergo consequenter dicit, qui exhomologesin, id est confessionem, facit etc.* Sed postea clarius idem declarat, cum ad sui accusationem et confessionem adhortans, ita loquitur: *Tantummodo circumspice diligentius cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere etc., ut ita demum si quid ille dixerit, qui se prius et eruditum medicum ostenderit, et misericordem, si quid consilii dederit, facias et sequaris, si intellexerit et praeviderit talem esse languorem tuum, qui in conventu totius ecclesiae exponi debeat et curari, ex quo fortassis et caeteri aedificari poterunt, et tu ipse facile sanari, multa hoc deliberatione et satis perito medici illius consilio procurandum est.* Hactenus Origenes. Nullus in omni vetustate locus est, ex quo validius id affirmari putent, quod de publica confessione sentiunt. Nam in posteriori maxime sententia delectum peccatorum a sacerdote faciendum insinuat, quae poenitens ad omnium utilitatem publice profiteatur. Atqui nihil istos Origenes adiuvat, imo vero obest vel plurimum; quandoquidem de arcanis occultisque peccatis, non publicis loquitur, de iis, inquam, peccatis ista pronunciavit Origenes, quibus illa, quam suadet, confessione patefactis, qui confitentem amabant et admirabantur antea, deinceps velut ab impuro contaminatoque discedant, ut in priore loco narrat. Item eiusmodi peccata illa sunt, quae confiteri iubet, ut non temere in publico conventu debeant exponi, sed cum accurata deliberatione et sacerdotis consilio, quod posterior locus admonet. Quamobrem occulta illa sunt, non publica atque manifesta, de quibus publice confitendis ne deliberandum quidem esset, si id publicae poenitentiae ratio et ecclesiae lex necessario postularet. Cum igitur publicae confessionis patroni nullam occultorum criminum, sed publicorum duntaxat, publicam confessionem legitimam fuisse velint, idque et Leonis Magni decretum, et Tridentini concilii autoritas evincat (neque enim eiusdem opinionis alios quosdam moramur, qui ex arcanis ipsis criminibus quaedam etiam ad publicam professionem designata censent, quorum est minus tolerandus error) plurimum abest, ut ex illis Origenis testimoniis operae pretium ullum ad commenti sui patrocinium faciant. Quae cum ita sese habeant, aliter Origenis accipienda illa verba sunt, cum publice accusanda, confitenda, aut exponenda peccata dicit, vel exhomologesin instituendam, quod apud caeteros patres, imprimisque Cyprianum frequenter occurrit. Neque enim perpetuo legitima aliqua peccatorum declaratio ac singulorum expositio istiusmodi vocabulorum formulis intelligitur, sed ea plerumque professio, quae factis ipsis ac ponitentium officiis editur, aut si ore fortassis ac verbis, non ea singulorum criminum condicto loco ac tempore confessio fuit, ut vel ex scripto, vel ex memoria pronunciarentur, sed generalis scelerum agnitio et improbitatis suae professio ac detestatio, cuiusmodi esse videtur generalis illa confessionis formula quam accuratae ac privatae peccatorum explicationi, aut

incruento missae sacrificio celebrando praemittimus. Neque tamen inficior, quin p. 250.
exhomologesis interdum veram et sacramenti propriam adeoque privatam peccatorum expositionem significet, sed caute ac prudenter in huius vocis interpretatione versandum est, ut ex ipso narrationis contextu, quo sensu a patribus usurpata sit, diiudicare possimus. Quam ad rem egregius est Tertulliani locus lib. de Poenit. cap. IX. *Huius*, inquit, *igitur poenitentiae secundae, et unius, quanto in arto negotium est, tanto operosior probatio est, ut non sola conscientia praeferatur, sed aliquo etiam actu administretur. Is actus, qui magis Graeco vocabulo exprimitur et frequentatur, exhomologesis est, qua delictum domino nostro confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione poenitentia nascitur, poenitentia deus mitigatur. Itaque exhomologesis prosternendi et humilificandi hominis disciplina est, conversationem iniungens misericordiae illicem.* Sed de ἐξομολογήσεως notionibus variis iampridem multa sunt a viris eruditis observata. Nos apud Cyprianum animadvertimus exhomologesin pro poenitentiae publicae certa functione sumi, quae uni ex quatuor poenitentium gradibus praecipue conveniret: nimirum ὑποπτώσει, quae tertio loco numeratur. Nam qui in eo gradu censebatur, ἐντὸς τῆς τοῦ ναοῦ πύλης, intra templi portam admissus, cum catechumenis facessere iubebatur, ac certis diebus coram episcopo procidens impositione manuum ac solenni precatione impertitus dimiti solebat. Unde ὑπόπτωσις est dicta, quod ὑπέπιπτον, hoc est coram antistite procidebat, qui cum omni populo procidens et ipse primum, tum exsurgens manus, uti dixi, poenitentibus imponebat. Quod luculente cumprimis declaratur a Sozomeno lib. VII. cap. XVI., ubi poenitentiae formulam exponit, quae Constantinopoli abrogata Romae perpetuo mansit. Qua in Sozomeni descriptione plurima sunt quae ad omnes poenitentiae gradus pertinent, non pauca ad ὑπόπτωσιν referuntur. Cur autem exhomologesin huic tertio poenitentiae gradui potissimum assignem, Cypriani autoritas movet, qui post alias poenitentiae functiones exhomologesin collocare solet, et reconciliationi ac communioni propiorem ostendere. Sic in Epistola X. ad Clerum, *Nam cum in minoribus peccatis*, inquit, *agant peccatores poenitentiam iusto tempore, et secundum disciplinae ordinem ad exhomologesin veniant, et per manus impositionem episcopi et cleri ius communicationis accipiant, nunc crudo tempore persecutione adhuc perseverante, nondum restituta ecclesiae ipsius pace ad communicationem admittuntur, et offertur nomen eorum, et nondum poenitentia acta, nondum exhomologesi facta, nondum manu eis ab episcopo et clero imposita, eucharistia illis datur.* Sic Epist. XI. post actam poenitentiam subiicit exhomologesin. Et Epist. XII. *Nam cum in minoribus delictis, quae non in dominum committuntur, poenitentia agatur iusto tempore, et exhomologesis fiat inspecta vitae eius qui agit poenitentiam, nec ad communicationem venire quis possit, nisi prius illi ab episcopo et clero manus fuerit imposita.* Idem in Orat. de Lapsis, et alibi saepius eodem ordine commemorat. Quinetiam Tertullianus lib. de Poenit. enumeratis omnibus poenitentium incommodis ac vexationibus, haec infert: *Miserum est sic ad exhomologesin pervenire. Malo enim ad miseriam perveniri. Sed ubi poenitendum est, desinit miserum, quia factum est salutare.* Ex quibus perspicuum redditur, ante exhomologesin multas poenitentium actiones alias antecessisse, illam autem ὑποπτώσεως peculiarem esse, quia στάσεις non iam *miseria* dici potest, cum status hic poenitentiae commodissimus p. 251.
omnium extiterit. At ὑπόπτωσις multas acerbissimasque molestias habuit et maiore cum verecundia coniuncta fuit, cum in media populi concione sistens sese peccatorem profiteretur, ac generalem exhomologesin concipiens lacrymis

atque eiulatibus instaret ardentius. Propterea concilium Ancyranum, ut supra vidimus, Can. XIX. voluntarii parricidii reos toto vitae tempore ὑποπίπτειν iubet.

Atque eandem esse caussam suspicor, cur poenitentium nomine saepe illi soli comprehendantur a conciliis et patribus, qui in tribus primis gradibus haererent. Nam in liturgiis ac sacrificiis post scripturarum lectionem et divini verbi praedicationem priusquam ad arcana augustioraque mysteria progrederentur, catechumenos, energumenos cum poenitentibus facessere diaconus imperabat. Dionysius lib. de Eccles. Hierar. cap. III. καὶ μετὰ ταύτας (lectiones sacras) ἔξω γίνονται τῆς ἱερᾶς περιοχῆς οἱ κατηχούμενοι, καὶ πρὸς αὐτοῖς οἱ ἐνεργούμενοι, καὶ οἱ ἐν μετανοίᾳ ὄντες. Sic in Constit. Apost. lib. VIII. cap. IX. Καὶ ὁ διάκονος λεγέτω,' Απολύσθε οἱ ἐν μετανοίᾳ. Verbum τοῦ ἀπολύειν *missam*, sive *missionem*, significat, ut in expositione Fidei Catholicae in fine operis huius videbimus. Poenitentium itaque discessio fiebat, duntaxat eorum qui in tribus primis gradibus censerentur, uti veteres canones nos docent, praesertim Gregorii Thaumaturgi undecimus, idque pluribus Zonaras et Balsamo interpretes observant. Nam qui in quarto gradu, hoc est τῇ συστάσει, numerabantur, cum fidelibus perseverabant: ἡ σύστασις, ait Thaumaturgus, ἵνα συνίσταται τοῖς πιστοῖς, καὶ μὴ ἐξέρχηται μετὰ τῶν κατηλουμένων. Hincmarus in Epistola ad Hincmarum Laudunensem episcopum, quam Instellus citat: *Quidam iubentur usque ad missam catechumenorum manere in ecclesia. Quidam autem sola intra ecclesiam fidelium oratione iungi sacrae mysteriorum celebritati, a dominicae autem mensae convivio segregari.* Quocirca οἱ ἐν σύστασει ὄντες extra poenitentium ordinem ex illa canonum ac PP. loquendi ratione secreti sunt.

QUONAM IN POENITENTIAE GRADU SACRAMENTALIS ABSLUTIO CONCESSA FUERIT.

Ex quo illa sane non levis existit quaestio, quonam tempore, quove in gradu postremam illam a peccatis absolutionem poenitentes obtinerent. Quod enim subinde post editam peccatorum confessionem absolvi non solerent, idque nonnisi expleto poenitentiae tempore consequerentur, pluribus antea demonstratum est. Nunc illud merito dubitatur, utrumnam quarto insuper gradu, hoc est συστάσει, prius defungendum illis fuerit quam sacramentalem, ut vocant, absolutionem impetrarent, an post ὑπόπτωσιν absolverentur a peccatis illi quidem, sed nondum tamen ad dominici communionem corporis admitterentur. Ac videri sane
p. 352. potest, post ὑπόπτωσιν peccatorum illis veniam, hoc est sacramentalem illam relaxationem esse concessam. Nam cum tertio ex illo gradu ad σύστασιν emerserant, poenitentes esse quodammodo desinebant, ut paulo ante declaravimus. Quod argumento esse potest, relaxata iam illis ac condonata esse crimina, propter quae in illam obeundae poenitentiae necessitatem incurrerant. Adde omnia illis, uno excepto domini corpore, cum caeteris fidelibus fuisse communia, locum imprimis ac tempus orationis. Neque enim cum poenitentibus exibant, nec alibi, quam ubi fideles caeteri, versabantur. Tum sacrificia ipsa et liturgias, quorum citra communionem erant participes. Deinde vero nemini dubium illud est, per impositionem manuum, caetera ut omittam, peccatorum illis temporibus tributam esse veniam. Docent hoc innumera Cypriani testimonia, quorum hactenus pleraque produximus, in quibus per manus impositionem pax et reconciliatio communicatioque conceditur. Tum in Carthag. Conc. IV. Can. LXXVI. de eo qui poenitentiam in infirmitate postulat: *Et si continuo*, inquit, *creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem et infundatur ori eius eucharistia.*

Item Can. LXXVIII. *Poenitentes, qui in infirmitate viaticum eucharistiae acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si supervixerint.* In Constit. Apost. lib. II. cap. XLI. ἡ χειροθεσία poenitentibus ἀντὶ τοῦ λούσματος esse dicitur. At vero manus impositio propria τῆς ὑποπτώσεως fuisse videtur. Quo in gradu poenitentes sub episcopi manus subibant; unde τῆς ὑποπτώσεως vocabulum deductum. Atque hoc ante postremam absolutionem ac reconciliationem saepius factitabant. In Laodic. Can. XIX. ubi liturgiarum celebrandarum forma praescribitur, περὶ τοῦ δεῖν ἰδίᾳ πρῶτον μετὰ τὰς ὁμιλίας τῶν ἐπισκόπων καὶ τῶν κατηχουμένων εὐχὴν ἐπιτελεῖσθαι, καὶ μετὰ τὸ ἐξελθεῖν τοὺς κατηχουμένους, τῶν ἐν μετανοίᾳ τὴν εὐχὴν γίνεσθαι, καὶ τούτων προελθόντων ὑπὸ χεῖρα, καὶ ὑποχωρησάντων, οὕτως τὰς εὐχὰς τῶν πιστῶν γίνεσθαι τρεῖς. Agathense Conc. Can. XV. *Poenitentes tempore, quo poenitentiam petunt, impositionem manuum et cilicium super caput a sacerdote, sicut ubique constitutum est, consequantur.* Item Carthag. IV. Can. LXXX. *Omni tempore iciunii manus poenitentibus a sacerdotibus imponatur.* Itaque cum ab ὑποπτώσει ad quartum ordinem ac postremum migrarent, probabile est per impositionem manuum sacramentalem illis absolutionem impertitam fuisse. Neque enim, quod sciam, antiqui canones post σύστασιν poenitentibus impositam esse significant, sed eam impositionem cum ὑποπτώσει coniungunt. Quae coniectura si cui forsitan placuerit, ad nonnulla patrum loca transferri accommodarique poterit, in quibus poenitentia sine communione certis peccatoribus concessa legitur. Ut cum Innocentius papa scribit, olim iis, qui reconciliationem sub extremum tempus vitae postulabant, negata communione, concessam esse poenitentiam. Nam poenitentiae nomine sacramentalis absolutio potest intelligi quam citra dominici corporis participationem impetraverint. Cyprianus insuper Epist. XI., *ante actam*, inquit, *poenitentiam, ante exhomologesin gravissimi atque extremi delicti factam, ante manum ab episcopo et clero in poenitentiam impositam.* Ibi poenitentia pro absolutione usurpari videtur, ut et alibi passim, quoties de reconciliatione loquens iis verbis utitur, *manu in poenitentiam imposita.* Quocirca in fine τῆς ὑποπτώσεως fortean manus in poenitentiam imposita fuit, hoc est absolutio reconciliatioque data poenitentibus, sic ut tantisper a mysteriis abstinerent. p. 253.

Verum ne huic coniecturae nimium confidam, unum illud facit quod vetustissimi patres, imprimisque Cyprianus post exomologesin extremamque manuum impositionem statim ad mysteriorum communionem ius habuisse poenitentes non obscure demonstrant. Sic in Epist. X. ad Clerum: *Num cum in minoribus peccatis* (Cypriani verba sunt) *agant peccatores poenitentiam iusto tempore, et secundum disciplinae ordinem ad exomologesin veniant, et per manus impositionem episcopi et cleri ius communicationis accipiant, nunc crudo tempore, persecutione adhuc perseverante, nondum restituta ecclesiae ipsius pace, ad communicationem admittuntur, et offertur nomen eorum, et nondum poenitentia acta, nondum exomologesi facta, nondum manu eis ab episcopo et clero imposita, eucharistia illis datur.* Idem repetit Epist. XI. ac XII. et sexcentis aliis locis. Ex quibus efficitur, nonnisi peracta poenitentia, et sub finem συστάσεως postremam illam manuum impositionem, qua sacramentalis absolutio continebatur, poenitentes obtinuisse. Nihil enim inter pacem et reconciliationem ac mysteriorum participandorum ius interponendum videtur, et utrumque communionis appellatione comprehenditur. Hic igitur ἐπέχω, deque ea re doctorum et antiquitatis ecclesiasticae consultorum hominum iudicium expecto.

N. I. Οὗτος ὁ Ναβάτος.] De Novati et Novatiani discrimine actum est initio superioris diatribae. Quo tempore vero, quisquis ille est, haeresis autor extiterit,

dubitat Epiphanius, haesitationem hallucinatione cumulat; non eiusmodi quam ei falso Scaliger affinxit ad Eusebii annum MMCCLXII. *Epiphanius*, inquit, *parum caute hanc persecutionem* (Maximi scilicet) διωγμὸν πρῶτον *vocavit, haeresi* LIX., *hoc est Novatianorum. Sed multis eiusmodi naevis Epiphanium insignitum esse sciunt, qui eum legerunt.* Nos non negamus plures apud Epiphanium naevos esse. Sed illud primo constanter atque audacter asserimus, illum ipsum Epiphanii castigatorem non naevis insignitum esse aliquot, sed ulceribus et carcinomatibus, quibus non curandis, neque enim ἰάσιμα sunt, sed amputandis, iamdudum navamus operam. Deinde naevum istum, quem notat, in Epiphanio nullum esse, sed in ipsummet redundare Scaligerum. Quos enim oculos habuit ille, qui scribere potuit, Epiphanium Maximini persecutionem primam appellare? Nam graece ita legitur: Οὗτος ὁ Ναβᾶτος τῆς Ῥωμαίων ὑπῆρχεν ἐν καιρῷ τοῦ διωγμοῦ τοῦ πρὸ Μαξιμίνου γενομένου πρώτου. Quae ita Cornarius vertit: *Hic Novatus Romae fuit, tempore persecutionis quae ante Maximinum prima fuit.* Cui et nostra interpretatio consentanea est. Non igitur Maximini persecutionem primam appellat, sed eam cuius tempore exortus est Novatus illam antecessisse dicit. In quo peccat dupliciter. Primum quod ante Maximini persecutionem Novatianorum haeresim a Novato conflatam esse significat. Nam aliquot annis post Maximini obitum emersit. Eusebius ad annum primum Galli et Volusiani, *Novatus*, inquit, *presbyter Cypriani Romam veniens Novatianum et caeteros confessores sibi sociat, eo quod Cornelius poenitentes apostatas recepisset.* Idem vero Histor.
p. 254. lib. VI. cap. 43. ex Dionysio Alexandrino refert Novatiani schisma propter eos coortum esse, qui in Decii persecutione lapsi ad poenitentiam recepti fuerant. At post Maximinum successere Gordianus annis VI., Philippus annis VII. Quos excepit Decius, qui uno alterove imperavit anno. Tum Gallus et Volusianus. Alterum Epiphanii μνημονικὸν σφάλμα, quod proxime ante Maximini persecutionem Decii aut Aureliani διωγμὸν collocandum esse non sine dubitatione putat. Nam Maximini persecutionem secuta est, ut vidimus, Deciana, Aurelianus vero XX. circiter anno post Decii mortem imperare coepit. Ex quo in alterius hallucinationis suspitionem adducitur Epiphanius, ut Maximinos ambos, nempe superiorem illum, qui Alexandrum Mammeae filium occidit, et recentiorem alterum, qui Diocletiani et Maximiani persecutionem propagavit, sub Constantini imperatoris primordia, inter se confuderit. Nam Maximini posterioris, sive potius Diocletiani persecutionem Decius et Aurelianus antecedunt.

Διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας ταύτης.] Corr. ταύτην.

Καὶ μετὰ τὴν μετάνοιαν τὴν μεταμέλειαν.] Μετάνοιαν intelligit baptismum, quod λουτρὸν τῆς μετανοίας appellatur, ut a Iustino c. Tryph.

N. II. Σφάλλει δὲ αὐτοὺς τὸ ῥητόν.] Hunc apostoli locum veteres omnes ad baptismum pertinere putant. Recentiores quidam de poenitentia, etiam quae post baptismum suscepta sit, acceperunt. Quod autem impossibile esse dixit apostolus eos qui baptizati semel fuerint, instaurari ad poenitentiam, hic impossibile idem esse volunt, quod difficillimum. Quo sensu Tertull. lib. de Bapt. quod in evangelio scriptum est: *Quae impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud deum*, his verbis expressit, *perdifficilia penes homines, facilia penes deum.* Recentiorum interpretum opinionem adiuvant, quae de poenitentiae vetere in ecclesia difficultate supra disseruimus.

Οὐκ ἐξυδαρευομένη.] Casaubonus Exercitt. I. n. VIII. ridicule hanc vocem interpretatur. Nam ἐξυδαρεύεσθαι τὴν μετάνοιαν dictum putat pro eo quod est vilem

reddere. Sed mirum quantum hallucinatur. Nam ἐξυδαρεύεσθαι est ὑδαρῆ, hoc est dilutiorem ac molliorem fieri. Qua in significatione aliis locis utitur.

Καὶ τὴν φιλανθρωπίαν μὴ ἀνακάμπτουσα.] Fort. ἀνακόπτουσα.

N. III. Οὗτοι δὲ οὐ βούλονται διδαγμοῖς.] Corr. διγάμοις. Sed religione quadam inducti communem ac depravatam lectionem repraesentavimus, quod iam minime probamus. Caeterum Novatianos cum digamis communicare noluisse praeter autores illos qui de haeresibus scripserunt docet etiam Canon VIII. Nicaenae synodi, qui de reconciliandis Novatianis editus est. Idem et Socrates testatur lib. V. cap. XXII.

Ὁ δὲ μὴ δυνηθεὶς τῇ μιᾷ ἀρκεσθῆναι.] Depravatus sine dubio iste locus est. Nam quae proxime sequuntur, evidenter demonstrant id Epiphanium velle, licere non modo post coniugis mortem, sed eo quoque superstite, si causa legitima quaepiam intercesserit, alteras inire nuptias. Nam si de secundis duntaxat post mortem ageret, quorsum haec adiiceret, ἕνεκέν τινος προφάσεως πορνείας etc., *ob aliquam stupri, adulterii, vel alterius flagitii caussam?* Tum id clarius subinde, cum dicit, ἀλλ' ἀπὸ μιᾶς ἀποσχεθεὶς, δευτέρᾳ, εἰ τύχοιν, νόμῳ συναφθῆναι. Quocirca non dubito quin ita corrigendum sit: τελευτησάσῃ, ἢ ἕνεκέν τινος etc. Ut duo sint digamiae genera, primum uxore mortua, secundum post divortium, al- p. 255.
tera sibi copulata. Ita quidem Epiphanius. Sed ut illis temporibus nondum ea res ab ecclesia definita prorsus fuerit, hodie tamen, praesertimque post editum a sacrosancta Tridentina Synodo canonem, aliter sentire nefas quam superstite priori coniuge, etiam post legitimum divortium, alteris copulari nuptiis nunquam licere. Quae et Augustini, Hieronymi aliorumque PP. sententia fuit. A qua tametsi nonnullorum PP. autoritates ac decreta abhorrere videantur, quae apud Gratianum parte II. Caussa XXXII. Quaest. VII. commemorantur, et Caietanus cum aliquot recentioribus theologis contrariam in sententiam discesserit, longe potior est ecclesiae totius vox et consensio, quae sess. XXIV. Can. VII. a Tridentino consessu proponitur. Porro inter veterum testimonia, quibus post legitimum illud divortium permissa innocentibus coniugibus matrimonia videntur, referri potest Arelatense primum concilium Can. X. qui hic obiter emendandus est. *De his*, inquit, *qui coniuges suas in adulterio deprehendunt, et iidem sunt adolescentes fideles, et prohibentur nubere, placuit ut in quantum potest consilium eis detur, ne viventibus uxoribus suis, licet adulteris, alias accipiant.* Ubi negationem deesse, legendumque, *et non prohibentur nubere* contextus ipse orationis indicat. Nam si prohibentur nubere, non consilium ad illos coërcendos, sed praecepti necessitas adhibenda fuerat.

N. VII. Ὡς γὰρ φησὶν, ὁ πάσσαλος.] Mutatis, ut solet verbis locum istum protulit, qui ita Eccles. XXVII. conceptus est: Ἀναμέσον ἁρμῶν λιθίνων παγήσεται πάσσαλος, καὶ ἀναμέσον πράσεως καὶ ἀγορασμοῦ συντριβήσεται ἁμαρτία.

N. IX. Ἀλλὰ καὶ ἐν τῇ πρώτῃ.] Fort. ἐπὶ τῇ πρώτῃ. Nam ea coniectura, quae est ad marginem, ex typographi hallucinatione conflata est.

N. XI. Ὡς περιτιθέασι τὰ ὑποδήματα.] Non haec a Catharis usurpata praepostera vestitus ratio, ut quidam existimat, sed ad superioris dogmatis absurditatem illustrandam ea similitudo refertur. [Verum ex Glossario νομικῷ, quod p. 458.
Labbaeus edidit, manavit haec hallucinatio, uti postmodum intelleximus. Ibi enim scriptum est: Ὀβδονάρια (corr. Ὀδονάρια) τὰ περιαπτόμενα τοῖς ποσὶν ὑφάσματα, ἃ λέγεται ποδάπανα κατὰ καθαρῶν· τὰ δὲ ἄλλα πέδια, ὡς εἰπεῖν τὰ ἐξ ἱματίων γεγενημένα· ἃ παρά τισιν ὀδώνια κέκληται, ἢ βράκαι, χερσὶ περιτιθέασι, δακτολίους δὲ τοῖς ποσίν. Deest enim Epiphanii nomen, cuius verba Glossarium exscripsit. Leg.

itaque ὡς Ἐπιφάνιος κατὰ Καθαρῶν. Ridiculum est igitur absurdum illum vestiendi morem ex Epiphanio Novatianis tribui, de quo nunquam cogitavit. In Glossis? Sirmondi de ὀδωναρίοις illud amplius exiabat. Ὀδονάρια et ὀδόνια, ὑφάσματα ἐπιμήκη, ἃ καὶ ὁράρια παρὰ τινῶν λέγεται· ταῦτα δὲ οἱ εἰς τὸ Παλάτιον εἰσίοντες συγκλη-
p. 255. τικοι ἐπιφερόμενοι, ἐν αὐτοῖς καὶ ἀπεμύττοντο καὶ ἀπέπτυον.] Observandum vero πόδια (ita enim hoc loco leg. pro πίδια) cum ὀδωνίοις et βράκαις promiscue accipi; etsi proprie πόδια pedum, βράκαι feminum tegumenta sint. Pollux lib. II. cap. IV. ποδεῖα scribit esse τοὺς περὶ τοῖς ποσὶ πίλους, quae Aechylus πέλυτρα vocat. Sic Hesych. βράκες ἀναξυρίδες. Et alibi ἀναξυρίδες φημινάλια βρακία βαρβαρικὰ, ἔνδυμα ποδῶν ὑποδήματα βαδία ἢ βασιλικὰ. Ubi ἀναξυρίδας, quae femoralia sunt, calceamenta quoque facit, et quidem βαδία, ut a soleis distinguat, quae plantis pedum suppositae. Porro quod ait Epiphanius τὰ ἐξ ἱματίων γεγενημένα, nos ἐρίων vel δερματίων aliquando leg. censuimus. Sed fortasse retineri satius est, ut ἱμάτια pro pannis sumantur, quae est impilium istorum udonumque materia. Non enim fascias pedules hic esse puto, sed βαδία ὑποδήματα, hoc est soccos laneos, quibus calceantur, non obvolvuntur pedes.

N. XIII. Ἔτι δὲ οἱ ἐν τῇ Ἀφρικῇ.] De Donatistis levissime defungitur Epiphanius; quod illorum fortassis errores haud satis compererat. Atqui praeter schisma et pertinacem a reliquis secessionem nonnulla de iis peculiaria dici possent. Sed ex Optati, Augustini aliorumque scriptis tum ex Eccles. Annalibus peti omnia possunt.

AD HAERESIM LX., ANGELICORUM.

p. 256. De his August. haer. XXXIX. *Angelici*, inquit, *in angelorum cultum inclinati, quos Epiphanius iam omnino defecisse testatur.* Cultum hic τὴν λατρείαν intellige. Alia τῶν Ἀγγελικῶν notio ab loci cuiusdam nomine prorsus reiicienda.

AD HAERESIM LXI., APOSTOLICORUM.

N. III. Καὶ τὰ ἐγκυλίσματα.] Nos pleraque vocabulorum istorum explicavimus, quomodo potuimus. Felicius id praestabunt alii quibus ea notiora fuerint. Pro ἐγκυλίσματα suspicabar leg. χελύσματα, quae sunt Polluci lib. I. cap. IX. *statumina*. At pro ὀκνῶν, ὀλκῶν, quae inter ναυτικὰ σκεύη ab eodem percensentur lib. X. cap. XXX. Et Suidas ait esse τὸ τῆς πρόπιδος ἔκταμα. Postremo αὐχὴν Polluci pars est quaedam clavi, sive gubernaculi. Eustathio vero αὐχὴν et αὐχένιον pro toto gubernaculo sumitur: quod huic loco non congruit.

N. VI. Δεῖ δὲ καὶ παραδόσει κεχρῆσθαι.] Insignis hic locus ad ecclesiasticarum traditionum autoritatem asserendam. Cui germanus est ille Basilii ad Amphil. de Spiritu Sancto: τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πεφυλαγμένων δογμάτων καὶ κηρυγμάτων τὰ μὲν ἐκ τῆς ἐγγράφου διδασκαλίας ἔχομεν, τὰ δὲ ἐκ τῆς τῶν ἀποστόλων παραδόσεως διαδοθέντα ἡμῖν ἐν μυστηρίῳ παρεδεξάμεθα· ἅπερ ἀμφότερα τὴν αὐτὴν ἰσχὺν ἔχει πρὸς τὴν εὐσέβειαν, καὶ τούτοις οὐδεὶς ἀντερεῖ, ὅστις γε κἂν κατὰ μικρὸν γοῦν θεσμῶν ἐκκλησιαστικῶν πεπείραται. Vide caetera. Ubi traditiones non illas tantum adsciscit et necessarias esse defendit, quae ad ritus caeremoniasque pertinent, sed etiam quae dogmata fidei ac decreta continent.

AD HAERESIM LXII., SABELLIANORUM.

N. IV. Ἐκ πατρὸς καὶ ὑιοῦ.] Aliquot locis Epiphanius spiritum sanctum a patre et filio procedere perspicue testatur, praesertim in Ancorato.

AD HAERESIM LXIII.

N. 1. Καλαυμένου τοῦ Συντάκτου.] Hieron. in Ruff. Apol. I. *Pro eruditione qua pollet et inclytus συντάκτης in occidente laudaris.*

AD HAERESIM LXIV., ORIGENIANORUM.

Proximum Origenianis τοῖς αἰσχροποιοῖς locum Origenistae sibi vendicant, ab Origine illo dicti. Cuius errores copiosissime insectatur Epiphanius. Horum enim prae ceteris acerrimum sese hostem perpetuo professus est, nec dubitavit vehementes ob id cum plerisque altercationes suscipere, adiutore usus Hieronymo ac Theophilo, ac praecipue Ioannem Hierosolymitanum et Ruffinum agitavit. Sed et una illa causa fuit, cur a Chrysostomo dissentiret, quod is ante generalis synodi decretum damnare nollet Origenem. Vide quae Hieron. contra p. 257.
Ruffinum, Ioannem Hierosolymitanum scripsit, nec non et Socratem, Sozom. Nicoph.

N. 1. Ἐν χρόνοις Δεκίου τοῦ βασιλέως.] Vixit quidem Origenes extrema iam aetate sub Decio, et ad Gallum ac Volusianum usque pervenit. Sed cur floruisse aut celebrem fuisse sub illo potius quam sub interiectis imperatoribus dixerit, satis mirari non possum. Nam a Severi temporibus deinceps summa in omnium admiratione fuit. Lege Eusebii Historiae lib. VI., ubi Origenis res gestas accuratissime persecripsit. Invenies non modo apud Christianos, sed et apud imperatores ipsos plurimum gratia et commendatione valuisse. Nam et a Mammaea Antiochiam accitus dicitur, et ad Philippum eiusque coniugem literas dedit. Quid igitur attinebat, nominatim Decii, et quidem unius mentionem facere? Quin et illud anget adiunctionem, quod lib. de Pond. et Mens. pag. 174. scripsit Epiphanius Origenem ab imperatoris Decii tempore ad Gallum et Volusianum et ultra floruisse. Anno Severi decimo Leonides Origenis pater martyrium obiit, cum Origenes XII. aetatis agebat annum, ut auctor est Eusebius lib. VI. cap. II. Fuit is annus Christi circiter CCII. Nam Severus anno fere CXCIII. imperium exorsus est. Hoc si ita est, natus erit Origenes anno Christi CLXXXVI. Vixit autem annis LXIX., ut idem lib. VII. cap. I. testatur. Quare moritur anno CCLIV., vel sequenti, quo Gallus et Volusianus interempti sunt. Iam Decii primus annus incidit in Christi CCLI., quo quidem Origenes LXVI. annum attigerat. Non igitur ab illo demum tempore γνωρίζεσθαι vel ἀκμάζειν coepit. Equidem vereor ne hic quoque hallucinatus Epiphanius Decium pro Severo sumpserit. Nam in libro de Ponder. et Mens. postquam insignes aliquot martyres, qui sub Decio passi fuerant, percensuit, ualuti Babylam, Fabianum, Alexandrum, subiicit, καὶ αὐτὸς δὲ Ὠριγένης πολλὰ παρρησιάς εἰς τέλος τοῦ μαρτυρίου οὐκ ἔφθασεν. Tum reliquam narrationem subtexit de profectione in Palaestinam, deque XXVIII annorum secessu in urbe Tyro, quae hoc loco uberius exequitur. Atqui haec diu ante Decium accidisse necesse est. Videtur ergo pro Severo imprudenti obrepsisse Decius.

Τάχα δὲ ἐν Ἀθήναις.] Si id verum est, diversam hanc ab illa profectionem oportet fuisse cuius meminit Eusebius lib. VI. cap. XVII. qua sub Alexandro imperatore iam aetate et eruditione firmatus Origenes in Graeciam e Palaestina pervenit. Quinetiam narrat idem cap. XXV. Athenis commentarios in Ezechielem illum absolvisse.

Καὶ γὰρ καιρῷ ποτε.] Quando ista contigerint nonnisi coniectura consequi possumus. Quae nisi me fallit, sub Severo haec passus est Origenes adhuc adolescens. Vide Eusebii cap. III. Atque iccirco quidem a gentilibus adrasum esse

suspicor, quod Aegyptiorum deorum ministri rasi essent, ut Synes. lib. de Encom. Calvitii, Plutarch. tract. de Isïde, aliique complures significant.

N. II. Ἀλλ' οὐκ ἔμεινεν αὐτῷ.] Hanc Origenis historiam ac lapsum revocant in dubium Annales Ecclesiastici, anno CCLIII. num. CXX., et deinceps, imo, quod amplius est, locum istum quo narratio illa continetur suspectum reddunt, quasi ab aliquo perperam sit insertus. Quorum hoc posterius perspicue falsum, alterum
p. 258. non satis probatum, utrumque levioribus coniecturis innixum est quam ut vetustissimo sanctissimoque patri fides hac in parte derogetur. Commentum est, inquiunt, et affectata calumnia, quod de Origenis lapsu a nonnullis iacitur. Cur ita tandem? Quoniam scriptorum veterum nemo, qui vel pro Origene apologias ediderunt, vel ipsum e contrario scriptis suis oppugnarunt, eius rei meminit. Atqui nos Epiphanium opponimus, quo neque antiquiorem autorem, neque graviorem requirere debemus, qui de Origene velut compertam rem minimeque dubiam illud ipsum retulit. In quo magnopere ponderandum istud est, quoties eiusmodi aliquid proponit Epiphanius, quod ad alicuius etiam alioquin haeretici ac nefarii hominis invidiam ignominiamque pertinet, id si dubiae minimeque constantis famae sit, nonnulla cum excusatione ac titubanter ab illo significari, atque hoc imprimis caveri, ne incerta re commemoranda certam alicui infamiam ac dedecus imponat. Hoc vero loco nullam istiusmodi cautionem adhibuit, sed cum de lapsu et iniecto ture constaret, hoc unum excepit, quod si verum est, *ad* sublevandum Origenem valet, nonnullorum iactari sermonibus, nequaquam Origenem ipsum tus adolevisse, sed cum eius digitis esset impositum, in subiectum arae forum a gentilibus excussum fuisse. Quod igitur in sacrificium ac maiorem sceleris partem consenserit Origenes, minime dubitavit Epiphanius, utrum expressum hoc ab invito facinus eiusdem manu administratum fuerit, id vero dubitavit. Caeteri qui vel antiquiores Epiphanio, vel illius temporis suppares erant, partim Origenis amore dissimularunt, partim quod ad rem minime faceret, scribendo praetermiserunt. Atque Eusebius quidem, utpote Origenis admirator, consulto ut omitteret, fecisse videtur. Nam nihil eorum tacuit, quae ad illius commendationem, nihil attulit, quod ad minuendam existimationem valeret. Reliqui tam fautores, quam adversarii Origenis, cum de impiis eius dogmatibus atque erroribus in certamen disputationemque venissent, facile contempsere caetera. Ac profecto de eo crimine sileri a sanctissimis viris aequissimum fuit, cuius tantopere illum poenituisse scirent, ne hominis memoriae insultare obtrectarique velle potius quam errores damnare viderentur. De aliis, quorum scripta non extant, pronunciare nonnisi temere possumus. Altera in Annalibus coniectura non plus veritatis, minus etiam probabilitatis habet. Falsissimum enim est intextam hanc Epiphanio laciniam esse, cum neque de stylo ipso dubitari possit, et quibus id argumentis efficitur, levia sint, imo nulla. Epiphanius, inquit, libro de Mensuris ac Ponderibus plane contraria docuit. Scribit enim: *Floruisse Origenem a temporibus Decii usque ad Gallum et Volusianum.* Ubi vox *floruit* non idem est ac *vixit*, sed splendorem ex doctrina quaesitum significat. At si tum lapsus esset Origenes, non illum floruisse diceret Epiphanius. Verum ἀκμάζειν et florere apud chronologos nihil aliud est quam commendari vulgo, et in aliqua propter eruditionem aut virtutem nominis claritate versari. Hanc vero doctrinae famam ac splendorem Origeni neque prior illa idololatriae culpa, quam poenitentia diluerat, eripere debuit, neque posterior tot ac tam multiplicium haereseum infamia potuit opprimere. Deinde falso Decium pro Severo hic usurpatum ab Epiphanio paulo
p. 259. ante docuimus. Secundum haec Augustinus nobis obiicitur, qui cum de Origene

omnia sit ex Epiphanio mutuatus, de turpissimo illo lapsu verbum nullum aspersit. Sed utrum hoc Epiphanii adversus haereses luculentum opus ab Augustino lectum fuerit, propter eas caussas dubitari potest, quae in praefatione, quam operi ipsi praefiximus, ad lectorem pluribus sunt a nobis expositae. Frustra igitur, ut quidem apparet, solicitata est in Annalibus narrationis illius istiusque loci fides, cum nulla ad eam labefactandam satis firma ratio sit allata.

N. II. Ὁ δὲ βουλόμενος εἰς ἐκείνου.] Vulgata est historia illa de secessu Tyrio, deque XXVIII annis ibi transactis ab Origene, cum sacros codices interpretaretur. Quam ex hoc Epiphanii loco et ex lib. de Pond. et Mens. chronologi atque historici transtulerunt. Sed haec vellem isti accuratius expendissent ac cum gestis Origenis et Eusebii lib. VI. contulissent. Non enim dubitamus quin mera fabula sit, idque certis atque evidentibus argumentis possit ostendi. Nam haec in Tyrum profectio contigit, ut testatur Epiphanius, post Origenis lapsum, cum iam presbyter ordinatus esset. Non illud iam repeto, Origenis calamitatem videri ex Epiphanii mente sub Decio collocandam, paucis ante illius obitum annis. Fingamus diu ante contigisse. Duo ex Eusebio certa sunt, Origenem eo tempore presbyterum Caesareae esse factum, quo Zebinûs Phileto mortuo Antiochenam sedem obtinuit, cum in Graeciam per Palaestinam iter faceret, quod lib. VI. cap. XVII. narrat. Item post annum Alexandri decimum Caesaream profugientem ibidem diutius haesisse. Apud Eusebium in Chronico Zebenus post Philetum Antiochenus episcopus factus est, anno Alexandri VII., qui est Christi CCXXVIII., cum Origenes annum ageret XLIII. Annus vero decimus Alexandri Christi est CCXXXI., Origenis XLVI., a quo ad eius obitum, qui anno Christi CCLIV. accidit, anni sunt non plures XXIII. Meminit huius secundae in Palaestinam profectionis idem Eusebius in chronico ad annum Antonini XI. Verum ante hoc tempus, hortante Ambrosio, commentarios in sacram scripturam elucubrasse, idque partim Caesareae, partim alibi fecisse, non obscure significat Eusebius cap. XVII. Ubi eodem tempore, quo autore Ambrosio in commentando erat occupatus, proficiscentem illum in Graeciam narrat Caesareae ordinatum esse presbyterum. Quocirca falsum est Origenem totos XXVIII annos Tyri consedisse, ibique commentariorum ingentem illam molem edidisse. Hoc enim Alexandriae, Caesareae, Athenis diversis temporibus egit, uti cap. XVIII. scribit Eusebius. De Tyrio secessu nulla est apud Eusebium quod sciam mentio. Hieron. duntaxat Epist. LV. de Erroribus Orig. ad Pamm. *Centum*, inquit, *quadraginta annis prope sunt, ex quo Origenes mortuus est Tyri:* quod idem in Catalogo Script. Eccl. commemorat. Verisimile est igitur Origenem, cum in Decii persecutione affecta iam aetate lapsus esset, in Palaestinam recessisse ac Tyri mortuum esse.

N. III. Ὅθεν τὸ πρῶτον αὐτοῦ ἐπιμελῶς.] Agit de his Origenis editionibus accuratissime libro de Pond. et Mens., ubi quae Exapla et Octapla fuerint exponit. Vide quae ad n. XIX. ibidem observamus.

N. VIII. Ὡς γάρ τινες ἡμᾶς βούλονται.] Quantum haec vocabula duo γενητὸν et γεννητὸν scribendi pronunciandique affinitate coniuncta sunt, tantum significationis usu ac proprietate distant. Nec est ulla vox, in qua uberiorem cavillandi et calumniandi materiam nacti sint Ariani, ut ex Anomaeorum haeresi infra constabit. Nam γενητὸς *factum* significat, quod creatarum rerum proprium est, γεννητὸν vero *genitum* est, quod filio catholica veritas tribuit. p. 260.

N. XII. Τῶν Ὠριγένους Ἐπιτομή.] Hic est Methodius ille Olympi Lyciae, deinde Tyri episcopus, qui inter caetera de Resurrectione contra Origenem opus scripsit eximium, et ad extremum novissimae persecutionis, sive, ut alii affir-

mant, sub Decio et Valeriano, in Chalcide Graeciae martyrio coronatus est. Haec Hieronymus Cat. Vir. Illustr. Socrates lib. VI. cap. 13. quatuor recenset, qui adversus Origenem praecipue stylum exercuerint; quam ipse κακολόγων τετρακτὺν impudenter appellat. Primus est Methodius, secundus Eustathius Antiochenus, tertius Apollinaris, quartus Theophilus. Addit, Methodium postea, veluti palinodia recantata, quem accusarat Origenem commendasse dialogo illo, quem inscripsit Ξενῶνα. Sed Socratis calumniam ac mendacium ex Hieronymo convincit Baronius a. 402. n. 5. Scribit enim ille Apol. I. in Ruff. Eusebium Methodio in VI. libro Apologiae istud exprobrasse. *Quid modo ausus est Methodius nunc contra Origenem scribere, qui haec et haec de Origenis locutus est dogmatibus?* Quod ab Ariano homine obiici dicit clarissimo et eloquentissimo martyri.

N. XVII. Πρόκλου τοῦ αὐτοῦ.] Mendosa est haec fascriptio. Neque enim ex ullius Procli disputatione quae sequuntur exscripta sunt, sed ex eiusdem Methodii lucubratione, quam adversus Origenem dialogi more conscripserat. In quo loquentes introduxerat Aglaophontem, Proclam, Auxentium et semetipsum. Vide infra numero XL. Fit et Theophili postea mentio, quod tamen appellativum puto esse non proprium. Quocirca post Origenis verba e Comment. in primum Psalmum adducta, hoc ipso numero deinceps Proclus pro Origene verba facit, unde titulus Πρόκλος ei praefixus erat post τοῦ αὐτοῦ. Nam τῶν αὐτοῦ ad Methodium pertinet, librarius autem, quod Πρόκλου nomen legisset, auctoris alicuius esse credidit, cum interloquentis personae sit.

Ὑφ' οὗ καὶ συγκρατεῖται τὸ σχῆμα.] Maior hic, ut opinor, hiatus est, quam vulgo codices praeferant. Nam si superiora Procli sunt, ut esse videntur, Origeni patrocinantis, cum sequentia adversus eundem Origenem aperte pugnent, haud pauca desiderari necesse est, quibus Proclus caussam suam explicarit.

N. XVIII. Ἔλαιον ἐκχεῖσθαι προσέταξεν.] Plinius lib. XV. cap. XVII. de oleo: *Existimatur et oleum vindicando a carie utile esse. Certe simulacrum Saturni Romae intus oleo repletum est.*

N. XIX. Καθάπερ καὶ ἡ σοφία διὰ Σολομῶντος.] Igitur Sapientiae liber Salomoni ab antiquissimo patre tribuitur. Vide et num. XXXV.

Οὐδὲ γὰρ εἶναι τὸ σύνολον.] Patrum integer hic locus videtur. Sed huius sententiam reddidimus.

N. XXI. Καθάπερ ἐλέχθη, ὦ Ἀθηναγόρα.] Suspicor Methodium scripsisse τῷ
p. 261. Ἀθηναγόρᾳ. Ex Athenagorae, inquit, sententia diabolus spiritus est etc. Quod apud Paulum Leopardum lib. XIX. Emend. cap. IX. postea reperimus, qui et Athenagorae ex Orat. pro Christ. verba citat, quae Methodius descripserat: ἐναντίον τὸ περὶ τὴν ὕλην ἔχον πνεῦμα, γενόμενον μὲν ὑπὸ τοῦ θεοῦ, καθὰ οἱ λοιποὶ ὅπ' αὐτοῦ γεγόνασιν ἄγγελοι, καὶ τὴν ἐπὶ τῇ ὕλῃ, καὶ τοῖς τῆς ὕλης εἴδεσι πιστευσάμενον διοίκησιν. Τοῦτο γὰρ ἡ τῶν ἀγγέλων σύστασις τῷ θεῷ ἐπὶ προνοίᾳ γέγονε τοῖς ὑπ' αὐτοῦ διακεκοσμημένοις· ἵνα τὴν μὲν πολυτελικὴν καὶ γενικὴν ὁ θεὸς τῶν ὅλων πρόνοιαν etc. Ex quibus leg. apud Epiphan. γενικὴν pro γενετικὴν. Caetera apud Leopard. vide.

Ὥσκερ καὶ οἱ μετὰ ταῦτα σαρκῶν.] Fuit haec vetustissimorum patrum fere omnium sententia, filios illos dei, qui Gen. VI. filias hominum adamasse dicuntur, angelos fuisse. Vide Iustinum Apoleg. I. qui daemones ab illis progenitos asserit. Sed et Clem. Alex. Strom. III. ob intemperantiam ac libidinem excidisse caelo putat. Item Tertull. de Virg., vel Lactant. etc. Nam corporeos esse plerique persuasum habuerunt. Ut inter caeteros Augustinus, qui lib. II. de Trin. cap. VII. angelos scribit corpus suum, cui non subduntur, sed subditum regunt, in varias mutare species.

N. XXXII. Ἐσομένης γὰρ καὶ μετὰ τοῦτον.] Hic perspicue post iudicium homines terram habitaturos asserit, non ut Chiliastae ad aliquot duntaxat saecula, sic ut interim suprema illa felicitate, hoc est aspectu dei carerent, verum ut et perpetuo in terra degerent, et summa nihilominus illis ac perfecta beatitate fruerentur.

N. XXXV. Ἔστω δὲ ἀκλάστως ἡ ποθητή.] Corr. παθητή.

N. XXXVIII. Καὶ ἵνα μὴ εἴπῃς ὅτι οὐκ ἀεί.] Desunt nonnulla. Ac forte ita rescribendum ὅτι ἀεὶ διαλαμβάνει σκοπιναῖς.

N. XL. Λοιπὸν τοῦ Μεθοδίου.] Hactenus Proclus. Deinceps Methodii partes sunt, qui adversus Origenem disserit, cuius patrocinium a Proclo susceptum paulo post indicat. Verum si Procli est ea disputatio, quae a num. XVII. ad hunc usque pertexitur, non video quemadmodum Origenis caussam defendat, cum eius dogma validissime refellat et resurrectionem corporum affirmet. Sed neque Methodii consequens refutatio ad antecedentem Procli sermonem pertinet, et Aglaophontis orationem convincit, quae nulla hic extat. Hic igitur haereo. Atque aut transposita aut omissa pleraque istic fuisse verisimile est. Quae, si Methodii liber extaret, discerni emendarique possent.

N. XLV. Ἀθλυται καὶ τὸ εἶναι.] Expuncta vocula εἶναι utcunque sententia cohaerebit.

N. XLVII. Ἀλλ' οὐδὲ ὁ ἀπόστολος ὑποτίθεται.] Methodius ita de apostoli raptu sentit, ut in coelum primo, tum in paradisum terrenum sit evectus, quod uberius declarat.

N. LVII. Οὐ γὰρ ἐφ' ἡμῖν ὅλως.] Praeclara et catholica apostolici illius dicti sententia, quam Methodius exponit, et adversus hodiernae haeresis inscitiam atque improbitatem observanda diligenter, qui concupiscentiam, et quae ex illius contagione invitis nobis obrepunt, vere esse peccata definiunt, quo nomine non iam καθαροὺς, sed ἀκαθάρτους et impurissimos se esse merito profitentur.

N. LXIII. Ὑπὸ τοῦ μακαρίτου Μεθοδίου.] Notabis Methodium alio nomine dictum Eubulium. p. 262.

Πάντως που καὶ ἔπη τοσαῦτα.] Ἔπη sunt verba, non versus.

Εἰ γάρ ἐστιν ἀληθὲς ὃ περὶ σοῦ ᾄδεται.] Hic ille locus est, ex quo Ruffinus Origenis adamator, et ab Hieronymo atque Epiphanio ob id alienus, asserebat Epiphanium iactasse VI librorum milia ab Origene conscripta se legisse. Quod nugacissimi ac vanissimi hominis commentum refellit Hieronymus Apol. II. in eundem. Nusquam enim aut de librorum numero affirmavit Epiphanius, aut totidem a se lectos confirmavit. Addit Hieron. de Origenis scriptis Eusebii testimonium.

N. LXIX. Καὶ διαιρεῖν εἰς δώδεκα ὁδούς.] Cum rubrum mare traiecerunt Iudaei, totidem impressas vias, quot erant tribus, Hebraeorum traditio est, quam Origenes memorat, Homil. V. in Exodum, et Kimchius in Psal. CXXXVI.

N. LXX. Ὡς καὶ ὁ καλλίων μακαρίτης.] Corr. ὡς καὶ κάλλιον ὁ μακαρίτης.

Ἔστιν ἰδεῖν τὰ ἐπίχειρα.] Forte τὰ ἐπὶ χείρα, haec quae prae manibus habemus ac de quibus agimus.

N. LXXI. Καὶ Σολομὼν ἐν Παροιμίαις.] Longius arcessita haec loci huius interpretatio et ad Graecam editionem accommodata. Nam Hebraea nullam sententiae illius significationem praeferunt. Hortatur sapiens, ut rusticae rei et agriculturae diligens habeatur ratio.

Φασὶ γὰρ οἱ φυσιολόγοι.] Μυωξοῦ meminit in Ancorato.

AD HAERESIM LXV., PAULI SAMOSATENI.

N. I. Ἐν ἡμέραις Αὐρηλιανοῦ.] Imo vero sub Gallieno post Demetriani obitum. Eusebius lib. VII. Histor. cap. XXII. Imposuit Epiphanio quod sub Aureliano damnatus et episcopatu deiectus est; adeoque Aureliani decreto, quod Christiani antistites impetrarunt. Sed episcopatum aliquot annis ante ceperat.

Τὴν αἵρεσιν τοῦ Ἀρτεμίωνος.] Meminit Eusebius lib. V. cap. XXVII. Niceph. lib. IV. cap. XX. Vide Aug. in haeresi Paulianorum.

Ὥςπερ ἀμέλει καὶ ὁ Σαβέλλιος.] Novati nomen perperam irrepsit. Nam Novatiani, quod trinitatem attinet, nihil a catholicis dissenserunt, ut in Annalibus docuit Baron. a. 265.

N. II. Τἀληθῆ δὲ, ὅτι οὔτε περιτομήν.] Frustra igitur in eius haeresi Philastrius circumcisionem illum docuisse confirmat, quod neque Augustinus, neque synodica illa Antiocheni concilii, quod adversus eundem celebratum est, nec alius quisquam prodidit.

N. IV. Ὡς δὲ οἱ ἄλλοι ἐκδόται.] Paululum diversa sunt veterum interpretum verba, quae in variis Bibliorum lectionibus circunferuntur. Nam ex Aquilae editione ita concipitur: ἀπὸ μήτρας ἐξωρθρισμένου σοι δρόσος παιδιότητός σου. E Symmacho vero: ὡς κατ' ὄρθρον σοι δρόσος ἡ νεότης σου. Ex quinta denique: ἐκ μήτρας ἐπὶ ὄρθρου σοι δρόσος ἡ νεότης σου. LXX ad sensum potius, quam ad verba respexerunt. Quam autem variae tam nostrorum quam Rabinorum sint de eo
p. 263. loco sententiae, ex illorum commentariis repetere licet. Hebraea ita hodie concipiuntur מרחם משחר לך טל ילדתך hoc est, ex utero, ante auroram, vel, ab aurora, tibi ros nativitatis tuae. LXX legerunt ילדתיך *genui te.* Hinc apud Epiphanium pro ἐλελεδέχεθ fortasse substituendum est ἐλελεδέθεχ; ut in Hexaplis Octaplisve colon illud repraesentabat, in quo Hebraica Graecis characteribus scripta legebantur. Iam illud λακτὰλ Epiphanius vertit καὶ πρὸ τῆς δρόσου παιδίον. Quae sunt duo ac diversa vocis eiusdem glossemata. טל rorem significat. טלי vel טאלי vel טליא puerum et infantem, sed Chaldaice, non Hebraice. Quare nihil ad hunc locum posterior ista notio pertinet.

N. V. Λέξειε δ' ἄν τις· ἔδειξας.] Angelos ante mundi procreationem a deo factos esse plerique veterum patrum, praesertim Graecorum, arbitrati sunt; et inter caeteros Gregorius Nazianzenus Orat. XXXVIII. Quam sententiam theologi quidam temerariam, et hoc tempore etiam haereticam pronunciare non sunt veriti. In quibus prudentiam ac moderationem merito desiderat Vasquez in I Par. disp. 224.: ubi validissime demonstrat nec erroris damnandam illam esse, neque ab ecclesia reiectam; tametsi longe sit altera probabilior, quae angelos negat ante coeli creationem esse productos, quod Epiphanius amplectitur.

Ἀποστελῆς γὰρ, φησί.] Nimis otiose locum hunc e Psalmo 147. ad dei verbum retulit. In quo nequaquam audiendus est.

N. VIII. Οὐδὲ ταυτοούσιος, ἀλλ' ὁμοούσιος.] Difficile est ταυτοούσιον Latine sic exprimere, ut ab eo quod est ὁμοούσιον distinguas. Significat autem essentiam ac substantiam ita penitus eandem, ut ne personarum quidem discrimen admittat.

AD HAERSIM LXVI., MANICHAEORUM.

N. I. Διά τινα Οὐέτρανον.] Veteranum Acuam appellat, hoc est qui militia defunctus legitimam missionem impetrasset.

Ἐπονομάσας δὲ ἑαυτῷ τὸ τοῦ Μάνη.] Elias in Thisbi mirum esse scribit, quod cum Iudaei מינין vocent haereticos, in Graecorum commentariis scriptum sit haereticum quendam extitisse, qui Manes diceretur, eiusque sectatores מינין.

Ὃς καὶ αὐτὸς δοῦλος ὑπῆρχε Σκυθιανοῦ.] Errat itaque Theodoretus, qui Manen cum Scythiano confundit, ut et Suidas, cum tanto ante Scythianus extiterit.

Ὁ μὲν εἰς ἐπὶ τὴν Αἶλάν.] Lib. III. Reg. cap. IX., 26. Classem quoque fecit Rex Salomon in Asion-gaber, quae est iuxta Aelath in litore maris rubri in terra Idumaeae. LXX. Αἶλὰθ, non Αἶλών. Iosephus lib. VIII. cap. VI. Asiongaber ait Berenicen vocari, haud procul Elana urbe. Sed hallucinatus est, ut opinor, Iosephus. Nam Asion-gaber in Idumaea ponitur. Berenice vero a Ptolemaeo in Africa ipsa, longe superior, ac Thebaidem ex adverso respiciens, quod Epiphanii descriptioni congruit, qui Berenicen tertium Rubri maris portum enumerat.

N. II. Εἰς Ὑψιλὴν πόλιν.] Stephanus Ὑψηλις κώμη Αἰγύπτου.

Καὶ βίβλους τέσσαρας.] Apud Suidam IV librorum istorum autor fuisse dicitur p. 264.
Terebinthus, sive Buddas, quorum etiam ordo aliter instituitur. Nam primus mysteriorum, secundus evangelii, tertius thesauri, quartus capitum.

N. III. Περὶ τοῖς χρόνοις τῶν ἀποστόλων.] Commode istud accipiendum est, ut apostolorum tempora vocet, quae illis proxima sunt. Nam ut apostolos viderit Scythianus nequaquam procedit, uti postea constabit, cum de Manichaei tempore disputabitur.

N. XI. Ἤρεμα πῶς ἐν ᾧ ἑαυτῷ.] Corr. ἠρέμα πῶς· ἐν ᾧ etc.

N. XII. Διὸ αὐτοὶ οἱ Μανιχαῖοι.] Verti potest: *Ob id Manichaei super arundines cubant.* Nam *Mattarii* propterea dicti, quod in mattis dormirent. Aug. v. con. Faustum Manich.

Θωμᾶς δὲ ἐπὶ τὴν Ἰουδαίαν.] Corrigendum ex Theodoreto videri possit ἐπὶ τὴν Ἰνδίαν. Nam ut Christum imitaretur, cognominem illius apostolo discipulum in Indiam allegavit. Verum etiam infra n. XXXI. Thomam istum pseudoapostolum in Syriam destinatum scribit.

Ἔλεγε δὴ ἑαυτὸν ὁ Μάνης.] Imo et Christum seipsum esse dixit. Theodor.

N. XX. Ἰάκωβος ξύλῳ πληγείς.] Hierosolymitanorum antistitum cathalogus iste ex Eusebii Chronico et Historia descriptus est, quem et Alexandrinum Chronicon et Nicephori perinde Chronicon exhibet. Ex quibus omnibus, hoc est ex Eusebianis fontibus emendandus est Epiphanii laterculus, velut cum tertium numerat Iudam, qui ab Eusebio et caeteris Iustus appellatur. Item IV. Zacharias ab Epiphanio ab aliis Zachaeus vocatur. Sunt et alia quaedam in nota temporum ab Epiphanio, vel potius a librario, commissa, quae ut accuratius disquirantur. Primum e Nicephoro eundem illum catalogum cum singulorum antistitum annis exscribemus, ut et Nicephorum eadem opera castigemus.

INDICULUS HIEROSOLYMITANORUM ANTISTITUM.

	Episcopi.	Anni, quibus sederunt.
I	Iacobus Domini Frater	XXVI
II	Symaeon Cleophae F.	XXIII
III	Iustus	VI
IV	Zacharias	IV
V	Tobias	IV
VI	Beniamin	II

	Episcopi.	Anni, quibus sederunt.
VII	Ioannes	II
VIII	Matthaeus	II
IX	Philippus	I
X	Seneca	IV
XI	Iustus	IV
XII	Levi	II
XIII	Ephraim	II
p. 265. XIV	Ioseph	II
XV	Iudas	II
XVI	Marcus	VIII
XVII	Cassianus	VIII
XVIII	Publius	V
XIX	Maximus	IV
XX	Iulianus	II
XXI	Gaianus	III
XXII	Symmachus	II
XXIII	Caius	III
XXIV	Iulianus	IV
XXV	Elias	II
XXVI	Capito	IV
XXVII	Maximus	IV
XXVIII	Antoninus	V
XXIX	Valens	III
XXX	Dulichianus	II
XXXI	Narcissus	IV
XXXII	Dius	VIII
XXXIII	Germanio	IV
XXXIV	Gordias	V
XXXV	Narcissus secundus martyr	X
XXXVI	Alexander martyr	XV
XXXVII	Mazabanes	IX
XXXVIII	Hymenaeus	XXIII
XXXIX	Zabdas	X
XL	Hermon	IX
XLI	Macarius	XX
XLII	Maximianus	VI
XLIII	Cyrillus, quo ab Arianis pulso, substituti sunt tres	
	Arsenius	
	Heraclius	
	Hilarius	
	Secundum quos iterum	
	Cyrillus restitutus in II.	
	synodo sub Gratiano	

Haec Nicephori Chronicon. At Eusebius lib. IV. cap. V. et in Chron. negat constare, quot annis Hierosolymis episcopus quisque sederit. Illud extra controversiam esse, brevi admodum tempore praefuisse, adeo ut ad postremam Iudaeorum subsidionem, quae sub Adriano contigit, episcopi fuerint omnino XV. Itaque unde singulorum annos expiscatus sit Nicephorus, divinare non possum. Pessime tamen conceptos esse non dubium est. Imprimis Iacobo annos tribuit XXVI, Symeoni XXIII, quod utrumque falsum. Iacobum eodem anno, quo Christus in coelum ascendit, ordinatum Hierosolymorum episcopum docet Eusebius in Chronico. Neque enim verum est, quod Alexandrinum asserit, tum a Petro ordinatum esse, cum is Romam proficisceretur. Occisus est autem anno Neronis VII. testibus eodem Eusebio et Hieronymo in Script. Eccles. Longe enim aberrat Alexandr. Chron. quod Vespasiani I. Indict. XI. Galba et Tito Ruffino coss. Iacobi necem consignat p. 581. Iam vero si, ut antea pluribus declaratum est, passio Domini in annum Iulianum LXXVI. congruat, Neronis vero VII. Iuliano CV. Dionysiano LX. inierit, Iacobus XXX plus minus annis pontificatum tenuit. Symeon porro cum ab Eusebio in Chronico Traiani X. in crucem actus dicatur, hoc est Christi CVII., annos solidos XLVII exegit in episcopatu. Insequentes vero V. pontifices ad annum Traiani XIX. non amplius X annis praefuerunt, si verum scripsit Epiphanius. Nam XVIII annos illis attribuit in Chronico Nicephorus. Secundum quos octo e circumcisione reliqui sunt episcopi ad extremam usque Iudaeorum cladem, quae Adriani XVIII. ab Eusebio ponitur. Atqui XVIII. Adriani iniit anno Christi CXXIV. Ergo episcopi illi VIII non ultra XX annos sedem illam obtinuerunt. Sed mendosus est Epiphanii locus; in quo scriptum est μέχρι ἐνδεκάτου Ἀντωνίου. Ubi primum pro Ἀντωνίου Ἀδριανοῦ substituendum. Tum ἐννεακαιδεκάτου pro ἐνδεκάτου. Eusebius enim, ex quo ista transtulit Epiphanius, anno Adriani XIX. Marcum post XV Iudaicae stirpis antistites primum e gentibus Hierosolymitanam ecclesiam rexisse scribit. Sed illud Epiphanio caussam attulisse videtur erroris: quod idem Eusebius lib. IV. Hist. cap. V. cum Hierosolymitanos omnes episcopos recensuisset, subinde Adriani XII. annum commemorat, quo Xysto defuncto Telesphorus successit. Unde collegit superiora ad annum XI. pertinere. Sequuntur episcopi V quos ad X. Antonini Pii pertexit Epiph. At Eusebii Chronicon solum Marcum ad annum usque Antonini XIX. perducit, quo demum Cassianum sufficit. Qua ratione XXII annos Marcum oportet sedisse. Praeterea inter Iulianum et Capitonem Eusebius et Nicephorus Eliam ponunt, quem praetermisit Epiphanius. De Narcisso, eiusque admirabili sanctitate vide quae Eusebius lib. VI. prodidit.

Ὁμοῦ ἀπὸ ἀναλήψεως Χριστοῦ.] Manichaeorum origo diligenter est in Fastis adnotata, velut insignis quaedam labes Christiani nominis ac calamitas. Sed de anno ac tempore scriptores mirifice dissentiunt. Epiphanius noster πλατυκῶς Aureliani et Probi temporibus emersisse scribit. Quae enim ab ascensione Christi temporis ratio ponitur, mendosissima est et subinde castiganda. Supra num. I. in IV. Aureliani imp. annum coniecerat. In lib. vero de Pond. et Mens. anno IX. Gallieni tribuit. Eusebius in Chron. anno II. Probi, Olymp. CCLXIV. anno secundo, Antiochenorum CCCXXV., prodiisse Manichaeorum haeresin notat, et aeras aliquot civitatum adiicit; quibus Christi annus CCLXXVIII. adscribitur. Leo Magnus Homil. II. de Pentecoste: *Manichaeus ergo magister fulsitatis diabolicae et conditor superstitionis obscoenae, eo tempore damnandus innotuit, quo post resurrectionem* p. 267. *domini ducentesimus et sexagesimus annus impletus est, Probo imperatore Paulinoque consule.* Obscurissima sunt Aureliani, Probi, iisque proximorum imperatorum tempora, summa Consularium Fastorum varietas, nec in annis ac consula-

tibus digerendis quisquam unus cum altero consentit. Itaque perplexum et intricatum totum istud negotium est. Probum ac Paulinum coss. Cassiodorus Aurelio ac Marcellino coss. subiicit. Fasti Siculi post Aurelianum ac Marcellinum Tacitum et Aemilianum collocant, quibus Probum Paulinumque subtexunt: quos posteriores Onufrius iniuria praetermisit suffectosque credidit. Nam pro ordinariis in omnibus Fastis agnoscuntur. Sed si ante Tacitum II. et Aemilianum ponantur, ad Aureliani imperium, non Probi, pertinebunt. Ideoque in Annalibus Ecclesiasticis cum Aureliani VII. componuntur, anno Christi 277. Etenim post Aurelianum Tacitus sequitur, qui nonnisi mensibus VI. imperium tenuit. Secundum quem creatus est Probus. Quod si post Tacitum et Aemilianum Probus ac Paulinus substituantur, iam istis coss. Probus imperator annum Imperii secundum inierit; quod Eusebii Chronologiae consentaneum est, qui anno Probi II. Manichaeorum originem assignat. Quod fortasse verius est. Sed in Onufrii Fastis duo in Probi imperatoris annis omissa sunt paria coss., quanquam in superioribus annis unum compensaverat. Ita uno duntaxat anno sublato, cum aera Dionysiana conciliatur, quod plerique Fasti expunctis duobus consulatibus obtinent. De quo alias opportunius. Quam absurde de initio Probi imperatoris Emendat. Temp. lib. v. disputet Scaliger, suo loco discutietur.

Ad Manichaeum, sive Manetem, quod attinet, variae sub idem fere tempus eruptiones monstri illius fuerunt, et insignibus alicuius facinoris notis celebratae. Quae caussa fuit, cur non iisdem imperatoribus atque coss. haeresis istius origo mandaretur. In annis Christi longius abhorrent Epiphanius et Leo M. Probus enim ac Paulinus coss. incidunt in annum fere Christi 277. in aera Dionysiana; quo ex numero XXXI annis deductis 246 anni reliqui sunt ab ascensione domini, totidem scilicet, quot ex aliorum sententia posteriore in numero ponit Epiphanius. Prioris autem epocha non ἀπὸ τῆς ἀναλήψεως, sed ἀπὸ τῆς συλλήψεως, vel γενέσεως arcessenda videtur. Denique apud Leonem pro CCLX. legendum CCXL. Nam rotundus hic numerus est a Christi ascensione deductus. Caeterum ex hac Epiphanii putatione non mediocriter id, quod supra plenius ostendimus, astruitur, Christi domini passionem et ascensionem in Iulianum LXXVI. incurrere.

Καὶ ἀπὸ τότε, καὶ ἕως δεῦρο.] In chronico Nicephori pro Bazas, Zabdas legitur. Item pro Maximo, Maximianus; perperam. Maximo Cyrillus successit, quo ab Arianis extruso (ait Nicephorus) tres eius loco ordine subrogati, Arsenius, Heraclius, Hilarius. Postea Cyrillus in sedem restitutus secundae synodo interfuit Gratiano imperante. Haec Nicephorus. Hieron. in supplemento Cyrillos IV enumerat post Maximum. Aliis unum per ea tempora Cyrillum fuisse placuit. De quo consulendi Annales Baroniani a. CCCLI. Agitur et de Cyrillo haer. LXXIII.

p 268. Βασιλεῖς δὲ οἱ καθεξῆς.] Probum imperatorem praetermisit hic Epiphanius, an librarius, quem lib. de Pond. recenset, eique annos sex et menses duos attribuit; Aureliano vero annos V menses VI, quot Eusebii chronicon numerat. De qua re suo loco videbimus. Ita Aureliani quarto, Probo et Paulino coss. Manichaeorum haeresis emersit.

Ὡς εἶναι ἀπὸ τοῦ εἰρημένου Μάνη.] Annus hic, quo haec commentabatur Epiphanius, Christi est CCCLXXVI. Valente imper. V. et Valentiniano Iuniore II. coss. cum superiore anno mortuus esset Valentinianus senior, post consulatum Gratiani III. et Equitii. Mortuus est enim Novemb. XVII. expletis in imperio annis XII minus C diebus. Quare castigandus Socrates, qui annos XIII imperasse scribit, quod nequaquam procedit. Nam coepit anno CCCLXIV. post bisextum. Itaque annus aerae Dionysianae CCCLXXVI. Valentis est XIII., Gratiani vero IX. exiens,

qui imperator a patre renunciatus est anno CCCLXVII., ut initio huius operis adnotavimus ex Socrate. At Valentinianus iunior VI. post patris obitum die imperator a militibus est salutatus, eodem autore Socrate, nec non et Ammiano lib. XXX. Cum adversus hanc haeresin scriberet, tertium iam annum in hoc opere versabatur Epiphanius. Quippe anno CCCLXXIV. scribere est aggressus, ut in praefatione docuit. Sed ab ortu Manichaeorum ad hunc ipsum annum mendosissime numerantur anni LXXVII, pro quibus annos CVII rescribendos in margine censuimus. Pendet ea numerandi ratio ex imperatorum annis, de quibus, maximeque superioribus, summa est, ut ante monuimus, annalium discrepantia; de qua alio in loco statuemus. Interim si Aureliano V duntaxat annos cum mensibus aliquot arrogemus, atque illius anno IV. Manes prodierit, Probo et Paulino coss. esto annus iste Christi CCLXV. Hinc igitur ad CCCLXXVI anni numerantur CII. Quos ita ex Epiphanii mente partim hoc ipso loco, partim lib. de Pond. dispensare possumus. Aurelianus post eum annum, quo primum Manes exstitit, vixit annum I, menses VI, Tacitus m. VI, Probus a. VI, m. IV, Carus cum filiis a. II, Diocletianus a. XX, Constantinus a. XXXII. Colliguntur ab anno IV. Aureliani ad Constantini obitum anni LXIII. Obiit Constantinus ex omnium sententia anno CCCXXXVII. A quo ad annum CCCLXXVI. reliqui sunt XXXIX, qui ad LXIII adiuncti summam conficiunt annorum CII.

N. XXI. Ἤδη δὲ ἀνδράσι μεγάλοις.] Theodoretus scriptores, qui adversus Manichaeorum sectam commentarios ediderunt, recenset istos, Titum Bostrenorum episcopum, Diodorum Tarsensem, Georgium Laodicenum Arianum, Eusebium Phoenicem (hoc est Emesenum). Quod ad Eusebium Caesariensem attinet, Socrates lib. I. cap. XVII. scribit ieiune admodum in Ecclesiastica Historia Manichaeorum ab illo mentionem esse factam. Qua de causa totam eius historiam ex Archelai scriptis uberius exponit. Quare praecipuo aliquo libro haeresin istam oppugnasse videtur Eusebius. Sed quod Origenem adversus Manichaeos elucubrasse aliquid Epiphanius affirmat, temporis ratione ipsa refellitur. Mortuus p. 269.
enim est Origenes annis fere XX antequam Manichaeorum superstitio in lucem emergeret. Siquidem grassante Severi persecutione, anno eius imperii X., qui est aerae Dionysianae CCII., aetatis annum exegerat XVII., ut Eusebius asserit lib. VI. cap. III. Obiit vero anno aetatis LXIX. imperante Gallo, eodem autore lib. VII. cap. I. Additis igitur annis LII, ut LXIX impleantur, mortuus est aerae communis anno CCLIV., diu ante Manichaeae factionis ortum.

N. XXII. Εἴ δὲ ἐκ φύσεως, καὶ κατὰ συνήθειαν.] Terrae motus naturalibus ex causis oriri nimis ἰδιωτικῶς negare videtur. Quod et apud Philastrium legimus.

N. XXIII. Ἐν τῇ ἀρχῇ δὲ τῆς κοσμοποιΐας.] Quo anno post orbem conditum Abelum Adamus genuerit, Moyses tacuit. Hic anno centesimo necatus dicitur, cum aetatis ageret XXX. Unde LXX. circiter anno natum oportuit. Sed haec mera divinatio est. Porro ἑκατοστὸν pro ἕκαστον emendandum esse nemo non videt.

N. XXV. Ἀρχὴ τῶν τοῦ Μάνεντος.] Primus portentosae illius haeresis oppugnator, ob idque singulari laude dignus, Archelaus extitit, qui habitam a se cum impostore disputationem in commentarium redegit omniaque nefariae superstitionis arcana patefecit. Ex hac Archelai collatione caeteri deinceps hauserunt omnes, qui haeretici illius historiam ac dogmata scriptis prodiderunt. Meminit Archelai in Scriptoribus Eccles. Hieronymus.

N. XXVII. Ὁμοῦ καὶ ὁ θερισμὸς ἄρχων.] Fort. θεριστής.

N. XXVIII. Εἴ τις λούεται εἰς τὸ ὕδωρ.] Corr. εἰ τις λούεται, εἰς τὸ ὕδωρ: *Si quis lavat, in aquam suam constringit animam.*

N. XXX. Ἐνετείλατο δὲ τοῖς ἐκλεκτοῖς.] De Manichaeorum Auditoribus et Electis agit pluribus in locis Augustinus, praesertim contra Faustum. Item Epist. LXXIV.

N. XXXIII. Εἶτα πάλιν ἐλθὼν εἰς τὰ μέρη.] Levicule hic hallucinatur. Etenim Marcus cap. V., 1. τὴν χώραν τῶν Γαδαρηνῶν appellat, Matth. Γεργεσηνῶν. Lucas cap. VIII., 26. Γαδαρηνῶν. Latinus interpres ubique Gerasenorum. Gerasa et Gadara aliis oppida duo; aliis unum et idem fuisse videtur. Vide Iansenium cap. XXX. Concord. A quibus transamnana quaedam regio nomen accepit.

N. XL. Ἐπειδὴ γὰρ ὁ Ματθαῖος.] Chrysost. Hom. XXIX. in Matth. duos Evangelistas ita conciliat, ut Lucas eum tantummodo commemoraverit, qui ab molestiori esset daemone correptus.

N. XLVIII. Φαύλων δὲ χωρίων.] Depravata ista sunt; nisi forte μετάστασιν τῶν χωρίων dixit pro εἰς τὰ χωρία.

N. L. Ὅπερ κατήντα εἰς πενταχιλιοστόν.] Si Christus anno aetatis XXX. baptizatus est, isque a mundi conditu fuerit VM DIX annus, natus erit ex Epihanii sententia anno mundi VM CDLXXX. Varias ex LXX seniorum ratiociniis annorum summas ab orbe condito collectas fuisse Graeci demonstrant. Nam praeter hanc Epiphanii Martyrologium Romanum aliam instituit, secundum quam ad Christi natalem anni numerantur 5199. Praeter hanc tres alias in usu esse reperimus. Prima est quae Christum anno 5493. vel 5494. natum putat, quae a nonnullis Antiochena nominatur. Secunda, quae Christi nativitatem in annum 5500. conlicit, quam Aethiopicam appellant. Tertiae, quae et omnium celeberrima est et
p. 270. usitatissima, ab orbis initio ad Christi natalem annos putat 5509. De iis alias uberius disseremus.

N. LXXVI. Φησὶ δὲ ὁ αὐτὸς Μάνης.] Fort. ᾔδειν τοὺς ἡμετέρους, ut sequentia persuadent.

N. LXXXII. Ὑπὲρ τὸ μέτρον τῶν ἓξ σταδίων.] Hieronymus Epist. XV. ad Algasiam Qu. X. iter sabbati ex Hebraeorum traditione duobus pedum milibus definit. Hebraei vero magistri duo cubitorum milia constituunt, quod et certius videtur. Nam ita docet Elias in Thisbi vocabulo תחום. Cuius moduli definitio ex cap. Exod. XIX., 12., et potissimum ex Iosue III. com. 4. petitur. Ut nimirum eo sabbati die liceret accedere, ut interpretatur R. Selomoh. Iam cubitus ex Vitruvio lib. III. cap. I. sesquipede constat, sive palmis VI, hoc est digitis XXIV. Herodotus in Clio stadium VI esse iugerum scribit, id est ὀργυιῶν centum, ὀργυιὰν pedum VI, sive cubitorum IV. Ex quo sequitur in stadio pedes esse DC. Unde MM cubitorum, sive pedum MMM, stadiis V respondent, quantum inter Hierosolyma et Oliveti montem intervallum fuit, ut Iosephus lib. XX. cap. VI. testatur. Ideo Act. cap. I. com. 12. sabbati iter appellatur. Apud Columellam paulo maior est mensura stadii. Nam lib. V. cap. VII. actum definit pedum esse CXX, iugerum vero duos actus continere, et esse pedum CXL, semiiugerum autem a Gallis *arepennem* vocari, stadium denique passus habere CXXV, hoc est pedes DCXXV. Passus enim quinis pedibus constat. Unde mille passus pedes habent VM. Gregorius vero Turonensis lib. I. Hist. cap. VI. arepennes uni stadio tribuit V. Qua ratione in arepennem LXXX imputandi sunt cubiti, sive pedes CXX, quot a Colum. tribuuntur. Ita quinta parte maior erit arepennis Herodoti plethro, quod iugerum plerique vertunt. Sed de πλέθρου varietate totaque hac metiendi ratione pluribus agere, neque otii nostri est, nec instituti.

N. LXXXIV. Νῶε γὰρ σωθεὶς ἀπὸ τοῦ κατακλυσμοῦ.] Historiam hanc et orbis partitionem exponit in Ancorato pluribus, a num. CIV. Rhinocorura cur Hebraice נחל Neel appellari putet Epiphanius, LXX Interpretes fecerunt, qui Esa. XXVII., 12.

quod scriptum est נחל מצרים ad torrentem Aegypti, verterunt ἕως Ῥινοκορούρων, ut Salianus noster observat tom. I. Ann. Hieronymus ad hunc locum: *Pro torrente Aegypti* LXX *Rhinocoruram transtulerunt, quod est opidum in Aegypti Palaestinaeque confinio, non tam verba scripturarum, quam sensum verborum exprimentes.* Unde sic illud accipiendum est apud Epiphanium: Ῥινοκορούρα γὰρ ἑρμηνεύεται Νεὰλ, ut idem sit, atque alio vocabulo nominatur. Neque enim tam imperitus Hebraismi, aut Hellenismi fuit, ut Ῥινοκορούραν idem ac נחל significare crederet.

Καὶ Μαρειανδύνην.] Mariandinorum regio, quod sciam, in Bithynia est, non in Africa. Aut igitur alienum in locum irrepsit, aut aliter ea vox conformanda videtur. Nimirum ἀπὸ τῆς Μαρείας λίμνης, ut si Μαρειανὴ, vel aliquid ad eum modum inflexum. Nam Maria Stephano Μάρεια πόλις et λίμνη est, quae et Maraeotis dicitur in Aegypto, de qua Strabo lib. XVII. Adiuvat coniecturam nostram, quod Μαριανδυνὴ per ι simplex, apud Epiphanium vero per diphthongum scribitur, ut ἀπὸ τῆς Μαρείας originem duxerit. Possumus et Μαρεωτικὴν legere, quod eodem recidit. Nam Mareotica Aegypto contribuitur, et cum Libya copulari solet. p. 271.

Λεπτημάνη.] Leptis nomine duae censentur urbes in Africa apud Plinium, Melam etc.; altera cognomento magna, altera parva dicitur. A priore formatur per inflexionem Leptimagnensis apud Cyprianum in Episcop. Sententiis de Haereticis baptizandis sub finem. Videtur igitur apud Epiphanium Λεπτιμάγνην substituendum, aut certe Λεπτιτάνην.

Καὶ πῆς ἔσω Γαδείρης.] Quasi Gadira regio quaepiam Africae sit, aut Mauritaniae, quemadmodum et Tingitanae Hispaniae nomen impositum, ut Hispania Transfretana, vel Tingitana diceretur, in Notitia. Fortasse sic interpretari commodius liceat, ut χώρας subaudiatur, μέχρι χώρας τῆς ἔσω Γαδείρης, quae citra Gades regio sit.

Ἀλαβαστρίτην.] Leg. Ἀλαβαστρίτιν. Sed ubi terrarum ista provincia sit, mihi nondum satis explicatum. In Syria, vel finitimo aliquo ad Orientem tractu positam esse demonstrant adiunctae regiones caeterae. Atqui Ptolemaeo Ἀλαβάστρα Aegypti urbs est, et Alabastrinus in eadem Aegypto mons. Plin. lib. v. cap. IX. *Ab iis oppida Mercurii, Alabastron, Canum.* Verum extra fines Aegypti, hoc est ultra Rhinocoruram Alabastritis Epiphanii debet esse, neque tamen in Phrygia, ubi eiusdem nominis oppidum collocat Stephanus, ibidemque λίθον διάσημον reperiri scribit, hoc est Alabastriten. Quare amplius de ea regione cogitandum. Apud eundem Stephanum invenio Ἀλαβούριον πόλις Συρίας ex Charace, VIII. Chronicon. Cuius ex affinitate vocis vide an ad hunc Epiphanii locum emendandum compendii aliquid possit fieri.

Καὶ Ὁμηρῖτιν, καὶ Ἀξωμῖτιν.] Homeritarum regio in Aethiopia censetur apud Steph. Plin. lib. VI. cap. XXVIII. inter Arabiae populos Homeritas recenset, ac numerosissimos esse scribit. Ptolem. locum illis in Arabia Felice tribuit, et quidem in intimo recessu, haud procul ab Arabici freti faucibus, quibus cum Rubro mari committitur. Nec abhorret Procopius, qui lib. I. de Bello Persico pag. 22. in eodem tractu ponit Homeritas. Quibus oppositos esse narrat in altera continente trans fretum Aethiopas, qui Auxomitae vocantur. Ὁμηριτῶν δὲ καταντικρὺ μάλιστα ἐν τῇ ἀντιπέρας ἠπείρῳ Αἰθίοπες οἰκοῦσιν, οἱ Αὐξωμῖται καλοῦνται, ὅτι δὴ αὐτοῖς τὰ βασίλεια ἔστιν ἐν Αὐξώμιδι πόλει. Vides apud Procopium Auxomitas ab Homeritis longo intervallo distinctos, non pro iisdem usurpatos, ut nonnulli scripserunt. Ac quod ad Homeritas attinet, de Arabicis istis accipiendus est Epiphanius. Sed in Axomitide vix est ut ab errore possit excusari. Nam Ἀξωμῖτις sive, Auxumitis, ut

vidimus, in Aethiopia, non in Asia situm habet, ut vel Epiphanius ipse initio huius operis et in Sethianis docet, cum de propagatione gentium agit. Quamobrem Africae regiones, et ad meridiem sitas cum Asiaticis et orientalibus permiscuit. Nisi forte Auxumitas, quemadmodum et Homeritas, in Arabia quoque collocandos quispiam putet, unde in Aethiopiam trsnsfretarint. Nam et Aethiopas constat ab Arabibus propagatos, idque vel appellatio ipsa probat. Etenim Ἀβασηνοὶ, quod nomen Aethiopes hodie sibi vendicant, in Arabia turifera apud Stephanum positi sunt. Vide quae Scaliger ad Computum Aethiop. observat lib. VII. de Emend. Temp.

Καὶ Βούγσαν καὶ Αἰβαν.] Bugeam nusquam alibi reperio. Nisi quod Estheris
p. 272. cap. XII., 6. Aman Bugaeus appellatur. Sed pro Βουγαῖος Ἀγαγαῖος quidam rescribunt, non recte. Potest enim ignoti cuiusdam loci nomen esse, et quidem in Syria. Nam quod Macedo eiusdem libri cap. XVI. com. 8. Aman esse dicitur, haud vana suspitio est, interpretem Graecum, qui sub Ptolomaeo rege Graecam interpretationem edidit, Macedonis nomen generalius usurpasse pro peregrino, et Europaeo, hoc est ab Europaeis oriundo, qui in Syria Asiaque consedissent, cum ab Asiaticis Graeci tum omnes Macedones vocarentur, uti Christiani a Turcis vulgo Franci, Mahumetani a nostris Turcae nominantur. Quam coniecturam indicat Serrarius noster. Iam Liba, quantum ex geographis colligi potest, nulla in orientis isto tractu reperitur. Nisi quod apud Polyb. lib. V. Mesopotamiae oppidum eius nominis est. Sed regionis non oppidi hoc loco esse propria videtur appellatio.

Μάγαρδες.] Quinam sint Magardes quaerant quibus otium est, et utrum Illyrici Pannoniaeque populi sint. Nam et Magares Turcae passim Hungaros vocant, et μαγαρισμὸς a Graecis vulgo Μαωμετισμὸς appellatur. Sed haec longe Epiphanii temporibus recentiora fortasse non congruunt. Quaerendum igitur amplius.

Τῆς τε τῶν Σκόπτων.] Non male, ut opinor, Σκότων pro Σκόπτων reposuimus. Scoti ab Hispanis ortum habuerunt. At Franci Epiphanii tempore prope Rhenum circa Frisiam et Bataviam habitabant.

N. LXXXV. Καὶ καθ' ἑκάστην ἡμέραν.] Illud ἴσως non ἀπορητικῶς sumi puto, sed idem esse atque aequaliter. Quod ait καθ' ἑκάστην ἡμέραν lucernas arsisse, de nocte, quae νυχθημέρου pars est, dubium est nullum. Sed utrum interdiu quoque luxerint non adeo constat. Lyranus et Abulensis ad lib. I. Reg. noctu diuque pariter arsisse scribunt, sed noctu plures, de die pauciores, hoc est, ut Iosephus asserit lib. III. cap. IX. quatuor. Quorum opinio autoritate Scripturae nititur. Si quidem Exodi XXX. com. 8. tam mane componi lucernae quam ad vesperum collocari dicuntur. *Quando componet lucernas, incendet illud, et quando collocabit eas ad vesperum etc.* quod intelligi non potest, si vespere duntaxat accendi lucernas moris fuerit. Verum noctu duntaxat luxisse perspicue docetur Exodi XXVI. com. 21., ubi de lucerna ita praescribitur: *Et collocabunt eam Aaron et filii eius, ut usque mane luceat coram domino:* LXX. ἀφ' ἑσπέρας ἕως πρωΐ. Idipsum et ex lib. I. Reg. cap. III. com. 3. deducitur. *Lucerna dei antequam extingueretur*, inquit, *Samuel dormiebat in templo domini, ubi erat arca dei.* Qui locus olim in Latinis codicibus mendose legebatur hoc modo: *Nec poterat videre lucernam dei antequam extingueretur*, adversus et Hebraicam fidem, et Graecorum interpretationem. Quod vitium olim iam subodoratus erat Lyranus et a Clemente pontifice novissima recensione sublatum est. Quare frustra Ribera noster Abac. II. ita obsoletae huic lectioni patrocinatur, quasi ו copulativum in Hebraeo redundet: *Et non poterat videre, et lucernam dei.* Sed eos commentarios ante

correctionem scripsit Ribera. Hodie vero cum Hebraeis et Graecis Latini codices verba illa, *lucerna domini antequam extingueretur*, alteri commati tribuunt. Hieronymus in Tradit. Hebr. hunc ipsum locum declarans, haec scribit: *Quod vero ait: Et antequam lucerna dei extingueretur in templo domini, ubi erat arca dei, Samuel dormiebat. Antequam lucerna dei extingueretur, intelligi oportet, antequam lux diurna fieret, quando eadem extinguenda erat lucerna. Sic enim a domino per Moysen iussum erat: ut eadem lucerna luceret usque mane.* Igitur noctu duntaxat ardebant lucernae, quae sub vesperam accendebantur, mane componebantur. Quae duo plurimum discrepant. Aliud, inquam, est *collocare lucernas*, aliud *componere*. Prius illud est candelabro lucernas imponere et accendere. Ideo cap. illo XXVII. Exodi com. 21., ubi Latine sic legitur: *Et collocabunt eam Aaron et filii eius*, Hebraice scriptum est יערך ordinabit, in candelabro nimirum. At Graece καύσει αὐτὸ (videlicet oleum) Ἀαρὼν, καὶ υἱοὶ αὐτοῦ ἀφ' ἑσπέρας ἕως πρωΐ. Sed in illo loco, quem Abulensis ex cap. XXX. com. 8. profert, pro Latino *componendi* vocabulo, Hebraice היטיב, quod est aptare ac repurgare, vel potius recondere, Graece ἐπισκευάσαι, hoc est in loco suo ac theca vel cella reponere. Sic componere mortuum in lecto, quod nos dicimus *agencer*. Ibidem vero pro eo quod Latinus interpres habet: *quando collocat eas ad vesperum*, Hebraice scriptum est והעלות hoc est attollere, imponere candelabro: LXX. ἐξάπτειν, accendere. Sic lib. I. Reg. eo loco, quem adduximus: *Lucerna dei antequam extingueretur*, in Reg. est κατασβεσθῆναι. In Editione Sixti ἐπισκευασθῆναι. Ex quibus apparet idem esse collocare lucernas, quod attollere super candelabrum et accendere: contra vero componere idem esse atque extinctas detrahere et suo loco reponere. Erant enim exemptiles lucernae, quae candelabro sub noctem impositae, diluculo demerentur. Exod. XXV. comm. XXXVII. *Facies et lucernas* VII. *et pones eas super candelabrum*. Lib. II. Par. cap. XIII., 11.: *Estque apud nos candelabrum aureum et lucernae eius, ut accendantur semper ad vesperam.* Si ad vesperam accendebantur, ergo interdiu erant extinctae, non modo IV. ut Iosephus credit, sed omnes septem.

Οὐ γέγονε γὰρ τὸ σάββατον.] Huic affine est quod R. Mose ben Maimon parte I. Iad. Tract. de Sabbato cap. II. §. III. scribit הא למדת שאין משפטי התורה נקמה בעולם אלא רחמים וחסד ושלום בעולם. *Ecce*, inquit, *didicisti, legem nunquam omnino crudelem et inhumanam esse, sed misericordiae, benignitatis ac pacis plenissimam.* De sabbato vero loquitur, quod aegrotorum caussa ac propter pia quaedam ministeria solvi posse pluribus declarat.

AD HAERESIM LXVII., HIERACITARUM.

Autoris huius sectae nomen varie concipitur etiam hic ab Epiphanio. Nam aut Hierax aut Hieracas vocatur. Qua posteriori appellatione censetur apud Hilarium lib. VI. de Trinit. et Aug. lib. de Haeres. Sane si Hieracas appellandus sit, Graece fortasse scribendum erit Ἱερακᾶς. Sed nihil in editione nostra mutandum censuimus. Neque vero satis recte ad eum modum inflecti putem posse ὁ Ἱέραξ τοῦ Ἱέρακα. Sed vel Ἱεράκας τοῦ Ἱεράκα, vel Ἱερακᾶς τοῦ Ἱερακᾶ.

AD HAERESIM LXVIII., MELETIANORUM.

De Meletianis actis ac tota schismatis historia, quam hic proponit Epiphanius, quid sentiendum sit, in Baronianis Annalibus explicatur anno CCCVI., quibus ego libentissime subscribo. Certissimum enim est, a Meletiano aliquo scri- p. 274.

ptore falsa Meletii acta conscripta fuisse, in quibus turpissimam hominis infamiam et execrabilia facinora dissimulare conatus est. In ea cum imprudens incidisset Epiphanius, veram ac sinceram illam esse narrationem frustra credidit. Quod utinam ei in mentem non venisset! Pessime quidem de humano genere merentur illi, qui sacrosanctam historiae veritatem mendaciis aspergunt suis. Sed multo detestandi magis ac publice coërcendi videntur qui ad falsitatem impietatis ac sacrilegii crimen adiungunt, dum res haereticorum hominum eorumdemque causas ac personas stilo suo non modo sublevant, sed etiam contra fidem veritatis exornant. Cuiusmodi aetate nostra complures historiae prodeunt, a catholicis, ut videri volunt, et Romanae communionis hominibus editae, sed quae Genevensi aliquo conventu meditatae dictataeque videantur. Quarum praedicandarum finem nullum haeretici ipsi faciunt catholici, non ut suspectas solum, sed ut impias ac damnatas execrantur. Eiusmodi Meletiana illa fuit historia, quae sanctissimum virum in errorem adduxit. Nam qualis revera Meletius fuerit, quaeve concitandi schismatis occasio ac progressio, multo certius ex Athanasii scriptis atque ex Nicaeni concilii synodicis literis intelligi potest. Vide omnino quae illic a Baronio accuratissime disputantur.

N. I. Τοῦτο γὰρ ἔθος ἐπὶ τὸν ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ.] Sic in magno Nicaeno concilio Can. VI. τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω τὰ ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Λιβύῃ καὶ Πενταπόλει, ὥστε τὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν. Porro in iis provinciis recensendis, quae Alexandriae contribuuntur, animadvertendum est, distingui ab Epiphanio τὴν Μαρεώτην et τὴν Μαρεώτιδα. Ptolemaeus lib. IV. Mareotidem et Maraeotam ita discernit, ut Maraeotis oppidum sit Lybiae Nomidis, haud procul ab Oasite, at ὁ Μαρεώτης provincia sit, sive Nomus ac praefectura ad Mariam, sive Mareotidem lacum, quae in Aegypto censetur. Plinius vero Mareotas velut populum quendam in Mareotide Libya collocat lib. V. cap. VI.

N. II. Παραπεσόντες οὖν καὶ θύσαντες.] Tametsi impetrandae poenitentiae caussa ad martyres icoirco confugisse videri possint, quod iidem illi episcopi forent, a quibus id obtineri debuit; nihilominus veterem ad ritum fortassis istud pertinet, quo lapsos ad martyres adiisse scimus, ut ab iis libellos ac literas ad antistites peterent, quorum beneficio in integrum restituerentur. De quibus frequens est apud Cyprianum, Tertullianum ac caeteros mentio.

Οὐ μὴν ἵνα ἕκαστος δεξιωθῇ.] Clerici post poenitentiam publicam ad communionem laicam nonnunquam redacti. Alias honore ac dignitate salva, ab omni functione duntaxat et administratione summoti sunt. Ancyranum conc. Can. I. Presbyteros sacrificatos, qui postea ad certamen redierint, iubet τῆς μὲν τιμῆς τῆς κατὰ καθέδραν μετέχειν, προσφέρειν δὲ αὐτοὺς, ἢ ὁμιλεῖν, ἢ ὅλως λειτουργεῖν τι τῶν ἱερατικῶν μὴ ἐξεῖναι. Quod idem Can. sequenti de Diaconis constituitur, cum *eo, ut si quos episcopus humilitatis, poenitentiae ac caeteris id genus officiis insignes animadverterit, cum eis mitius atque humanius possit agere.* At Leo papa Ep. III. clericos ab haereticis revertentes post poenitentiam sine ulla spe promotionis in eodem manere ordine decrevit, in quo fuerant. At olim clericis aegre indulta poe-
p. 275. nitentia. Ideo in Arausicano I. Can. 4. nominatim cavetur: *Poenitentiam desiderantibus etiam clericis non negandam.* Verum qui poenitentiam aliquando publicam obiissent, ordinari nefas erat. Conc. Tolet. I. Can. 2. Hinc Optatus Milevitanus lib. II. *Invenistis*, inquit, *pueros. De poenitentia sauciastis, ne aliqui ordinari potuissent.* Ita vel pueri, qui coacti poenitentiae speciem adumbrarant, a sacris ordinibus reiecti. In Carth. V. Can. XL. decretum est ne presbyteris vel diaconis gravioris culpae convictis, ideoque deponendis, manum tanquam poeni-

tentibus, vel tanquam fidelibus laicis imponatur. Quo et Augustini locus ille pertinet lib. I. de Bapt. c. Donat. cap. I. *Nam sicut redeuntes, qui priusquam recederent baptizati sunt, non rebaptizantur, ita redeuntes, qui priusquam recederent ordinati sunt, non utique rursus ordinantur, sed aut administrant quod administrabant, si hoc ecclesiae utilitas postulat, aut si non administrant, sacramentum ordinationis suae tamen gerunt, et ideo eis manus inter laicos non imponitur.*

N. III. Τουτέστι λωδίκιον, εἶτουν παλλίον.] Pallium enim pro quavis veste, etiam stragula sumitur.

Γίνεται δὲ Πέτρον μαρτυρῆσαι.] De Petri successore dicemus ad sequentem haeresim, n. XI. Nam et plurimum in ea narratione falsus est Epiphanius.

Ἐν τοῖς Φαινησίοις μετάλλοις.] Meminit in eadem persecutione declaranda Phaenesiorum metallorum Eusebius VIII. libro in appendice, vel cap. XVII.: τοῖς κατὰ Φαινὼ τῆς Παλαιστίνης χαλκοῦ μετάλλοις τοὺς πάντας παραδίδωσι. Quam horrenda haec metalla fuerint, docet Athan. Epist. ad Solit. p. 658., ubi Eutychium hypodiaconum ab Arianis scribit ad metalla damnatum, καὶ μέταλλον οὐχ ἁπλῶς, ἀλλ' εἰς τὸ τῆς Φαινῶ· ἔνθα καὶ φονεῖς καταδικαζόμενος ὀλίγας ἡμέρας μόγις δύναται ζῆσαι. Vide Ortelium.

N. V. Ἤδη δὲ ὁ μακαρίτης.] Ex eadem officina consequens historia prodiit, Meletiani videlicet cuiuspiam nebulonis. In qua primum illud falsissimum est, superstite adhuc Alexandro Meletianos cum Arianis conspirasse; quod Alexandro demum mortuo contigisse docet Athanasius Apol. II. pag. 603. Nam Alexander nondum V mensibus post Nicaenum concilium expletis moritur. Post eius obitum, cum Meletius per idem fere tempus excessisset, Meletiani ab Eusebio Nicomediensi solicitati cum Arianorum factione coierunt. Quae historica series Meletiani impostoris fabulam iugulat.

Ἦν δὲ Παφνούτιος.] Alius hic esse debet a magno illo Paphnutio Thebaidis episcopo, qui Nicaenae synodo interfuit, quique et ipse confessor extitit, Constantino imp. carissimus. Hic enim in conciliabulo Tyrio pro Athanasio adversus Arianos restitit. Fortasse vero Meletianus iste, qui hanc fabulam concinnavit, in Paphnutii nomine fucum posteris fecit, ut Paphnutium e Meletianorum grege quempiam cum altero illo confessore et insigni viro confuderit. Sane Paphnutios aliquot episcopos recenset Athanasius in Apologia, sed qui ipsius caussae faverint. Unum vero monachum, qui insidiarum calumniarumque contra se ab Arianis et Meletianis excogitatarum particeps fuerit; cuius epistolam in Apol. II. profert. Postremo Gallinici Meletiani in eadem Apol. meminit, eumque cum Isione et Eudaemone subornatum ab Eusebianis scribit, ut falsorum criminum reum esse ad imper. deferrent.

N. VI. Οἱ κατὰ Μελήτιον.] Meletianos episcopos intellige, non Meletium, qui iam e vivis excesserat. De huius historiae mendacio ad sequentem haeresin dicetur. p. 276

N. VIII. Κατεάξαι κανδήλαν.] Quaenam ea vox sit nondum comperi. Certum est ποτήριον μυστικὸν fuisse. Vide Athan. ipsum in Apol., Theodoretum et alios.

Καὶ μένει ἐν τοῖς μέρεσι τῆς Ἰταλίας.] Neque illud verum est, tot annos in Gallias haesisse. Non enim amplius quam annos II, menses IV exulavit, ut testatur Theodoretus. Vide Ann. Eccles. a. 338. Reliqua narrationis huius, quae in sequenti numero haud sincera sunt, ex historiis ecclesiasticis et Annalibus Baronianis luce clariora sunt. Quae tu illinc repetes. Sub Constantino imperatore ante relegationem Athanasii Arsenii drama contigit, non post illius obitum.

AD HAERESIM LXIX., QUAE EST ARIANORUM.

N. 1. Ὅσαι γὰρ ἐκκλησίαι τῆς καθολικῆς.] Singularem tunc temporis Alexandriae morem hunc fuisse, vel saltem paucis in ecclesiis usurpatum, ex eo coniicias, quod tam expresse istiusmodi consuetudinis, tanquam Alexandrinae ecclesiae peculiaris, meminit: uti nimirum plures in eadem urbe tituli forent, quibus singulis suus attributus esset presbyter, qui ecclesiasticas functiones illic obiret. Sed alibi tamen iampridem institutum idem fuerat: velut Romae, ubi per titulos distributi presbyteri suos quique populos regebant. Ad eos episcopi dominicis diebus fermentum, sive benedictum panem, in communionis symbolum mittere consueverant. Innocentius ad Decentium cap. v. *De fermento vero, quod die dominico per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes ecclesiae nostrae intra civitatem sint constitutae; quarum presbyteri, quia die isto propter plebem sibi commissam nobiscum convenire non possunt, ideo fermentum a nobis confectum per acolythos accipiunt, ut se a nostra communione maxime illa die non iudicent separatos.* Quod a Melchiade constitutum fuisse Libet Pontificalis Damasi tradit. Laodic. Conc. Can. XIV. eulogiarum istarum meminit: περὶ τοῦ μὴ τὰ ἅγια εἰς λόγον εὐλογιῶν κατὰ τὴν ἑορτὴν τοῦ Πάσχα εἰς ἑτέρας παροικίας διαπέμπεσθαι. Sed de hoc ritu pluribus in Eccles. Ann. Baronius a. 313. Non dubito maioribus duntaxat in urbibus plures intra pomoeria titulos fuisse; cum intra eadem septa contineri unaque convenire non possent, adeoque presbyteros singulis ecclesiis impositos, in minoribus autem ac minus frequentibus oppidis unam duntaxat ecclesiam extitisse, in quam universi confluerent. Cuiusmodi Cypri urbes erant. Unde quod Alexandriae receptum erat, velut popularibus suis peregrinum et inusitatum, adnotavit Epiphanius. Hinc origo paroeciarum, quod vocabulum a rusticanis ecclesiis ad urbicas translatum. Παροικία proprie χώραν omnem regionemque significat, quae ab urbe distans ecclesiae certae contribuitur, quemadmodum olim Romae singulis viciniis πάγοι, sive colles constituti fuerunt a Servio Tullio rege, tanquam χρηφύγετα, sive receptus ac perfugia, quo
p. 277. se ab ingruenti hoste tutarentur. In iis collibus aras collocatas: Θεῶν ἐπισκόπων τε καὶ φυλάκων τοῦ πάγου, οἷς ἔταξε θυσίαις κοιναῖς χαίρειν etc. ait Halicarn. lib. IV. Imo vero et pagi singuli curatores suos habuerunt, quos ἐπισκόπους et χωρεπισκόπους idem auctor appellat. Quibus Christianorum in agris paroeciae quam simillimae fuerunt. Nam et illic ἐπίσκοποι, sive potius χωρεπίσκοποι, olim praefuerunt, quos *episcoporum vicarios* Latinae quaedam canonum interpretationes vocant; alias *regionarios*, seu *vicanos*, longe quam illae rectius. Fuit eorum dignitas et potestas presbyteris simplicibus, ut videtur, amplior et episcopali suppar. Nam et inferiores ordines ab iis collatos esse constat. Qua de re obscurus est Ancyrani concilii Can. XIII. Χωρεπισκόπους μὴ ἐξεῖναι πρεσβυτέρους ἢ διακόνους χειροτονεῖν, ἀλλὰ μηδὲ πρεσβυτέρους πόλεως, χωρὶς τοῦ ἐπιτραπῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου μετὰ γραμμάτων ἐν ἑτέρᾳ παροικίᾳ. Vetat presbyteros ac diaconos a chorepiscopis consecrari. Sed obscurissima sunt quae subiunxit: ἀλλὰ μηδὲ πρεσβυτέρους, quorum duplex potest esse sensus. Aut enim eandem urbanis presbyteris potestatem adimit, quod otiosum et ineptum videtur. Quis enim presbyteros a presbyteris ordinatos unquam audiit, aut eius rei potestatem illis ab episcopo per literas esse factam, quod canon excipere videtur. Vel certe chorepiscopos prohibet urbicos presbyteros ordinare sine episcopi consensione ac literis, idque in aliena paroecia: atque ita Balsamo, quod ne ipsum quidem probatur. Nam si presbyteros aut diaconos penitus ordinare vetitum est, quid attinet de urbanis presbyteris nominatim

meminisse? Mendosum igitur esse Graecum canonem oportet: cuius sententiam ita Latina editio concipit: *Vicariis episcoporum, quos Graeci chorepiscopos vocant, non licere vel presbyteros vel diaconos ordinare: sed nec presbyteris civitatis, sine episcopi praecepto, amplius aliquid imperare: nec sine autoritate literarum eius in unaquaque parochia aliquid agere.* Quod si in Graeco canone verba ista expunxeris: ἀλλὰ μηδὲ πρεσβυτέρους πόλεως, sensus erit aptissimus; quo interdictum chorepiscopis est presbyterorum ac diaconorum ordinatione, nisi id per episcopos licuerit. Quod cum Antiochenae synodi decreto geminum est, quae Can. x. ita sanxit: Τοὺς ἐν ταῖς κώμαις, ἢ ταῖς χώραις, ἢ τοὺς καλουμένους χωρεπισκόπους, εἰ καὶ χειροθεσίαν εἶλν ἐπισκόπων εἰληφότες, ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ εἰδέναι τὰ ἑαυτῶν μέτρα, καὶ διοικεῖν τὰς ὑποκειμένας αὐτοῖς ἐκκλησίας, καὶ τῇ τούτων ἀρκεῖσθαι φροντίδι καὶ κηδεμονίᾳ, καθιστᾶν δὲ ἀναγνώστας καὶ ὑποδιακόνους καὶ ἐξορκιστὰς, καὶ τῇ τούτων ἀρκεῖσθαι προαγωγῇ, μήτε δὲ πρεσβύτερον, μήτε διάκονον χειροτονεῖν τολμᾶν δίχα τοῦ ἐν τῇ πόλει ἐπισκόπου, ᾗ ὑπόκεινται αὐτός τε καὶ ἡ χώρα. Εἰ δὲ τολμήσαί τις παραβαίνειν τὰ ὁρισθέντα, καθαιρεῖσθαι αὐτὸν καὶ ἧς μετέχει τιμῆς, χωρεπίσκοπον δὲ γίνεσθαι ὑπὸ τοῦ τῆς πόλεως ᾗ ὑπόκειται ἐπισκόπου. Quem canonem sic Latinus interpres reddidit: *Chorepiscopi, tametsi manus impositionem ab episcopo susceperunt et ut episcopi sunt consecrati, tamen placuit sanctae synodo eos modum proprium retinere, et gubernare adiacentes sibi civitates, et esse contentos propria solicitudine et gubernatione, quam susceperunt. Constituere autem his permittitur lectores et subdiaconos atque exorcistas, quibus sufficiat istorum tantum gradum licentiam accepisse. Non autem presbyterum, non diaconum audeant ordinare praeter conscientiam episcopi civitatis, vel ecclesiae, cui adiacens invenitur; seu ipse, seu regio, in qua praeesse dignoscitur eta. Chorepiscopus autem ab episcopo civitatis, vel loci, cui idem adiacet, ordinandus est.* Poterant itaque subdiaconos ac minores clericos ordinare, et vero presbyteros ac diaconos, si ab episcopo fieret potestas. Quare amplius quiddam erant quam presbyteri, et, si verum quaerimus, episcopi erant, cum ab alio quam ab episcopo ordinari sacerdotes ac diaconi saltem nequeant. Sic enim argumentari licet. Cum in secundo Apostolicorum Canonum praescriptum sit, ut ab uno episcopo presbyter et diaconus ac reliqui clerici ordinentur, chorepiscopi autem subdiaconos inferioresque cateros per sese, presbyteros ac diaconos permittente episcopo consecrare potuerint, necesse est illos episcopos fuisse. Atque hoc perspicue Canon Antiochenus significat, cum ait εἰ καὶ χειροθεσίαν εἶλν ἐπισκόπων εἰληφότες. Quod Dionysius Exiguus ita vertit: *quamvis manus impositionem episcoporum perceperint et ut episcopi consecrati sint.* Sed et Neocaesariense concilium Can. XIII. cum prohibuisset, ne ἐπιχώριοι πρεσβύτεροι (quos *presbyteros ruris* interpretatur Dionysius, alia Canonum editio *corepiscopales*) ἐν κυριακῇ τῆς πόλεως coram episcopo vel urbis presbytero oblationem facerent et sacris operarentur, eodem canone, secundum Latinas editiones, vel sequenti, ut Graeci codices habent, chorepiscopis id permittit, quod τοῖς ἐπιχωρίοις πρεσβυτέροις negaverat: Οἱ δὲ χωρεπίσκοποι εἰσι μὲν εἰς τύπον τῶν ἑβδομήκοντα, ὡς δὲ συλλειτουργοὶ διὰ τὴν σπουδὴν εἰς τοὺς πτωχοὺς προσφέρουσι τιμώμενοι. Non igitur presbyteri simplices erant; alioqui nihil aliud essent quam ἐπιχώριοι πρεσβύτεροι; et cum συλλειτουργοὶ nominantur, quae vox utplurimum episcoporum collegas significat, ad eam dignitatem pertinuisse videntur. Sane in subscriptionibus conciliorum nonnunquam epicopis accensentur chorepiscopi, ut in Ephesina synodo p. 322. Caesarius chorepiscopus, et Neocaesariensi Stephanus chorepiscopus Cappadociae. In Antiocheno vero Can. VIII. Chorepiscopis concessum, ut pacificas literas tribuere possint. Postremo Leo p. 278.

papa Epist. LXXXVIII. de iisdem illis agens: *Nam quamvis*, inquit, *cum episcopis plurima illis ministeriorum communis sit dispensatio, quaedam tamen auctoritate veteris legis, quaedam novella et ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint: sicut presbyterorum et diaconorum aut virginum consecratio, sicut constitutio altaris ac benedictio, vel unctio etc.* Quanquam hac eadem Epistola Leo chorepiscopos in presbyterorum ordinem redigit, cum ita loquitur: *Chorepiscopos (qui iuxta canones Neocaesarienses, sive secundum aliorum decreta patrum iidem sunt qui et presbyteri) vel presbyteros destinarent.* Nisi forte haec, quae parenthesi claudantur, ab otioso aliquo ad marginem adscripta postea in contextum irrepserint, quod verum puto. Nam etsi canone Neocaesariensis synodi XIII. chorepiscopos ad exemplum septuaginta constitutos esse decretum sit, tamen differre plurimum a presbyteris iisque antecellere docuit Canon idem, quem supra commemoravimus. Extat inter Pontificum Decretales Epistola Damasi v. de Chorepiscopis, in qua vehementer ordinem illum exagitat, negatque funditus a presbyteris ulla ex parte discrepare. Sed multa sunt, quae suspectam illius epistolae fidem non obesae naris hominibus reddant. Nam ut de stylo ipso scribendique genere nihil hic dicam, nonne falsissimum est, quod ibidem refertur, chorepiscopos tam a Romana sede quam a totius orbis episcopis abrogatos ac ministerio prohibitos fuisse? Vel unius Leonis Epistola, quam proxime citavimus, argumento esse potest, non modo non antiquatos a Romano pontifice chorepiscopos, sed ascitos esse, ac certa disciplina constrictos, cum suis se finibus continere iubentur, nec ea quae pontificum propria sunt usurpare munera. *Quamvis*, inquit, *cum episcopis plurima illis ministeriorum communis est dispensatio.* Quod ad reliquos spectat totius orbis episcopos, a quibus prohibitos esse dicit, tantum abest, ut id verum sit, ut in Oecumenica synodo Chalcedonensi inter clericos recenseantur Can. II. Εἴ τις ἐπίσκοπος ἐπὶ χρήμασι χειροτονίαν ποιήσαιτο etc., καὶ χειροτονήσειν ἐπὶ χρήμασιν ἐπίσκοπον, ἢ χωρεπίσκοπον, ἢ πρεσβυτέρους, ἢ διακόνους etc., et in Ephesina, uti diximus, inter episcopos subscripserit Caesarius chorepiscopus. Quinetiam in Capitul. Caroli imper. cap. IX. de chorepiscopis ex Antiochena et Ancyrana synodo decretum inseritur, ut appareat etiam tum in Galliis fuisse chorepiscopos. Nam et ad Gallicanos episcopos Leo papa de iisdem scripserat. Non minus falsum est, quod illic supposititius Damasus affirmat, non licuisse chorepiscopis subdiaconos ordinare, contra Antiocheni concilii canonem et Leonis epistolam, qui presbyterorum duntaxat ac diaconorum consecrationem adimit. Atenim episcopos illos non fuisse etiam rationibus ibidem ostenditur. Primum quod ab uno episcopo ordinari solerent, cum a patribus edictum sit, ut qui ab uno vel a duobus sunt ordinati episcopis, nec nominentur episcopi. Deinde quod ecclesiasticae sanctiones prohibeant in villa, vel in castello, aut in exiguo aliquo oppidulo episcopum consecrare. At, inquit, chorepiscopus est villanus episcopus. Igitur contra canonum auctoritatem est chorepiscoporum institutio. Sed quod ad chorepiscoporum ordinationem attinet, fuerintne ab uno duntaxat, cuius in dioecesi erant, episcopi consecrati, an a pluribus, nihil in omni antiquitatis memoria satis expressum nobis occurrit. Quod si Damaso illi credimus, non solum episcopi tum erant, sed a pluribus etiam episcopis ordinabantur. Quod ex Antiocheni canonis verbis affirmat, quoniam ita scriptum est: εἰ καὶ χειροθεσίαν εἶεν ἐπισκόπων εἰληφότες. *Videtur*, inquit, *mihi quod tunc non ab uno, sed a pluribus ordinabantur; quia nullatenus diceret episcoporum, si ab uno fieret talium ordinatio, cum episcoporum pluraliter dictum sit.* Sed genitivum illum ἐπισκόπων aliter Latini interpretes acceperunt, ut nimirum χειροθεσία ἐπισκόπων non illa manuum

p. 279.

impossibile sit, quam plures episcopi faciunt, sed qua fiunt episcopi. Quare si verum est, quod epistola ista narrat, non ab uno tantum consecrati fuerint chorepiscopi. Verum perturbate admodum ac perplexe loquitur, cum eosdem quos episcopos fuisse tunc asseruerat nescio quo pacto subinde neget episcopos fuisse. Sed Antiocheni canonis autoritas opponitur; cuius ea clausula est, χορεπίσκοπον δὲ γίνεσθαι ὑπὸ τοῦ τῆς πόλεως ἢ ὑπόκειται ἐπισκόπου: *Chorepiscopus autem ab episcopo civitatis vel loci, cui idem adiacet, ordinandus est.* Hinc illae lacrymae. Atqui cum ab episcopo, cui subiectus est, ordinari iubet, non alios excludit, qui una manus imponant, sed hoc solum praecipit, ut ordinationis praeses ac moderator ille sit, cuius in ditione versatur, ut eius hortatu invitatuque adhibeantur alii, ut eodem inconsulto, ut iniussu denique chorepiscopus non fiat. Quam huius canonis esse sententiam declarat Balsamo, cum ait, chorepiscoporum hac appendice refraenatam arrogantiam, qui propriis contemptis episcopis a metropolitano vel patriarcha ordinari sese vellent, quo minus in suorum potestate forent. Ideo constitutum, ut ab episcopo suo consecrarentur. Etenim simillimum quiddam videtur ac cum dicitur, a metropolitano provinciales omnes episcopos ordinari, ex veteri canone, qui in Chalcedon. Concilio Actor. XIII. pag. 389. ita concipitur: ὥστε ἐν μιᾷ ἑκάστῃ τῶν ἐπαρχιῶν τὸ κῦρος ἔχειν τὸν τῆς μητροπόλεως, καὶ αὐτὸν καθιστᾷν πάντας τοὺς ὑπὸ τὴν αὐτὴν ἐπαρχίαν ἐπισκόπους: *Ut in unaquaque provincia ius ac potestatem metropolitanus habeat, idemque cunctos, qui in eadem provincia sunt, episcopos ordinet.* Sic eiusdem concilii Actor. XVI. cum ex II. synodi decreto Constantinopolitano archiepiscopo concessum dicitur ut Ponticae, Asianae, Thraciae dioeceseos metropolitani duntaxat ab eo consecrentur: χειροτονεῖσθαι τοὺς μητροπολίτας τῶν προειρημένων διοικήσεων παρὰ τοῦ ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως, non statim consequens est, solum archiepiscopum manus imponere, sed τὸ κῦρος ἔχειν, ut Nicaenus Canon IV. loquitur: τὸ δὲ κῦρος τῶν γινομένων δίδοσθαι καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν τῷ μητροπολίτῃ. Ad eundem itaque modum chorepiscopus a pluribus ordinari potuit, praeeunte ac moderante scilicet episcopo. Alterum quod in illa Damasi epistola proponitur, cautum esse ne in vicis agrisve consisterentur episcopi, sententiam nostram maiorem in modum confirmat. Est enim Laodiceni concilii Canon LVII.: "Οτι οὐ δεῖ ἐν ταῖς κώμαις, καὶ ἐν ταῖς χώραις καθίστασθαι ἐπισκόπους, ἀλλὰ περιοδευτὰς· τοὺς μέντοι προκατασταθέντας μηδὲν πράττειν ἄνευ γνώμης τοῦ ἐν τῇ πόλει: *Quod non oporteat in villulis et in agris episcopos constitui, sed visitatores. Verumtamen iampridem constituti nihil faciant praeter conscientiam episcopi civitatis.* De chorepiscopis praescribere videtur, quos episcopos agnoscit, sed usurpari id amplius vetat, neque deinceps iis in locis episcopos eligi. Quam quidem sanctionem nequaquam observatam fuisse satis ea demonstrant, quae ex Antiocheno concilio et aliorum patrum decretis attulimus.

Ad summam chorepiscopi τῆς χώρας, quae olim proprie παροικία dicebatur, episcopi, ac rusticanis ecclesiis praepositi fuerunt. De quorum institutione Balsamo ad XIV. Can. Neocaes. concilii ita disputat: Episcopos in locum apostolorum XII. successisse, quibus ligandi solvendique potestas est data. Sed cum ad evangelii praedicationem caeterasque functiones obeundas apostoli minime sufficerent, adhibitos in consortium certos homines, qui *discipuli domini* vocarentur, qui quidem remittendorum peccatorum potestate carerent. Horum ad similitudinem *chorepiscopos* fuisse suffectos, qui ecclesiasticas pecunias in pauperes dividerent. Unde neque presbyteros ac diaconos ordinare possunt, neque peccata remittere, quemadmodum nec LXX discipuli poterant. Haec fere Balsamo. Ubi

p. 280.

quod remittendorum potestatem peccatorum chorepiscopis adimit ac solis episcopis tribuit, quo sensu dictum sit paulo post declarat: Ὅτι οἱ ἱερεῖς οὐ δύνανται δέχεσθαι λογισμούς, καὶ ἀφιέναι ἁμαρτίας, εἰ μὴ ἐχωρηθῶσι ταῦτα παρὰ τοῦ ἐπισκόπου. *Non possunt sacerdotes, ut nec chorepiscopi, confessiones excipere neque peccata remittere, nisi ab episcopo potestatem prius impetraverint.* Atque hoc de
p. 261. publica poenitentium reconciliatione potissimum intelligendum est, quam ab episcopo tribui canones praescribunt: velut in Carthag. III. Can. XXXII. *Ut presbyter inconsulto episcopo non reconciliet poenitentem.* Leo quoque Pontifex Ep. LXXXVIII. inter ea, quae soli episcopo concessa, chorepiscopo negata dicit, hoc ipsum recenset: *Neque*, inquit, *publice quidem in missa quenquam poenitentem reconciliare.* Quod una cum caeteris in epistolam suam Damasus ex illa Leonis transtulit.

Mihi vero chorepiscoporum origo iisdem ex caussis profluxisse videtur, ob quas Alexandriae Lanrarum, sive ecclesiarum divisiones institutas Epiphanius scribit, itidemque Romae Christiana plebs in titulos distributa fuit. Cum enim episcopi urbana plebe regenda pascendaque districti, in agros excurrere atque ecclesiastica munera et sacramenta rusticanis hominibus impendere minus possent, vicarios eodem chorepiscopos allegabant, in quos magnam iuris potestatisque suae partem transferrent, nonnullis scilicet exceptis ac sibi reservatis, quorum usus ac functio minus urgeret; quae ab Leone et illo Damaso commemorantur. Quamobrem antiquissima esse debet chorepiscoporum institutio, adeoque altera illa titulorum in urbibus divisione vetustior. Siquidem initio unus oppidanis omnibus par esse poterat episcopus. Hinc est quod in Neocaes. Can. XIII. unum duntaxat urbis κυριακὸν nominatur, in quo vicanis presbyteris, praesentibus urbicis, sacris operari non licet. Atque haec Epiphanii tam accurata de Alexandrinae ecclesiae pluribus ecclesiis observatio rem nec alibi passim, nec olim usurpatam ac receptam fuisse demonstrat. At in agris paroeciarum ecclesiarumque divortia primitus instituta nemo prudens negaverit. Quibus administrandis ac gubernandis chorepiscopi, tanquam ruris episcopi, praepositi sunt, cum amplissima quondam, ut vidimus, facultate optimaque lege. Quam deinde potestatem episcopi constringendam ac certis conditionibus temperandam putarunt, donec episcopali dignitate ac consecratione privati primum, deinde prorsus abrogati fuerunt. Pro iis enim περιοδευτὰς creari Laodicenum concilium decrevit, quos Latina interpretatio *visitatores* appellat. *Circitores*, aut *lustratores* vocare possis, ut est in Glossario Vet. Balsamon ad Laodic. Can. illum LVII. Περιοδευταὶ δέ εἰσιν οἱ σήμερον προβαλλόμενοι παρὰ τῶν ἐπισκόπων ἔξαρχοι. Οὗτοι γὰρ περιοδεύουσι καὶ ἐπιτηροῦσι τὰ ψυχικὰ σφάλματα, καὶ καταρτίζουσι τοὺς πιστούς. In concilio Chalcedon. Act. IV. ὁ εὐλαβέστατος πρεσβύτερος καὶ περιοδευτὴς Ἀλεξάνδρου. Item Act. X. in libello contra Ibam a clericis Edessenis oblato: Βαλέντιόν τινα ἀκέρδητον ἄνδρα, οὗ πάντες οἱ συγκωμῆται κατεβόησαν ἐγγράφως καὶ ἀγράφως μοιχείαν καὶ ἀρσενοκοιτίαν, ἐχειροτόνησε πρεσβύτερον καὶ περιοδευτήν. Ibi *procuratorem* Latinus interpres vertit, alibi *circuitorem*. Fuit igitur περιοδευτὴς presbyter, et quidem ἐν κώμαις chorepiscopo substitutus. Caeterum cum ecclesiasticae opes ac pecuniae, quae magna ex parte in usus pauperum insumebantur, rusticis quoque praediis continerentur, inde factum arbitror ut earum rerum curatio chorepiscopis mandaretur. Quocirca peculiaris haec ipsorum functio fuit; ut Neocaes. Canon XIII. admonet. Ad quem Balsamon τὰ κυριακὰ καὶ πτωχικὰ χρήματα dispensari ab illis
p. 263. adnotat. Zonaras quoque: τὰς γὰρ τῶν ἐκκλησιῶν, ὧν προΐστωντο, προσόδους εἰς πτωχοὺς ἀναλίσκειν ὤφειλον καὶ προνοεῖσθαι αὐτῶν. Tum vero Damasus: *Sed quia,*

deo gratias, modo necessarii, sicut in primitiva ecclesia, propter studium, quod erga pauperes exigebant, non sunt etc. Corr. *exhibebant* ex Latina canonis Neocaes. interpretatione, quam ex Dionysio Exiguo Damasus ille descripsit, ut vel ex hoc ipso vetustatem eius agnoscas, quemadmodum et ex illa loquendi ratione, *sicut in primitiva ecclesia;* ac postremo etiam ex eo quod sub epistolae finem de Paulo ita loquitur: *Cum etiam egregius praedicator dicat*, quomodo Paulum ἀντωνομαστικῶς Gregorius in Homilia XXXVII. in Evang. vocat. Quae omnia, ut et alia sexcenta, recentiorem autoris aetatem detegunt. Πτωχικῶν χρημάτων et certorum hominum, qui pecunias illas administrabant, meminit Synesius in luculenta illa epistola LXVII. Utputa Lamponiani presbyteri et ante hunc Dioscori episcopi, de quo ista scribit: πολλὴν οἶμαι χάριν ὀφείλειν αὐτῷ τοὺς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ συμπτώχους, ὧν τοὺς ἀγροὺς ἐκπονεῖ. Finem de chorepiscopis disputandi facerem; nisi ad eorum functionem illustrandam pauca quaedam superessent, quae praetermitti nefas arbitror. Imprimis Basilius epistola, quam Balsamon inter Decretales posuit, antiquissimum hunc in ecclesia ritum fuisse docet, ut qui ad ecclesiae ministerium adhiberentur, a presbyteris et diaconis ante omnia probati chorepiscopis commendarentur: οἳ τὰς παρὰ τῶν ἀληθινῶς μαρτυρούντων δεξάμενοι ψήφους, καὶ ὑπομνήσαντες ἐπίσκοπον, οὕτως ἐνηρίθμουν τὸν ὑπηρέτην τῷ τάγματι τῶν ἱερατικῶν. Cui consuetudini derogatum a chorepiscopis queritur, qui omnem ad sese adsciscendorum ecclesiae ministrorum autoritatem transferrent, ac postremo presbyteris et diaconis permitterent, ut quos vellent etiam indignissimos cooptarent. De subdiaconis caeterisque minoribus clericis duntaxat iis loquitur, qui in paganis censerentur ecclesiis. Subdit enim: Διὸ πολλοὶ μὲν ὑπηρέται ἀριθμοῦνται καθ' ἑκάστην κώμην. Ad haec Gelasius Cycicenus lib. III. de Conc. Nicaeno Can. LIV. LV. et sequentibus multa de chorepiscopis scitu digna continet, quae tu consule.

Καὶ ἀμφόδων, ἤτοι λαβρῶν.] Scribe λαυρῶν. Nam oscitantia librarii hunc errorem peperit. In scriptis codicibus vetustioris notae, nec non et in antiquioribus quibusdam exeusis litera υ ad instar τοῦ βῆτα caudata pingitur. Unde ab imperitis exscriptoribus importune prior in posteriorem commutata saepius, velut hoc loco contigisse imperitus et ipse sit qui dubitet. Quocirca vana et ridicula est Tremellii, sive Francisci Iunii coniectura, qui in Londinensibus Bibliis ad Genes. cap. VIII. in notis marginalibus mendosa hac Epiphanii lectione freti de origine vocis, *labari*, seu *labori* Constantiniani, et *libertinorum* Actor. VI. nugas meras effutiunt. *Labra*, inquiunt, *Aegyptiis dicitur tota παροικία, quae uni synagogae subest, inquit Epiphanius* κατὰ Ἀρειομανιτῶν, *et Lubra synagoga loco editiore sita, atque exinde Lubratenu, vel Lubratenum ad synagogam Aegyptiorum pertinentes, Actor.* VI. *qui libertini vulgo appellantur. Hinc quoque nomen labarum, signum pensile, quod praeferebatur regibus, ex Armeniorum et Persarum usu, quia exemptile erat, et de cento suo descendebat amovebaturque commode.* En criticum acumen. De labaro deque Lubare monte quantum hallucinentur, diximus ad initium operis huius. Caetera non melioris iudicii sunt, quae vitiosa Epiphanii lectione nituntur. Quanquam ne ipsum quidem Epiphanium intellexerunt. Neque enim ille dixit, totam παροικίαν, quae uni synagogae subest, lubram ab Aegyptiis appellatam, nec de synagoga mentionem ullam attigit, sed de catholicorum ecclesia. Tum ut λάβραν non λαύραν legendum putemus, non eo vocabulo *παροικίαν* universam seu vicinam eidem titulo contributam significari docuit, sed ἀμφοδον, hoc est vicum unum, quae est propria τῆς λαύρας notio. Hesych. λαύρα, ῥύμη στενή, δι' ἧς ὁ λαὸς εἰςέρχεται (ἡ φλὸξ) οἱ δὲ τόπους πρὸς ὑποχώρησιν ἀνημένους· οἱ δὲ ἄμφοδα, οἱ δὲ στενωπούς, καὶ δίοδοι. Sic Alexandrinae λαύρα τῶν p. 283.

εὐδαιμόνων, in qua delicata omnia et ad luxum facta vendebantur, apud Athen. lib. XII. Vide Suidam et Eustathium. Hoc vocabulum ad monachorum μάνδρας, sive μονὰς, translatum norunt vel pueri.

Γενομένου υἱοῦ Οὐαλεριανοῦ·] Falsum. Constantii Chlori genus Trebellius in Claudio ita describit: *Claudius, Quintillus et Crispus fratres fuerunt. Crispi filia Claudia; ex ea et Eutropio nobilissimo gentis Dardanae viro Constantius Caesar est genitus.* Itaque *Claudii* pro *Valeriani* scribere voluit Epiphanius. Quamquam enim non ipsius Claudii, sed eius fratris nepos fuerit, a pleriisque tamen, qui vel Constantio ipsi, vel Constantino, eiusve posteris adulabantur, ad Claudium origo generis refertur. Ecce tibi vel Trebellius ipse paulo ante Constantium Claudii *nepotem* appellat et *Augustae fuisse familiae* scribit. Nam et Eutropius diserte Claudii per filiam nepotem Constantium facit, et Eusebius in Chronico, ac postremo Iulianus ὁ παραβάτης in duobus Paneg. Constantii Constantini F., ad quos de Constantii genere disputavimus.

N. Π. Σὺν τῇ νῦν κτισθείσῃ.] Huius ecclesiae meminit Athanasius Apol. I. Nam illius caussa calumniam ab Arianis passus est, quod synaxibus illic habitis encaenia praevertisset, idque imperatoris iniussu. Ἐπειδὴ δὲ καὶ περὶ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας κατειρήκασιν, ὡς δὴ συνάξεως ἐκεῖ γενομένης πρὶν αὐτὴν τελειωθῆναι. Postea hunc eundem ἐπώνυμον Constantii τόπον appellat, nempe quod Caesarea dicta sit; alioqui Constantianam basilicam nominatam crederem, nisi prius illud nomen indicaret Epiphanius. Sed hanc basilicam olim Ἀδριανὸν appellatam fuisse testatur; forte quod ab Adriano erecta. Cuiusmodi templum illud fuit Tiberiade ab eodem imperatore conditum quod Ἀδριάνειον vocabant, quodque Iosepho Comite in ecclesiam mutatum scribit Haer. XXX. n. XII. Ex quo videri potest etiam hoc loco Ἀδριάνειον legendum. Caeterum Adrianum titulos in operibus non amasse prodit in eius vita Spartianus.

Γρηγορίου τοῦ Μελητιανοῦ.] Gregorium Cappadocem intelligit, qui ex Antiochena synodo Alexandriam missus et Athanasio deposito successor datus est. Sed idem postea in Sardicensi concilio redactus in ordinem, Athanasius vero *sedi* suae restitutus. Quanquam Socrates et Sozomenus Gregorium, quod Arianorum caussam parum strenue promoveret, ab Arianis ipsis remotum asserunt.

Ἄλλαι δέ εἰσι πλείους.] Theonae dictam ecclesiam condidit Alexander, cui
p. 284. successit Athanasius, ut Apol. prima testatur ipse. At praeter istas, quas Epiphanius recenset, alia fuit ἡ καλουμένη κυρίου, *domini*, pro quo Latinus interpres *Quirini* reddidit, quasi esset Κυρίνου. Locus est in Epist. ad Solitarios pag. 632.

Ἕκαστος δὲ τούτων δῆλον.] Leg. forte δῆλον ὅτι. Porro in singulis iis ecclesiis quilibet presbyter privatas synaxes agebat. Sed cum Athanasii opera magna indies ad ecclesiam accessio fieret, arctiora illa templa esse coeperunt, adeo quidem ut in synaxibus, quae quadragesimae tempore fiebant, plerique in conferta turba propemodum elisi ac praefocati fuerint: ἐν ταῖς συνάξεσι τῆς τεσσαρακοστῆς, ubi interpres aliud agens *Pentecosten* vertit. Ideo in paschali celebritate pervicit populus, ut in maiori illa ecclesia, quam Caesaream vocabant, tametsi dedicata nondum esset, synaxis fieret, ad eamque ex omnibus ecclesiis fideles concurrerent. Narrat id Athanasius Apol. I.

Ἄλλοι δὲ Καρπώνῃ.] Qui ab Alexandro ob Arianam perfidiam eiectus ab ecclesia a Gregorio in Athanasii locum intruso ad Iulium papam missus est, ut ipsemet Iulius in epistola testatur, quam in Apol. II. descripsit Athanasius.

Καὶ γὰρ ὁ Κόλλουθος τινά.] Meminit huius epistola synodalis ab Alexandrino concilio in caussa Athanasii scripta apud eundem Athanas. Apol. II. Hic cum

presbyter esset, pro episcopo sese gessit et ordinationes instituit. Sed ab Hosio et Alexandrino concilio pristinum in ordinem compulsus est. Idem et haeresin peculiarem tenuit, *ut deum malorum factorem non esse diceret*, ut Augustinus et Philastrius docent. Quod de iis malis accipiendum est quae per sese bona, ideo mala dicuntur, quod ad malorum poenas infliguntur.

N. XII. Ἡμιφόριον γὰρ ὁ τοιοῦτος ἀεί.] Ἡμιφόριον idem est quod Hesychio ac Suidae ἡμιφάριον, hoc est ἥμισυ ἱματίου. Palladius in Historia Lausiaca, quem citat Meursius: πάντα αὐτῆς (de Melania iuniore) τὰ σηρικὰ ἡμιφόρια καλύμματα τοῖς θυσιαστηρίοις ἐδωρήσατο. Utraque voce dimidiata vestis exprimitur. Colobium *curtam tunicam* interpretari possis. Proprie quidem quae manicis careat ac decurtata sit. De qua nonnihil ad Themistium diximus. Sed non minus apte sic appellari videtur, quid non ultra pectus atque humeros pateret, quasi dimidiatum esset pallium. Siquidem κολοβιῶνα latum clavum nominari censet Acro; cui respondere dicit indumentum illud ex purpura quod a cervice ad pectus extentum gestabant principes. Ergo propterea κολόβιον et ἡμιφόριον vocatum est, quia iustae vestis more nequaquam extendebatur. Aliud est ὠμοφόριον episcoporum, de quo Germanus Constantinopolitanus.

Σκεῦνδον γὰρ τὸν Πτυνταπολίτην.] Fuit iste Ptolemaidis episcopus, qui cum Theona, quod Arium damnare nollet in Nicaeno concilio damnatus est, homo terrimus. Cuius sparsim Athanasius meminit.

N. XIV. Εὐθὺς τελευτᾷ ὁ ὁμολογητής.] Tanto ante Alexandri mortem et Nicaenum concilium decessisse Meletium putat. In quo vehementer errat, ut supra demonstratum est in Meletianorum schismate.

N. V. Ἅμα Λουκιανῷ ἐν Νικομηδείᾳ.] Luciano sanctissimo martyre, quem nihilominus Ariani patronum autoremque suum iactabant. De quo paulo post.

N. VI. Καὶ κἂν κακὸν κινεῖ.] Leg. ex Theodoreto lib. I. cap. v., ubi haec eadem epistola continetur, πάντα κάλων κινεῖ: *Omnem movet rudentem*. Notissimum est proverbium. p. 285.

Καὶ Θεοδόσιος καὶ Παυλῖνος.] Leg. Θεόδοτος non Θεοδόσιος, ex Theodoreto lib. I. cap. v., et Niceph. lib. VIII. cap. IX. Fuit hic Laodiceae episcopus, Paulinus Tyri, Athanasius Anazarbi, Gregorius Beryti, Aëtius Lyddae.

Σὺν Λουκιανιστᾷ, ἀληθῶς Εὐσέβιε.] Emendandum Συλλουκιανιστά. Nam Luciani martyris discipulos se esse gloriabantur. Alexander episcopus Alexandrinus in Epist. ad Alexandrum Constantinop. Lucianum perstringit, quasi Pauli Samosateni dogma secutus esset, ob idque a tribus deinceps Antiochenis episcopis ab ecclesia reiectum asserit. Hunc Ariani certatim asciscere sibi ac vendicare studebant; adeo quidem, ut in Antiochena synodo fidei formulam tanquam ab illo conceptam ediderint. Sed Lucianum ab ea calumnia purgat Baron. in Notis ad Martyrolog. et in Annal. Eccl. a. 311. et 318. Ubi Lucianum docet in confutanda Sabellianorum haeresi longius progressum contrariam in partem paulo vehementius incubuisse, et ut personarum discrimen adstrueret, nonnulla iecisse, quae Ariani postmodum exorti suum in usum transtulerunt. Quod idem plerisque veterum patrum cum in hoc negotio, tum in aliis fidei Christianae capitibus usuvenit, ut ante errorum atque haereseon, quibus ea singillatim oppugnabantur, originem nondum satis illustrata ac patefacta rei veritate quaedam suis scriptis asperserint quae cum orthodoxae fidei regula minime consentiant. Ne ab hoc trinitatis mysterio ac quaestione discedam, observavimus iamdudum Iustinum Martyrem Dialogo cum Tryphone de filio dei idem propemodum cum Arianis sentire. Nam pag. edit. Paris. 119. verbum dei ac filium, etiam antequam

carnem susciperet, inferiorem esse patre censuit, quem et veteribus apparuisse dicit, et subinde commemoratis exemplis ita colligit: δι' ὧν ἐκοδίδεκται ὑπὸ τῷ πατρὶ καὶ κυρίῳ τεταγμένος, καὶ ὑπηρετῶν τῇ βουλῇ αὐτοῦ. Deinde quoties in scripturalegitur, *Ascendit deus ad Abraam*, vel, *Locutus est dominus ad Moysen*, vel, *Descendit deus, ut videret turrim*, vel, *Clausit dominus arcam deforis*, ac reliqua id genus, negat de patre ipso debere accipi, qui neque moveatur loco neque locutus cuiquam fuerit, sed ad filium pertinere. Nam si eius ipsius, quem miserat, filii splendorem Iudaei ferre minime potuerunt, quomodo patris ipsius maiestatem gloriamque sustinerent? Proinde neque Abraam neque Isaac neque Iacob neque mortalium ullus patrem ipsum ac rerum omnium dominum vidit, ἀλλ' ἐκεῖνον τὸν κατὰ βουλὴν τὴν ἐκείνου καὶ θεὸν ὄντα υἱὸν αὐτοῦ, καὶ ἄγγελον ἐκ τοῦ ὑπηρετεῖν τῇ γνώμῃ αὐτοῦ. Sed illum, qui ex ipsius voluntate deus est, eiusque filius et angelus, quod illius voluntati morem gerat.

Quae Iustini verba Tertullianus imitatus est lib. II. contra Marc. cap. XXVII. Mirum est Arianos, cum insaniam suam veterum patrum testimonio corroborare cumprimis cuperent, Iustinum praeteriisse. Sed ab omni, uti dixi, culpa tam hic quam Lucianus aliique liberandi sunt, qui nondum agitata explicataque controversia parum de ea commode pronunciasse videntur. Simile quiddam de Dionysio Alexandrino tradit Basilius Epist. XLI. et alibi.

p. 266. N. VII. Οὐδ' ὡς Οὐαλεντῖνος προβολήν.] Hieron. Apol. II. in Ruff.: *Habetur dialogus apud Graecos Origenis et Candidi Valentinianae haereseos defensoris; (in) quos duos andabatas digladiantes inter se spectasse me fateor.* Dicit *Candidus filium de patris esse substantia, errare in eo quod* προβολὴν *asserit. E regione Origenes iuxta Arium et Eunomium repugnat, cum vel prolatum esse, vel natum, ne deus pater diridatur in partes.* Marianus Hieronymi scholiastes προβολὴν hic esse credit *excellentiam*, et ἔξοχήν, et errare propterea Candidum, quod patrem excellentiorem filio diceret. Sed aliud est προβολὴ quam *excellentia*. Neque enim recte quispiam προβολὴ dici potest, hoc est excellentia maiore praeditus. Itaque προβολὴν Valentinus productionem eiusmodi vocabat, qua procreatum ab Aeonibus Iesum asserebat. Nimirum composito ac constitato pleromate et Aeone restituto, de communi omnium voluntate, cum unusquisque quod habebat praestantissimum conferret, novum quendam prodiisse foetum, videlicet Iesum, sive Christum et Salvatorem. Vide Haeres. XXXI. n. XIII., ubi Aeonas omnes ait προβαλέσθαι πρόβλημα εἰς τιμὴν καὶ δόξαν τοῦ Βυθοῦ. Haec est Valentiniana προβολή. Alioqui προβολὴν *Verbi productionem* appellare nihil prohibet. Et a Gregorio Nazianz. caeterisque patribus verbi προβολεὺς pater nominatur.

N. VIII. Ἄρειος Ἐθάλης.] Scribe Ἀειθαλὴς et Ἀχιλλᾶς. Apud Theodoretum lib. I. cap. IV. in fine Epistolae Alexandri ad ὁμώνυμον Constantinopolitanum subiiciuntur eorum nomina qui ob haeresin excommunicati sunt, atque ex presbyteris solus Arius nominatur, diaconi vero IX. Ἀχιλλᾶς, Εὐζώϊος, Ἀειθαλᾶς, Λούκιος, Σαρμάτης, Ἰούλιος, Μηνᾶς, Ἄρειος ἕτερος, Ἑλλάδιος.

Θεωνᾶς Λίβυς.] Fuit hic episcopus Marmaricae. De Pisto mentio est in epistola Iulii papae, quam Apologiae II. Athanasius inseruit. Ubi damnatus esse dicitur ab Alexandro episcopo Alexandrino et Nicaena synodo atque a Secundo Pentapolitano restitutus, neque cuius ordinis fuerit exprimitur. Episcopum fuisse docet Epiphanius, quem etiam Alexandriae collocatum esse ab Arianis scribit. Verum nullus eo nomine Alexandrinam ecclesiam tenuit. Et quidem κατάστημα simpliciter idem esse potest, atque *ordini suo ac dignitati restituerunt.* Ita Iulius

papa οὐδὲ ἠρνοῦντο τὸν Πιστὸν ὑπὸ Σικούνδου ἐσχηκέναι τὴν κατάστασιν. Sed quod inter episcopos ab Epiphanio referatur, excusari non potest.

N. IX. Ὡς οὖν οὕτω παρεκινήθη.] Multum in historia Meletii lapsum esse supra vidimus. Largius in Arianae haereseos descriptione peccavit vir alioqui diligentissimus. Nam quae deinceps exponit, ea post Nicaenum concilium acciderunt, anno undecimo; hoc est Christi CCCXXXVI. At Epiphanius Arium ante Nicaenum concilium excessisse putat. In quo scriptorum omnium consensu refellitur. Nimis illud notum est, viventem adhuc Arium a Synodo damnatum et post aliquot annos Eusebii opera restitutum Constantinopoli mortuum esse. De quo Socrates, Ruffinus, Theodoretus, Sozomenus et ante omnes Athanasius. Ex quibus corrigendus Epiphanius, qui ex falsissimis quibusdam actis aut historiis ista descripsit. Sane cum primum Alexandrinos illos tumultus et Arii damnationem p. 267. optimus imperator accepit, literas ad Alexandrum et Arium acriores dedit et Hosium Cordubensem Alexandriam misit, qui orientem illam procellam componeret. Quod ubi minime processit, tum demum Nicaenam synodum coëgit, ac postremo anno, uti diximus, undecimo a peracta Synodo Arium Constantinopolim per literas evocavit. Haec temporibus discreta confudit ac permiscuit Epiphanius.

Ὁμοῦ δὲ ζήλῳ ἐπαρθείς.] Edita est haec Constantini ad Arium et Arianos Epistola a Federico Morello anno MDCXV. Ex qua emendandus hic Epiphanii locus. Leg. itaque hunc in modum eius initium. Κωνσταντῖνος Σεβαστὸς μέγιστος Ἀρείῳ καὶ Ἀρειανοῖς quae est inscriptio. Deinde Κακὸς ἑρμηνεὺς αὐτόχρημα etc.

Ἄγε δὴ ἄδδες Ἄρεια.] Corr. ex eadem Epistola Ἄρες Ἄρεις.

N. X. Ἀποδοὺς αὐτοῦ τὰ τέλη.] Τέλη hic pro *intestinis* sumuntur.

N. XI. Ἐν τῷ αὐτῷ ἔτει παύεται.] Quinque mensibus post Nicaenam synodum, ait Athanas. Apol. II. et Theodoretus. Sed quae de Alexandro successore tam hoc loco quam in superiore haeresi num. VI. narrat Epiphanius, cum historia nullo modo consentiunt. Hoc enim constat mortuo Alexandro nullum alium successisse praeter Athanasium, idque communi omnium ordinum voluntate ac suffragio; uti synodica Alexandrini consessus epistola testatur apud Athan. Apol. II. Frustra igitur Epiphanius Achillam Alexandro subrogatum dicit. Nam post Petrum sedem illam tenuit et successorem habuit Alexandrum, seditque annum duntaxat unum, ut Nicephorus in Chronico scripsit. At Epiphanius Achillae, qui post Alexandrum a catholicis substitutus est, menses tribuit tres, eodemque tempore Theonam a Meletianis ordinatum asserit, quod nemo alius prodidit.

Ἐπεὶ οὖν ἔλθόντος Ἀθανασίου.] Nimis impudenter et proterve Camerarius in Appendice ad Nicephori Chronicon de Athanasio suum interponit iudicium, et quamquam ingenti animo veritatis patrocinium suscepisse fateatur, plus illum tamen quam oporteret suis indulsisse cupiditatibus et sacra profanis aliquando miscuisse docet. Quis Lutheranas istas faeces tantum sibi audacise sumere miretur potius quam communi pietatis nomine succenseat?

N. XII. Καὶ αὐτοῦ δὲ τοῦ Κωνσταντίου.] Simile huic ac longe etiam honorificentius et uberius eiusdem imperatoris elogium extat apud Nazianzenum in priore στηλιτευτικῷ; quod oratorio more ac dicendi impetu et calore profusum magis quam ex rei veritate profectum videtur.

N. XIII. Δεύτερον ἔτι ἐνίσχυσε.] Non ab Eusebio, sed ab Eudoxio, qui Constantinopolitanam sedem occuparat, baptizatus est Valens. Quare pro Εὐσεβίου leg. Εὐδοξίου.

N. XVII. Καὶ οὐχ ὅτι ἄγγελοι ὑπάρχουσι.] Scrib. ὑπαρξουσι.

N. XXI. Μετὰ ἑξήκοντα δύο γενεὰς.] Ab Adamo ad Abrahamum generationes sunt XX. Ab Abrahamo ad Christum XLII, hoc est ter quatuordecim.

N. XXIII. Τοῦ ταύτης ὁρμαστοῦ.] Leg. videntur ἁρμοστοῦ. Nisi forte γλωσσηματῶδες quoddam vocabulum sit. Quippe haer. LXXVIII. num. XIII. ὁρμασθῆναι
p. 388. eadem in significatione dixit, et num. XVI. Theclae ὁρμαστὸν, hoc est *sponsum* appellat.

N. XXV. Ἐν δὲ τῷ Ἑβραϊκῷ λέγει.] Latissime hic locus expenditur in Ancorato. Hebraica vox קנה *possidere* significat. Ideo Aquila ἐκτήσατο vertit. At exemplaria Graeca vulgo ἔκτισε iam tum olim, ut hodieque praeferunt. Quam lectionem haud probat Hieron. ad XXVI. cap. Esa. com. XIII., ubi ait quaedam exemplaria male in Proverbiis pro possessione habere creaturam. Verum antiquissima est Graecorum codicum illa lectio, quam plerique omnes patres agnoscunt, etiam illi qui ante Arianos extiterunt, uti Clem. Alexandr. in Protreptico, Ignatius Epist. IV. ad Tarsenses, Tertullianus lib. contra Hermog. cap. IX., Cyprianus lib. II. Testimon. adversus Iudaeos cap. I., ut Athanasium, Gregerium Nazianz. ac caeteros omittam. Quorum alii de creata sapientia locum illum accipiunt, alii ad increatam referunt. Quae nos sacrarum literarum interpretibus enucleanda relinquimus. At Epiphanius novam quandam Hebraico verbo notionem affingit, ut idem sit קננני atque ἐνόσσευσέ με: quasi scriptum sit קננני a duplicante Aiin. Nam קנן est *nidificare*, sive *nidos construere*. Quod non idem est ac *fetus excludere*, vel *producere*, ut arbitratur Epiphanius. Ideo nullus huic argutiae locus est.

N. XXVI. Ἀλλὰ πάντως ἐρεῖς μοι.] Observanda haec Epiphanii ad Arianorum obiecta responsio, cum ait οὔτε θέλοντα, οὔτε μὴ θέλοντα patrem genuisse filium. Nam vetustissimos patres satis constat hac in parte non sine cautione legendos, qui nonnunquam patrem asserunt voluntate sua filium produxisse. Ita Iustinus, ut supra monuimus, κατὰ βουλὴν θεὸν ὄντα υἱὸν αὐτοῦ dixit. Caeterum Augustinus sophisticae illi Arianorum cavillationi ingeniose ac subtiliter occurrit. Tract. contra Serm. Arian.

N. XXXII. Ἀλλ' ἐρεῖ μοι· πῶς εἶπεν.] Vide concilii Aquileiensis Acta, ubi Ambrosii opera Palladius et Secundianus Ariani episcopi damnati sunt, qui inter caetera dei filium verum deum fateri compulsi miris tergiversationibus eludunt.

N. XLI. Εἰ δὲ ἐν κόσμῳ ἦν.] Nova quadam ratione Ioannis illa verba declarat: ὃς ἔμπροσθέν μου γέγονε, *qui ante me factus est*, ut interpres noster reddidit; quasi γέγονεν idem significet ac *fuisse*, sive profectum aut alicubi versatum esse. Quo sensu prius Ioanne dei filius extitit, propterea quod saepius, vel antequam humanam carnem indueret, veteribus patriarchis apparuit. Tertull. II. contra Marc. cap. XXVII.: *Nam et profitemur Christum semper egisse in dei patris nomine, ipsum ab initio conversatum, ipsum congressum cum patriarchis et prophetis*, et caetera, quae caute, uti dixi, legenda sunt; ut et Iustini locus ille, ex quo Tertullianus ista sumpsit. Idem porro, sed longe prudentius, docet Augustinus contra Adiman. cap. IX. *Quia ipse filius*, inquit, *qui est verbum dei, non solum novissimis temporibus, cum in carne apparere dignatus est, sed prius a constitutione mundi, cui voluit de patre annunciavit, sive loquendo, sive apparendo, vel per angelicam aliquam potestatem, vel per quamlibet creaturam* etc. Sed eam quaestionem uberius exponit lib. II. de Trinit. Redeo ad Epiphanium, qui ἐγένετο (sic enim legit pro
p. 389. γέγονεν) idem esse putat atque *accessit* et *advenit*. Quod mihi quidem non probat. Ac si Graeci vocabuli vim consideres, γέγονε idem esse potest ac *productus*,

vel *genitus est* quod dei filio convenit. Nam ante Ioannem genitus est, aut certe idem est atque extitit. At noster interpres alio sensu, *factus est*, vertit. Quasi id velit Ioannes, ante me factus est, id est maiori quadam in excellentia ac dignitate constitutus. Potest et ad divinam praedestinationem ac προορισμὸν revocari, de qua Paulus Rom. I. com. 4.

N. XLIII. Φασὶ γὰρ πάλιν.] De hoc Marci testimonio disserit Athanasius Orat. IV. adversus Arianos, August. lib. I. de Trinit. cap. XIX., Hilar. IX. de Trinit., et alii complures.

N. L. Τὸ δὲ ἀληθὲς, καὶ ἁπαρεμφάτως.] Leg. ἀληθῶς. Porro ἁπαρεμφάτως idem est ac simplici, non allegorico sensu, sed proprie et sine alterius rei significatione.

N. LX. Καὶ μετ' οὐ πολλὰ εἰπών.] Comma istud in Hebraeo non reperitur, sed in Graecis duntaxat editionibus, Deut. XXXII., 43., aliter tamen expressum quam hic ab Epiphanio concipitur, hoc scilicet modo: Εὐφράνθητε οὐρανοὶ ἅμα αὐτῷ, καὶ προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι θεοῦ, quod est comma 42. Tum 43. Εὐφράνθητε ἔθνη μετὰ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ, καὶ ἐνισχυσάτωσαν αὐτῷ πάντες υἱοὶ θεοῦ. Epiphanius vero sic invertit: προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες υἱοὶ θεοῦ, ἐνισχυσάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι θεοῦ. Communem lectionem confirmat apostolus ad Hebr. cap. I., 6. Augustinus in Locutionibus tam hanc quam Epiphanianam commemorat. Nos hanc ipsam, prout ab Epiphanio reddita est, in vetustissimo bibliorum Graecorum codice manu exarato reperimus ex bibliotheca Christianissimi regis, ut minime dubitandum sit, eam quorundam exemplarium lectionem fuisse. Nam et Theodoretus in Quaestionibus eam agnoscit, et Sixtianarum editionum scholia in aliis codicibus illam ipsam inveniri testantur. Quorum tamen insignis hallucinatio est, dum vulgatam alteram ab Epiphanio hac in haeresi comprobari dicunt. Quod secus se habet.

Quod ad sententiam attinet, si ea verba interpretatur Epiphanius, ut ἐνισχυσάτωσαν αὐτῷ sit idem ac *roborent, vel confortent ipsum*. Sed nullus Hellenismus patitur ἐνισχύειν τινὶ transitive sumi, pro eo quod est roborare aliquem. Quare Sixtiana et Complutensia melius: *Et confortentur, vel roborentur in ipso*. Quomodo autem Epiphanius exponit, legendum videatur ἐνισχυσάτωσαν αὐτόν. Sane Theodoretus ἐνισχυσάτωσαν αὐτοὺς in suis codicibus habuit; eiusque loci sensum ad Epiphanii mentem accommodat, cum de angelis exponit, quorum ea functio est uti sanctos viros, cuiusmodi erant apostoli ac patriarchae, ope ac praesidio suo tueantur. Quin et Christo domino nascenti ac morienti praesto fuerant, κἂν τῷ πρὸς τὸν διάβολον ἀγῶνι παρῆσαν τῶν ἀγγέλων οἱ δῆμοι· προελθόντες γὰρ, φησὶν, ἄγγελοι διηκόνουν αὐτῷ, καὶ τῷ πάθει δὲ παρῆσαν, καὶ μετὰ τὴν ἀνάστασιν τῷ τάφῳ προσέδρευον.

N. LXII. Ὁρῶσα ἤδη τὴν θεότητα.] Prudenter hic locus explicandus est. Non enim soluta est post mortem corporis cum divinitate coniunctio, sed quod anima vitaque destitutum est, ab ipsa quodammodo divinitate corpus est relictum.

N. LXX. Οὐκ ἴσασι δὲ ὅτι καὶ ὑπόστασις.] De his vocibus ὑποστάσεως et οὐσίας accurate disputatur in Annal. Eccles. 62. a n. 187. p. 290.

N. LXXII. Λέγουσι γὰρ πάλιν.] De hoc apostoli loco vide Hilarium lib. XI. de Trinit.

N. LXXVI. Πάλιν λέγουσι.] Vide eundem Hilar. lib. VII. de Trinit.

AD LIBRUM TERTIUM.

AD HAERESIM LXX., QUAE EST AUDIANORUM.

N. IX. Φάσκοντες ἀπὸ Κωνσταντίου.] Imo Κωνσταντίνου. Iactabant haeretici ac Τεσσαρεσκαιδεκατῖται Nicaenos patres in Constantini gratiam legitimam paschatis celebritatem nova sanctione perturbasse. Quos refellit Socrates lib. v. cap. XXIII. Καὶ οὐκ ὥς τινες ἐπεθρύλλησαν ἡ ἐπὶ Κωνσταντίνου σύνοδος τὴν ἑορτὴν ταύτην παρέτρεψεν.

Ὅτι ὅτε τὰ γενέθλια.] An nativitatis diem, an imperii natalem intelligat, dubitari potest. Incidit enim Nicaenum concilium in eum annum, quo Constantinus vicennalia celebravit, adeoque natalem imperii diem exquisitiore pompa et apparatu coluit.

Ἐν τε χρόνοις Ἀλεξάνδρου.] Quaenam sub Alexandro Alexandriae episcopo paschales istae turbae fuerint, nusquam a me lectum vel auditum. Sed neque quis Crescentius ille fuerit. Quaerant amplius eruditi.

N. X. Εἰς τοῦτο δὲ οἱ αὐτοὶ Αὐδιανοί.] Constitutiones Apostolicas ad erroris sui patrocinium adferebant Audiani. Quo in libro statutum erat, uti pascha eodem tempore celebraretur quo illud fratres obirent, qui e circumcisione in Christum crediderant. Cuius dicti sententiam eiusmodi esse volebant, ut Iudaico ritu, hoc est XIV. luna, Christiani pascha facerent. Contra quos Epiphanius aliter decretum exponit, nimirum pacis et concordiae studio constitutum ab apostolis, ut quamdiu οἱ ἐμπερίτομοι Christiani Hierosolymis praesiderent (quod ad Adriani usque tempora perseveravit) ab iis ne dissentirent reliqui, ac vel aberrantes sequerentur potius quam ecclesiae concordiam solverent. Addit et alia quaedam ex eodem constitutionum libro, quae paulo post viderimus. De Apostolicis iisce Constitutionibus dubitatum a nonnullis praefatur Epiphanius. Quo eodem nomine circunferuntur hodie in octo libros distinctae, quae a prioribus illis, ac nihilominus dubiis, quarum meminit Epiphanius, diversae videntur. Etenim quinque ex
p. 291. illis sententiae hoc et sequenti numero citantur, quae in vulgatis nusquam reperiuntur, imo vero contraria quaedam in iis leguntur. Nam lib. v. cap. XVI. de paschatis celebritate catholicum dogma propalam edicitur, uti post aequinoctium instauretur. Tum ne cum Iudaeis agatur: οὐδεμία γὰρ κοινωνία ἡμῖν νῦν πρὸς αὐτοὺς· πεπλάνηνται γὰρ καὶ αὐτὴν τὴν ψῆφον, ἣν νομίζουσιν ἐπιτελεῖν; et alia quaedam, quae aut a superiori sanctione discrepant, aut si in antiquis illis constitutionibus legebantur, mirum est hoc tam praesenti ac diserto testimonio usum non esse contra Audianos Epiphanium, qui Iudaeorum more celebrandum pascha iisdem ex constitutionibus affirmabant. Apparet igitur aliud fuisse constitutionum genus, quam quibus hodie Clementis nomen inscribitur.

p. 488. Ἵνα δείξωσι τοὺς ἐκτὸς τῆς περιτομῆς.] [Ex iis castiganda Scaligeri sententia, qui lib. II. de Emend. Temporum non solum apostolos, sed etiam eos qui centum post illos annis vixerunt asserit Iudaico more pascha peregisse. Tum alia nonnulla subiicit, in quibus more suo pugnantia ac plane contraria loquitur, quod paucis hoc loco declarandum; ut qui illius librum recudunt videant qua ratione tam foedam labem eluant, quod aliter quam toto illo quantum est deleto opere consequi non poterunt. Sunt enim capitibus illius dogmata ex ipsius doctrinae visceribus deprompta et cum ea prorsus implicata. Sed iam paucis illius παρεγ-
p. 291. χείρημα perstringamus.] Falsum est decrevisse unquam apostolos, ut Iudaico ritu pascha celebraretur, aut cum iis etiam Christianis atque episcopis, qui Iudaico

ac minime legitimo tempore fungerentur. Quae enim est ista ratio, aut quid in mentem Epiphanio venit, ut ab apostolis constitutum istud assereret, oportere Christianos omnes ac τὸν πάντα κόσμον cum recutitis pascha facere? Nimis hoc absurdum decretum fuisset. Non negamus aliquot saltem apostolos initio ad Iudaeorum se tempus accommodasse, quod de Ioanne Polycarpus et Polycrates, Asiaticique omnes contra Romanos pontifices excipere solebant, ut Eusebius aliique veteres testantur. Verum id ulla constitutione definitum ab apostolis negamus omnino. Quin potius contrarium ab iisdem illis constat fuisse traditum. Cuius παραδόσεως meminit Eusebius lib. v. Histor. cap. XXIII. Nam cum dixisset Asianos ἐκ παραδόσεως ἀρχαίας XIV. luna Iudaico more pascha peregisse, ὁποίᾳ δ' ἂν ἡμέρᾳ τῆς ἑβδομάδος περιτυγχάνοι, subdit mox in caeteris omnibus per orbem ecclesiis ἐξ ἀποστολικῆς παραδόσεως contrariam fuisse consuetudinem. Socrates vero lib. v. cap. XXII. scribit Tessaresdecatitas iactare se celebritatis suae formulam a Ioanne didicisse, contra Romanos et occidentales omnes suam sibi ab apostolorum principibus traditam asserere. Ἀλλ' οὐδὲ μὴν τούτων ἔγγραφον ἔχει παράσχεῖν τὴν περὶ τούτων ἀπόδειξιν. Quam eandem Petri ac Pauli traditionem catholici in Britannia contra Scotos urgebant. Vide Bedam lib. III. Histor. Angl.

Ὅτι κἂν τε πλανηθῶσι.] Si vel aberrantes illos, qui Iudaice celebrabant, imitari iubent apostoli, recte id ab Audianis allatum est ad sui ac Iudaici paschatis praesidium. At Epiphanius κατ' οἰκονομίαν, et ad tempus duntaxat institutum hoc fuisse censet.

Ἐξ αὐτῶν δὲ τῶν ἐκεῖσε εἰρημένων.] Quae sequuntur mirum in modum implicata sunt et obscura. Suspicabar hactenus ἀντίθεσιν illam, de qua loquitur, de Audianis intelligendam, quibus constitutionum istarum decreta refragantur. Quid enim aliud facerem in tam abrupta inconditaque sententia? Verum attentius in eum locum incumbens ex consequentibus didici alium esse sensum, quem tibi paucis exponam. Cum Audiani ad Iudaicam paschatis consuetudinem adstruendam locum quendam ex Apostolicis Constitutionibus proposuissent, qui hoc ipsum disertis conceptisque verbis testificari videretur, Epiphanius adversus legis verba p. 299.
legis sententia pugnavit, et ad tempus duntaxat ac tuendae concordiae gratia, κατ' οἰκονομίαν decretum illud extitisse docuit. Cuius defensionis illustrandae causa alteram iisdem in constitutionibus ἀντινομίαν et conflictum inesse demonstrat, quatenus diversae sanctiones sibi invicem repugnare videntur, cum revera non discrepent, si non tam verba quam sententiam spectes. Νοήματι δὲ πᾶσα ἡ ἀλήθεια ἔστη τοῦ κηρύγματος. Sic enim haec interpretanda credimus. Est autem legum ille conflictus eiusmodi. Iubent apostoli azymorum ipso die ieiunia et pervigilia a Christianis obiri. Item, quo illi tempore conviviis et hilaritatibus vacant, lugere ac ieiunare Christianos, et contra lugentibus illis epulari ac laetitiae se dedere. Alia porro lex dominicis diebus ieiunare prohibet. Quamobrem si in dominicam primus apud Iudaeos azymorum dies inciderit, ex posteriori lege ieiunare nefas fuerit, quod prior tamen constitutio praescribit. Vides manifestam ἀντιλογίαν. Eiusmodi est illa de paschate Iudaice celebrando sanctio, in qua, perinde ut in altera, legislatoris mentem ac sententiam considerare debemus. Ea vero sic interpretanda est. Quoties ante vernum aequinoctium quartadecima Iudaici Nisan incidit, atque illi pascha suum celebrant, Christiani solennia ieiunia prosequi debent. Sin, ut saepe fit, post aequinoctium festum illum diem obeant, eodem die Christianis pascha suum agere ac laetari licet. De quo ad sequentem numerum plura dicemus.

Φάσκουσι γὰρ τὴν ἀγρυπνίαν φέρειν.] Ἀγρυπνίας interpretor *vigilias* et *stationes*,

quae a ieiunis obiri solebant, de quibus alibi. Iam μεσαζόντων τῶν ἀζύμων nihil aliud est quam ipso die azymorum: sive, ut Hebraei dicunt. בעצם היום. Sic enim usurpare solet Epiphanius. Ita num. XII. μέσον ἄγεται τὸ θῦμα. Et μεσαζούσης τῶν δύο δρόμων νυκτός τε καὶ ἡμέρας, ut suo loco dicemus. Chronologi nostri labentem diem, aut annum appellant.

N. XI. Ἐκ τριῶν γὰρ συνέστηκεν.] Atqui duo tantum hic aperte ac distincte commemorat, solis cursum propter dominicum diem, et lunarem ob XIV. lunam. Quae et Ambrosius epistola ad episcopos Aemiliae complexus est: *Duo sunt*, inquit, *observanda in solennitate paschae; quartadecima luna, et primus mensis, qui dicitur Novorum.* Verum in solari cursu duo continentur, primus mensis sive aequinoctium et feria. Quare tria haec celebritatis illius velut οὐσιώδη discernit explicatque Haeresi L. num. III. Quartamdecimam lunae diem, aequinoctium vernum, et dominicam.

Ὅπερ παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις οὐ φυλάσσεται] De quo frequentes catholicorum partim querelae adversus Christianos Iudaizantes, partim in illos ipsos Iudaeos insultationes. Vide Constantini Augusti Rescriptum ad Christianos ex Nicaena synodo. Extant et veteres canones, quibus nominatim istud vetitum est. De qua re ad Haeresin LI. in diatriba de Iudaeorum anno copiose diximus.

Καὶ μετὰ τῶν ἐχθρῶν.] Fortasse leg. καὶ εἰ μετά etc. Sententia vero ex Latina interpretatione perspicua est.

p. 293. Καὶ ὅταν αὐτοὶ πενθῶσιν.] Non quod XIV. Nisan ieiunaverint (neque enim inter dies תעניות, sive angariarum refertur), sed quod exacto illo ipso die paschalem agnum cum azymis et lactucis agrestibus comederent, Exod. XII., 8. et 18. Erant enim azyma moeroris ac luctus indicium. Itaque Deuteron. XVI., 3. vocatur לחם עני, *panis afflictionis.* Epiphanius autem XIV. Nisan πένθιμον diem facere videtur, qui dies συνεκδοχικῶς pascha dicebatur, quod sub eius vesperam agnum immolarent, eodemque, occaso iam sole, vescerentur, ἐπιφωσκούσης, id est ineunte iam XV. Quem quidem diem azymorum primum nominabant, et hunc ipsum laetum ac genialem illos habuisse testatur Epiphanius, ut postea videbimus. Atenim azymis septem totos dies vescebantur, Deuter. XII., 19. Ea vero moerorem ac tristitiam significant. Nihilominus tamen XIV. diem ad vesperam, aut ineuntem XV., huic doloris significationi eximit Epiphanius, reliquum diei, adeoque caeteros omnes, azymorum usu consecratos hilaritatibus et conviviis attribuit. Cuius ea causa reddi potest, quod epulum paschale cum reliquo omni apparatu, cum lactucis agrestibus ad azymos panes adhibitis, luctuosum quiddam et acerbum representabat. Quod a primo die azymorum et insequentibus aberat. Eodem et illa magistrorum observatio pertinet, septenos quidem totos dies fermentato vesci nefas fuisse, at ineunte duntaxat XV. et exacta XIV., hoc est in paschali convivio, azyma vi ac necessitate legis usurpasse. Extra hoc tempus neglectis azymis aliis seminibus aut fructibus vesci potuisse. R. Mose ben Maimon tomo I. Iad. Tractatu de Fermentato et Azymo cap. VI. §. I.: אבל בשאר הרגל אבילת מצה רשות: רצה אובל מצה רצה אובל אורז או דודון או קליות או פירות אבל בליל חמשה עשר בלבד חובת. *Veruntamen in reliquo celebritatis tempore azymorum esus duntaxat permittitur, ut qui velit azymo vescatur, qui malit, oryzam vel milium edat, aut polentam aut fructus. At in nocte* XV. *duntaxat azymis uti oportet.* Quod de VII. die azymorum, quam עצרת, sive collectam vocabant, potissimum observant, eo freti scripturae testimonio, quod cum Exodi XII., 19. scriptum sit: *Primo mense,*

quartadecima die mensis, ad vesperam, comedetis azyma, usque ad diem vigesimam primam eiusdem mensis, ad vesperam. Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris, idque Deuteron. XVI., 3. repetatur, tamen eiusdem capitis commate 8. sex tantum diebus azyma comedi iubeat. Unde R. Selomo ad eum locum ista scribit: למד על אכילת מצה בשביעי שאינה חובה מכאן אתה למד לששת ימים שהרי שביעי בכלל היתר ויצא מן הכלל ללמד שאין אכילת מצה בו אלא רשות ולא ללמד על עצמו יצא אלא ללמד על הכלל כלו יצא מה שביעי רשות אף כלם רשות חוץ מלילה הראשון שהכתוב קבעו חובה. Hoc est: *Docet de manducatione azymorum in die* VII., *quemadmodum non debita ac necessaria sit. Inde igitur disce, quod ad* VI *dies attinet, quoniam ecce septimus dies cum in summa comprehenderetur, ab ea exceptus est, ut ostenderet azymorum in illo die manducationem permissam duntaxat fuisse. Neque vero ut de hoc solo die doceret istud, ideo exceptus est, sed ut idem de tota dierum summa intelligendum relinqueret, nimirum uti septimo die permissum est solum azymis vesci, ita reliquis omnibus per-* p. 294. *missum est* (non imperatum) *excepta nocte prima, quam scriptura azymorum usu obligari voluit.* Haec ille. Quod ex eodem R. Salomone glossa cap. VII. tractatus Kiddusch Hachodesch evidentius his verbis affirmat: שהרי מחצורת הלילה הראשון של פסח עד יום האחד ועשרים אכילת מצה רשות ובלבד שלא יאכל חמץ. *Quoniam ecce a media nocte prima paschali usque ad* XXI. *diem manducatio azymorum permissa, ea lege duntaxat, ut fermentato non vescantur.* Ex iis liquet cur paschalis coena luctus et solicitudinis argumentum habuisse, reliqui dies azymorum hilares ac laeti ab Epiphanio fuisse dicantur.

Μετὰ γὰρ ἑσπέραν παρελθόντος.] Negationem expungendam esse censueram, ut ita scripserit Epiphanius, παρελθόντος τοῦ σαββάτου δύνανται ἔργον ἐπιτελεῖν. Nam illud οὐ ex superiori genitivo repetitum videtur. Et vero caussam eius, quod proxime dixerat, posteriore hoc membro reddi statueram, nimirum cur appetente dominicae vespera immolare pascha liceat, quoniam iam sabbatum praeterierit; quo evoluto iam ad opus fas sit aggredi. Atqui haec sententia falsam et absurdam rationem continet, quasi sabbato sacrificare vetitum fuerit. Fateor. Sed eam tamen Epiphanii verba ipsa prae se ferunt. Cuius erroris suspicionem ab eo removere ita poterimus, si recepta negationis particula sensum hunc eliciamus, dominicae appetente vespera, pascha immolari licuisse. Nam post vesperam, desito iam sabbato, opus istud, nempe mactationem agni, non licebat exequi, propterea quod immolandus agnus fuit בן הערבים *inter duas vesperas*, id est ab hora IX. ad XI., ut Iosephus exponit, lib. VII. ἁλωσ. cap. XLV. vel XVII.

Ἆρα γὰρ αὐτῶν θυσάντων.] Postridie scilicet, ac post epulum paschale.

Νοήματι δὲ πᾶσα ἔστη ἡ ἀλήθεια.] Iam horum verborum paulo ante declarata sententia est. Vult enim in apostolicis illis Constitutionibus legislatoris mentem potius quam verba ipsa spectari. Quod ut ostenderet, ἐναντιοφανὲς quiddam attulit, quod in iisdem Constitut. praescribitur. Nimirum quod in una sanctione iubent, quo die Iudaei primum azymis vescuntur et lugent, epulari Christianos, cum autem epulantur illi, vicissim ieiunare istos ac lugere. Altera vero lege praecipitur, ut ne dominico die ieiunetur unquam. Quae duo invicem repugnant, si ad verba duntaxat respicias. Interpretatione igitur adiuvanda sunt. Eadem

itaque ratione prius illud decretum de celebrando cum Iudaeis paschate, si in verbis ipsis haereas, absurdum et ab ecclesiastico ritu prorsus abhorrens videtur. Ideo mens eius ac sententia magis quam voces attendendae sunt. Sententiam ergo deinceps explicat. Quam priusquam attingimus, observabis priorem illam ἀντινομίαν et contrariarum legum conflictum, quem in exemplum allatum esse diximus, minime hoc loco dissolvi. Non enim explicat quomodo ab generali illa de ieiunio constitutione dominica dies excipienda sit. Sed κατὰ σιωπώμενον eximi Christiano more significavit. De quo nemo dubitabat. Quocirca quae sequuntur ad ἀντινομίαν alteram ac quaestionis caput ipsum attinent, atque illud explanant,
p. 295. quo sensu apostolicum illud decretum accipiendum sit, cum Iudaeis pascha esse celebrandum. Non enim perpetuo cum illis peragendum est, sed tum videlicet cum post aequinoctium illi suum pascha celebrant. Alioqui si, uti saepenumero faciunt, aequinoctium antevertant, imitandi non erunt. Est igitur legis ista sententia, ut aequinoctio commisso cum Iudaeis pascha celebretur. His, quae hactenus dicta sunt, subductis omnibus ea de apostolico illo decreto Epiphanii sententia colligitur, primis ecclesiae temporibus, praesertim quamdiu episcopi ex circumcisione Hierosolymis praefuerunt, statutum esse uti pascha cum Iudaeis obiretur, hoc est luna XIV. quamcumque in diem inciderit, dummodo confecto iam aequinoctio contingat. Ita enim illud, quod eaedem Constitutiones iubent, accidet ut lugentibus Iudaeis, hoc est quo die azyma cum lactucis agrestibus comedunt, epulentur Christiani. Alterum autem, ut illis vicissim epulantibus lugeant isti, obtineri non potest, nisi postridie paschatis Christiani, sive primo die azymorum Iudaicorum, ieiunatum per illud tempus in ecclesia fuisse velimus. Quod est falsissimum. Certum enim est totis illis quinquaginta diebus, qui ad pentecosten intercedunt a paschate, ieiunium ab ecclesia esse sublatum. Tunc igitur solum evenire illud potuit, ut epulantibus Iudaeis Christiani ieiunarent, quoties ante vernum aequinoctium a Iudaeis pascha peragretur, quia nondum Christiani ieiunium solvebant. Verum nulla tam enucleata huius et superioris numeri declaratio potest excogitari, quin plurimum adhuc difficultatis supersit. Quis enim pseudodiataxes istas inter se conciliare possit, cum alias pascha Iudaice celebrandum esse definiunt, quamvis aberrent Iudaei, alias Iudaeis azyma peragentibus ieiuniis ac vigiliis operari Christianos? ac reliqua ad eum modum, quae nulla interpretatio ab errore mutuaque contentione vindicare potest.

N. XII. Παρ' ἡμῖν δὲ οὐ μία.] Sex dies hebdomadem faciunt, adnumerata paschatis celebritate, quae hebdomadem terminat.

Τουτέστι τῆς σελήνης.] Haec est glossa, quam ex communi sententia ad scripturae locum adtexuit. Neque enim lunae scriptura hoc in negotio meminit, sed mensem duntaxat nominat. Nos de Iudaeorum anno supra disseruimus.

Καὶ ἐὰν μὲν ἦν τεσσαρεσκαιδεκάτη.] Non unius diei paschatis, sed totius hebdomadis rationem habet ecclesia, quam *xerophagiae*, aut *sanctam*, aut *pascha* etiam appellarunt, ut ad finem huius operis adnotamus. Si igitur XIV. luna in feriam secundam inciderit, aut in reliquos hebdomadae dies ad sabbatum usque, hebdomas xerophagiae celebratur, et a feria secunda eius initium ducitur. Totam hanc hebdomadem θῦμα προβάτου, *mactationem agni* nuncupat, quia in apparatu celebritatis et immolationis dies aliquot a Iudaeis olim positi. Nam μέσον ἄγεται, ut supra docuimus, nihil aliud est, quam *celebratur, peragitur*. Sic illud Ioan. VII., 14. ἤδη δὲ τῆς ἑορτῆς μεσούσης accipi potest. Caeterum dominicae, sive feriae primae hoc loco non meminit, quod ab ea nunquam xerophagiae hebdomas inire possit, cum dominico die ieiunare non liceat. Et tamen si in eam XIV. lunae dies

iaciderit, postridie xerophagiam inchoabant. In Tessarescaedecatitarum haeresi, quae est quinquagesima, num. II. de diebus agit quos ante paschatis solenne tam Iudaei quam Christiani celebrabant. Reprehendit enim haereticos, qui ad unum diem respectum haberent, cum a decimo die agnum deligi asservarique lex praeceperit. Unde quinque ab illis dies observari debuerant. De Iudaeis enim ac Iudaizantibus Quartadecimanis loquitur. Porro Iudaei cum decima quarta die ad vesperam pascha peragerent et decima die agnum caperent, v solidos dies religioni paschatis attribuebant. Imo vero cum exeunte XIV. agnum immolarent, ineunte vespera XV. huius hoc est XV. partem libabant, adeoque VI dies observabant, non unam duntaxat. Quare nos eo loco, id est pag. 421. v, 2. ἡ αὐτὴ πεντεκαιδεκάτη ἐπιφώσκουσα pro τεσσαρεςκαιδεκάτη rescribendum putamus. Quam emendationem sententia ipsa postulat. p. 296.

Οὔτε γὰρ ἐξ ἐκκαιδεκάτης.] Multum implicatus ac salebrosus hic locus est, quinetiam superiori doctrinae minime consentaneus videtur; qua definitum est, si in aliquam e sex hebdomadae feriis XIV. luna ceciderit, hebdomadem xerophagiae inire ab secunda feria. Fingamus itaque lunam XIV. in sabbatum incurrere, incipiet xerophagiae, sive paschatis hebdomas ab anteriore feria II., ut dictum est. Atqui haec ipsa IX. est luna, non X. Quod si, ut Scaligero, Calvisio aliisque visum est, diffundendum sit xerophagiae initium in feriam II. alterius hebdomadis, itidemque pascha a luna XV. in XXII. transferendum, xerophagia a XVI. luna inchoanda fuerit, quod legitimum esse negat Epiphanius. Quare vix est ut expedire nos ex his laqueis possimus. Sive enim xerophagiae prima dies in illa hypothesi sit feria secunda, ab luna IX. hebdomadem sanctam auspicabimur, sive in sequentem feriam secundam differatur illius initium, in lunam XVI. incidet. Haesimus hic aliquandiu, donec certam viam ac rationem invenimus, qua conciliari haec inter se explicarique possent. Hoc igitur ad eum nodum dissolvendum occurrit. Epiphanius lunam ἡμερινὴν ἀπὸ νυκτερινῆς discerne solet, ut in haer. LI. n. XXVI. Nam illic quae νυκτερινὴ exempli caussa ἑνδεκάτη fuerat, sequenti luce ἡμερινὴ δωδεκάτη dicitur, et quae ἡμερινὴ δωδεκάτη dicitur post vesperam νυκτερινὴ τριςκαιδεκάτη nominari incipit. Nam a vespera diem exorsi sunt Iudaei; ideo prius nocturna quam diurna luna censetur. Quamobrem etsi νυκτερινῆς atque ἡμερινῆς vocabula non expresserit, ὁμωνύμως usus videtur σελήνης vocabulo. Nam cum negat a IX. lunae xerophagiae principium deduci, sed a decima, ne sibi contrarius ipse sit, de νυκτερινῇ interpretandus est. Nunquam enim paschatis hebdomas a feria secunda inchoari potest, quae sit ἐνάτη νυκτερινὴ et ἡμερινὴ ὀγδόη. Contra vero cum a XVI. luna eiusdem hebdomadis initium repeti negat posse, lunam ἡμερινὴν intelligit, quae sit νυκτερινὴ XVII. Nam in superiore illa hypothesi, in qua luna XIV. in sabbatum convenit, xerophagiae hebdomas init a feria II. anteriore, quae est ἡμερινὴ ἐνάτη, νυκτερινὴ δωδεκάτη. Quod si XIV. luna dominicae conveniat, sequenti die, qua est luna XV. ἡμερινὴ et νυκτερινὴ XVI. initium erit hebdomadis sanctae. Vides igitur necessario in luna IX. νυκτερινὴν, in XVI. ἡμερινὴν accipiendam esse. In quo illud animadvertendum, licet in haeresi LI. ita νυκτερινῆς et ἡμερινῆς vocabula sumpserit, ut a νυκτερινῇ semper ordiatur, ac tametsi luna ἡμερινὴ a sequente νυκτερινῇ nunquam appelletur, hoc in loco tamen Epiphanium sive errore, sive de industria ἐνάτην illam vocare, quae sit octava ἡμερινὴ et in ἐνάτην νυκτερινὴν desinat. Ad summam hebdomadis sanctae prima dies a luna IX. diurna ad XV. diurnam inchoari potest, aut, quod idem est, a luna X. nocturna ad nocturnam XVI. Quae caussa fortasse fuit, cur ita conciperet, ἀπὸ δεκάτης ἕως ἐπιφωσκούσης πεντεκαιδεκάτης. Ubi ἐπιφώσκουσαν non iam simpliciter p. 297.

accipio, pro *ineunte, appetente*, aut ut ad lunae lucem, quae sub vesperam oritur, pertineat, sed pro ἡμερινῇ. Nam cum dicit ἀπὸ δεκάτης, nec ἐπιφωσκούσης adiecit, significat non illam diurnam, sed nocturnam intelligendam. Ac merito videtur Epiphanius primam xerophagiae diem δεκάτην νυκτερινὴν fecisse, quod functio ipsa xerophagiae, id est aridorum esus, exeunte iam die ac sub vesperam usurparetur, commodum illucescente x. luna.

Μεσαζούσης τῶν δύο δρόμων.] Mira est horum verborum obscuritas. Nam hoc prima specie sonant, quod ne intelligi quidem potest, xv. lunam, vel cum ea decimam, inter duo noctis ac diei curricula interceptam esse, aut certe τὸ νυχθήμερον inter duos, solis videlicet ac lunae, cursus interiici. Quae nullus Oedipus divinare possit. Nos pro eo ac superiora interpretati sumus, μεσαζούσης hoc loco non interiectum quiddam, sed labentem noctem ad diem accipimus. Constitutum enim est ex Epiphanii sententia, hebdomadem xerophagiae a luna x. νυκτερινῇ ordiendam esse, ita ut citimus eius terminus sit dies illa, cuius in nocte x. lunae principium est, remotissimus vero terminus sit luna xv. ἡμερινή. Itaque spatium illud, quod hebdomadis caput percurrit, a nocte incipit, hoc est a luna x. nocturna, et die terminatur, nempe luna diurna xv. Proinde nox et dies impediuntur, et μεσάζουσι; quae quidem utriusque sideris propria sunt. Nox enim σεληνιακῷ, dies ἡλιακῷ δρόμῳ tribuitur.

N. XIII. Καὶ συναναλαμβανομένου τοῦ αὐτῶν.] Collectis superioribus numeris summa fit dierum XIV. Sed ad eam xv. dies accensetur, ob causarum concursum, quae sunt solennitatis illius συστατικαί; praesertim ob dominicam diem, qua Christianum pascha celebratur. Hic ἐπίφωσις παντεκαιδεκάτης est XV. dies, sive diurna luna XV., quemadmodum paulo post ἐπιφώσκουσα ἑκκαιδεκάτη luna diurna XVI., ut ex superioribus necessario colligitur.

Τοῦ γὰρ ἐνιαυτοῦ.] Paschalis diei varietas et ἀνωμαλία ex solis et lunae, ut ante dixit, inaequali cursu proficiscitur. Nunc utriusque modum ac dispositionem explicat et ad fontes ipsos digitum intendit, proposito annorum orbe, in quem dissimiles illi motus inclusi aequabili varietate temperantur. Ea est octaëteris lunaris, syzygias complexa novem ac nonaginta, in quibus tres sunt embolimaeae in annis VIII., nimirum 3. 6. et 8. Numerus dierum 2922., qui est octaëteridis Iulianae, sive duorum Iulianorum lustrorum modus. Annus lunaris communis 354. diebus praecise definitur. Itaque ab solari diebus XI. et quadrante superatur. Antiquissima est octaëteris ista, et a Graecis olim usurpata, quam eadem plane ratione, qua hic Epiphanius, exponit Geminus, vetus et eruditus scriptor, pag. 129. Cuius inventorem Cleostratum Tenedium Censorinus facit. Sed eadem, utpote vitiosa, castigata saepius et interpolata fuit. Etenim octo anni lunares dies colligunt fere 2923½. Quare octaëteris illa abest a lunari modo
p. 298. solido die et horis fere 12. Nam syzygia lunaris dies habet 29., hor. 12. 44′. Annus lunaris dies 354., hor. 8. 48′. 38″. etc. Itaque octaëteris lunaris dierum est 2923., hor. 11. 51′. etc. Quam ob causam post heccaedecaëteridem, sive duas octaëterides, appendices dies tres intercalari solebant, quo sequentis octaëteridis neomeniam attingerent. Sed cum totidem diebus a solis rationibus aberrarent, in vigesima octaëteride mensem unum tricenarium expungebant, ita ut octaëteris illa nonnisi duos embolimaeos menses haberet. Haec Geminus, quae alibi fusius et opportunius tractabimus, ubi lunarem apud Graecos anni popularis formam contra Scaligeri coniecturas affirmabimus.

Comperta iam octaëteridum labe, Graeci ad enneadecaëteridas et longioris anni spatia confugerunt. Sic apud Christianos in negotio paschali primum usur-

pari caeptae octaëterides tam simplices quam geminatae, sive hecaedecaëterides. Etenim Dionysius Alexandrinus octaëteridis canonem instituit. Hippolytus vero hecaedecaëterida, quam in libris de Emendat. Temp. Scaliger exponit. Quas omnes methodos postremo enneadecaëteris exclusit, ab Alexandrinis et Anatolio non illa quidem excogitata, ut parum prudenter plerique scripsere, multo vero minus ab Eusebio Caesariensi reperta, sed ab iis omnibus ad usum paschatis translata. Ita octaëterides aliaeque cyclorum inutiles formae paulatim obsoleverunt. Quanquam nonnullos adhuc Bedae temporibus octaëteridas retinuisse testatur ipse lib. de Temp. Ratione cap. XLIV. Sed pauci illi erant et obscuri. Quamobrem satis equidem mirari non possum, Epiphanium hoc loco ad paschalem methodum explicandam solius octaëteridis mentionem fecisse eamque tam diligenter exposuisse, quasi hac una paschalium neomeniarum disciplina contineretur. Nam enneadecaëteridem hoc loco ne commemoravit quidem, tametsi Nicaenum illud decretum de celebrando paschate tantopere praedicet et ab haereticorum inscitia impudentiaque vindicare studeat. Atqui nihil ad festi illius ordinationem insignius ab illa synodo profectum est, quam quod XIX annorum circulo constituto dissidium omne sustulit; quod his verbis testatur Ambrosius: *Inter illa fidei, ut vera, ita admiranda decreta, etiam super celebritate memorata, congregatis peritissimis calculandi, decem et novem annorum collegere rationem et quasi quendam constituere circulum etc.* Nihil erat igitur quod inanem et absurdam octaëteridis periodum a situ revocaret Epiphanius, dum communem cycli paschalis methodum et a catholicis receptam adversus haereticos declarat. Nec accuratior est Sozom. lib. VII. cap. XVIII., qui eandem octaëteridem ad paschatis negotium sic accommodat, quasi utriusque sideris ratiociniis cumulate satisfaciat.

Καὶ συμβαίνει κατὰ τὸν ὄγδοον.] Deest octaëteridi secundum medios motus ad solidum mensem complendum biduum fere. Nam epactae anni octavi sunt XXVIII. Octaëteris lunaris accurata dierum est 2923., 11. 51′. hoc est horarum fere XII, ut ait Geminus. Itaque minor est octaëteris Epiphanii lunari octaëteride sesquidie. Et tamen praecipitatur embolismus, quod minimum absit ab integra syzygia. Quod etiam in enneadecaëteride servatur. Nam embolismus tertius ab Alexandrinis et Latinis, et in omni adeo cyclo, octavo anno collocatur. Octavo, inquam, non nono; etsi contrarium mathematici quidam eruditissimi ac com- p. 299.
putorum scriptores asserant. Quod adversus illos breviter hoc loco demonstrandum est.

SCALIGERI HALLUCINATIO ET ANTIMACHIA DE TESSARESCAEDECATITARUM CYCLO REFELLITUR. p. 458.

In primordiis ecclesiae (ait Scaliger) tum apostoli, tum qui eos centum annis postea secuti sunt, pascha semper Iudaice celebrarunt, ut testantur Eusebius et historia vetus ecclesiastica, et post omnes Nicephorus. Sed sub Commodo ii, qui Iudaice pascha celebrabant, damnati sunt haereseos a Victore Rom. pontifice. Haec ille. Quae quidem de solis Asiaticis Christianis, vel de Ioanne solo dicta esse nequeunt. Nam non solum primis centum annis, sed et duobus, pluribusve, cum maxime apud Asiaticos, Iudaice pascha peractum esse, nemo, qui historiam legerit, ignorat. Quare ad apostolos omnes omnesque Christianos sententia illa pertinet, quos centum post mortem apostolorum annis tessarescaedecatitarum more paschate functos esse definit. Quod si verum est, si non maior pars saltem apostolicarum ecclesiarum aliter quam Iudaico more pascha celebrarit, celebran-

p. 459. dumque praescripserit, ne nunc quidem celebrare aliter licebit. Quippe paschatis festi celebrandi rationem ecclesia catholica se ab apostolis accepisse perpetuo professa est, Petro imprimis ac Paulo apostolorum principibus. Atqui, si Scaligerum audimus, non solum apostoli Iudaico more et decima quarta die lunae pascha constanter egerunt, non autem dominica, nisi in XIV. incideret, sed neque aliter celebrandum esse suis ecclesiis tradiderunt. Nam si id egissent, eorum sane posteri non Iudaicum illum ritum consuetudinemque tenuissent, neque centum totos annos Τεσσαρεςκαιδεκατιτῶν haeresin totus Christianus orbis esset amplexus. Neque condemnari illi ac pro haereticis haberi potuerunt, qui in eius festi celebratione, cuius autoritatem ecclesia solis ab apostolis repetit, apostolorum exemplo atque imitatione niterentur. Atqui veteres omnes patres, omnes synodi, quae de communi et a Romanis praesertim atque occidentalibus usurpato paschatis ritu meminerunt, aut decretum aliquod ediderunt, uno ore profitentur, hanc ab apostolis consuetudinem ecclesiis fuisse traditam; neque aliter ex illorum autoritate, quam dominica die, idque post lunam XIV., et ut uno verbo dicam, alio quam ab Iudaeis instituitur more ac tempore celebrandum esse. Etenim Nicaenus ille consessus, qui de paschate sanctionem edidit, quid de ritu illius vetustate senserit, ex Constantini M. epistola coniici potest, quam ex eodem concilio scripsit. Refert illam Eusebius lib. III. de Vita Constantini, et ex eo Socrates, Theodoretus et alii. In qua cum in Iudaeos ac Iudaici paschatis morem acrius esset invectus, ista subiicit: Ἔξεστι γὰρ τοῦ ἐκείνων ἔθνους ἀποβληθέντος ἀληθεστέρᾳ τάξει, ἣν ἐκ πρώτης τοῦ πάθους ἡμέρας ἄχρι καὶ τοῦ παρόντος ἐφυλάξαμεν καὶ ἐπὶ τοὺς μέλλοντας αἰῶνας τὴν τῆς ἐπιτηρέσεως ταύτης συμπλήρωσιν ἐκτείνεσθαι. Μηδὲν τοίνυν ἔστω ἡμῖν κοινὸν μετὰ τοῦ ἐχθίστου τῶν Ἰουδαίων ὄχλου. Ἐλήφαμεν γὰρ παρὰ τοῦ Σωτῆρος ὁδὸν ἑτέραν. *Licet enim illorum gente repudiata, veriori ordine quem a primo die passionis ad hoc usque tempus tenuimus, ad futura saecula observationis illius functionem perducere. Quamobrem nihil sit nobis cum odiosissima Iudaeorum turba commune. Nos enim aliam viam a Salvatore traditam accepimus.* Cyrillus Alexandrinus insuper in Heortasticis omnibus, ubi quadragesimalis ieiunii et paschatis tempora praescribit, identidem κατὰ τὰς ἀποστολικὰς παραδόσεις se ea tradere significat, maxime in Orat. VII. XV. XX., et aliis. Idem testatur et Leo papa in epistola ad Proterum Alexandrinum praesulem, quam citat Beda lib. de Aequinoctio, et lib. de Temp. Rat. cap. XLII. Ubi Marcum scribit a Petro didicisse celebrandi paschatis ritum. Denique nemo est ex sanctis patribus, qui non catholicum solennis illius ritum vetustissimum esse et ab apostolis ipsis manasse fateatur.

Nam quod Eusebium et ecclesiasticae scriptores historiae, atque inter eos novissimum Nicephorum, subscriptores habere se dicit Scaliger, manifesti mendacii tenetur. Eusebius enim contra catholicum obeundi paschatis morem, cuiusmodi ab Occidentalibus et Romanis maxime servatus est, apostolis adscribit. Nam cap. illo XXIII. lib. V., ubi acerrimam de paschate dissensionem, quae inter Victorem papam et Asiaticos flagravit, pluribus commemorat, Asiaticos refert ex antiqua traditione XIV. lunam, quamcunque in diem incideret, dominico paschati
p. 460. peragendo praefinivisse: οὐκ ἔθους ὄντος τοῦτον ἐπιτελεῖν τὸν τρόπον ταῖς ἀνὰ τὴν λοιπὴν ἅπασαν οἰκουμένην ἐκκλησίαις ἐξ ἀποστολικῆς παραδόσεως τὸ καὶ εἰς δεῦρο κρατῆσαν ἔθος φυλαττούσαις: *Cum eo ritu celebrandi consuetudo non esset reliquis terrarum orbis ecclesiis, quae ex apostolica traditione morem illum observabant qui ad hoc usque tempus obtinuit.* Tum cap. XXVI. Irenaei ad Victorem epistolam citat, in qua illum hortabatur, ut ne propter contrariam Asianorum consuetudinem

tot ecclesias a catholica communione discinderet, cum antecessores Romani pontifices cum illorum episcopis pacem concordiamque tenuissent. Nam et Anicetus, Pius, Hyginus, Telesphorus et Xystus οὔτε αὐτοὶ ἐτήρησαν (Asiaticam Iudaicamque consuetudinem), οὔτε μετ' αὐτοὺς ἐπέτρεπον. Et nihilominus aliter sentientibus communionem impertiebant. Haec Eusebius ex Irenaeo: quibus Scaligeriani commenti falsitas detegitur, quo centum post apostolos annis ecclesiam Iudaice pascha peregisse confinxit. Coepit enim Sixtus Traiani tempore, circa annum Christi CXXX., non utique centum annis post apostolos, qui tamen neque ipse Iudaice functus est, neque successores suos fungi voluit. Addit quidem Irenaeus Polycarpum ea mutare noluisse quae a Ioanne et caeteris apostolis didicerat, quibuscum conseueverat. Verum apostolorum nomine eos appellat, qui discipuli Christi fuerant, aut ab apostolis eruditi. Nam cum uno duntaxat apostolo Ioanne Polycarpus versari potuit. Petrum certe Paulumque neque videre potuit, neque quicquam ab illis traditum accipere. Quamobrem ut Ioannem, aut paucos insuper ex domini discipulis Iudaice pascha peregisse concedatur in Asia (quanquam de Ioanne negat istud in Tessarescaedecatitarum haeresi Theodoretus et haereticos istos perperam illius mentem accepisse docet): sed ut ita Ioannem egisse pascha non inficiemur, non dubium tamen est, quin aliter apostoli caeteri ac discipuli, eorumque principes Petrus ac Paulus cum celebraverint ipsi, tum celebrandum deinceps edixerint. Cuius rei argumento est quod, ut Constantinus in superiore epistola et Eusebius citato loco memorant, totus pene terrarum orbis, hoc est praeter Asianos et paucos aliquot episcopos, catholicae ac Romanae consuetudini serviret. Unde planum est ecclesias istas, quem a prima sui origine et ab apostolis iis a quibus erant fundatae ritum acceperant, eum perpetuo servasse. Socrates vero quid super ea re prodiderit, pag. 295. retulimus. Huic et Eusebio consentanea scribit Nicephorus lib. IV. cap. XXXVI. et lib. XII. cap. XXXIII. Nec aliud omnino, quam quod superiores isti, de Romanorum ab apostolis tradita consuetudine disputat. Quare manifesti sese mendacii alligat, qui Eusebium, Nicephorum et ecclesiasticam veterem historiam ad erroris sui patrocinium ausus est adducere.

OSTENDITUR EX SCALIGERIANAE DOCTRINAE PRINCIPIIS QUANTUM A SEIPSO IN TESSARESCAEDECATITARUM CYCLO DISSIDEAT. p. 461.

Pergit Scaliger et Tessarescaedecatitas illos asserit, ut et apostolos, cyclo mere Iudaico usos esse, et ex periodo Alexandrea, sive Calippica, desumpto. Ex quo contigit ut interdum toto mense a catholico paschate veterum illorum tam Tessarescaedecatitarum quam etiam apostolorum pascha differret, ut in cyclo VIII. et XIX. Nam cum anni illi in Iudaico cyclo communes sint, in Nicaeno autem et apud Alexandrinos ac catholicos embolimaei, Tessarescaedecatitae et qui ipsorum ritum amplexi sunt in Nisan Iudaico pascha celebrabant, reliqui in Iiar. Quae cum asserit Scaliger, iis ipsis consentanea loquitur quae passim et ubique praedicat, Iudaeos tribus fere ante Christum saeculis, totidemque post ipsum, Calippicam anni formam et cyclum Alexandreum ad popularem usum adscivisse. Hoc vero plane esse confictum ac sine ulla ratione temere creditum, in superiori de anno dominicae passionis diatriba demonstravimus, idemque copiosius alias, deo iuvante, confutare decrevimus. Sed ut illud modo Scaligero concedatur, ex eo profecto contrarium eius sequitur, quod et verum est et ab eodem affirmatur, Iudaeos ac Tessarescaedecatitas cyclo VIII. ac XIX. communem annum usurpantes pascha ante aequinoctium indixisse. Cur enim catholici cyclis illis, intercalato

mense, neomeniam paschalem in Aprilem summoverint, nulla alia causa extitit quam quod decimaequartae lunares, quae tum in Martium incurrunt, aequinoctium antevertunt, ideoque ad duodecimum, non ad primum mensem, pertinent, ut inter caeteros Proterius Alexandrinus in ea epistola docet quam de paschate scribit ad S. Leonem papam. Quippe cyclo XIX. luna decimaquarta Nicaena contigit Martii XVIII., cyclo vero VIII. Martii XIX. Quare cum ante neomeniam primi mensis, sive Κρτῶνος, incurrant, posteriori Adar, non Nisan, tribuendae sunt. Proinde paschales neomeniae cyclorum istorum in Aprilem coniiciuntur. At ex Scaligeriano dogmate, iisdem illis duobus cyclis, Iudaeorum decimaquarta, quae in Martium incidit, revera est ultimi mensis, sive Adar, non primi. Licet enim aequinoctium terminum non antecedat, sed eum potius moretur, tamen politice Adar attributa fuit, adeo ut paschalis non esset. Hoc enim in diatriba illa de passione domini, cum de Iudaico anno vetere desseruimus, ex Philone, Iosepho, Aristobulo aliisque Iudaeorum antiquissimis ostendimus, decimam quartam Nisan, sive paschalem Iudaicam, illorum aetate in ipso aequinoctii die, aut ab eo proximo collocatam fuisse, neque unquam antevertisse; quod apud Eusebium perspicue Anatolius indicat. Quamobrem si, ut Scaligero persuasissimum
p. 462. est, Calippicam periodum et ab eo praescriptam lunaris ac solaris anni formam amplexi sunt Iudaei; quoniam a Calippo solstitium aestivum, ut idem Scaliger docet, constitutum est Iunii XXVII., ex ea ratione vernum aequinoctium, si solaris anomaliae rationem habeamus, convenit in Martii XXVI., hoc est diebus ferme CCLXXI., horis XIX post solstitium. Aut ut Iudaeos existimemus quadrantes Iulianos duntaxat observasse, ac per totidem Tekuphas quadrifariam Sosigenis annum esse partitos, post Iulianam editionem, in Martii XXVIII. idem illud aequinoctium quadrabit, diebus post aestivum solstitium CCLXXIII, horis XXII, 30. Quo quidem die Calippica forma defixum aequinoctii cardinem perpetuo retinet, ita ut nulla προέμπτωσις atque in anteriora recessio contingat, tametsi revera aequinoctium coeleste paulatim Calippicam epocham relinquat eo annorum intervallo, quod ex tropici anni definitione pendet. Quare Anatolii saeculo, flagrante cum maxime paschatis controversia, medium aequinoctium affixum est XI. Kal. Apr., sive Martii XXII. Nicaenum vero concilium in XII. Kal., hoc est XXI. Martii, transtulit. Quo ex tempore citima neomenia paschalis haesit in VIII. Kid. Martias, qui est aeque mensis octavus, citima vero quartadecima in XXI., sive ipso aequinoctii die. At Iudaeorum citima paschalis neomenia, si, ut Scaliger arbitratur, Calippicum anni modum tribus ante Christum fere saeculis usurpaverint, in Martii XIII. die constiterit oportet; cuius decimaquarta in ipsum civilis aequinoctii Calippici terminum caderet, nempe in XXVI. Martii. Ex quo factum est ut cum cyclo Nicaeno XIX., qui erat Iudaicus XVI., neomenia Calippica civilis, Martii IX. competeret, decimaquarta vero vicesimo secundo, ante Calippicum aequinoctium, adeoque mensis iste Adar esset, Nisan Iudaicus neomeniam habuerit in VIII. circiter Aprilis, certe in Martium convenire minime potuerit. Quod idem et de cyclo VIII. dici necesse est. Quo currente, ac Iudaico V., neomenia Calippica Martii mensis decimo die contigit. Ideoque Nisan in nonum Aprilis traducendus fuit. Apparet ergo si, quod Scaliger defendit, Calippicam periodum tribus fere ante Christum saeculis ascitam, totidem fere post eiusdem passionem retinuerint Iudaei, nullam in illorum neomenia προέμπτωσιν incidisse, ac tantum abesse, ut illorum decimae quartae paschales aequinoctium anteverterint, ut ipsum potius aequinoctium κατὰ προήγησιν τροπικὸν ab illis recesserit, quae κατὰ μετέμπτωσιν aequinoctium paulatim quatriduo moratae sint. Ita falsissimum est cyclo XIX. et

VIII. Nicaeno catholicos in liar Iudaico pascha celebrasse; cum tam Iudaei quam eorum asseclae Quartadecimani ex Calippica periodo Nisan suum in Aprilem diffuderint, et eodem quo catholici mense celebritate sua functi sint. Quod si civilis aequinoctii terminum a Sosigene ac Caesare constitutum veteri Calippico Iudaeos praetalisse quis dicat, citima illorum neomenia et decima quarta paschalis uno tantum die promovebitur, neomenia quidem ad Martii XII., decimaquarta vero ad Martii XXV., quo die civili ab Iulio Caesare aequinoctium defixum est. Unde nihilo minus cyclis VIII. ac XIX. Nicaenis Nisan in Aprilem, non in Martium, congruet. Atqui illud inter omnes convenit, Iudaeorum XIV. paschalem sub Nicaeni concilii tempus cyclis illis aequinoctium triduo ac biduo circiter antevertisse, ut est a nobis in diatriba de domini passione declaratum. Quare falsa est Scaligeri coniectura, quae Iudaeis et Τεσσαρεςκαιδεκατίταις Calippicum annum et Alexandream periodum affingit. Falsa itidem eiusdem Alexandreae periodi descriptio, quae lib. II. de Emend. pag. 63. proponitur; quatenus Iudaeos illam ipsam ad civilem usum accommodasse putat, ex eaque Iudaica paschata, praesertim quae Christus dominus obiit, lib. VI. de Emendatione Temporum certis characteribus designat. Nam in illo laterculo, cyclo Nicaeno VIII. currente, anno periodi XIV., Nisan Martii IX. competit, cum sit annus communis ὑπερήμερος; cuius Tisri iniit Sept. XII., cyclo VII. Nicaeno. Hoc vero Iudaeorum vetustissimorum autoritati refragatur. Ex quibus constare illud demonstravimus, decimamquartam Nisan nunquam per illa tempora civilis aequinoctii praevertisse diem. Quocirca cum aequinoctium civile Calippicum in XXVI. Martii constiterit, non potuit neomenia Nisan ante Martii XIII. accidere, multoque minus ad nonum transire diem, ut XIV. in vicesimum secundum incurreret. Quod idem et de cyclo XIX. dicendum est. Propterea paschalis illa διαστροφὴ Iudaeis ac Τεσσαρεσκαιδεκατίταις oblata est, ut eorum decimaquarta paschalis aequinoctium praeverteret, ex alio cyclo annove quam Calippico manare debuit; eiusmodi scilicet, in quo lunaris octodecaëteris, Iuliana, hoc est Calippica, longe minor esset; uti supra fusissime disputatum in dissertatione illa de anno Iudaico. Neminem adeo pervicacem ac Scaligeri studiosum confido fore, quin ambo ista, quae in illo de Quartadecimanis capite posuit, pugnantia et contraria esse fateatur: nimirum Iudaeos Calippicum anni modum eiusque periodum ab annis amplius trecentis ante natalem domini ad annum CCCXLIV. post eundem usurpasse, et illos nihilominus cyclis Nicaenis VIII. ac XIX. Nisan suum Martii V. atque VI. coepisse. Quod nonnisi ex neomeniarum antecessione ac lunari προηγήσει accidere potuit. Cuiusmodi nullam Calippicus annus agnoscit. Hoc opinionum divinationumque conflictu his crasissimi stuporis argumenta Scaligeriana omnis doctrina referta est. Quorum nos sparsim his in Animadversionibus, prout sese occasio dedit, specimen praebuimus: reliqua suum ac praecipuum opus expectant. p. 463.

DE DUPLICI CYCLO ET EMBOLISMORUM RATIONE. p. 299.

Duplex apud veteres computi magistros olim cyclus extitit, cum aurei numeri fastis adscriberentur, alter decemnovennalis, alter lunaris. Decemnovennalis, ut Beda saepius inculat, ad methodum quartadecimarum paschalium inventus est, ut stato die quolibet anno per orbem redirent. Huius initium est, autore Beda, a paschali mense, hoc est a citimo termino, qui est XII. Kalend. Apr., Martii XXI. Cuius primus annus aureum numerum habet XIX. initque ex a. d. prid. Non. Apr., sive Aprilis IV., cui in vetere Kalendario adscriptus est aureus

numerus XIX. Quippe cyclum decemnovennalem non ab aureo numero I. ac XXIII. Martii, sed a XIX. inchoatum fuisse et ab Aprilis IV. erudite probat Petrus Pitatus Veronensis Canonum Paschalium cap. VI., et ante illum docuit Paulus Forosempron. primae partis libro VI. Nec aliter Beda cum aliis in locis, tum libro de Temp. Ratione cap. LIV., ubi cyclum lunarem cum decemnovennali proponens annum illius primum cum decemnovennalis cycli quarto coniungit, et a Kalend. Ianuariis inchoari dicit. Est autem Ianuariis Kalendis affixus aureus numerus III. Igitur primus est XIX., a quo quartus est tertius. Quod in sequentibus cyclorum numeris constanter tenet. Exempli caussa annus cycli lunaris XVI. Bedae est decemnovennalis XIX., qui a XVI. Kal. Ian. incipit, Dec. XVII.; a quo incipit annus cui numerus aureus convenit XVIII. Proinde aureus numerus XVIII. est XIX. cycli decemnovennalis. Postremo cum decemnovennalis cycli primo anno lunaris XVII. componitur, eiusque initium statuitur Nonis Decembris (corrige VIII. Id. Decemb. Nam ex compendio notarum profectus est error, cum scriptum esset VIII. ID. quod Nonas Dec. librarius esse credidit). At qui annus ab VIII. Id. Decbr. auspicatur, numerum aureum exigit XIX. Satis igitur constat cyclum decemnovennalem ab aureo numero XIX. initium capere. Cuius haec afferri causa potest. Romani aureorum numerorum ac cycli decemnovennalis methodum ab Alexandrinis acceperunt. Qui cum Thoth suum, adeoque anni principium ab Augusti XXIX. ducerent, aureos numeros indidem inchoabant. Hos imitati postea Latini, qui a paschali mense, hoc est Martio vel Aprili sacrum annum ordirentur, aureos numeros, quos cum Alexandrinis ad usque exeuntem Augustum communes habuerant, toto anno pertexebant. Igitur anno Dionysiano CCLXXXIV. cyclo decemnovennali XIX. Alexandrini ab Augusti XXIX. die cyclum primum numerare coeperunt, Romani vero totum annum Iulianum aureo numero XIX. consignarunt. Post anno CCLXXXV. cum Alexandrinis aureum numerum I. exorsi sunt. Ex quo
p. 300. factum apparet, ut cycli XIX. primus annus fuerit aurei numeri XIX. Nam quod doctissimi quidam aureum numerum 3 initium decemnovennalis cycli constituunt, propterea quod Kal. Ian. affixus est, contra Bedae aliorumque veterum id autoritatem asserunt; neque illud animadvertunt, cycli XIX. initium non a Ianuario, sed ab Aprili, hoc est ab ea luna quae in Aprilem desinit, ex illorum sententia deduci. Hinc annum primum ex Dionysii instituto veteres illi dicunt a prid. Non. Apr. inchoari, et in Martii XXII. desinere, eique CCCLIII. dies duntaxat competere, quod in eum lunae, sic enim vocant, saltus incurrat, quae est unius die superflui ἐξαίρεσις. Tum secundum annum inire Martii XXIII. et dierum esse CCCLIV, atque ita deinceps, ut Beda, Pitatus locis citatis aliique definiunt.

Alter cyclus lunaris appellatur qui ad lunam epactarum ac regularium beneficio indagandam accommodatus est, quod aurei numeri praestare non possunt. Qui cum ex Alexandrinorum Kalendario translati sint ac per contextum Latini anni diffusi, cuius aliud initium, alia mensium dispositio est, quae ex illis epactae communi methodo consurgunt, eruendis noviluniis usui esse nequeunt. Quare tria de aureo numero detrahenda sunt, ut per epactas ac regulares novilunia consequamur. Atque in hunc modum diminuti numeri cyclum lunarem efficiunt. Veluti Kal. Ian. aureus numerus III. adscriptus est, de quo subductis tribus respondent e cyclo lunari XIX., quae undecim additis XXX epactas conficiunt. Hae uno regulari addito XXXI complent, quae novilunium indicant. Itaque nulla id inscitia factum est, duplex ut apud Latinos cyclus esset, quod ridicule sibi persuadet Scaliger v. de Emend. Temp., ubi de epocha lunari Constantinopol. disserit. Hoc enim necessario ab illis instituendum fuit, posteaquam semel Alexan-

drinorum aureos numeros in Iulianum Kalendarium transtulerunt, ubi epactae ex illis numeris erutae et ad dies appositae complementa eorundem esse non poterant regularibus adiectis, quod ut obtinerent, tria aureis numeris detrahenda fuerunt. Quam ob caussam lunaris iste cyclus est dictus, non ideo quod decemnovennalis, sive aureus numerus novilunia non ostenderet. Etenim iisdem illis diebus, quibus adiunctus erat, Nicaeni concilii tempore novilunia committebantur, sed quod indagandae ex methodo computandaeque lunae, ut vocant, aetati minime esset idoneus, nisi ternario minueretur, propter Romani et Alexandrini anni discrepantem formam initiaque diversa. De quibus uberior alias instituendus est sermo.

Caeterum lunaris iste cyclus a Ianuario mense ducit exordium, ut Beda non uno loco testatur. Qui lib. de Temp. Rat. cap. LIV. illius omnes annos exponit. Quorum primus non decemnovennali quarto committitur, qui est aureus numerus III. Kal. Ian. affixus. Secundus a XII. Kal. Ian. Dec. XXI. atque ita deinceps reliqui ab ea syzygia fere omnes inchoantur, quae in Ianuario desinit. Constat igitur in cyclo lunari, perinde ut in decemnovennali, primum annum esse numerum, ut ita dicam, lunarem XIX., qui ad Kal. Ian. adnotatur.

His animadversis annum enneadecaëteridis octavum intercalarem fuisse defendimus, qui aureum numerum habuit VII., qui est a primo, sive XIX., uti dictum est, octavus; quod de cyclo decemnovennali, quo de agitur, potissimum asserimus. Fuere quippe enneadecaëteridis anni isti septem embolimaei 3. 6. 8. 11. 14. 17. 19., quibus aurei numeri in Kalendario respondent 2. 5. 7. 10. 13. 16. 18., quoniam, ut saepe docuimus, numerus XIX cyclum ducebat, a quo secundus erat tertius. At insigni mathematico placuit hunc embolimaeorum ordinem esse 3. 6. 9. 11. 14. 17. 19., quibus aureos istos numeros attribuit 2. 5. 8. 11. 13. 16. 19., quoniam cycli decemnovennalis initium ab aureo numero 8. et Kal. Ian. arcessit. Atqui decemnovennalis ab Aprili, non a Ianuario, ex veterum praescripto repetendus est. Et ille ipse embolimaeorum ordo mensium, quem proposuimus, Bedae, Pitati, Pauli Forosempr. aliorumque computi artificum autoritate nititur. Vide cap. XLIII. de Temp. Ratione apud Bedam tom. II. Idem et certissima ratione ad hunc modum colligitur. Embolimaeum, opinor, annum in cyclo paschali eum omnes intelligunt, qui, ut primus sequentis anni mensis intra paschales terminos coërceatur, mense uno fit auctior. Eiusmodi autem anni illi sunt VII., quos enumeravimus, hoc est aurei in Kalendario numeri 2. 5. 7. 10. 13. 16. 18., non autem 8. 11. 19. Etenim cum aureus numerus VII. in usu est, quem cycli decemnovennalis octavum esse volumus, primus mensis incipit Martii XVII., ideoque embolimaeus esse debet; alioqui sequens annus a Martii VI. inchoandus erit, cui aureus numerus VIII. affixus est, anno decemnovennalis cycli nono. Hoc autem paschali canoni ac Nicaenis decretis repugnat, ac Latinorum, hoc est Iudaizantium, peculiaris error ille fuit; quem ut evitemus, decimus tertius nempe mensis ad annum VIII. accedat oportet, uti nonus, cui numerus aureus VIII. tribuitur, in Aprilis v. summoveatur, a quo primus paschalis mensis incipiat. Eadem et undecimi ratio est, cui numerus aureus convenit X. Hic enim cum a XIV. Martii ineat, decimi tertii mensis neomeniam in Martii III. conferet. Quare intercalandus hic erit, ut annus XII. a II. Aprilis incipiat. Denique XIX. annus cum a quarto die Aprilis exordiatur, embolimum mensem non continet, sed eundem sequitur. Siquidem XVIII. aureus numerus, quem cycli decemnovennalis decimum nonum statuimus, Martii XVI. competit, a quo annus incipiens necessario tertiumdecimum mensem sibi vendicat, cuius neomenia Martii V. minime paschalis est, ac

p. 301.

proinde primi mensis et anni neomenia in Aprilis IV. diffundetur. Ita enim existimandum est, embolimaeos menses in paschali cyclo eos esse, qui in finem anni coniecti neomeniam sequentis anni proxime praecedunt; ut et Pitatus ad idem negotium observat cap. VI. Quanquam aliter apud computorum artifices dispensari menses embolimaeos didicimus ex Beda cap. illo XLIII. lib. de Ratione Temporum, ac per varios anni Iuliani menses dissipari, verum in paschali hoc instituto embolimus ille mensis procul dubio censendus est, qui primum mensem cycli ἀμέσως antecedit. Quo quidem statuto, nullum iam dubium est quin embolimaeorum series eiusmodi sit, qualem a veteribus computistis accepimus, in qua octavus annus, non nonus intercalaris mensis appendicem excipiat. Nam et propterea enneadecaëteridem in ogdoadem et hendecadem partiri solent, uti Beda facit lib. de Ratione Temp. cap. XLIV., et ogdoadi tres embolimos menses, hendecadi quaternos attribuunt. Hinc Africanus apud Hieron. in cap. IX. Dan. *Graeci*, p. 302. inquit, *Iudaei per octo annos trium mensium ἐμβολισμοὺς faciunt.* Ac tametsi mensis integer non octavo anno, sed nono ex diebus residuis consurgat, nihilominus quod et proxime solidam ad syzygiam appendices illae dies accedant, et quod ex superiorum annorum ratiocinio semper aliquid supersit, quo defectus ille compensetur, octavo anno intercalaris adiungitur.

Quod autem nondum iusto dierum numero ex epactis collecto nonnunquam embolismos anteverti ac praecipitari diximus, illustrari potest ex Iudaici cycli dispositione, qualem glossa primae partis Iad R. Mose Tractatu Kidduscb hachodesch describit cap. I. §. 2. Nimirum epactas anni I. et II. in cyclo Iudaico cum epactis V mensium anni tertii ad XXVII. dies accedere, ideoque ad complementum embolismi mensis triduum ex annis sequentibus mutuo accipi. Postea ex residuo anni III. et ex quarto ac quinto una cum mensibus V anni sexti colligi dies fere XXXIII, ex quibus compensato triduo illo, quod anticipatum fuerat, secundus embolismus inseritur. Deinde ex epactis mensium VII anni sexti et anni septimi, nec non et V mensium anni octavi, XXII fere dies confiunt. Neque tamen differtur embolismus, sed VIII dies ex annis sequentibus repraesentantur, ut solidus mensis intercalari possit. Tum vero ex residuo VII mensium et annorum duorum, videlicet IX. ac X. itidemque mensium V priorum anni XI. dies colliguntur XXXIII, quibus octo detractis, quos superior embolismus exhauserat, quinque et viginti restant, ad quos complendae syzygiae V alii dies anticipantur, et undecimo anno Adar inseritur. Eadem est anni XIV. ratio. Confiunt enim dies XXXIII, ex quibus V diebus exemptis, qui in antecessum usurpati fuerant, relinquuntur XXVIII dies, et biduum ad embolismum cumulandum a sequentibus sumitur. Deinde anno XVII. epactae ad dies XXXIII perveniunt restitutoque biduo illo mutuatitio, ex XXXI reliquis intercalatur Adar, et unus dies superest. Itaque in fine cycli XXVII dies restant, et nihilominus VII. intercalatur embolismus, anno XIX. Haec glossa de cycli Iudaici contextu. In quo nondum expleta syzygia versuram fieri et anticipari dies aliquot vides, contra quam Scaliger lib. VII. de Emendat. in Comp. Iudaico cyclo embolismos praecipitari nimis imprudenter negat. Quanquam glossa ista lunarem annum praecise dierum CCCLIV constituit, neque appendices horas ac minutias complectitur, quae toto cyclo collectae dies conficiunt VI cum horis XXI, et minutis 51′, quibus primi ac postremi embolismi defectus compensatur. Quamobrem rudis est et adumbrata cycli Iudaici ista descriptio, et ad faciliorem methodum ac popularem captum apposita, cum interim alia sit apud Iudaeos epactarum annorumque conformatio. Quod idem de Epiphanii octaëteride pronunciare licet, quam vel nulli, vel, si forte, paucissimi, post Nicaenum

canonem conditum ad paschalem usum adhibuerunt. Hanc nobis de embolismis disputationem peperit octaëteridis Epiphanianae dispositio. Quae tandiu hic habere locum debuit, dum uberiore a nobis commentario, quem de temporum doctrina meditamus, eadem illa pertractetur. p. 303.

Γίνονται ἑπακταὶ ιη.] Corr. ιζ'.

Ἐν τούτοις τοῖς τριὼν ἐμβολίμοις.] Ne hoc quidem verum aut satis accurate dictum; dissensionem omnem, quae Christianos inter ac Iudaeos et caeteros intercesserat, hoc est haereticos Tessarescaedecatitas, aut qui in primi mensis epocha a Nicaeno canone discedebant, quales Latini et Occidentales plerique, atque imprimis Scoti fuerunt, in tribus octoëteridis embolimis consistere. Duplex apud Christianos paschatis depravatio fuit. Altera plane Iudaica et Asiaticorum olim propria, qui XIV. luna, quamcumque in feriam incurreret, pascha celebrabant. Altera, quae in primi mensis neomenia contra canonem committeret, dum illam citius antevertebat, adeo ut XIV. luna aequinoctium praecederet. Quam διαστροφὴν novo errore cumulabant, ut in termino ipso, si in dominicam incideret, celebritate fungerentur. Posteriores isti cum decemnovennali cyclo, Iudaeorum instar, uterentur, in duobus duntaxat annis ab Alexandrinis et Nicaena sanctione dissidebant, cyclo nimirum VIII. ac XIX. Nam lunari cyclo, non aureis numeris utebantur. Itaque tribus cyclis ab Alexandrinis discrepabant. Ut exempli caussa, Alexandrino numero I. respondebat aliorum XVII. Item Alexandrinorum VIII. istorum V., decimonono Alexandrinorum Iudaicus XVI. Indeque cum Alexandrini anno cycli decemnovennalis octavo, cui numerus aureus VII. ad Aprilem usque convenit, mensem intercalarem adtexerent, qui a VI. Martii exorsus in Aprilis IV. desineret, ac postridie, hoc est Aprilis V., annum nonum inchoarent, Iudaizantium factio pro embolimaeo communem usurpans annum, primum mensem inchoabat Martii VI., cuius XIV. paschalis Martii XIX. competebat. Idem anno XII. contingebat, quem Alexandrini pridie Non. Apr. inchoabant, alii III. Non. Martias. Nam Alexandrini XIX. annum, cui numerus aureus XVIII. respondet, embolimaeum constituebant eique mensem illam arrogabant, a quo Iudaei annum suum ac primum mensem auspicabantur. De qua re et antea disseruimus, et agetur alibi copiosius. Quocirca non in tribus octaëteridis embolimaeis annis, sed in uno solum Iudaei et haeretici a catholicis discrepabant, hoc est in octavo.

N. XIV. Ἔστι γὰρ τῷ ὄντι.] Haec Epiphanii fortasse temporibus. At aetate Theodoreti Audianorum ista disciplina in licentiam ac libidinem desciverat.

AD HAERESIM LXXI., PHOTINIANORUM.

N. I. Οὗτος δὲ ὡρμᾶτο.] Ὁρμᾶσθαι saepissime apud Epiphanium et alios idem valet atque *oriri*, quod et nos hoc loco verum existimavimus. Sed cum Photinus non Sirmio, sed ex Gallograecia oriundus fuerit, ut in lib. de Scriptt. Eccles. scribit Hieronymus, consultius arbitror *prodeundi* vocabulo uti quam *oriendi*. Quare ita potius interpretandum fuit. *Hic Sirmio prodiens etc.* Sic enim Hieronymus: *Photinus de Gallograecia Marcelli discipulus, Sirmii episcopus ordinatus etc.*

Ἀπὸ τῆς ἐν Σαρδικῇ.] Bis condemnatum esse Photinum tradit Epiphanius, primum in Sardicensi synodo, tum in Sirmiensi, cum imperatori Constantio libellum obtulisset. Utrunque sub Constantio celebratum. Ideo corrigendus Hieronymus, qui a Valentiniano imper. pulsum ab ecclesia Photinum affirmat. Nisi post Sirmiensem synodum occultos conventus habuisse dixerimus, et a Valentiniano proscriptum fuisse. Quod ex eo deduci potest, quod in epistola synodica p. 304.

Concilii Aquileiensis ad Gratianum, Valentin. et Theodosium imp. Ambrosius ac caeteri episcopi ita sub finem scripserunt: *Photinianos quoque, quos et superiori lege censuistis nullos facere debere conventus, prout iam et sacerdotum concilio sententia in eos lata est. Petimus insuper, ut quoniam in Sirmiensi oppido adhuc conventus tentare eos cognovimus, clementia vestra etc.*

'Ανυσίῳ διακόνῳ τοῦ βασιλέως.] Videtur Βασιλείου leg. Sed nonnihil suspensos nos tenet, quod hic Basilii diaconus appelletur, nimirum Ancyrani, qui actoris partes sustinebat, ac proinde suspectus esse Photino diaconus illius poterat.

Καλλικράτει ἐκσελπτορι.] Ἔπαρχος praefectum praetorio significat. Cornarius vero *praesidem* reddit. Crediderim praefectum praeterio Illyrici fuisse.

Καὶ Βασιλείῳ μεμοραδίοις.] Fortasse μεμοραρίοις quasi *memorarios* vocet, qui sunt *memoriales*, quorum proprium munus erat leges et rescripta excipere ac perscribere. Aliud est μεμοροφύλαξ et μεμορίτης in concilio Chalced. Act. IV., hoc est ὁ ἐν μεμορίοις κατοικῶν, qui ad memorias martyrum et in ecclesiis ibidem collocatis habitat.

Νοταρίοις τοῦ Βασιλείου.] Corr. βασιλέως. Habuerunt tamen in conciliis et episcopi notarios suos atque exceptores ac ferme diaconos, ut ex Chalced. Conc. constat. Sed et apud August. lib. III. contra Crescent. cap. XXIX. in actis consularibus sub Zenophilo, Nundinarius Silvani Cirthensis Donatistae diaconus exceptor dicitur.

AD HAERESIM LXXII., MARCELLIANORUM.

N. II. 'Αντίγραφον ἐπιστολῆς.] Edidit hanc fidei professionem **Marcellus**, postquam ab Arianis sede sua pulsus Romam ad Iulium papam confugit, ab eoque una cum Athanasio restitutus est. Vide Annales Baron. a. CCCXLI. Qui de hoc ipso libello dubitat, isne sit quem Iulio tum obtulit, cum in eo nulla sit τοῦ ὁμοουσίου mentio. Verum non semper in catholicae fidei professionibus, aut in convincendis haereticis, recenti adhuc in Nicaeno concilio, tessera illa fidei, ac τοῦ ὁμοουσίου clara et diserta confessio solebat exigi. Exemplo sit Ursacii et Valentis Arianae factionis principum libellus, quem Iulio papae obtulerunt, quo et erroris sui veniam deprecati sunt, et Ario damnato catholicam fidem professi. Extat apud Athanasium Apol. II. In eo vero de ὁμοουσίῳ verbum nullum. Nam et in concilio Aquileiensi, in quo adnitente Ambrosio Palladius et Secundianus episcopi damnati sunt, cum tam studiose id ageret Ambrosius, ut ab iis indicium aliquod Arianae professionis eliceret, ideoque variis interrogationibus lacesseret, nullam consubstantialis mentionem attigit, sed haec tantum communia, ecquid filius immortalis, bonus ac verus esset, ac reliqua generis eiusdem. Quinetiam Athanasii
p. 305. symbolum cum sit quaedam fidei expositio ab eo edita, qui τὸ ὁμοούσιον acerrime propugnaret, eiusdem vocabuli mentionem omisit.

N. V. Ὑπὸ δὲ ἄλλων πάλιν.] Utcunque licuit ex corruptissimo loco sententiam extudimus. De his autem, quos nominat, Acacio, Basilio, Georgio ac reliquis, agetur in sequenti haeresi pluribus.

N. VI. Ταῦτα μὲν οὖν καὶ τὰ τοιαῦτα.] Asterius sophista Christianam fidem amplexus nonnulla scripserat Arianae perfidiae consentanea. Quae cum refutasset Marcellus, longius progredi et in Sabellianam haeresim desciscere visus est. Quae omnia copiosissime habes in Annal. Ecclesiast. exposita.

N. X. Καὶ προστάτης.] *Defensorem* reddidimus. Nam *praesidem* cum Cornario interpretari non placet. Fuit autem defensor non ordinis, sed officii nomen, quod Laici gerebant, qui ecclesiae iura in civili foro propugnabant. Concilium

Milevitanum Can. XVI.: *Placuit etiam, ut petatur a gloriosissimis imperatoribus, ut iubeant iudicibus dare petitos sibi defensores scholasticos, qui in actu sint, vel in officio defensionum causarum ecclesiasticarum, more sacerdotum provinciae, ut iidem ipsi etc. habeant facultatem ingredi iudicum secretaria.* Meminit et Carthagin. V. Canone IX. et Africanum tomo I. Conciliorum Can. XLII., et alibi passim. Zosimus Epist. I. *Sane ut defensores ecclesiae, qui ex laicis fiunt, supra dicta observatione teneantur, si meruerint esse in ordine clericatus.* Ἔκδικος a Graecis vocatur. In Concilio Chalcedon. Can. II. recensentur οἰκονόμος, ἔκδικος, παραμονάριος. Quamobrem προστάτην eundem esse suspicamur atque ἔκδικον. Tametsi Balsamo ad Africanarum synodorum canones, qui in unum misti sunt, ad Canonem LXXVIII., qui est inter Africana concilia, quae sub Coelestino et Bonifacio celebrata sunt, quadragesimus secundus, dubitat utrum defensores et ἔκδικοι ante hoc concilii tempus illi fuerint. Σὺ δὲ γίνωσκε ὅτι ἡ δόσις τῶν ἐκδίκων, ἢ καὶ δεφενσόρων λεγομένων, εἴτε ἀπὸ τοῦ παρόντος κανόνος ἔλαβε τὴν ἀρχήν; εἴτε καὶ τούτου ἐπεγνώσκετο, δι' ἐπιλογῶν τῶν κατοικούντων ἑκάστης πόλεως ἐγίνετο. Sed diu ante defensores extitisse verisimile est, eosdemque προστάτας in illa subscriptione nominari.

AD HAERESIM LXXIII., QUAE EST SEMIARIANORUM.

N. I. Καὶ Γεώργιος ὁ Λαοδικείας τῆς πρὸς Ἀντιόχειαν.] Hunc locum integrum non esse suspicari aliquis possit. Nam Laodicea Syriae nihil ad Daphnen pertinet. Antiochiae porro Syriae caput cognomento ἐπὶ Δάφνης, ab amoenisissimo suburbio, a Latinis etiam *Epidaphnes*, ut apud Plin. lib. V. cap. XXV. Tacitus lib. II. Ann. ait *Germanico sepulcrum Antiochiae constitutum, ubi crematus, tribunal Epidaphnae, quo in loco vitam finierat.* Nimirum quod ἐπὶ Δάφνῃ, vel ἐπὶ Δάφνης crebro nominaretur, vulgi consuetudine factum, ut una voce Ἐπιδάφνη Daphne ipsa diceretur; quemadmodum ex duabus istis Homericis vocibus εἰν Ἀρίμοις, *Inarimen* conflasse Virgilium grammatici suspicantur. Quare non asseatior Ortelio, qui apud Tacitum et Plinium pro *Epidaphne*, vel *Epidaphnes* rescribendum credit Latinis vocibus, *apud Daphnen.* Ex iis merito coniici potest apud Epiphanium inverso verborum ordine ita legi potius oportere, τῆς πρὸς Δάφνῃ Ἀντιχείας, quam τῆς πρὸς Ἀντιοχ. Δαφ. Neque tamen propterea explicatior hic p. 306.
ipse locus fuerit. Quaerendum enim praeterea cur Laodicea τῆς Ἀντιοχείας appelletur? An hoc existimandum est, Antiochiam vel Daphnen pro regione ipsa et Coelesyria nonnunquam usurpari? quod sequentia docent, cum addit ἡγοῦν τῆς Κοίλης Συρίας. Daphnensium quidem Comitatensium inter legiones notitia meminit. Dicerem Antiocheni alicuius episcopi nomen hic desiderari, si quis occurreret Semiarianorum fautor et signifer, cuiusmodi nullum reperio. Imo vero Eudoxius, qui Antiochenam sedem post Leontii obitum occupavit, Basilii ac Georgii Laodiceni per illa tempora hostis acerrimus fuit. Vide Sozom. lib. IV. cap. XII. et sequentibus. Credat igitur aliquis ab Epiphanio τὴν ἐπὶ Ἀντιοχείᾳ Δάφνην pro Coele Syria hoc loco sumi, quod novum mihi et inauditum esse fateor. Quod nisi cui coniectura ista placeat, simplicissima et fortasse vera ratio est, ut Laodicea cognomento *Daphnes* appellata videatur, quod ei loco longe nobilissimo ac celeberrimo propinqua foret, κατὰ διαστολὴν Laodiceae alterius, imo plurium aliarum cognominum. Inter hanc vero, cui et *Cabiosae* nomen inditum, et Antiochiam ad Orontem, interiecta fuit Daphne. Quod ut expressus declararet Epiphanius, adiecit ἡγοῦν Κοίλης Συρίας, ne quis Phrygiam putaret, aut aliam quamlibet.

N. II. Ἡ ἁγία σύνοδος.] Magna nobis non solum de Epiphanio nostro, sed

de omni etiam antiquitate et historia bene merendi opportunitas hoc in loco praebetur, ubi de Ancyrana ac Sirmiensi pseudosynodis, aliisque Semiarianorum conventiculis agitur. Quorum acta et tempora sic apud veteres perinde ac recentiores confusa perturbataque sunt, nulla ut historiae pars impedita magis ac difficilis appareat. Dicam non iactantiae caussa, sed ut eruditi lectoris studium excitem, fortassis audacius, ab hinc mille ac ducentis propemodum annis liquidam ac sinceram illorum rationem ignoratam fuisse. Quod nisi certissimis argumentis indiciisque monstravero, nihil ego deprecabor, quin id vanissime a me dictum omnes arbitrentur. Proponam igitur imprimis quemadmodum ab antiquis historicis ea referantur, tum quid a recentioribus memoriae proditum sit, ut amborum falsitate convicta veritas ipsa a situ et obscuritate vindicetur.

DE SIRMIENSI ET ANCYRANA PSEUDOSYNODO ALIISQUE SEMIARIANORUM ACTIS, SOCRATIS, SOZOMENI CAETERORUMQUE NARRATIO.

Ubi se Ariana perfidia in orbem Christianum effudit, scissa est variae in partes, ac multiplicium sectarum et factionum sunt nata divortia. Ut de caeteris modo taceam, insignis potissimum fuit Photini Sirmiensis impietas, qui Sabellii et
p. 307. Samosateni dogmata iam olim damnata longo intervallo renovavit. Cuius haeresin ordine LX. posuit ac refutavit Epiphanius. Hunc ut opprimerent Ariani ac tantam a se invidiam ignominiamque depellerent, utique se tandem catholicos esse profiterentur, Constantii imper. iussu Sirmium, quae urbs est Pannoniae, orientales convocantur episcopi, quemadmodum Socrates lib. II. cap. XXIII., Sozomenus lib. IV. cap. V. aliique narrant. Quod iidem contigisse volunt post consulatum Sergii et Nigriani, qui est annus Christi CCCLI. Affuere synodo imprimis orientales episcopi Marcus Arethusius, Georgius Alexandriae, Basilius Ancyrae episcopi, Pancratius Pelusii, Hypatianus Heracleae. Ex occidentalibus vero eadem infectis labe Valens Mursorum episcopus, nec non et Osius Cordubensis ecclesiae catholicae per illa tempora columen, qui eo licet invitus accessit. In hoc concilio condemnato Photino triplex edita est ab Arianis fidei formula: prima Graece a Marco Arethusio concepta, quam Socrates cap. XXV., et ante eum Athanasius libro de Synodis Graece referunt, Latine vero Hilarius libro de Synodis. Duae aliae Latinae sunt, quarum prima a Socrate et Athanasio iisdem locis descripta continetur, postremam, quae in Arimineasi synodo a Valente edita postmodum est et a catholicis reiecta, habet Socrates cap. XXIX., meminit et Athanasius lib. de Synodis. Duae itaque tum formulae Sirmii promulgatae sunt. Nam tertiam Arimini postea publicarunt. In eadem synodo Basilius Ancyranus cum Photino coram imperatore congressus est, cuius disputationis mentionem in Photinianae haeresi facit Epiphanius. Hosius vero diu cum Arianorum perfidia et imperatoris crudelitate luctatus ac dirissimis tormentis excarnificatus, postremo eidem impietati subscripsit. Secundum haec Constantius occiso Magnentio, cuius caede Constantio VI. et Gallo II. coss., qui est annus CCCLIII., accidit, ac reliquis tyrannis felicissime compressis aut extinctis, Gallo insuper necato, Constantio VII. et Gallo III. coss. anno CCCLIV., demum Arbetione et Lolliano coss. anno CCCLV. Romam ut triumpharet profectus Mediolani synodum cogit adversus Athanasium. Cui cum acerrime refragarentur catholici episcopi, praesertim Eusebius Vercellensis, Dionysius Mediolanensis, Paulinus Treverensis, Lucifer Calaritanus, exulare iussi sunt. Eodem anno et Liberius Romanus Pontifex, qui Iulio successerat, quod Athanasium condemnare nollet, relegatus est, ut iidem historici cum

Theodoreto et Athanasio testantur. De Liberio vero etiam Ammianus lib. xv. His ita confectis imperator anno sequenti tertio Kalend. Maias Romam sese contulit, ut idem Ammianus autor est lib. xvi. Qui cum illic diutius commorari vellet, auditis barbarorum incursionibus iv. Kal. Iun. in Illyricum profectus est. Cum autem Romae adhuc imperator degeret, hoc est ante iv. Kal. Iunias, Eudoxius Germaniciae in Syria episcopus, cum de Leontii Antiochiae episcopi morte renunciatum esset, missione a Constantio impetrata, in Syriam perveniens Antiochenam sedem occupat. Quam dignitatem adeptus totus in id incumbit, ut Aëtium cognomento ἄθεον et Anomoeorum principem pristinum in gradum restitueret. Hic enim a Leontio diaconus ordinatus, pro eo quod filium dei ex nihilo creatum et patris dissimilem assereret, damnatus et eiectus fuerat. Cuius impietatem cum foveret Eudoxius, frustra illum restituere ac revocare conatus, ut scribit p. 308. Socrates, palam nefaria eius dogmata praedicare coepit, eo sane confidentius, quod Osii Cordubensis literas iactitaret, quibus eidem errori subscripserat.

Quae cum Georgius Laodicenus animadvertisset, literas Ancyram ad Basilium dedit, qui tum forte ad dedicandam, quam construxerat, ecclesiam complures ex finitimis episcopis convocarat. Habito itaque Ancyrano concilio lectisque Georgii literis decretum illud fidei conditum est, quod Epiphanius et Hilarius commemorant, in quo suppressa τοῦ ὁμοουσίου voce ὁμοιούσιος, hoc est, similis patri substantiae filium esse professi sunt. A quo Semiariani dicti. Tum legati Sirmium ad imperatorem a synodo missi Basilius Ancyrae, Eusthatius Sebastae, Leontius Cyzici episcopi. Quorum studio Constantius revocatis, quas Asphalio Eudoxii presbytero et Aëtii fautori dederat, literis alias adversus Eudoxium ad Antiochenos scripsit. Subiicit his Socrates Ariminensis concilii narrationem: in quo fidei ἔκθεσις illa ab Ursacio et Valente proposita est, quae Sirmii ante concepta fuerat. Sozomenus autem Liberii ab exilio revocati ac Romam redeuntis historiam pertexit.

QUA IN RE HODIERNI SCRIPTORES ANNALIUM AB ANTIQUIS ILLIS DISSENTIANT.

Quod de Sirmiensis adversus Photinum concilii tempore Socrates ac Sozomenus tradiderunt, nimirum Sergio ac Nigriano coss. celebratum fuisse, qui est annus aerae Christianae CCCLI., id in magnis Annalibus ad annum CCCLVII. duobus vel tribus praesertim argumentis refellitur. Quorum autoritatem secuti reliqui ecclesiasticae historiae temporumque conditores cum erroris eosdem illos scriptores insimulant, tum anno Christi CCCLVII. Constantio IX. et Iuliano coss. damnatum in Sirmiensi conciliabulo Photinum asserunt. Argumenta porro sunt eiusmodi: imprimis Socrates ac Sozomenus testantur, Osium Cordubensem ad Sirmiensem synodum invitum accessisse, ibique vi ac tormentis extortam ab illo Athanasii damnationem. Atqui nonnisi relegato iam Liberio, postquam insuper annum iam integrum Sirmii esset a Constantio detentus, cum Arianis communicavit Osius, quod Athanasius docet epist. ad Solitarios: Καὶ ἀντὶ ἐξορισμοῦ κατέχει τοῦτον ὅλον ἐνιαυτὸν ἐν τῷ Σιρμίῳ, *Exilii loco annum integrum Sirmii illum detinet.* Liberius autem, ut ex Socrate et Ammiano liquet, non ante Christi annum CCCLV. Arbetione scilicet et Lolliano coss. in exilium abiit, cum Mediolanum, ubi tum Constantius erat, Roma esset excitus. Athanasius vero eodem illo libro scribit Osium ex Hispania primum Constantii literis accitum Mediolanum venisse, indidemque in patriam ab illo remissum, paulo post iterum evocatum anno toto

p. 309. Sirmii maceratum cruciatumque demum succubuisse. Quod si anno duntaxat CCCLVI. Constantius, ex quo Sirmio in Italiam profectus erat, Roma in Illyricum reversus est, uti supra disputatum est, apparet non ante CCCLVII. annum, confecta iam Osii annua Sirmii relegatione, Sirmiensem synodum obiri potuisse, cui Osius suffragator accesserit. His duabus rationibus, quod et post Liberii exilium et post annuum carcerem ad consentiendum adactus sit Osius, tertiam adiunxit ex Hilario, qui libro de Synodis Sirmiensem affirmat post triennium esse celebratam, ex quo Saturnino Arelatensi episcopo Ariano a catholicis est negata communio. Manifesta vero Saturnini defectio tum contigit, cum expugnato Magnentio Constantius Arelatam sese contulit. Constat autem ex Ammiano lib. XXII. Constantio nonnisi anno Christi CCCLIII. se VI. et Gallo II. coss. Arelatam venisse ibidemque natalem suum VI. Id. Oct. celebrasse. Unde perspicuum est anno demum CCCLVII. triennio iam absoluto Sirmiensem synodum peractam fuisse. Quae quidem omnia sic in Annalibus digeruntur.

Anno CCCLIII. Constantio VI. et Gallo II. coss. victo Magnentio Constantius in Gallias profectus Arelate hiemem traduxit. Ubi concilio Arianorum coacto damnatur Athanasius, Paulinus Treverensis una cum aliquot catholicis episcopis exilio multati.

Anno CCCLIV. Constantio VII. et Gallo III. coss. Gallus Caesar Constantii iussu necatur. Athanasius Alexandriae vexatur.

Anno CCCLV. Arbetione et Lolliano coss. Mediolanense concilium indicitur ac celebratur in caussa Athanasii, praesente Constantio. Qui catholicos ac sanctissimos episcopos illius damnationi subscribere recusantes in exilium eiicit, nimirum Vercellensem Eusebium, Dionysium Mediolanensem, ac postremo Liberium papam, quem Roma Mediolanum acciverat. Sub haec Osius ex Hispaniis accersitus frustraque solicitatus in patriam rediit.

Anno CCCLVI. Constantio VIII. et Iuliano coss. Athanasius Syriano duce grassante Alexandria pulsus eique substitutus Georgius. Constantius Mediolano Romam pervenit tertio Kal. Maias. Ibi a matronis interpellatus Liberium edicto revocat. Eudoxius Germaniciae episcopus audita Leontii morte Roma Antiochiam advolans sedem occupat. Constantius IV. Kal. Iun. urbe digrediens in Illyricum festinat.

Anno CCCLVII. Constantio IX. et Iuliano II. coss. Sirmiense concilium coram Constantio celebratum. In quo primum damnatus Photinus et a Basilio Ancyrae episcopo confutatus. Tum fidei formulae tres conscriptae. Prima auctore Marco Arethusio Graeca. In qua damnati inter caetera, qui ex alia substantia, et non ex deo filium extitisse dicerent. Habet hanc Athanasius lib. de Synodis, Hilarius lib. de Synodis et Socrates. Secunda Latine primum edita et Graece postmodum conversa apud Athan. et Socratem extat. Quae τῆς οὐσίας et ὁμοουσίου, nec non ὁμοιουσίου vocabula commemorari vetuit, patrem vero maiorem esse filio decrevit. Hanc fidei professionem ab Osio et Potamone conscriptam prodit Hilarius. Ex quo facile colligitur hanc esse fidei ἔκθεσιν, cuius approbatio vi ac tormentis ab Osio est expressa. Sed Osii lapsum compensavit Semiarianorum propemodum
p. 310. catholicum decretum in Ancyrana synodo, cui Basilius praefuit. In quo adversus Sirmianam perfidiam Orientales professi sunt filium per omnia, adeoque secundum substantiam, esse patri similem. Quam professionem valde commendatam ac notis illustratam in Gallias misit Hilarius. At Basilius cum Semiarianis *sociis* Sirmium reversus et cum Valente, Ursacio caeterisque germanis Arianis congressus est. Qui ita demum inter se Constantio annitente consentiunt, ut sublato

substantiae nomine filium per omnia patri similem esse profiterentur. Hinc tertia illa fidei formula manavit, quam Valens ad Ariminense concilium detulit, ut Epiphanius hac ipsa in haeresi testatur. Quam quidem apud Socratem habes, adscriptis coss. nominibus, qua de caussa catholicorum omnium, praesertim Athanasii, risu ac ludibrio est excepta. Eodem anno Liberius Beroea revocatus Sirmii primae illi formulae subscripsit, quae Graece a Marco contra Photinum scripta fuerat, non secundae. Quo impetrato Romam remittitur.

Anno CCCLVIII. absoluta Sirmiana pseudosynodo, Constantius Nicomediam alteram indicit. Sed ea terrae motu prostrata, mox etiam Nicaea, quo conventum transferri placuerat, eadem ruina subversa.

Anno demum CCCLIX. bifariam distributis episcopis eodem tempore Arimini ac Seleuciae in Isauria synodi celebrantur. Hanc illorum temporum historiam, cuiusmodi in Annalibus traditur, cum in caeteris Nicolaus Faber vir eruditissimus non improbet, in hoc dissentit uno, quod tertiam fidei professionem, cui coss. additi sunt, negat in Sirmiensi synodo fuisse conflatam. Itaque duas duntaxat priores editas tum esse censet, cum adversus Photinum Ariani convenerunt. Postremam vero Sirmii illam quidem editam, sed in fortuito episcoporum concursu, non legitimo indictoque concilio. Sic enim existimat in illa praefatione, quam Hilarii fragmentis praefixit, Constantium literis ad Ancyranum Basilium scriptis mandasse ut de loco cogendae synodi cum Orientalibus deliberaret. Sed cum inter illos convenire non posset, Basilium ad imperat. venisse Sirmium, ibique Marcum Arethusium, Valentem aliosque reperisse. Tunc collatis capitibus et conspirantibus ad Nicaenam fidem evertendam animis statuisse ut Nicaeae synodus haberetur. Post cum eandem urbem terrae motus afflixisset, statuisse ut episcoporum pars Ariminum, pars Seleuciam sese conferret. Ac per idem tempus Sirmii novam ac tertiam fidei formulam a Marco Arethusio fuisse conscriptam, ut ex Germinii epistola, quae in fragmentis legitur, Nicolaus Faber observat.

REFELLITUR HISTORICA SUPERIORUM OMNIUM NARRATIO.

Fuit hoc igitur hactenus persuasum omnibus, ab una eademque Sirmiensi synodo condemnatum esse Photinum, et sive tres, sive duas saltem fidei formulas esse profectas. Quarum adversus Photini dogmata prior edita est, in qua deo nomen οὐσίας attributum est, quam neque collatari, neque contrahi posse p. 311. decreverunt. Quam etiam Graece a Marco Arethusio scriptam testatur Socrates lib. II. cap. XXV. Altera Latino sermone tradita, Valente, Ursacio, Germinio ac caeteris episcopis praesentibus, ut inscriptio ipsa fert. In qua οὐσίας nomen nec non et ὁμοουσίου atque ὁμοιουσίου vocabula, quod in sacris literis non extarent, obliterata sunt et in perpetuum proscripta. Nam de tertia merito, ut postea videbimus, Nicolaus Faber repugnat, quam alii eadem illa in synodo putant esse conscriptam. Hanc Socratis, Sozomeni, aliorumque, ut mox constabit, hallucinationem novis erroribus recentiores historici cumularunt. Quorum non minimus ille est, quod Ancyranam Semiarianorum synodum, quae adversus secundam Sirmiensem formulam habita est, in eundem annum coniiciunt, quo a Sirmiensi concilio damnatus est Photinus, nempe Christi CCCLVII. Verum nos ex antiquis patribus primum illud odorati sumus, tres omnino conventus episcoporum eodem in Sirmiensi oppido, non iisdem temporibus celebratos fuisse. Quorum primus synodicus et indictus fuit, cum adversus Photinum imperatoris literis acciti sunt episcopi, reliqui duo fortuiti minimeque conciliorum loco ac nomine censendi,

in quibus pauci duntaxat episcopi, qui forte ad imperatorem accesserant, communicatis consiliis nova fidei decreta condiderunt. Quocirca primum omnium contra Photinum Sirmii concilium generale Constantii iussu celebratum, de cuius anno postea constituemus. Ibi formula illa fidei edita, de qua proxime diximus. Deinde diversis temporibus aliae duae ab Ursacio et Valente aliisque Arianis episcopis conscio imperatore prodierunt. Hoc ne temere contra communem tot scriptorum consensionem attulisse videar, proponam breviter quibus id argumentis fretus affirmare non dubitem.

Horum itaque primum est quod istud ipsum Basilius Ancyranus ac caeteri Semiarianorum principes, qui Ancyranae synodo subscripserunt, diserte testati sunt in Epistola Synodica, quam Epiphanius descripsit. Quam quidem in hanc fere sententiam exorsi sunt: Optasse id sese quidem, ut post expositionem illam fidei, quae Antiochiae in encaeniis edita est, καὶ μετὰ ταῦτα κατὰ Σαρδικὴν, καὶ τὴν ἐκεῖ αὖθις ἀνθήσασαν πίστιν, καὶ ἔτι μετὰ τὰ ἐν Σιρμίῳ ἐπὶ Φωτεινῷ γεγενημένα: *post Sardicensem fidei professionem, eaque quae Sirmii contra Photinum decreta sunt,* ecclesia conquiesceret. Tum aliquot interiectis ea se perpolire atque explicare voluisse demonstrant, quae in superioribus synodis constituta erant, ut Antiochena et Sardicensi, ἣν ἀνεζωπύρησεν ἡ ἐν Σιρμίῳ σύνοδος: *quam,* inquiunt, *Sardicensis concilii fidem Sirmiensis synodus amplexa est,* vel *repetiit.* Quare Sirmiensem synodum Ancyrana illa synodus approbavit. Eadem vero e contrario formulam fidei alteram, quam in Sirmiensi concilio omnes editam opinantur, non modo non recepit, sed ad eam evertendam ac profligandam est potissimum coacta. Quod in libro de Synodis docet Hilarius, ubi Ancyranam synodum eiusque decretum, cuiusmodi hic apud Epiphanium exprimitur, accuratius explicans ac vehementer commendans, eidem Sirmiensem illam fidei professionem praefixit, cum hoc titulo: *Exemplum blasphemiae apud Sirmium per Osium et Potamium conscriptae,* et adversus hanc fidei ἔκθεσιν Orientales Ancyrae convenisse confirmat.
p. 312. Quare fieri nullo modo potest ut haec, quam Semiariani tantopere impugnarunt, fidei formula in eo concilio sit edita, cui non interfuerunt modo ipsi, verum etiam praefuerunt, quodque recipere ac sartum tectum tueri velle sese profitentur. Audi ipsosmet apud Sozomenum lib. IV. cap. XII. enixe ab imperatore postulantes, ὥστε κρατεῖν τὰ ἐν Σαρδικῇ, καὶ ἐν Σιρμίῳ, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις συνόδοις κεκριμένα: *Ut ea rata manerent, quae in Sardicensi ac Sirmiensi, aliisque conciliis constituta fuerant.*

Praeterea Basilius Ancyranus in eadem Synodica Ancyrani concilii, longo post Sirmiensem synodum intervallo, alteram illam Sirmiensem formulam extitisse demonstrat. Etenim post Sirmiense concilium, quod, uti dictum est, observare ac tueri velle significat, acquievisse se scribit, donec novorum haereticorum importunitate et Georgii Laodiceni literis commotus ad propugnandam fidem se cum suis episcopis erexit. Oportet igitur inter Sirmiensem synodum et Ancyranum concilium intercessisse Georgii Laodiceni literas, quas recitat Sozom. lib. IV. cap. XII. Superiori autem capite scribit Eudoxium, simulatque in Antiochenae sedis possessionem pedem posuit, totum se ad Aëtii promovendam perfidiam cum Acacio Caesariensi et Uranio Tyri episcopo contulisse eamque prae se tulisse speciem, quod Occidentis episcopi eidem suffragati fuissent, nimirum Osius, qui cum Ursacio et Valente invitus consenserat, ut τὸ ὁμοούσιον et ὁμοιούσιον expungeretur. Quas cum Osii literas accepissent, Valenti et Ursacio gratias egerunt, quod illorum opera Occidentis episcopi rectam fidem essent amplexi. Quibus rebus excitatus Georgius Laodicenus Semiarianorum patronus, cum *sub*

idem tempus ad novam dedicandam basilicam Ancyrae vicini a Basilio convocati essent episcopi, epistolam ad eos scripsit hortatusque est ut Eudoxii atque Aëtii grassantem impietatem autoritate sua compescerent. Ea fuit Ancyrani conventus occasio, a quo legati ad imperatorem missi, Basilius ipse, Eustathius Sebastiae, Leontius Cyzici episcopi, qui nominatim hoc peterent, ut Sardicensis ac Sirmiani concilii decreta servarentur. Iam illud ex superioribus didicimus, Eudoxium anno CCCLVI. cum Romae una cum imperatore esset, audita Leontii morte Antiochiam IV. Kal. Iun. esse profectum. Qua in urbe Ursacii et Valentis literas accepit cum fidei formula, quae τοῦ ὁμοουσίου atque ὁμοιουσίου voces obliterari iubebat. Est autem, ut ex Hilario monstravimus, eadem illa formula, quam in Sirmiensi synodo secundo loco dictatam arbitrantur omnes. Quod si anno sequenti, hoc est CCCLVII. Sirmiense concilium habitum est, ut iisdem autoribus placet, neque Eudoxius, Acacius et Uranius, neque Basilius ipse ac Georgius Laodicenus Sirmiensi synodo ac Photini damnationi interfuerunt. Quod de Basilio sane falsissimum est, qui magna pars Sirmiensis concilii fuit, utputa cuius opera convictus est ac superatus Photinus. Quin ut omni ex parte veritas elucescat, alterum accipe. Ancyrana synodus, quemadmodum synodica illius epistola docet, ante pascha celebrata est, τῆς ἁγίας ἡμέρας τοῦ πάσχα ἐπικειμένης; ad quam propterea episcopi plerique, qui convocati fuerant, adesse ob hiemis inclementiam minime potuerunt. Quid igitur fingi potest absurdius quam quod ex illorum narratione sequitur, Ancyranam synodum ante Sirmiensem esse celebratam? Etenim p. 313.
si anno CCCLVI. Eudoxius Antiochenam sedem nactus est, Ancyranum vero concilium anno sequenti, ut eodem anno Sirmiense concilium indictum fuerit, nonnisi post hiemem et pascha, adeoque post Ancyranum celebrari potuit. Atqui iam peractum esse oportuit; si quidem edita ab Osio Sirmiensis concilii formula iam emanarat in publicum. Quare et absente Basilio ac reliquis episcopis damnatus Photinus ac Sirmiense concilium absolutum est, et propter alias caussas nondum inchoari potuit, quoniam Ancyranum Sirmiensi debet esse posterius. Apparet autem tum, cum Sirmiensis illa posterior est emissa formula, neque Eudoxium, neque Basilium aut Georgium fuisse Sirmii; quandoquidem Eudoxius et alii ob acceptam illam Sirmioque missam, et a solis videlicet Occidentalibus, ideoque Latine conceptam, gratias egerunt per literas: Πρόφασιν, inquit, ποιούμενος, ὡς καὶ οἱ ἀνὰ δύσιν ἐπίσκοποι ταῦτα ἐψηφίσαντο: *Hoc ipsum ad impietatis suae patrocinium allegans, quod eandem fidem Occidentales professi fuissent.* Mox: Ἐπιστολὴν πρὸς αὐτοὺς διεπέμψαντο, Οὐάλεντι καὶ Οὐρσακίῳ καὶ Γερμανίῳ χάριν ὁμολογοῦντες, καὶ τοῦ ὀρθῶς δοξάζειν τοὺς ἐν τῇ δύσει τὰς ἀφορμὰς αὐτοῖς ἀνατιθέντες. Haec omnia, quod et ab occidente et ab occidentalibus episcopis Osio, Valente atque Ursacio missa et in Occidentalium gratiam conscripta fidei expositio dicatur, satis indicant alio quam Sirmiensis synodi tempore fuisse contextam. Fuit enim non solum generalis ista synodus, sed ab Orientalibus praesertim Graecisque celebrata; a quibus prae caeteris, ut dictum est, Photini error disputando convictus est. Ac si inter acta Sirmiensis Concilii secunda illa formula conseretur, nunquam Semiariani aut illud laudassent, aut ratum haberi sine ulla exceptione postulassent, sed nominatim repudiatis posterioribus de prioribus eius actis cavissent. Verum quid hic tergiversamur? Est enim evidens et sane luculentum Hilarii ea de re testimonium, qui in libro de Synodis dubitationem omnem eximit. Scripsit hunc librum ad episcopos Gallicanos Hilarius paulo ante Ariminensem synodum, cum ab illis interpellatus esset, ut de actis Ancyrani Orientalium consessus deque Sirmianae blasphemiae damnatione perscriberet. Qui-

bus morem ille gerens principio Sirmiensem ἔκθεσιν proponit, eandem plane cum ea, quam Socrates et Athanasius referunt, cuius autores Osium ac Potamium facit. Subiicit deinde Orientalium decretum, quod adversus istam formulam in Ancyrano concilio statutum est, idque cum mirifice praedicat, tum singulas eius sententias et anathematismos uberrime declarat. Postremo reliquas ab Orientalibus editas professiones, quae cum catholica fide consentaneae sunt, exponit. Quibus ita praefatur: *Dignum autem est conscientia communi etiam caeteras eorundem episcoporum orientalium diversis et locis et temporibus conscriptas fides noscere, ut per plures confessiones sinceritas conscientiae possit intelligi.* Subdit postea Sardicensis Orientalium synodi formulam. Tum ita pergit: *Consequens autem est, ut eam nunc fidem retractemus, quae non olim tunc, cum Photinus episcopatu*
p. 314. *deiectus est, conscripta est.* Mox Sirmiensis concilii professionem describit. Satin' aperte Latinam illam posterioremque formulam ab Osio, ut scribit, editam, a Sirmiensi concilio separat, quod diverso tempore celebratum affirmat? Sed et cum ita loquitur, *tunc cum Photinus episcopatu deiectus est,* itemque cum expositionem fidei contra Photinum scriptam explicans, his verbis orditur: *Necessitas et tempus admonuit eos qui tum convenerant per multiplices quaestiones latius ac diffusius expositionem fidei ordinare etc.,* non obscure aliud illius tempus esse significat. Hoc enim attente considerari volumus, quod cum deinceps *caeteras eorundem orientalium episcoporum diversis et locis et temporibus conscriptas fides* expositurum se esse denunciasset, nullam praeter Sardicensem et Sirmiensem contra Photinum editam subiecerit. Ex quo necessario sequitur, non minus istam quam Sardicensem, si non locis ab Osiana et Latina posteriore diversis, temporibus certe non iisdem esse conscriptam. Postremo Sulpitius Severus lib. II. Historiae Sacrae liquida apertaque narratione multo id validius confirmat. Scribit enim post Sardicensem synodum et Ursacii ac Valentis poenitentiam, interiecto deinde tempore, cum Athanasius Marcellum, qui in Sardicensi concilio a catholicis erat absolutus, parum sanae fidei compertum a communione suspendisset, Arianos ea occasione libenter usos, quo Sardicensis synodi decreta subverterent. Igitur astuto consilio Photini, Marcelli et Athanasii damnationem miscuisse. Cum enim propalam Ariani erroris sui dogmata praedicare non auderent ac catholicos se gererent, nihil prius sibi agendum ratos esse quam ut Athanasium ab ecclesia submoverent. Sed cum literas de illa Photini, Marcelli et Athanasii damnatione dedissent, restitisse catholicos scribit, atque inter caeteros Paulinum Treverensem ita subscripsisse, se in Photini atque Marcelli damnationem praebere consensum, de Athanasio non probare. Quare cum illorum de Athanasio sententia repudiaretur, plerique a Constantio relegati, ac tum Arelatensis et Biterrensis synodi celebrantur, inde Mediolanensis; in qua insignes quidam episcopi in exilium pulsi, Dionysius Mediolanensis, Eusebius Vercellensis, Lucifer Calaritanus, Liberius quoque et Hilarius. Quae omnia Arbetione et Lolliano coss. facta esse scribit. Haec summatim Sulpitius. Quibus superior ille agnitus a nobis et patefactus error convincitur. Vides enim post Sardicensem synodum et receptos in communionem Ursacium ac Valentem, aliquanto tempore interiecto, Sirmiensem adversus Photinum celebratam synodum, ante Arelatensem et Mediolanensem, nec non antequam Liberius papa, Eusebius, aliique proscriberentur. Atqui conciliabulum Arelatense, quod a Saturnino celebratum est, anno Christi CCCLIII. contigit, cum Sirmio in Gallias profectus esset Constantius, ut in Annalibus legitur, Mediolanense vero anno CCCLV. Arbetione et Lolliano coss. Tanto igitur ante tempore damnatus Photinus ac Sirmiensis peracta synodus est, quam

secunda fidei formula in eodem Sirmiensi oppido ab Ursacio, Valente Osioque prodiret, quae post relegatum Hilarium, nec longe ante synodum Ariminensem edita est, ut ex eodem Hilario constat; neque potest anno CCCLVII. Sirmiense concilium ullo modo congruere. p. 315.

Neminem vetustissimi erroris adeo tenacem fore confido, qui non tot argumentis convictus nostrae illi non opinioni aut coniecturae, sed certissimae veritati suffragetur, adeoque vehementer obstupescat, nemini hactenus mortalium tam immanem historiae labem in tanta doctrinarum omnium luce tantaque annalium et chronicorum copia vel levissime suboluisse. Ac nostris quidem accuratis atque eruditis hominibus danda venia est, qui Socratis, Sozomeni atque antiquorum vestigia secuti sunt, illos ipsos erroris autores ac duces excusare non possum, qui ut illorum temporum viciniores erant, sic ad eorum explorandam historiam instructiores esse debuerunt.

Posteaquam firmamentum ipsum falsae narrationis et caput evertimus, reliqua, quae huic innixa minus habent momenti, erroris non minus suapte sponte fracta infirmataque concident. Eiusmodi est quod de Ancyranae synodi tempore definitur, in eundem annum incidisse quo Photinus in Sirmiensi concilio damnatus est, nempe anno CCCLVII. Quod non modo falsum est, quia longe ante hunc annum Sirmiensem illam synodum celebratam paulo ante docuimus, sed etiam quod etsi hoc ipso anno peracta sit, non potest in eundem Ancyranus conventus incurrere. Hic enim ante pascha celebratus est; unde et plerique ob hiemem interclusi in Synodica Epistola dicuntur. Non potuit igitur eodem anno Sirmiensis synodus fieri, nisi posteriorem hanc fuisse velis, quod longe est absurdissimum; quoniam ad oppugnandam Sirmiensem illam formulam, quam in concilio conscriptam existimant, Ancyrana est synodus collecta. Quinetiam postquam haec fidei professio allata Sirmio est, nonnihil ante concilium Ancyranum temporis intercessit. Nam Hilarius lib. de Synodis pag. 329. occidentales episcopos collaudat, quod *missam ad sese ex Sirmiensi oppido infidelis fidei impietatem non modo non suscepissent, sed nunciatam etiam significatamque damnassent.* Quo cum exemplo scribit excitatos orientales episcopos in Ancyrano concilio *irreligiosorum audaciae quibusdam sententiarum suarum decretis contradixisse.* Necesse est itaque aliquanto post publicatam Sirmiensem ἔκθεσιν spatio Ancyranam a Basilio synodum esse conflatam. Quid quod Osius ipse, a quo eandem illam profectam formulam autor est Hilarius, annum integrum Sirmii retentus est, priusquam ad consensum adigeretur? Quare cum non nisi post Iunium mensem anni CCCLVI. Constantius Sirmii esse potuerit, censequens est anno sequente, eodem circiter tempore, istam ab Osio professionem Arianos extorsisse. Atqui diu ante, nimirum sub paschale tempus, Ancyrae convenere Semiariani. Vides quantus sit apud illos rationum inter sese sermonisque conflictus. Sed ex iis, quae supra constituimus, quaeque paulo post tractanda sunt, apparet aliud Ancyranae synodo tempus esse tribuendum.

Nec minus quod illi tam acriter pugnant indidem refellitur, Liberium papam priori illi fidei professioni subscripsisse, quae in Sirmiensi synodo contra Photinum est emissa. Quippe aliquot annis non Liberii modo restitutionem, sed exilium ipsum Photiniana damnatio praecessit. Fecerit Liberius, necne, quod fecisse plerique veterum patrum, ut Athanasius, Hieronymus aliique consentiunt, nihil ad institutam disputationem attinet. Etenim fieri potest, ut cum Ursacio, Valente ac reliquis Arianis communicaverit quidem et Athanasium damnaverit, sed haereticae pravitati nequaquam subscripserit, haeretici vero etiam comprobatam ab p. 316.

illo haeresin falso iactaverint. Hoc vero certissimum est, neque priori illi contra Photinum editae subscripsisse, et, si ex tribus Sirmiensibus aliquam admiserit, non aliam quam secundam, cui et Osius assensus est, comprobasse. Ac mihi quidem purgandi ab omni haeresis suspicione Liberii expedita quaedam ratio et facilis occurrit, si oblatam quidem illi secundam Sirmiensem ἔκθεσιν dixerimus, non integram tamen, aut cuiusmodi apud Socratem et Athanasium atque Hilarium legitur, sed priorem eius partem, in qua τοῦ ὁμοουσίου et ὁμοιουσίου vocabula reticenda esse decernitur, quod pacis ac quietis studio complexus est. Verum Ariani eidem formulae reliqua postmodum intexuerunt ac specioso Romani pontificis nomine et autoritate suum dogma venditarunt. Dicam amplius, ne isti quidem professioni subscripsisse Liberium, sed alteri cuidam, qua id unum caveretur, ne quis consubstantialis vocabulo in posterum uteretur. Quod cum de catholica severitate Liberius remisisset et Athanasii insuper damnationi consensisset, visus est in haeresin prolapsus, eaque postmodum opinio Arianorum fraudibus et calumniis percrebuit, cum Sirmiensem fidei formulam eodem tempore publicantes eam ipsam cui assensus erat Liberius illam esse mentiti sunt. Cuius rei coniecturam ex Sozomeno licet capere, qui lib. IV. cap. XIV. scribit, cum a Liberio Valens et Ursacius consensionem expressisset, vicissim ab eo professionem accepisse alteram, qua illi damnarentur omnes, qui non substantia caeterisque similem patris esse filium assererent. Tum addit Eudoxium ac reliquos Anomoeos, qui Antiochiae versabantur, cum Osii epistolam, hoc est Sirmiensem formulam accepissent, id in vulgus sparsisse, Liberium τὸ ὁμοούσιον repudiasse ac dissimilem patris asseverasse filium. Quocirca perspicuum est Liberium professioni illi Sirmiensi, quam Osii et Potamii blasphemiam appellat Hilarius, minime subscripsisse, in qua nominatim τὸ ὁμοιούσιον, quemadmodum et τὸ ὁμοούσιον reiectum est, imo vero et οὐσίας nomen ipsum, ac praeterea pronunciatum, patrem honore, dignitate, claritate et maiestate maiorem esse filio, qui patri cum omnibus ab eo sibi subiectis sit ipse subiectus. Quomodo enim haec approbari a Liberio potuerunt, qui conceptis verbis patri per omnia, adeoque τῇ οὐσίᾳ similem esse filium edixerit? Sed nimirum simplicem ab eo controversi vocabuli suppressionem cum extorsissent, caetera ad illam adiunxerunt, eaque res ob damnati praesertim Athanasii invidiam fidem apud Arianos perinde ac catholicos obtinuit.

p. 317. Hic mihi prae caeteris Hilarii autoritatem obiici posse video, qui in fragmentis a Nicolao Fabro editis epistolae Liberii, quam ad Orientales scripsit, quaque se a Demophilo fidem catholicam, quae apud Sirmium prodita est, didicisse narrat, ista subiicit: *Perfidiam autem apud Sirmium descriptam, quam dicit Liberius catholicam a Demophilo sibi expositam, hi sunt qui conscripserunt: Narcissus, Theodorus, Basilius, Eudoxius, Demophilus, Cecropius, Sylvanus, Ursacius, Valens, Macedonius etc.* Sed quicquid de fragmentis illis sentiendum sit, haec profecto subscriptio ab Hilarii manu esse non videtur, sed imperiti cuiusdam, qui Arianae sectae divortia non satis perspexerat. Etenim Basilius iste ac Silvanus, nec non et Macedonius ab Epiphanio caeterisque Semiarianorum principes censentur, quorum adversus Sirmiensem illam professionem acerrima studia ac contentiones extiterunt. Neque vero tum, cum ea est edita, Sirmii esse Basilius potuit, imo nec Eudoxius ipse, qui hanc ab Ursacio et Valente missam Antiochiae, ubi tum cum suis versabatur, accepit et a solis Occidentalibus conscriptam esse datis ad illos literis testatus est. Quae omnia supra copiose declarata sunt. De tertia fidei expositione quid statuendum sit dicemus ad num. XXII.

NOVA QUAEDAM EX VETERUM PATRUM TESTIMONIIS REI GESTAE SERIES EXPONITUR.

Pergam de historiis et annalibus ecclesiasticis bene mereri, ac quemadmodum dirigi veritatis ad amussim debeant, proponam hoc loco breviter, ut hac offensione sublata rectam deinceps viam omnes insistant. Initium a concilio Sirmiensi capiam, quod contra Photinianum dogma collectum a Constantio est. De quo verissimum esse statuo, quod Socrates ac Sozomenus scripserunt, celebratum esse Sergio ac Nigriano coss. anno Christi CCCLI., quod sine dubio ex actis concilii Sirmiensis compertum habuerant. Hoc enim e superioribus abstulimus, praesertim ex historia Sulpitii, synodum illam ante Arelatense et Biterrense concilium indictam fuisse, hoc est ante annum CCCLIII. Igitur in annum illum convenit, quem historici veteres adnotarunt. Sed in eo hallucinati sunt, quod cum triplex Sirmii edita esset fidei professio, uno eodemque tempore et a synodo decretas omnes existimarunt. At id secus esse habet. Nam in concilio Sirmiensi prima duntaxat illa dictata est, qua Photiniani errores damnantur, quamque ut piam ac catholicam descripsit atque explicavit Hilarius. Quanquam in eadem synodo adversus Athanasium aliquid praeterea decretum ab Arianis testatur Sulpitius. Autor vero Sirmiensis illius formulae non Marcus Arethusius, sed synodus ipsa, p. 318. ut Hilarius innuit. Nam a Marco tertia, ut suo loco dicetur, est conscripta. Post Sirmiense concilium convictumque ab Ancyrano Basilio et ab omnibus damnatum Photinum, cum iam Magnentius a Constantii legatis devictus esset, imperator anno CCCLIII. in Gallias profectus est. Ac tum Arelatense conciliabulum celebratur, in quo plerique catholici praesules exulare iussi, grassante Saturnini perfidia.

Inde anno CCCLV. Arbetione et Lolliano coss. cum iam Constantius Mediolanum pervenisset, synodus ibidem est habita, caeteraque gesta, quae a Baronio diligenter explicantur. In reliquis nutant Annales.

Anno CCCLVII. Sirmii, quo imperator anno superiore sese contulerat, nova fidei expositio paucis ab Arianis episcopis, praesertim occidentalibus, procuditur, quorum principes erant Ursacius et Valens. Cui mox invitus ac renitens licet subscribit Osius, non tamen Athanasium ut damnaret adduci potuit; quod in Epist. ad Solit. Athanasius ipse confirmat. Contigit haec Osii calamitas affecto iam anno CCCLVII. Quippe post annum integrum, quam Sirmii a Constantio detentus erat, Arianae professioni assentiri coactus est. At Constantius Iunio, vel Iulio duntaxat mense anni superioris Sirmii esse potuit, ut supra probatum est. Quare circa idem tempus anno sequente extorta videtur ab Osio perfidiosa illa confessio. Est autem ea ἔκθεσις Sirmiana, quam secundam omnes numerant quaeque ab Hilario blasphemia Osii ac Potamii nominatur. Huius cum Arianos postea poenituisset, operam dederunt, ut ea ubique supprimeretur, interposita etiam imper. potestate, qui supplicium iis, qui illam penes se retinerent, interminatus est. Autor Socrates lib. II. cap. XXV. Per idem tempus Liberius pontifex, qui in Mediolanensi concilio ante biennium, hoc est anno CCCLV., Beroeam gloriosissime relegatus fuerat, Constantii imperat. et Arianorum fraudibus ac terroribus infractus, simul recuperandae sedis et patriae desiderio, Sirmium evocatus Athanasii damnationi subscripsit unaque fidei professionem dedit, qua τοῦ ὁμοουσίου vocabulum concordiae gratia reticeretur, licet filium patri substantia omnibusque in rebus similem esse defenderet. Quam occasionem Valens et Ursacius nacti

secundam illam perfidiae plenam fidei professionem, tanquam a Roman. pontifice comprobatam, ubique disseminarunt et imprimis ad Eudoxium eiusque sodales Anomoeos Antiochiam miserunt. Qua re audaciores illi facti Aëtianum dogma, quod timide hactenus diffidenterque praedicabant, palam divulgare coeperunt. Ex quo magna per Orientem ac Syriam perturbatio consecuta. Cuius gratia Georgius Laodicenus epistolam scripsit ad Basilium Ancyranum, qui ad ecclesiae, quam nuper a fundamentis excitarat, encaenia finitimos episcopos conciverat admonens, ut cum collegis suis grassantem Anomoeorum impietatem synodico decreto iugularet. Ex iis labi illos opinione constat, qui ex Theodoreto colligunt, Liberium ab exilio revocatum esse eodem illo anno, quo Constantius Romae degens a matronis interpellatus est. Siquidem nonnisi post biennium, quam electus fuerat, restitutus est Liberius. At anno CCCLV. Mediolani, uti dictum est, imperator sententiam in illum dixit, et post Osii lapsum Sirmium accitus est. Quare ita Theodoretus interpretandus est, ut tum quidem Constantius matronis spem illius restituendi fecerit, sed id altero deinde anno praestiterit.

p. 319.

Anno CCCLVIII. Basilius Ancyranus acceptis Georgii literis cognitisque, quae Sirmii a Valente et Ursacio gesta fuerant, cum ad ecclesiae, uti dictum est, consecrationem conventum haberet episcoporum, Ancyranam synodum celebrat, in qua Sirmiensis Osii ac Valentis et caeterorum condemnata fidei formula est, statutumque, patri filium substantia esse similem. Qua ex synodo literae scriptae sunt ad Phoenices et Syros, ubi Eudoxii Antiocheni studio Anomoeorum perfidia flagrabat, quas Epiphanius recitat. Deinde legati ad imperatorem Sirmium missi, Basilius ipse, Eustathius Sebastenus, Leontius Cyzicenus, qui Eudoxianorum illic disturbatis consiliis imperatorem perpulerunt, ut adversus Eudoxium et Anomoeos ad Antiochenos scriberet. Tum autem, nisi fallor, accidit illud quod e Socrate supra retulimus, ut imperatoris mandato Osiana illa sive secunda Sirmiensis abrogaretur formula, cum Basilius Semiarianorum signifer plurimum apud imperatorem gratia et autoritate posset. Atque ad orientales illos tumultus novamque haeresim exterminandam Constantius synodum autore Basilio Nicomediam indixit. Quae cum terrae motu concidisset, ac subinde Nicaeam, quo episcopos convocari placuerat, eadem calamitas afflixisset, tandem Basilius imperatoris literis cum episcopis aliis de idoneo loco deliberare iussus, cum inter illos minime conveniret, Sirmium ad imperatorem advolat. Ibi Arianos episcopos reperit, Marcum Arethusium, Georgium Alexandrinum, Valentem et caeteros. Quorum omnium consilio Constantius Seleuciam in Isauria ad synodum delegit. Verum Eudoxii, Acacii, Valentis, Ursacii Anomoeorum opera factum est ut divisis episcopis, occidentales quidem Arimini, orientales vero Seleuciae congregarentur. In hoc Arianorum principum congressu accidit, quod Hilarius libro de Synodis narrat, ut orientales episcopi, qui Sirmiensi blasphemiae restiterant, autores eius compellerent ut subscribendo damnarent, quod fecerant. Quinetiam ex eodem Hilario colligitur, posteaquam dividi synodum placuit, principio Ancyram ad orientalium consessum delectam fuisse. Scribit enim his verbis: *Sed maxime cum comperissem synodos in Ancyra atque Arimino congregandas et ex singulis provinciis Gallicanis binos vel singulos eo esse venturos.*

Cur autem in annum CCCLVIII. non superiorem, ut caeteri omnes, Ancyranam Semiarianorum synodum contulerim, docebunt allatae a me ante rationes, ex quibus necessario haec temporum partitio deducitur.

Anno demum CCCLIX. tertia illa Sirmiensis formula a Marco Arethusio, consentientibus Semiarianis, edita est, uti pluribus postea declarabitur. Qua con-

scripta Valens ad Ariminensem synodum eam detulit, quae hoc anno ab Occiden- p. 320.
talibus habita, cum Orientales Seleuciae in Isauria convenissent.

'Εκ διαφόρων ἐπαρχιῶν.] Ancyrana ista synodus non a solis illis, qui ad encaenia convenerant, episcopis habita est, sed alii praeterea adfuerunt aliarum provinciarum episcopi, velut Eustathius Sebastiae in Armenia; plerique autem hiemis difficultate interclusi sunt.

Καὶ τὰ ἐπὶ τῆς Κωνσταντινουπόλεως.] Post concilia Tyri ac Hierosolymis ab Arianis celebrata, cum Athanasius Constantinum adiisset, huius literis Constantinopolim acciti sunt episcopi, quorum opera relegato in Gallias Athanasio Marcellus deponitur. Vide Socratem lib. I. cap. XXIII. Quod anno CCCXXXVI. contigisse scribit Baronius.

'Επὶ τοῖς ἐγκαινίοις τῆς ἐν 'Αντιοχείᾳ.] De hac synodo legendi Baroniani Annales anno CCCXLI.

Καὶ μετὰ ταῦτα κατὰ Σαρδικήν.] Sardicensem synodum non oecumenicam illam et catholicam intelligunt, in qua Athanasius restitutus, damnati vero Ariani episcopi, sed conciliabulum eodem tempore ab Arianis Philippis in Thracia celebratum, quod Sardicensis nomine venditarunt. Cuius decretum extat in fragmentis Hilarii ad Africanos episcopos missum. Sozomenus lib. III. cap. X. autor est, constitutum in ea synodo ab Arianis esse, uti *consubstantialis* vocabulum a nullo deinceps usurparetur. Tum damnatos eos qui tres deos esse dicerent, vel Christum negarent deum, aut eundem esse patrem, filium et spiritum sanctum asserent, postremo qui fuisse tempus saeculumque crederent, quo nondum filius existeret. Socrates vero lib. II. cap. XX. de iisdem agens, Καὶ φανερῶς, inquit, λοιπὸν τὸ μὲν ὁμοούσιον ἀναθεματίζουσι, τὴν δὲ τοῦ ἀνομοίου δόξαν ἐπιστολὰς συγγράψαντες πανταχοῦ διαπέμπονται: *Manifeste tum consubstantialis vocem anathemate damnant, opinionem vero, quod filius patri dissimilis esset, per literas scriptas ubique disseminare coeperunt.* Itane verum est vel anathemate damnatam *consubstantialis* vocem, vel Anomoeorum dogma tum ab Arianis fuisse decretum? Imo vero falsum est. Non enim, opinor, Semiariani τοῦ ἀνομοίου osores acerrimi fidem in illa synodo reflоruisse dicerent, si in ea istud ipsum, cuius evertendi caussa convenerant, sacrilegium publicatum esset. Nam quod ad ὁμοουσίου vocem attinet, certum est eam quidem in Sardicensi pseudosynodo suppressam, non tamen anathemate damnatam. Quandoquidem in caeteris Arianorum conventibus, qui postea subsecuti sunt, tametsi consubstantialis appellatio ipsa dissimulata sit, non tamen ita repudiata, ut anathemati subiiceretur, sed tanquam simplicius ac praeter expressam sacrorum librorum autoritatem usurpata supprimi iuberetur. Quo etiam illud spectat, quod supra ex Sulpitio commemoravimus, Arianos ad Sirmiensis usque concilii tempora nondum aperte Nicaeni concilii decreta oppugnare ausos esse, quod profecto facerent, si non solum τὸ ὁμοούσιον anathemate damnarent, verum etiam dissimilem esse patris filium libere aperteque pronunciarent. Itaque Sozomeno potius assentiendum quam Socrati. Etsi apud hunc in editione novissima Graecolatina pro τὴν τοῦ ἀνομοίου δόξαν rescriptum est, τὴν τοῦ ἀνομουσίου δόξαν. Quod si ex veterum codicum autoritate factum est, non improbo.

Εἰ μὲν καὶ λογισμοῖς.] Corr. ἔτι μὴν καὶ λογ. Ostendit Basilius se de Sardi- p. 321.
censi illo Orientalium et Occidentalium dissidio opus quoddam elucubrasse.

'Ελπίζομεν διὰ τὸ τολμηρόν.] Forte leg. ἠλπίζομεν.

'Εκθέσθαι εἰς τοῦτο τὸ εἶδος.] Hoc est in formula professioneque fidei nominatim eius, quod ab haereticis oppugnatur, mentionem adiicere.

N. III. Καθαρῶς τὴν τοῦ ἐξ ἀσωμάτου.] Leg. εἰς τὴν τοῦ.

N. V. Ὡς ὁ τετοκὼς βόλους δρόσου.] Quaedam exemplaria pro βόλους perperam βώλους exhibent, hoc est *glebas*. Nam Hebraice scriptum est אגלי טל *stillas roris*. Apud Nazanzenum Orat. XXXIV. circa finem interpres *glebas* vertit, quasi βώλους exscripserit Nazanzenus. Atqui non modo in excusis, sed etiam in vetustissimo Reg. βόλους apud Nazanz., non βώλους, extat. Gregorius Magnus lib. XXIX. Moral. cap. XV. *stellas roris* legisse videtur, quod mendosum est. Contra Ezech. XVII., 10. βόλος apud LXX. scribitur, ubi βῶλος substituendum σὺν τῷ βόλῳ τῆς ἀνατολῆς αὐτῆς ξηρανθήσεται. Hieron. ex LXX. *cum gleba germinis sui arescet*, quod et Theodoretus agnoscit. Rectius editio nostra: *in areis germinis sui arescet*. Nam Hebraice est בערוגת, id est *area*. Atqui articulus ipse masculini generis, qui etiam apud Theodoretum βώλῳ praefigitur, βόλῳ scripsisse LXX. interpretes demonstrat.

N. X. Καὶ εἴτις τῇ σοφίᾳ.] Sequuntur anathematismi, paululum ab iis diversi quos ex eadem Semiarianorum synodo recitat Hilarius.

N. XI. Καὶ εἴ τις ἐξουσίᾳ καὶ οὐσίᾳ.] Postremus hic anathematismus apud Hilarium non comparet, qui sine dubio haereticus est, quatenus consubstantialem esse patri filium negat, hoc est neque ὁμοούσιον, neque ταυτούσιον esse, definit. Sed ὁμοούσιον propterea repudiari a se professi sunt Semiariani, *quia per verbi huius enunciationem substantia prior intelligeretur, quam duo inter se partiti essent*, ait Hilarius. Tum quod *patres illi, qui Paulum Samosatenum haereticum pronunciarunt, etiam homousion reiecerunt, quia per hanc unius essentiae suncupationem, solitarium atque unicum sibi esse patrem et filium praedicabat.* Postremo quia novum nec in scripturis usurpatum hoc vocabulum erat. Quibus omnibus erudite Hilarius occurrit. Verum cum de re ipsa cum catholicis consentire viderentur, de voce duntaxat dissidere, plurimum a sanctis patribus commendati ac pro orthodoxis propemodum agniti sunt, ut ex eodem Hilario constat. Quin et Athanasius lib. de Synodis Arim. et Seleuc. de illis ita loquitur: πρὸς δὲ τοὺς ἀποδεχομένους τὰ μὲν ἄλλα πάντα τῶν ἐν Νικαίᾳ γραφέντων, περὶ δὲ μόνον τὸ ὁμοούσιον ἀμφιβάλλοντας, μὴ ὡς πρὸς ἐχθροὺς διακεῖσθαι· καὶ γὰρ καὶ ἡμεῖς οὐκ ὡς πρὸς Ἀρειομανίτας, οὐδ' ὡς μαχομένους πρὸς τοὺς πατέρας ἐνιστάμεθα, ἀλλὰ ὡς ἀδελφοὶ πρὸς ἀδελφοὺς διαλεγόμεθα, τὴν αὐτὴν μὲν ἡμῖν διάνοιαν ἔχοντας, περὶ δὲ τὸ ὄνομα μόνον διστάζοντας etc. Quanquam superior anathematismus Arianam perfidiam redolet, cum asserit, patrem non ἐξουσίᾳ solum, sed οὐσίᾳ, filii patrem esse, quod omnino falsum est et haereticum. Neque enim pater in filium, quatenus deus est et ab eius οὐσίᾳ procedit, ἐξουσίαν ullam, aut potestatem obtinet.

N. XII. Τὸ τῆς οὐσίας ὄνομα.] Non mediocrem Epiphanio fraudem attulit omissa in hoc loco a librariis interpunctio. Nam post Synodicam Ancyrani con-
p. 222. ciliabuli, quae ab hoc numero deinceps sequuntur, prout vulgo concepta lectio est, Epiphanii esse videntur; nec aliter ex Graecis codicibus, tam typis excusis quam scriptis, adeoque ex Cornarii interpretatione suspicari possis. Quod nos ipsi cum Latina dictaremus expressimus. Quid enim tum aliud possemus, cum ad Graecum contextum Latina, quoad fieri potest, accommodanda sint, et si quid illic paulo vehementius depravatum occurrerit, id in notas coniiciendum potius videatur quam sine veterum autoritate communis in contextu ipso solicitanda lectio. Cum hoc igitur in Latina nostra interpretione retinendum putaverimus, hic lectorem gravissimi et a nullo animadversi hactenus erroris admonebimus, simulque Epiphanium nostrum ab invidia omni ac culpae suspicione liberabimus. Neque enim profecto dubitandum est quin si ista scripserit Epiphanius, Semiarianorum,

quos hac in haeresi vel acerrime impugnat, fautor ac patronus extiterit, minimeque catholicus. Etenim nihil aliud tota hac narratione usque ad num. XXIII. pugnat, quam ὅμοιον κατὰ τὴν οὐσίαν, id est substantia similem esse patris filium; de ὁμοουσίῳ vero altum ubique silentium. Praeterea hoc ipso numero sub finem ait, filium ἀκούειν τοῦ πατρὸς, καὶ ὑπουργεῖν τῷ πατρὶ, *auscultare*, hoc est *obedire et ministrare patri*. Itemque num. XVIII. pater dicitur αὐθεντικῶς ποιεῖν, filius οὐκ αὐθεντικῶς, ἀλλ' ὑπουργικῶς. Quod nemo nisi Arianus dixerit. Tum ubique adversus Anomoeos solos disputat, quam τὴν νῦν ἐπιφυομένην αἵρεσιν vocat, *super exortam haeresim*; ut num. XIII. autores ipsos καινοὺς αἱρετικούς. Item num. XV. Constantium magnopere collaudat, quod filium patri per omnia similem esse pronunciaverit, *ut nos*, inquiunt, *catholici credimus*. Itane aut catholicus ab Epiphanio habitus est Constantius, aut catholicum illud est dogma, sine ulla consubstantialis mentione filium patri duntaxat similem esse substantia? Nunquam id Epiphanius scriberet. Quare frustra hactenus omnes arbitrati sunt haec Epiphanii esse, quae sunt Basilii ac Semiarianorum. Quod quidem tam certo a nobis demonstrabitur, nemo ut refragari possit, nisi qui meridie lucere neget. Igitur num. X. sub finem duas se epistolas subiicere profitetur, unam Basilii, alteram Basilii ac Georgii Laodiceni caeterorumque Semiarianorum. Harum prior a num. XI. ad XII. usque subtexitur. Secunda nulla alia est, nisi quae ab hoc ipso num. XII. deinceps sequitur. Quod sane citra ambagem omnem Epiphanius ipse significat, qui num. XXIII. post longam illam disputationem a XII. numero propositam ita loquitur: Αὗται αἱ ἐπιστολαὶ μετετάγησαν πρὸς τὸ εἰδέναι ἕκαστον τῶν φιλολόγων: *Hae porro epistolae a nobis hic attextae sunt etc.* Ergo plures antecesserunt epistolae. Quaenam autem altera est, nisi illa quam diximus, quae a num. XII. ad XXIII. exclusive continetur? Ita profecto sese res habet. Librariorum ea culpa fuit, qui priori epistolae synodicae subscribenda haec putarunt omnia: Ἐκληρώθη τῶν περὶ Βασίλειον, καὶ Γεώργιον ὁ ὑπομνηματισμός. Quod esse falsum, unum illud argumento est quod non a Georgio synodica illa scripta est, sed eo absente, eiusque literarum occasione a Basilio ac reliquis Ancyrae congregatis est edita, ut initio testantur. Quamobrem ita distinguendum est Ἐκληρώθη. Hoc est: *Hactenus epistola synodica.* Tum quod reliquum est lemma est sequentis dissertationis: τῶν περὶ Βασίλειον καὶ Γεώργιον ὁ ὑπομνηματισμός: *Basilii ac Georgii commentarius.* Non enim tam est epistola, quam fidei uberior expositio, cum eorum narratione, quae in nova Sirmii componenda formula inter p. 223.
Ursacium, Valentem et Basilium, Georgium ac Semiarianos reliquos acciderunt. Quanquam potuit hic ipse commentariolus epistolae instar ab orientalibus Semiarianis ad Ariminense concilium et occidentales episcopos mitti. Nam sub idem tempus perscriptus videtur quo Valens ei formulae subscribere ab imperatore coactus est, quae filium per omnia patris esse similem asserebat, ut ex num. XXIII. constabit, ad quem nonnulla, quae huc pertinent, conferemus. Vides, lector, quanti momenti res tam levi ex observatione consecuta sit, ut haereticorum disputatio, quae perperam Epiphanii sese nomine et autoritate venditabat, tandem longo intervallo cognita ac suis autoribus reddita fucum lectoribus facere tanti nominis specie ac simulatione desierit.

N. XXII. Εἰς τὴν ἐκτεθεῖσαν πίστιν.] Haec vel ab Epiphanio ad superiorem Semiarianorum commentariolum addita, vel ipsius commentarioli sunt, in quo praeter expositionem fidei acta nonnulla Basilius ac Georgius praescripserant; quod posterius magis arridet. Sciendum est autem πίστιν illam, de qua loquitur, esse professionem illam tertiam quae Sirmii est edita, quam Socrates et Sozo-

menus falso in Sirmiensi synodo conscriptam asseverant. Nata est enim anno demum CCCLIX. Eusebio et Hypatio coss. XI. Kal. Iunias, ut Athanasius lib. de Synodis docet. Qui dies prid. pentecostes fuit, quod Epiphanius hoc in loco testatur. Vide quae Nicolaus Faber praef. ad Hilarii fragmenta disputat pag. 375. Igitur post Ancyranum concilium Basilius aliique Semiarianorum legati Sirmium ad imperatorem profecti literas ab eo contra Eudoxium et Anomoeos expresserunt. Tum de eorundem consilio imperator ad res Antiochenae ecclesiae componendas, quam Eudoxius praeter canones occuparat, simul ad Aëtii et Anomoeorum profligandam impietatem, novam synodum congregare statuit, quod supra in annorum synopsi declaravimus. Postea cum de urbe, in qua consessus haberi posset, nequaquam episcopi convenirent, Basilius anno CCCXLIX. rursus ad imperatorem Sirmium advolat. Prior enim profectio in annum superiorem, quo et Ancyranum concilium celebratum est, incurrit. Ibi cum Ursacium, Valentem, Marcum Arethusium, Georgium Alexandrinum, Germinium aliosque factionis Arianae principes offendisset, cum illis congressus est, ac post longam altercationem demum allaborante Constantio in eam fidei professionem consensum ab omnibus est, ut οὐσίας et ὁμοουσίου abolitis vocibus filium patri per omnia similem affirmarent. Cui Valens invitus subscripsit, Basilius vero, quod impetrare minime potuisset, ut in formula ipsa *substantia similis* diceretur filius, in subscriptione sua quid sentiret testatum voluit, ut hoc loco narrat Epiphanius. Valens cum hac formula fidei statim ad Ariminense concilium perrexit. Inter Hilarii fragmenta exstat epistola Germinii, ex qua illud praeterea cognoscitur: cum praesente Constantio longius ad noctem usque prolata esset de fide disputatio et ad certam regulam perducta, Marcum Arethusium ab utraque parte esse delectum, a quo Sirmiensis illa formula dictata, cui coss. praefixi sunt. Ex quibus apparet Germinium, cum hactenus Anomoeorum perfidiae cum Valente et
p. 324. Ursacio fuisset, quibuscum etiam Hosium ad ὁμοουσίου et ὁμοιουσίου tollendas e medio voces adegerat, ut lib. IV. cap. XI. scribit Sozomenus, ab illis paululum dissensisse et suppressa τῆς οὐσίας mentione filii per omnia cum patre similitudinem agnovisse.

Γερμανοῦ, Ὑπατιανοῦ.] Alii Γερμανίου. Sed Γερμινίου leg.

N. XXIII. Διηνέχθησαν οὖν οἱ αὐτοί.] Basilius Ancyranus post Sirmiensem synodum, in qua strenuam adversus Photinum operam navaverat, apud imperatorem gratia plurimum et autoritate valuit. Nam ab Ancyrano concilio ad illum allegatus nihil non obtinuit, adeo ut Eudoxium eiusque suffragatores imperatoris edicto percelleret. Mox in Ariminensi et Seleuciensi synodo congregandis praecipuas partes egit. Verum paulo post Acacii factione delectus non modo imperatoris gratia, sed episcopatu insuper excidit. Flagrabant per illa tempora non solum inter Arianos et catholicos, sed inter ipsos Arianos dissidia. Quorum duae potissimum factiones erant. Quidam enim ex illis meri dogmatis fautores nihil, quod ad οὐσίαν et substantiam pertinet, commune esse filio cum patre sentiebant, ideoque tam ὁμοιούσιον quam ὁμοούσιον repudiabant, nec ullam omnino τῆς οὐσίας mentionem admittebant; pro eo ac pluribus in illorum conciliabulis decretum fuerat maxime in secunda Sirmiensi formula, quam Osii et Potamii blasphemiam Hilarius appellat. Horum principes erant Eudoxius, qui Antiochenam sedem occuparat Aëtii patronus, Georgius Alexandrinus, Euzoius, qui Antiochiae post exautoratum Meletium suffectus est, nec non Acacius Caesariensis, Uranius Tyri episcopi, in Occidente vero Ursacius et Valens, Germinius aliique innumeri. Quod enim Aëtianam perfidiam cum Eudoxio Acacius caeterique propugnaverint,

testatur Sozomenus lib. IV. cap. XI. Alii vero ex eodem Arianorum grege a magistri sui impietate paululum desciscentes οὐσίας vocabulum et filii in omnibus adeoque in substantia similitudinem agnoscebant. Quorum signiferi ac duces erant Basilius Ancyranus, Georgius Laodicenus, Silvanus Tarsensis, Sophronius Pompeiopolitanus, Eleusius Cyzicenus, Macedonius Constantinopolitanus, et, ut Socrates ac Sozomenus volunt, etiam Cyrillus Hierosolymitanus. Haec duo Arianae sectae capita fuerunt, quorum in dogmate ipso dissensio versabatur. Tertia deinde non tam ex erroris varietate, quam ex odiis et offensionibus exorta factio est, Acacianorum videlicet. Etenim Acacius Caesariensis cum Meletio et Uranio Tyrio, Eutychio Eleutheropolitano et aliis quibusdam suas ipse partes constituit, ac Semiarianorum ducibus acerrime restitit in Seleuciensi concilio. Qui in eo, ut opinor, ab Eudoxio aliisque praefractis Aëtianis discrepabat quod filium creaturam esse, aut patris dissimilem etsi perinde atque illi sentiret, non tamen libere audacterque profiteretur. De his consule Socratem lib. II. cap. XXXI. et sequentibus. Theodoret. lib. II. cap. XXVII., Sozom. lib. IV. cap. XXI. ac deinceps.

Τῶν περὶ Βασίλειον, φημὶ, καὶ Γεώργιον, καὶ Σιλουανόν.] Hunc ipsum Silvanum refert Theodoretus lib. II. cap. XXVII. τὸ ὁμοούσιον coram imperatore defendisse. Quod valde miror. Nam in Seleuciensi conciliabulo hunc unum adversus Acacianos pertendit, ut Antiochena formula retineretur, ait Socrates lib. II. cap. XXXII. Quid autem in animo habuerit is qui οὔσιον apud Theodoretum pro ὁμοούσιον re- p. 235.
ponendum censuit, docere ipse debuerat. Nam vox illa οὔσιος non est nauci.

Οἱ περὶ Εὐδόξιον.] Corrupta sine dubio neque satis integra ista sunt. Neque enim Eudoxius ac Georgius Alexandrinus a Basilii aut Semiarianorum partibus stetere, quibus cum vehementissime contendebant. Nos quae desunt in Latino supplevimus.

Καὶ Οὐρανίῳ τῷ Τυρίῳ.] Apud Socratem saepius *Ursacius* pro *Uranio* perperam substitutus est.

Τότε κατασταθέντων κατ' αὐτῶν.] Leg. ut est in margine, κατασταθέντα. Nam deposito in Seleuciensi concilio a Basilio et Semiarianis Eudoxio suffectus est Anianus, qui ab Acacianis per Lauricium et Leonam in exilium electus est. Socrates lib. II. cap. XXXII.

Διὰ τὴν πρὸς τὸν Κύριλλον ἔχθραν.] Expungenda omnino negandi particula. Nam Eutychius pro suo in Cyrillum odio sese ad Acacium aggregavit; quocum Cyrillum Hierosolymitanum de episcopatu dimovit.

N. XXV. Οἱ συνελθόντες ἐπίσκοποι.] De Seleuciensi conciliabulo, quod Ariminensis ἀντίμιμον appellat Socrates, vide cum Socratem ipsum, tum reliquos omnes ecclesiasticarum rerum et annalium scriptores.

Celebrata est Seleuciensis synodus anno Christi CCCLIX. Eusebio et Hypatio coss. coram Lauricio et Leona comitibus, quos ei moderandae Constantius praefecerat. Primus consessus celebratus est Sept. XXVII. quo die altercationes extiterunt, quod iubente Leona ut de fide sententiam ferrent, negarent absentibus Basilio, Macedonio, Patrophilo ac caeteris, qui male sibi conscii tum aberant, quicquam posse decerni. Sed instante nihilominus Leona, cum de quibusdam qui accusati erant cognitionem habendam ante episcopi statuerent, quam de fidei dogmatibus ageretur (delati enim erant Cyrillus Hierosolymitanus, Eustathius Sebastenus et alii nonnulli), pervicit tandem comes, ut de fide quaerendum prius esse videretur. Ibi Acacio novam fidei formulam et Nicaenae penitus contrariam offerenti Silvanus caeterique Semiariani vehementissime restiterunt. Quare Aca-

cianis inde digressis lecta est Antiochena ἔκθεσις. Quam postridie in Seleucensi ecclesia occlusis foribus subscriptione sua comprobarunt. Sequenti luce, quae synodi tertia fuit, cum iam Basilius et Macedonius interessent, Acacius cum Leona ingressus primum obtinuit, ut illi ipsi qui accusati erant ab eo coetu summoverentur. Deinde novam fidei formulam per Leonam proposuit, quam Epiphanius recitat. Sed reclamantibus caeteris cum nullus contentionum ac simultatum exitus esset, Leonas ad concilium redire noluit, ut nec Acaciani, qui ob contumaciam a Semiarianis depositi sunt. At illi Constantinopolim ad imperat. profecti, hunc adversus Basilium, Georgium Laodicenum reliquamque factionem maiorem in modum concitarunt. Plura de his Socrates.

Πρὸ πέντε Καλανδῶν ὀκτώ.] Post ὀκτὼ interpungendum, ut sit dimidiata vox pro Ὀκτωβρίων.

Καθὼς καὶ ὁ λαμπρότατος.] Apud Socratem cap. XXXI. Leonas dicitur εἷς τῶν
p. 336. ἐν βασιλικοῖς ἐκφανῶν, Lauricius vero τῶν κατὰ τὴν Ἰσαυρίαν στρατιωτῶν ἡγούμενος, Theodoreto ὁ τῶν στρατιωτῶν τοῦ ἔθνους ἡγεμών. Quos cum λαμπροτάτους synodus appellet, *clarissimos* interpretari malui quam, ut Cornarius, *illustrissimos*. Nam ut de Leona taceam, de quo nihil comperi, Lauricius certe ἔθνους ἡγεμών, hoc est Isauriae praeses fuit, quem ne clarissimum quidem fuisse, sed perfectissimum potius Guida Pancirolus Notitiae cap. CXV. putat.

N. XXVI. Ὑπέγραψαν οἱ παρόντες.] Tam hoc a vero alienum est quam quod maxime. Nunquam Basilius aut Marcus Acacianae isti formulae subscripsit, ut nec Occidentis episcopi, qui Arimini, non Seleuciae convenerunt. Deinde quorsum bis Georgii ac Pancratii repetita subscriptio? Atqui non aliter Epiphanium scripsisse aut sensisse necesse est quam ut professioni illi Basilius, Marcus aliique subscripserint. Nam in fine subscriptionum episcopos numerat XLIII., quot revera sunt, si Basilium, Marcum reliquosque complectimur. Socrates autem cap. XXXI. non plures quam XXX. cum Acacio, Georgio Alexandrino, Uranio et Eudoxio conspirasse in eam formulam refert, ut in totum sint XXXIV. Satis igitur constat haec postrema, ὁμοῦ ἐπίσκοποι μγ', Epiphanii non esse, si hunc ab erroris culpa liberare velimus, neque porro priores illos, Basilium, Marcum, Hypatianum et occidentales episcopos Acacianam ἔκθεσιν approbasse. Quare aut eorum inducenda nomina, aut ita legendum est: γνωρίζουσιν οἱ ἐντυγχάνοντες τῇ πίστει, ᾗ ὑπέγραψαν οἱ παρόντες, Βασίλειος etc., καὶ οἱ πλείστοι ἐπίσκοποι τῆς δύσεως. Tum Γεώργιος ἐπίσκοπος etc. Affirmant enim Acaciani editam a se fidei confessionem cum ea consentire formula, in quam Sirmii cum Valente, Ursacio et Occidentalibus convenere Basilius, Marcus, Georgius aliique, quos Germinius in epistola, quae inter Hilarii fragmenta reperitur, enumerat, nempe Georgium Alexandrinum, Pancratium Pelusinum, Basilium Ancyranum, Valentem, Ursacium et Marcum. Restituenda enim Pancratii vox est in Germinii epistola, ubi ita scriptum est: *et Georgio episcopo Alexandrinorum ecclesiae * * Pelusinorum.* Imo vero fieri potest ut Hypatiani quoque nomen a Germinio commemoratum exciderit. Nam Epiphanius in calce num. XXII. inter eos, qui Sirmiensi formulae subscripserunt, affuisse narrat cum caeteris Hypatianum, qui Heracleae fuit episcopus, ut ait Sozom. lib. VI. cap. VII. Ubi obiter emendandus est, dum ait Macedonianos, qui postea Lampsaci convenerunt, Valentiniano et Valente imperantibus fuisse ὁμοουσίου propugnatores. Legendum est enim ὅσοι ἄλλοι ὁμοιούσιον τῷ πατρὶ τὸν υἱὸν λέγειν ἠξίουν. Est enim non Sozomeni error, sed librarii.

Εὐστάθιος ἐπίσκοπος Ἐπιφανίας.] Scrib. Ἐπιφανείας. Quo nomine complures

censentur. Est enim ad Orontem una, altera ad Euphraten, alia in Cilicia, ut de reliquis sileam.

Εὐδόξιος ἐπίσκοπος.] Non alium opinor esse quam Antiochenum. Hic enim coniunctam cum Acacio caussam habuit, cum eoque in Seleuciensi conventu a Semiarianis in ordinem redactus vicissim illos in Constantinopolitano concilio perculit. Sed si is est, mirum valde, quomodo non post Georgium saltem Alexandrinum subscripserit, qui utique ante orientales et Syros episcopos nominandus fuit. p. 327.

Παγκράτιος ἐπίσκοπος Πηλουσίου.] Qui et Sirmiensi tertiae professioni cum Marco, Basilio ac caeteris subscripserat.

N. XXVII. Οἱ νουνεχεῖς ταύτην.] Variae sunt ab Arianis diversis temporibus editae professiones fidei, quarum novem omnino ad Constantinopolitanum usque conciliabulum, quod a Seleuciensi proxime est habitum, recenset Socrates, sed et Athanasius lib. de Synod., ex quo tamen decem colliguntur. Quas hoc loco attingam breviter.

Prima fidei ἔκθεσις Antiochiae encaeniorum tempore scripta Marcellino et Probino coss. a. CCCXLI. ubi de οὐσίᾳ verbum nullum.

Secunda in eodem conciliabulo edita, paulo longior, ubi filium μονογενῆ θεὸν ac τῆς οὐσίας εἰκόνα nominarunt.

Tertia ibidem a Theophronio conscripta, quae et οὐσίας vocabulum supprimit.

Quarta paucos post menses per Narcissum, Marim, aliosque in Gallias ad Constantem missa. In hac damnati qui dicerent ἐξ οὐκ ὄντων τὸν υἱὸν, ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως, καὶ μὴ ἐκ τοῦ θεοῦ γενέσθαι, aut fuisse aliquando tempus, cum non esset.

Quinta post triennium in Italiam missa μακρόστιχος, hoc est longior appellata. Quam quidem Antiochiae contextam in annalibus reperio. Sed hoc neque Socrates ac Sozomenus neque Athanasius referunt. In qua τῆς οὐσίας mentio nulla.

Sexta in concilio Sirmiensi contra Photinum edita anno CCCLI., de qua in superioribus abunde dictum est.

Septima Sirmii anno CCCLVII. Latine scripta est, de qua, ut et de

Octava, quae Ariminum perlata est conscriptaque anno CCCLIX., satis antea disputavimus.

Nona est Acaciana Seleuciae proposita, quam cum Sirmiensi tertia consentire autores illius asserunt.

Decima Constantinopoli ab Acacio, Eudoxio, aliisque conflata. Quae οὐσίας et ὑποστάσεως nomine commemorari vetat, similem tamen patri filium esse definit. His *undecimam* addit Athanasius Antiochiae ab iisdem istis publicatam, ubi superiorem emendarunt, ac dissimilem patris filium audacter pronunciarunt. Unde Anomoei et Ἐξουκόντιοι appellari coeperunt.

N. XXXIV. Καὶ νύκτωρ φυγαδεύεται.] Bis Antiochia pulsus est Meletius. Primum a Constantio, quod Arianum dogma minime, uti spes erat, foveret. Inde a Valente. Nam sub Ioviano Antiochiae concilium habuit, in quo Macedoniani et Acaciani Nicaenam fidem amplexi sunt. Socrates lib. III. cap. XXI. Post Ioviani obitum a Valente relegatur, ut idem lib. IV. cap. II. caeterique produnt. Quamobrem quod scribit Epiphanius, ἕως τούτου τοῦ χρόνου, non sic intelligendum est, ut perpetuum a Constantii tempore fuerit exilium. De Meletio vero ac

triplici Antiochenae ecclesiae divortio eosdem rerum ecclesiasticarum scriptores consules.

p. 328. N. XXXV. Πλὴν ἐν ἑνὶ μέρει.] Non propterea damnandus est Meletius, quod locum illum ex Proverb. cap. VIII. ὁ θεὸς ἔκτισέ με etc., de increata sapientia ac dei verbo interpretatus fuerit. Hoc enim plerique patres fecerunt, ut Ignatius Martyr Epist. ad Trall., Athanas. de Decretis Nicaenae Synodi et alii complures.

N. XXXVII. Ἐξ αὐτῶν γὰρ Εὐζώϊος.] Caesariensis iste κατ' ἀντιδιαστολὴν dicitur, ut ab altero discernatur, qui cum diaconus Alexandrinae esset ecclesiae, cum Ario pulsus postea Antiochenam sedem obtinuit. At Caesariensis Acacio succedens successorem ipse Gelasium habuit, ut Hieron. lib. de Script. Eccles. testatur. Quo in libro Euzoii insuper istius meminit eumque scribit cum Gregorio Nazanzeno Thespesii rhetoris auditorem Caesareae fuisse. Cuius urbis episcopatum adeptus *plurimo labore corruptam bibliothecam Origenis et Pamphili in membranis instaurare conatus est, ad extremum sub Theodosio principe ecclesia pulsus est.*

N. XXXVIII. Τοῦ ὑπὸ Γεωργίου τοῦ Ἀλεξανδρέως.] Socrates lib. II. cap. XXVIII. et Sozom. lib. IV. cap. XI. Aëtium scribunt a Leontio evirato Antiochiae diaconum ordinatum, quod et Suidas ac Nicephorus sequitur.

AD HAERESIM LXXIV., PNEUMATOMACHORUM.

De Pneumatomachis eorumque principe Macedonio agit Socrates lib. II. cap. XXXV. Sozom. lib. IV. cap. XIX.

AD HAERESIM LXXV., AERIANORUM.

N. I. Ὅπερ ἐν τῷ Πόντῳ καλεῖται.] Vide Nazanzeni elegantem illam Orat. περὶ Φιλοπτωχίας et Nicetae ad eam scholion.

Καὶ τοὺς λελωβημένους καὶ ἀδυνάτους.] Proprie ἀδυνάτους appellant *causarios*. Vide Harpocrationem et Lysiam Orat. περὶ τοῦ Ἀδυνάτου.

Νομίσειε δ' ἄν τις.] De Eustathio Sebasteno adi praeter ecclesiasticarum rerum scriptores Basilium Epist. LXXIV., et aliis quibusdam sequentibus. Hunc ab altero eiusdem nominis Eustathio, qui in Gangrensi synodo condemnatus est, diversum esse probat adversus Socratem, Sozomenum et caeteros, in Annal. Baronius ad a. 319.

Ἔδοξε δὲ καὶ πρὸς Λιβέριον.] Macedoniani sub Valente imperatore ab Arianis oppressi legatos ad Liberium papam destinant, Eustathium Sebastenum, Silvanum Tarsensem et alios, per quos εἰς τὸ ὁμούσιον consentientes recepti sunt. Sed ea consilia ab Eudoxio postea disturbata sunt. Vide Socratem lib. III. cap. XI. Eustathius porro Liberii pontificis literis fretus in Tyranensi concilio restitutus est. Basilius in Epist. LXXII. et LXXXIV.

N. III. Καί φησι, τί ἐστιν ἐπίσκοπος.] Habes in Aërianis expressam huius temporis haereticorum imaginem. Quare cum illorum dogmata, quibus recentiores isti patrocinantur, damnat ac refellit Epiphanius, plenum gravitatis autoritatisque iudicium in eosdem ipsos pronuntiat.

p. 329. Τὴν οἰκονομίαν τῆς λατρείας.] Quid sit dicetur ad Expositionem Fidei.

N. IV. Καὶ ὅτι μὲν ἀφροσύνης ἐστίν.] Disputavit de ea quaestione copiosissime Baronius ad annum LVIII, ubi difficillimum ex Hieronymi autoritate nodum dissolvit, qui in Epistola LXXXV. ad Evagrium nihil olim episcopos inter ac presbyteros fuisse discriminis affirmasse videtur.

N. v. Οὕτω τῆς ἐκκλησίας λαβούσης.] Qui ad Epiphanii mentem diligenter animum adiecerit, non dubitabit quin οὔπω pro οὕτω huic loco sit aptius.

N. VI. Μασμαρὼθ ἃ τινά ἐστι διωλιστήρια.] Nullum eiusmodi vocabulum in scripturis reperio. Proxima vox huic est מזמרות inter templi vasa, quae a Babyloniis direpta commemorantur Hierem. LII., 19. Sed non διωλιστῆρας significat, verum φιάλας, apud LXX. Hieron. *Psalteria.* Alii *emunctoria.* Sane משמרים *faeces* sunt. Sed ab ea voce haud scio an משמרות derivari possint pro *colis*, quibus vinum defaecetur. Ita μιδικὼθ idem esse ac κυάθους nondum comperi: quam vocem lib. de Mens. et Pond. repetit, pag. 182., ut et antecedentem. Sed κυάθους vocat μεδικώθ. Verum מנקיות a LXX. κύαθοι redduntur.

N. VII. Luculentus est hic Epiphanii locus, ex quo variorum rituum, quos catholica ac Romana ecclesia hodieque retinet, vetustas asseritur. Cuiusmodi sunt certorum dierum ieiunia, preces pro mortuis et sanctorum perinde ac caeterorum fidelium commemorationes. De quibus aliisque compluribus agit in calce huius operis, in Expositione Fidei Catholicae. Quamobrem in illum ipsum locum opportunius conferetur, si quid ad illustrandam catholicorum dogmatum antiquitatem adnotandum videbitur.

AD HAERESIM LXXVI., QUAE EST ANOMOEORUM.

N. I. Προαχθέντα διὰ τὴν αὐτοῦ.] Constans est in ea opinione, quam supra proposuit, ut Aëtium, quem a Leontio Antiocheno caeteri diaconum ordinatum asserunt, a Georgio Alexandrino id dignitatis consecutum existimet.

Πῶς μὲν τὴν νίτρον ἅπασαν ἐξέλαβε.] *Nitrariae egregiae Aegyptiis*, ait Plinius lib. XXXI. cap. X. Hinc Nitria Aegypti praefectura, a nitri copia, ut refert Sozomenus lib. VI. cap. XXX. Horum igitur ac reliquorum vectigalium redemptor fuerat Georgius, quod ἐκλαβεῖν appellat Epiphanius. Neque enim aliter interpretari ista possumus.

Ὡς καὶ κλίνας ἐκενόησε.] Quod a catholicis imperatoribus proba ac laudabili lege constitutum, Constantinopoli quidem maxime a Constantino. Nam a decanis et lecticariis publice elata sunt corpora, quos et κοπιατὰς et *vespillones* nominant, de quibus in calce operis huius. At Georgius Arianus, mortalium omnium sordidissimus, ex ea re lucrum ac compendium captabat.

Καὶ σιωπῶ τὰ ἄλλα λέγειν.] Verbum κομίζεσθαι aliter fortassis interpretandum quam ut in Latinis nostris exprimitur, nimirum quaestum ex re qualibet fecisse Georgium, utputa ex lautitiis et cupediis, quae Alexandriae vendebantur, maxime in εὐδαιμόνων λαύρᾳ de qua ad Arian. haer. dictum est, tum caeteris ex rebus. Quibus accedunt quae per summam crudelitatem exigebat. Nam Alexandrinorum episcoporum magna Alexandriae potestas fuit. De Dioscori Alexandrini itidem episcopi iniquis ac tyrannicis exactionibus multa sparsim extant in Chalced. Synodo.

N. III. Γεγονότες ἅμα Ἀστερίῳ τινί.] De quo Socrates lib. I. cap. XXXVI. Sozom. lib. II. cap. XXXI. Meminit et Athanasius lib. de Synodis. Hic quod in persecutione sacrificasset, ordinari, quod apprime cupiebat, non potuit. p. 300.

Ἕτερον ὑπ' αὐτῶν τῶν Ἀρειανῶν.] Ab iis videlicet episcopis, qui ex utroque concilio, Ariminensi ac Seleuciensi, Constantinopolim ad Constantium missi erant, quibuscum disputavit Aëtius. Sozomenus lib. IV. cap. XXII.

N. VIII. Ἀπὸ μὲν τοῦ Ἑβραϊκοῦ οὕτως.] Hebraice ita concipitur: פותחו שערים וייבא גוי צדיק שומר אמנים יצר סמוך תצור שלום שלום

כי בך בטחו ביהוה עדי עד כי ביה יהוה צור עולמים. Ex quibus Hebraica Graece scripta corrigenda sunt. Velut pro οὐϊαβωτῶν leg. οὐϊαβὼ γωὶ Mox pro βετοὺβ leg. βετοὺ. Pro ἀδδὼθ, ἀδδὲ ὼδ. Item pro σωδωλεμείμ leg. σωρολεμείμ. In Graeco vero Aquilae pro φύλαξις εἰρήνης, forte scribendum φυλάξεις εἰρήνην.

N. x. Ἐπειδὴ ἐν καιρῷ τοῦ ἐπενεχθέντος.] Ex hoc Aëtii opusculo verissimum esse senties quod de eodem Socrates, Sozom. et paulo ante Epiphanius noster asseverabat, nempe sophisticis argutiis et cavillationibus fretum Aëtium fucum veritati fecisse. Sed cur Χρονίτας vocat eos a quibus damnatus est, nimirum Arianos ipsos? Epiphanius quidem in Responsione, dum Χρονιτῶν vocabulum in ipsos retorquet Anomoeos, aitque catholicam ecclesiam temporalem dici non posse, quod ab aeterno fuerit, ita videtur accepisse, quasi Χρονίτας adversarios suos Aëtius appellaverit, quod illorum fides nova esset ac nupera. Hoc utrum intellexerit Aëtius non facile dictu est. An potius Χρονίτας dixit, hoc est temporarios minimeque stabiles neque in suscepta fide constantes, qui ad imperatoris nutum et gratiam sese ac credulitatem suam accommodarent? Cuiusmodi Acacius, Eudoxius ac caeteri fuerunt qui Aëtium, cui hactenus faverant, metu imperatoris damnarunt. Sane πρόςκαιρος, *temporalis*, Matth. XIII., *21.* appellatus ille, qui suscepto dei verbo in persecutione desciscit.

Confut. v. Ἔν τε ταῖς σοφίαις.] Ex hoc loco discant haeretici quod Epiphanii de iis libris iudicium fuerit, quos illi a canone reiiciunt, quos quidem tam hic quam alii veteres patres inter scripturae libros et θείας γραφὰς recipiunt.

Confutat. XVII. Κἂν τε πνευματικῶς ἀνακρινόμενοι.] Quae parenthesi includi iussimus, ea loco suo dimota sunt et in tertio versu ad hunc modum reponenda: κἂν τε εἶποι ὁ πνεῦμα ὢν, καὶ μονογενής.

AD HAERESIM LXXVII., DIMOERITARUM.

N. II. Δι' οὗ ἀνάγκη γέγονε.] Duplex illis temporibus habita synodus est, in qua error Apollinarii damnatus est. Prima Alexandriae ab Athanasio et Eusebio Vercellensi, postquam Iuliano imperante, Georgio ab Alexandrinis occiso, sedi suae restitutus est Athanasius, anno Christi CCCLXII. Altera Romae sub Damaso, anno Christi CCCLXXIII. Vide Annales Eccles. De hoc posteriori concilio, cuius recens cum haec scriberet Epiphanius memoria erat, eundem intelligendum existimo.

p. 331. N. XV. Οὐκοῦν χρείαν ἔσχε.] Fuit haec Valentini opinio, Christum tanta frugalitate ac parsimonia usum esse, nihil ut egereret. Testatur idipsum Clemens Alexandr. III. Strom., qui ex haeretici illius ad Agathopodem epistola ista profert: Ἤσθιεν καὶ ἔπινεν ἰδίως, οὐκ ἀποδιδοὺς τὰ βρώματα· τοιαύτη ἦν αὐτῷ ἐγκρατείας δύναμις, ὥςτε φθαρῆναι τὴν τροφὴν ἐν αὐτῷ.

N. XX. Ἐν οἷς καὶ Βιτάλιος ὁ ἐπίσκοπος.] Hic est Vitalis ille Meletii Antiocheni presbyter, qui a Flaviano desciscens se ad Apollinarem aggregavit, et quod insigni pietate praeditus esset, plerosque eundem in errorem impulit. Postea vero sectae suae episcopus est factus. De quo Sozomenus lib. VI. Vide et Gregorium Nazanz. Orat. LII. ad Cledonium, ubi et huius et Apollinaristarum omnium versutiam detegit.

N. XXVIII. Ἀνθρωπίνη ὑποδοχή.] Scriptum erat ἀνθρωπίνης, pro quo ἀνθρωπίνη nescio quis substituit. Leg. est autem Ἄννης, ut est in Regio. Ex quo librarius ἀνθρωπίνης verum esse credidit. Nam ἄννης pro ἀνθρωπίνης scribi assolet.

AD HAERESIM LXXVIII., ANTIDICOMARIANITARUM.

De Antidicomarianitarum dogmate, quod Iovinianus propugnabat, accurate disputat Hieronymus. Vide et Ambrosium cum aliis in locis, tum Epist. v. et VII. lib. I.

N. VII. Οὗτος μὲν γὰρ ὁ Ἰωσήφ.] De hac Epiphanii sententia, et quinam domini fratres illi fuerint, copiosam habes disputationem in Apparatu ad Annales Ecclesiasticos num. LX. ac deinceps.

Ὠβλίαν ἑρμηνευόμενον τεῖχος.] Melius quam Hegesippus apud Euseb. lib. II. cap. XXIII. unde haec desumpta sunt, qui ὠβλίαν interpretatur περιοχὴν τοῦ λαοῦ καὶ δικαιοσύνην. Sed est Hebraice עפלי־דן *arx*, sive *munitio dei*.

N. IX. Τοῦ δὲ Ἡρώδου ἦν κατ' ἐκεῖνο καιροῦ.] Falsum est Herodem illum, quo regnante passus est dominus, Archelai fuisse filium, multoque magis, quod et paulo post et initio operis huius, in calce Tomi prioris, affirmavit, Herodem Agrippam fuisse. Fuit enim Herodes Antipas Herodis magni filius, ut ad illum locum observatum est.

N. XI. Ἀλλὰ μὴ τοῦτο στραφῇ εἰς βλάβην.] Συνεισάκτους, hoc est contubernales clericorum feminas, quas *extraneas* Latini vocant, damnarunt veteres PP. ac saepius veteres synodi, ut Nicaena Can. III., Carthaginensis III. Can. XVII., Arelatensis II. Can. III., Toletana IV. Can. XLII., Basilius Epist. ad Greg., quae canonica a Balsamone censetur, pag. 1022., Antiochena synodus in epistola contra Paulum Samosat. apud Euseb. lib. VII. cap. XXIV. τὰς δὲ Συνεισάκτους αὐτοῦ γυναῖκας, ὡς Ἀντιοχεῖς ὀνομάζουσι etc. Easdem et insequitur Noster in Haer. LXIII. num. II. τὰς ἀγαπητὰς λεγομένας συνεισάκτους γυναῖκας. Hieronymus passim traducit, maxime ad Eustochium Epist. XXII.: *Unde in ecclesias agapitarum pestis introiit? Unde sine nuptiis aliud nomen uxorum? imo unde novum concubinarum genus?* Cavenda vero Mariani Victorii ad hunc Hieronymi locum observatio, qui agapetas a Christianis conviviis, quas ἀγάπας nominant, derivatas censet, quod est ridiculum.

Φασὶ τὴν λίαιναν.] Fabulam hanc plerique refellunt. Aristoteles ecce lib. VI. Histor. cap. XXXI.: Ὁ δὲ λεχθεὶς μῦθος περὶ τοῦ ἐκβάλλειν τὰς ὑστέρας τίκτοντα, ληρώδης ἐστί· συνετέθη δὲ ἐκ τοῦ σπανίους εἶναι τοὺς λέοντας, ἀποροῦντος τὴν αἰτίαν τοῦ τὸν μῦθον συνθέντος. Sed et Philostratus et alii. p. 332.

N. III. Μόνον τούτῳ τῷ Ἰακώβῳ.] Idem narrat Haer. XXIX., num. IV., ubi et totam Iacobi historiam recenset, cuius autor Hegesippus apud Eusebium lib. II. cap. XXIII., qui id veteribus persuasit, ut Hieronymo lib. de Scriptt. Eccles. Sed multa sunt in historia illa, quae nonnullis displicent. Scaliger vero in Animad. ad annum MMLXXVII. tanquam inanem fabulam respuit. Reprehensionis capita haec fere sunt. Quod Iacobo soli scribit Hegesippus in sancta sanctorum ingredi licuisse. Atqui uni summo pontifici, idque semel in anno, concessum erat. Iacobus autem ne Levita quidem erat. Deinde quia caussa cur εἰς τὰ ἅγια permissus sit aditus, haec affertur, quod lineis vestibus, non laneis, uteretur. Hoc autem solis sacerdotibus, cum sacris operabantur, licitum fuit. Tertio gentes ait cum Iudaeis convenisse, quod absurdum est; neque enim gentiles ad ullum Iudaeorum festum confluebant. Quemadmodum et illud falsum quod XII tribus adfuisse dicit, cum per illud tempus duae tantum forent, reliquae X pridem in captivitatem abductae. Quarto Osanna refert a Iudaeis acclamatum, quod in scenopegia solum clamabant, cum ramos ex arboribus defringerent. Quinto Iaco-

bum Nazaraeum extitisse dicit ideoque carnibus ac vino temperasse. Ergo neque paschalem agnum, neque poculum extrema illa coena sumpsit. Caetera nihil moror. Nec diffiteor nonnulla vel ab Hegesippo prodita, vel ab aliis inserta, quae parum probabilia videantur. Sed totam ipsam historiam nego propterea damnandam esse. Nam pleraque in illa vera sunt, aut veris certe simillima, quaedam subabsurda, praesertim quae ab aliis addita fuerunt. Quae autem opponuntur a Scaligero non magnum momentum ad illius infringendam autoritatem afferunt. Primum illud est de Sanctis Sanctorum, quae apud Hegesippum tantummodo sunt ἅγια. Τούτῳ μόνῳ, inquit, ἐξῆν εἰς τὰ ἅγια εἰσιέναι. *Licebat*, inquit, *illi soli in sancta ingredi*, non utique Sancta Sanctorum, sive arcana illa sanctioraque penetralia, quae soli pontifici semel quotannis patebant, sed quae sancta simpliciter nominatur, in quibus mensa et panes propositi ac candelabrum et altare suffitus; quem in locum sacerdotes quotidie ingredi solebant. Huc igitur si Iacobus admissus est, qui nec Levita, nedum sacerdos esset, singularis honor est sanctitati illius habitus. Cum autem factum esse tam vetusti et graves autores asserant, cur factum sit mirandum, vel quaerendum magis est, quam de praestantissimorum virorum autoritate dubitandum. Ac cum Hegesippus ἅγια sola commemorasset, caeteri τῶν ἁγίων addiderunt, ut Epiphanius hoc loco et doctissimus Hieronymus in Catalogo. Sed τὰ ἅγια τῶν ἁγίων saepe pro ἁγίους et exteriori domo, hoc est הֵיכָל usurpantur, nec solum pro דְּבִיר, sive intimis adytis. Sic apud Epiphanium lib. de XII. gemmis, cap. de Adamante: τοῦτον δὲ ἐφόρει ὁ ἀρχιερεὺς ὅτε εἰςήρχετο εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων· τρὶς δὲ τοῦ ἐνιαυτοῦ εἰςήρχετο, τῇ ἑορτῇ τοῦ πάσχα, τῆς πεντηκοστῆς, καὶ τῆς σκηνοπηγίας. Hoc loco τὰ ἅγια τῶν
p. 333. ἁγίων primam illam templi interioris ac tecti partem significant. Quia neque ter quotannis penetrale illud sacrosanctum adibat, sed duntaxat semel, et cum ingrederetur, pectorale gemmatum ac reliquum omnem ponebat ornatum, et tunica linea lineisque femoralibus, zona, cidari lineis utebatur. Non aliter τὰ ἅγια τῶν ἁγίων appellat Chrysostomus Orat. LXII. Tomo VI. edit. Savil. pag. 644.: Ἐνεδύσατο ὁ ἀρχιερεὺς εἰςιὼν εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων ποδήρη, τουτέστιν ἱμάτιον ἀπὸ κεφαλῆς μέχρι ποδῶν ἀπεωρισμένον, ἐπωμίδα, ζώνην, περισκελῆ, πέταλον χρυσοῦν, τιάραν, τουτέστι κυρβασίαν, τὸ λόγιων ἐπὶ τοῦ στήθους etc. Ita Fronto noster emendavit. Nam pro τιάραν perperam legitur τί ἄρα, et pro κυρβασίαν, κορυβάντιον. Ob eam, quam dixi, caussam τὰ ἅγια τῶν ἁγίων Chrysostomo non alia sunt quam τὰ ἅγια, quomodo et apud Hegesippum et Hieronymum. Epiphanius vero hac excusatione uti non potest, quia de suo perperam adtexuit, ἅπαξ τοῦ ἔτους, quod summo sacerdoti peculiare fuit, ut semel in Sancta Sanctorum ingrederetur. Iacobo vero ob excellentem vitae sanctimoniam concessum est, ut ad sancta perveniret, cum alioqui vulgo linea stola vestiretur. De gentilibus absurdum est negare illos cum aliis temporibus, ac Iudaeorum solennibus, tum azymorum diebus, quod festum longe apud Iudaeos celeberrimum fuit, Hierosolyma confluxisse. Ne longe exempla petamus, Ioann. XII., 20. Gentiles illis ipsis solennibus adorandi caussa conveniunt: *Erant autem quidam gentiles ex iis, qui ascenderant, ut adorarent in die festo.* Nam de XII tribubus quam inepte praescribit Scaliger! imo propemodum impie. Si enim vere colligit, eadem ratione hallucinatum Iacobum apostolum excipere potest, qui canonicae epistolae ita praefatus est: *Iacobus dei et domini nostri Iesu Christi servus, duodecim tribubus, quae sunt in dispersione, salutem.* Item Act. XX., 6. Paulus ita loquitur: *Et nunc in spe, quae ad patres nostros repromissionis facta est a deo, isto iudicio subiectus, in quam duodecim tribus nostrae nocte ac die deservientes sperant pervenire.* Quamvis enim abductae decem

tribus essent, non pauci tamen ex illis vel duabus aliis tribubus immisti, vel utcunque liberati manserunt. Quod ad acclamatum Osanna pertinet, fieri potest uti ramos ad publicam testificandam laetitiam poposcerint et ad eos defringendos sese invicem hortati sint. Postremum de Nazaraeorum instituto levissimum est. Neque enim Nazaraei illi perpetui carnibus sic abstinuerunt, ut non paschali agno vescerentur, cum idipsum lex tam accurate praeciperet, sed in communi scilicet quotidianoque victu illis abstinebant, ut et vino ac sicera.

Ἐπειδήπερ αἱ δύο φυλαί.] Hoc alibi refutatum a nobis est.

[Ἀπὸ τοῦ ὁρμασθῆναι αὐτὴν αὐτῷ.] Conieceram ἁρμοσθῆναι pro ὁρμασθῆναι le- p. 463
gendum esse. Unde et ἁρμοστὴν pro ὁρμαστὸν num. XVI. pag. 1048. rescribendum foret. Verum nihil omnino mutandum. Apparet enim vocem quandam fuisse Graecis illius temporis usitatam. Quam et in illa Oratione postea reperi, quae ψευδεπιγράφως Epiphanio tribuitur, de laudibus B. Virginis, tomo II. editionis huius, pag. 292., c. 5. ὡρμάσατο τὴν παρθένον εἰς τὸν μονογενῆ υἱὸν: *desponsit coelestis pater filio suo Virginem.* Igitur ὁρμάσασθαι idem erit ac *despondere*, ὁρμαστὸς, *sponsus*: quod alibi non legeram.]

N. XIV. Οὗτος ὁ Ἰάκωβος καὶ πέταλον.] Ita Haer. XXIX. num. IV. ἀλλὰ καὶ πέ- p. 333.
ταλον· ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐξῆν αὐτῷ φέρειν. Quod de summi pontificis πετάλῳ accepisse videtur. Perperam id quidem: quod alioqui de Christianorum pontificum insigni credibile est, et de Ioanne evangelista testatum reliquit Polycrates apud Euseb. lib. V. cap. XXIII. ὃς ἐγεννήθη ἱερεὺς τὸ πέταλον πεφορεκώς. De Iacobo haud scio an quispiam prodiderit. Nam quos Haeresi XXIX. citat Epiphanius de Ioanne, non Iacobo ista scripserunt.

Βιώσας μετὰ τὴν τοῦ σωτῆρος.] Eusebius in Chronico Iacobum scribit annô Neronis VII. lapidibus obrutum fuisse; quod et Hieron. in Catalogo sequitur, qui XXX annis illum sedisse refert. Non igitur accuratus est annorum apud Epipha- p. 334.
nium numerus.

N. XV. Τί δὲ ὠφέλησεν ἡμᾶς.] Leopardus lib. XIX. Emendationum cap. II. pro περὶ τοῦ ζητεῖν, περιττὸν legit.

N. XXIII. Τὴν Θέρμουτίν τὴν θυγατέρα.] Amenophin regem illum Aegypti nominat, sub quo Moses natus est, in quo Eusebii Chronicon secutus est.

N. XXIV. Ὁ κλῆρος αὐτῶν ἐν μακαριότητι.] Ex hoc loco manifestum est, sanctorum, ubi ex hac vita discesserint, animas coelesti felicitate perfrui, neque supremum Iudicii tempus expectare.

AD HAERESIM LXXIX., COLLYRIDIANORUM.

N. I. Ἐν ἡμέρᾳ τινὶ φανερᾷ.] Φανερὸς idem est ac certus. Qua in significatione saepe in Chalcedonensi concilio usurpari solet.

N. III. Καὶ ὅτι μὲν διακονισσῶν.] De diaconissis in fine operis agetur.

N. VII. Οὐ τὴν καλουμένην.] Huius Rufi matris meminit Paulus ad Rom. XVI., 13. *Salutate Rufum electum in domino, et matrem eius, et meam.*

N. VIII. Οἴδασι οἱ τόποι Μαγδούλων.] Cornarius inepte: *Noverunt loci horum aedificiorum corpora suscipere ad putrefactionem.* Loci enim proprium nonomen est Μάγδουλα. Atque hoc iampridem Leopardus animadvertit lib. XIX. Emend. cap. II. Qui quidem nescio quid cogitans pro σῆψιν mavult σέψιν, hoc est *adorationem* et *cultum*. Quod ab huius loci sensu tam alienum est, nihil ut magis esse possit.

AD HAERESIM LXXX., QUAE EST MASSALIANORUM.

N. 1. Μασσαλιανοὶ δὲ οὗτοι καλοῦνται.] Theodoretus lib. IV. Histor. cap. X. et lib. IV. contra Haereses, Μεσσαλιανοὺς Graece Εὐχίτας appellari scribit, et Ἐνθουσιαστὰς, quod afflatu daemonis correpti vim illam esse spiritus sancti mentirentur. Iidem et *Adelphiani* ab Adelphio, quem Flavianus Antiochenus damnavit, et Εὐφημῖται. Vide Theodoretum, et Photium num. LII. Qui in concilio Side in Pamphylia celebrato condemnatos esse dicit, pluraque ad idem institutum refert. Origo vero appellationis illius ab Hebraica voce deducitur. Nam צלא est orare, preces fundere. Unde מצליין οἱ εὐχόμενοι. Ac proinde Μεσσαλιανὸς per ε, quae est forma Benoni.

Ἦσαν δὲ πρὸ χρόνου τινός.] Duplex Massalianorum genus distinguitur. Nam alii erant antiquiores merique gentiles, alii ab istis propagati Christianum nomen usurpabant. De superiorum vetustate certo pronunciari non potest. Nam Epiphanii locus iste ambiguitate non vacat, quae in interpunctione consistit. Etenim suspicari possumus ita haec esse continuanda: ἦσαν δὲ πρὸ χρόνου τινὸς ὡς ἀπὸ τῶν καιρῶν Κωνσταντίου, καὶ δεῦρο ἄλλοι πάλιν Εὐφημῖται. Atque hoc pacto priores, qui et gentiles, Constantii fere temporibus prodierint, alteri vero, tanquam istorum propagines, paulo ante quam haec Epiphanius commentaretur, emer-
p. 335. serant. Verum cum non modo Frobeniana editio, sed etiam calamo exarati codices atque ipsa Cornarii interpretatio ante vocem ἄλλοι et post δεῦρο interpunctionem adhibeant, existimandum est alteros istos, qui inter gentiles potius numerandi sunt, quorumque ad similitudinem posteriores expressi sunt, vetustiores extitisse, ac tum demum sub Constantii tempora Semichristianos illos exortos fuisse. Theodoretus in Histor. Eccles. imperatoribus Valentiniano et Valente Messalianos prodiisse scribit. In quo ab Epiphanio non discrepat. Hic enim ὡς ἀπὸ τῶν καιρῶν Κωνσταντίου, πλατυκῶς καὶ ἀπορητικῶς scribit, quod ad initia Valentiniani potest extendi. Quod si prior illa interpungendi ratio magis arrideat, tum ita conciliari ista poterunt, ut Messaliani superiores Constantii, posteriores Valentiniani temporibus ortum habuerint.

Iosephus Scaliger Elenchi cap. XXVIII. Massalianos *Essaeos* appellatos esse putat, et ab iis Massalianorum propagatam haeresin. Nam Esseni Ἱκέται apud Philonem et Eusebium nominantur. At מצליין Iudaice est ἱκέτης, εὐχίτης, προσευχόμενος. Coniecturam adstruunt pleraque Massalianorum instituta cum Essenis communia, ut praeter assiduitatem orandi, proseucharum usus et in eas stati conventus, tum ἀντίφωνα et ᾠδαί. Accedit quod Messaliani, ut et Essaei, suis se bonis abdicabant. Igitur partim Iudaeos fuisse statuit, quod ab Essenis oriundi, partim quod Pseudochristiani se illis admiscuissent, negat fuisse. Nam inter caetera mendici erant, quales veri Iudaei non erant, propter τὸ φιλάλληλον eorum, quod divites non patiuntur tenuiores mendicare aut esurire. Haec Scaliger; quae a Serrario nostro in Minervali merito confutantur. Est enim fallacissima nominis coniectura, caetera vero leviora quam ut nos ab Epiphanii autoritate dimoveant. Sed illud sane ridiculum, quod mendicos negat fuisse Iudaeos. Cum in evangeliis et actibus apostolorum exempla mendicorum sint plurima, interque caeteros mendici Lazari, quem verum Iudaeum extitisse inficiari nemo potest. Sed de his copiose Serrarius.

Μηδενὶ μηδὲν προσκυνοῦντες.] Forte μηδενὶ δέ.

Τινὰς δὲ οἴκους ἑαυτοῖς κατασκευάσαντες.] Φόρος a recentioribus Graecis forum

appellatur, sive ampla et ingens area subdivalis et ὑπαιθρος. Cuiusmodi proseuchas fuisse docet Epiphanius. Erant loca quaedam aperta ac sine tecto, in quae orandi caussa conveniebant. Tritus est Iuvenalis ille versus e Sat. III.

Ede ubi consistas, in qua te quaero proseucha.

Ad quem vetus scholiastes locum esse memorat ad quem *convenire solebant mendici ad stipem petendam: alii tabernam, in qua pauperes vivant.* Addit: *et proseucha locus Iudaeorum ubi erant.* Extat ea vox multis in locis apud Philonem in Flaccum et Caium, Iosephum lib. de Vita sua. Romae quidem, ubi frequentes erant Iudaei et vero mendicantes, proseuchae complures fuerunt. Nam et eadem in Satyra Iuvenalis occupata illorum habitationibus, et, ut credibile est, proseuchis sacra quondam fuisse loca conqueritur.

Nunc sacri fontis nemus et delubra locantur p. 336.
Iudaeis, quorum cophinus foenumque supellex.
Omnis enim populo mercedem pendere iussa est
Arbor, et eiectis mendicat silva Camoenis.

Mendicitatem ergo Iudaeorum exagitat; utique verorum. Quod ne dubium sit, vel hic Martialis versus argumento esse potest.

A matre doctus nec rogare Iudaeus.

Adeo falsum est non mendicasse Iudaeos. Idem Iuvenalis Sat. VI.

Cum dedit illa locum, cophino foenoque relictis
Arcanam Iudaea tremens immurmurat aurem
Interpres legum Solymarum et magna sacerdos
Arboris.

Quem locum enarrans vetus ille scholiastes multa suo more nugatur et nescio quid de hortis garrit, quod a cophino foenoque nimis alienum est. Nec melioris notae est quod adiicit, supellectilem hanc esse, ubi pulmentaria sua et aquam calidam die sabbati servare consueverant. Est illud quidem verum, Iudaeos sabbati religione prohibitos ne cibaria coquerent ea pridie sub vesperam praeparasse, unde parasceve dicta. Verum aquam ab illis calidam in sequentem diem in foeno potuisse servari, id vero ridiculum est. Quin et illud observavimus, Iudaeos sabbatis calidis potionibus abstinuisse. Indicat hoc Iustinus dialogo cum Tryphone quem ita compellat: μηδ' ὅτι θερμὸν πίνομεν ἐν τοῖς σάββασι δεινὸν ἡγεῖσθε: *Neque quod aquam calidam sabbatis bibamus succensete.* Irasci vetat Iudaeum, quod per sabbata calidam potionem adhiberent. Ergo Iudaei aliter instituerant. Verum reclamat Ignatius, qui Epist. III. ad Magn. contrarium indicat: Ἀλλ' ἕκαστος ἡμῶν σαββατιζέτω πνευματικῶς, μελέτη νόμου χαίρων, οὐ σώματος ἀνέσει, δημιουργίαν θεοῦ θαυμάζων, οὐχ ἕωλα ἐσθίων, καὶ χλιαρὰ πίνων, καὶ μεμετρημένα βαδίζων, καὶ ὀρχήσει καὶ κρότοις νοῦν οὐκ ἔχουσι χαίρων. Ergo Iudaeorum et Sabbatariorum erat χλιαρὰ πίνειν, cum tamen ignem nisi aegrorum caussa non liceret accendere; ut in Tract. de Sabbato Thalmudistae docent, et R. Maimon I. parte Iad de Sabbato.

Ὅτι, φησὶν, ἐδόκει τόπος προσευχῆς εἶναι.] Apud D. Lucam, ὅπου ἐνομίζετο προσευχὴ εἶναι. Ubi προσευχὴν pro loco ipso plerique accipiunt.

N. II. Τροπάριά τινα κατασκευάσαντες.] Non aliam vocabulo huic notionem attribuere potuimus quam ut ἀπὸ τῆς τρόπιος, quae carinam vox significat, derivaretur. Nisi forte τοπάρια pro angustis parvisque locis legendum fuerit.

Καταλεγμάτιά τινα.] Cornar. καταληγμάτια. Est enim κατάληγμα carmen, sive canticum aut celeuma. Hieron. in cap. XXV. Hieremiae, com. 30. *celeuma* scribit a Symmacho verti κατάληγμα, ab Aquila ἆσμόν; nempe a pausa, unde

pausarii dicti sunt οἱ κελευσταὶ, symphoniaci pueri. Seneca Epist. LVI. *Sed iam me sic ad omnia ista duravi, ut audire vel pausarium possim voce acerbissima remigibus modos dantem.*

N. VI. Καὶ γὰρ ἐξ αὐτῶν.] Imo nonnunquam id clericis veterum conciliorum
p. 337. canonibus praescriptum; ut Carthag. IV. Can. LI. *Clericus quantumlibet verbo dei eruditus artificio victum quaerat.* De monachis vero multo idipsum magis affirmat Augustinus libro singulari de ea re scripto.

Ἀλλὰ καὶ ἄλλῳ τύπῳ.] Meminit in Ancorato.

N. VII. Καὶ περὶ μὲν οὖν τοῦ γενείου.] Locus est lib. I. Constitut. Apost. cap. III. Notus est concilii Carthag. Canon. XLIV. *Clericus nec comam nutriat, nec barbam radat.* Vide quae in Annal. Eccles. ad a. LVIII. fuse disseruntur.

AD FIDEI EXPOSITIONEM.

N. IV. Ἐπειδὴ γὰρ δι' ἓξ δεκάδων.] De numeri senarii perfectione agit Vitruvius lib. III. cap. I. Idem numerus decies multiplicatus in LX. reginarum numero comprehenditur, quod hoc loco vult Epiph. Sed nonnihil, ut ad oram adnotatum est, desiderari videtur.

Ἔνθεν γὰρ τὸ ἑξαγωνιαῖον.] Boëthius lib. de Arith. cap. XV. de Hexagonis eorumque generationibus agens scribit hunc in modum produci, si numeros naturali ordine disposueris:

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

Tum intermissis tribus eos coniungas, qui se quaternario transeunt, et erunt quidem eorum radices et fundamenta. Ex quibus iunctis omnes hexagoni nascuntur.

1. 5. 9. 13. 17. 21.

Et ad eundem ordinem consequentes, atque ab his sex angulorum formae nascuntur.

6. 15. 28. 45. 66.

Διὰ τὸ τετραχῇ ἔχειν.] Haec ex sequente figura perspicua sunt.



Nam quadrangulus medius inter duas unitates interceptus est.

N. IX. Ἀναξιμένης ὁ τοῦ Εὐρυστάτου.] Corn. ex Laërtio Εὐρυστράτου.

Σωκράτης ὁ τοῦ Ἑλμάγλου.] Barbara vox.

Pag. 1090. vers. 2. Καὶ τὴν ψυχὴν ἐνδελέχειαν.] Ita apud Aristotelem Cicero legerat, non ἐντελέχειαν.

Vers. ἕλε. Ἔλεγε δὲ καὶ μετὰ χωρισμόν.] Mutila ac suspensa est oratio. Forte illud voluit: Animas ex opinione Stoicorum corporibus solutas aliquandiu perseverare ac paulatim evanescere.

Κλεάνθης τὸ ἀγαθὸν.] Itane Stoicae sectae columen veluti Circaeo poculo repente factus est Epicuri de grege porcus? Non opinor. Quare aut falsus est Epiphanius, aut horum verborum iste sensus est: *Nullam nisi in honestate voluptatem inesse dicebat.* Eodem modo castigandum quod sequitur, Chrysippum finem ἐν τῷ ἡδυπαθεῖ posuisse.

Pag. 1091. vers. πρώ. Πάλιν ἔλεγε μὴ εἶναι θεούς.] Imo esse deos quidem
p. 338. minime negabat, sed rerum humanarum securos ac feriatos esse iubebat. Lucretius lib. I.

Omnis enim per se divum natura necesse est
Immortali aevo summa cum pace fruatur
Semota ab nostris rebus, seiunctaque longe.
Nam privata dolore omni, privata periclis
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.

Ἑβδομήκοντα δύο μὲν ἀηδεῖς φιλοσοφίαι.] Mirum tot apud Indos philosophorum sectas extitisse; quod nescio an alius prodiderit. Strabo lib. xv. de Indorum sectis agit accurate, quas ad duo capita revocat, Brachmanas et Germanas. Sciendum est autem Epiphanium αἱρέσεις sive sectas appellare instituta vivendi ac diversos gentium ritus, cuiusmodi innumerabiles confici potuerunt.

N. x. Ἢ ὁπόσοι ἐν τοῖς Δαύνισι.] Quos hic Daunidas intelligat divinandum est. Non enim ad Daunos, opinor, Italiae populum par est referri. Iam Zinchi, sive Zicchi, ad Pontum Euxinum in Sarmatia Asiatica collocantur ab Ariano. Geli utrum Geloni sint non liquet. Gelli quidem in Mamertini Panegyr. ad Maximianum populi quidam censentur, ut observat Ortelius.

Ὅσα τε ἄλλα, τά τε ἐν Ἐλευσῖνι.] Pauca ex infinitis Eleusiniorum ritibus ac ceremoniis expressit e Clemente in Protrept. quem tu consule, ut et Arnobium, aliosque tam veteres quam recentiores qui de Cereris mysteriis diligentissime scripserunt. Et nos in Themistianis Notis haud pauca contulimus. Quae adeo nonnullis persuasimus, ut sine ulla cuiusquam mentione tanquam vulgata et in confesso apud omnes posita, quae sine dubio ex nostris illis hauserant, suis commentariis illigarint. Quod tantum abest ut moleste feramus, ut gratiam illis etiam ultro debeamus, quod quae primum a nobis comperta timide ac diffidenter proposita illic erant, ea pro veteribus ac receptis habuerint, observationique nostrae pondus et autoritatem adiecerint. Inter ea porro non minimum illud fuit, quod adversus Scaligerum validissime probavimus, mysteria Cereris non quinquennalia, sed annua fuisse. Cuius rei fidem a nuperis illis scriptoribus expressam esse non mediocriter gaudemus. Paulo ante quid sint Μεγαρίζουσαι γυναῖκες amplius quaerendum. Caelius Rhodig. lib. xv. cap. ix. certaminis cuiusdam Megarensis meminit, sed quod inter pueros, non mulieres, peragebatur, quinam suavius amantem esset osculatus. Cogitent eruditi.

Ὅσα τε ἄλλα ἐν Πυθοῖ.] Pythia certamina, quemadmodum Olympica, quinquennalia erant, ut Pindari scholiastes docet. Celebrabantur autem ineunte vere, non praecipitante, ut falso Scaliger lib. i. de Emend. Temp. scripsit. Hoc est Elaphebolione mense, qui Martio fere respondet, non Thargelione, quod alio in opere confirmabitur; ut et illud, commissos eosdem esse ludos anno secundo tetraëteridis Olympicae, non, ut Scaliger putat, anno tertio.

Καὶ ὅσοι τὸν φαλλὸν ἀναστρέφοντες.] Quod ab Aegyptiis manavit et Osiridis sacris. Diodorus lib. i. Sed pro φαλαρίζουσαι forte φαλλίζουσαι reponendum. Vide sis Euseb. lib. ii. de Praepar., qui cum de plerisque, quae hoc loco commemorantur, superstitiosis veterum ritibus agit uberrime, tum quas plerique latere sub illis allegorias asseverabant, erudite refellit. Quae dum forte percurro, locus quidam incidit coniectura, ut opinor, nostra, luci ac verae sententiae restitutus. Is est pag. 53. vers. Θεῖον, ubi ita loquitur. Ὡς ἄρα καὶ ἡ θαυμαστὴ καὶ ἀπόῤῥητος φυσιολογία τῆς Ἑλληνικῆς θεολογίας θεῖον μὲν οὐδὲν, οὐδέ τι μέγα καὶ θεοπρεπὲς καὶ τῆς ἀναστάσεως ἄξιον ἐπήγετο. Scribo καὶ τῆς ἀναστάσεως ἄξιον, hoc est promissione dignum, translatione a praeconibus ducta, aut iis omnibus qui verba facturi elata manu silentium indicunt. Sic mythologi isti multa et praeclara p. 339.

minantes ineptissimi sunt, neque quicquam tanto dignum hiatu promissores isti ferunt.

Καὶ τὴν χρεωνομίαν μυοῦντες.] In sacris et initiis Cereris multa certis ritibus adumbrari solebant, quae ad Bacchum pertinebant. Cuiusmodi erat illius lanistae. De qua Clemens Alex. agit in Protrept.

Εὐάζοντες τὸ, οὐὰ, οὐά.] Acclamationes istae in laetitia et hilaritate frequenter usurpatae. Unde Ovatio deducta. Xiphilinus in Nerone scribit Romae Olympionicae Neroni acclamatum esse: Ὀλυμπιονίκα οὐὰ, Πυθιονίκα οὐά.

Εὖα γὰρ κατὰ τὴν ψιλήν.] Mihi nulla vox occurrit eiusmodi quae mulierem Hebraice significet. At חִוִּיאָ idem est ac serpens, quod vocabulum per densissimam aspirationem effertur, nimirum ח; ut et Evae nomen חַוָּה. Verum LXX. Εὔαν tenui spiritu reddiderunt. Quo nisi fallor respexit Epiphanius. Unde et κατὰ τὴν ψιλὴν ἀπόδοσιν, id est *tenui spiritu redditum* dixit, nempe ad LXX Seniorum ἀπόδοσιν et translationem alludens. Egregius est autem hic Epiphanii locus ad earum vocum explicandam originem quae in Bacchi sacris usurpabantur, Evan, Evoe, Euhye etc. Quarum interpretationes sane ridiculas critici ac mythologi solent afferre. Vera autem haec est ratio, quam hic noster innuit, a serpentibus, qui illis in sacris colebantur, ea derivata vocabula. Quod quidem ex Eusebio transtulit, qui lib. II. de Praepar. pag. 39. Αὐτίκα γοῦν, inquit, κατὰ τὴν ἀκριβῆ τῶν Ἑβραίων φωνὴν τὸ ὄνομα τὸ Εὖα δασυνόμενον ἑρμηνεύεται ὄφις θῆλεια.

N. XI. Καὶ τῶν καταλιζόντων.] Cornarius πατταλιζόντων in codice suo legisse videtur. Vertit enim *perticas gestantium*, quomodo in Regio invenimus. Sed quinam sunt οἱ πατταλίζοντες? An iidem ac φαλλοφόροι?

N. XII. Παρὰ δὲ Αἰγυπτίοις προφῆται.] De triplici sacerdotum apud Aegyptios genere vide quae ad Synesium in Encomio Calvitii et libris de Provid. olim observavimus.

Ἱεροφάνται τε, καὶ νεωκόρων.] Distinguenda hoc modo ista sunt Ἱεροφάνται τε, καὶ νεωκόροι. Κυνικῶν τε πλήθος etc.

N. XIII. Ἄλλοι τε πάλιν ἐν τῇ Ἑλλάδι.] Non magis inter haereses ac sectas referri merentur Abii ac Mysi, quam omnes orbis totius populi, quorum vel absoni vel a caeteris discrepantes sunt ritus institutaque vivendi.

Ἕτεροι δὲ δοκοῦντες νεανιεύεσθαι.] De haereticis cum ecclesia reconciliandis
p. 340. varie a conciliis ac patribus pronunciatum accepimus. Nam qui baptismi formam, quam ab ecclesia catholica traditam acceperant, integram retinerent, horum baptismus pro vero ab ecclesia receptus est; neque qui ab illorum grege ad communionem catholicae fidei reverterentur denuo baptizati sunt. Caeteri, qui usitatam ab ecclesia formam corruperant, pro ethnicis habiti sunt, nec sine baptismo, qui ex illorum partibus transfugerant, inter catholicos admissi. Ita Paulianistas, hoc est Pauli Samosateni στασιώτας, rebaptizari Nicaena synodus iussit, Can. XIX., quod et Augustinus haer. XLIV. decretum ideo refert, *quod regulam baptismatis non tenerent.* At Catharos, id est Novatianos, eadem synodus rebaptizari non iussit, Can. VIII., sed illorum clericos χειροτεθουμένους in clero manere. Constantinopolitanum vero primum et Oecumenicum secundum Can. VII. Arianos, Macedonianos, Sabbatianos, Novatianos, Quartadecimanos, sive Tetraditas, et Apollinaristas rebaptizari vetat, Eunomianos iubet, τοὺς εἰς μίαν κατάδυσιν βαπτιζομένους. Iubet et Montanistas, sive Cataphrygas, et Sabellianos caeterosque omnes haereticos. De Cataphrygibus consentit et Laodicena synodus Can. VIII. De Arianis vero concilium Arelat. I. ita sanxit, ut *ex iis qui propria lege sua utuntur, denuo baptizentur; quod si in patre et filio et spiritu sancto baptizati fue-*

rint, manus tantum eis imponantur, ut accipiant spirtum sanctum. At August. lib. III. de Bapt. contra Donatistas cap. XV.: *Quamobrem si evangelicis*, inquit, *verbis in nomine patris et filii et spiritus sancti Marcion baptismum consecrabat, integrum erat sacramentum, quamvis eius fides sub eisdem verbis aliud opinantis, quam catholica veritas docet, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata. Nam sub eisdem verbis, id est in nomine patris et filii et spiritus sancti, non solum Marcion, aut Valentinus, aut Arius, aut Eunomius, sed ipsi carnales parvuli ecclesiae, de quibus dicebat apostolus: non potui loqui vobis, quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus, si possent singuli diligenter interrogari, tot diversitates opinionum fortassis, quot homines numerarentur.* Postremo Basilius in Epistola ad Amphilochium Can. XLVII. Encratitas, Saccophoros et Apotactitas denuo baptizandos esse censet ipse quidem. Sin est, ut Amphilochius, perinde ac Romani, οἰκονομίας τινὸς ἕνεκα, τὸ τοῦ ἀναβαπτισμοῦ respuat, nihilominus rationem suam valere pronunciat. Qua de re synodi decretum expectandum. Idem autem Can. I. eo propendere videtur ut haereticos omnes iterato baptizandos esse decernat. Nam aliud esse dicit haeresin, aliud schisma, aliud παρασυναγωγήν. Haeresis est quae contrarium aliquem fidei tuetur errorem. Schisma vero dissidium est ob ecclesiasticas quasdam controversias exortum. At παρασυναγωγὴ, cum contumaces presbyteri aut episcopi, aut etiam laici non legitimos conventus habent. Iam qui ex schismate aut παρασυναγωγῇ ad ecclesiam revertuntur, ex maiorum traditione sine baptismo recipiendos esse definit. Haereticos autem denuo baptizandos. Quanquam, inquit, Cyprianus et Firmilianus omnes tam haereticos quam schismaticos rebaptizandos esse censuerant, quod, cum se ab ecclesiae communione seiunxerint, interrupta sit in illis spiritus sancti gratia, nec eam in caeteros amplius possint transfundere. Διὸ ὡς παρὰ λαϊκῶν βαπτιζομένους τοὺς παρ' αὐτῶν ἐκέλευσαν ἐρχομένους ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν τῷ ἀληθινῷ βαπτίσματι τῷ τῆς ἐκκλησίας ἀναχαθαίρεσθαι: *Propterea sic illos tanquam a laicis baptizatos, denuo* p. 341. *iusserunt, cum ad ecclesiam redirent, vero ecclesiae baptismo repurgari.* Mox subiicit, Ἐπειδὴ δὲ ὅλως ἔδοξέ τισι τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν, οἰκονομίας ἕνεκα τῶν πολλῶν, δεχθῆναι αὐτῶν τὸ βάπτισμα, ἔστω δεκτόν: *Quoniam autem Asianis quibusdam placuit, pacis ac concordiae gratia id remitti oportere, ut eorum baptisma reciperetur, esto receptum.* Sed Encratitas rebaptizandos esse nominatim statuit: ἐὰν μέντοι μέλλῃ τῇ καθόλου οἰκονομίᾳ ἐμπόδιον ἔσεσθαι τοῦτο, πάλιν τῷ ἔθει χρηστέον καὶ τοῖς οἰκονομήσασι τὰ καθ' ἡμᾶς πατράσιν ἀκολουθητέον: *Sin est ut iteratus ille baptismus paci ecclesiae administrationique obsit, altera illa consuetudo omittendi baptismi retineatur.* Haec uberius ex decreto illo Basilii commemorare visum est, quod multa in eo mirifica, et, si verum quaerimus, parum catholica continentur. Nam quod rebaptizandos, si sine scandalo fieri possit, haereticos omnes affirmare videtur, quodque sine baptismo plerosque recipiendos ob eam unam caussam existimat, quia idipsum οἰκονομίας ἕνεκα fieri placuit, parum cum ecclesiastico dogmate convenit. Quod quidem haereticorum baptismum ex catholico ritu ac praescripto susceptum approbat, nec iterari ullo modo patitur. Quod si aliter quam ut in ecclesia receptum est, hoc est ex legitima formula, baptismus non modo ab haereticis, sed vel ipsis catholicis tribuatur, nulla pacis concordiaeque specie potest adduci ut citra novum baptismum quempiam admittat. Quare de Encratitis parum consentanee sentit Basilius, ut et Cyprianus olim, qui, ut Augustinus adversus Donatistas saepius inculcat, praesertim libro II. et III. de Baptismo, tametsi nullum esse baptismum haereticorum censeret, tamen qui rebaptizari nollent, ab ecclesiae communione nequaquam ideo repellendos cen-

sebat. Atqui sine vero baptismo Christianus esse nemo potest. Ut autem qui Christianus non sit, pacis ac concordiae gratia inter Christianos habeatur eique ad divina mysteria permittatur aditus, quod in Encratitis aliisque, quos alioqui rebaptizandos esse statuerat, sed ut non fieret pacis caussa remiserat, praestandum esse eodem in canone decernit. Hoc, inquam, ab ecclesiae usu ac moribus et a Nicaeni concilii aliorumque veterum sanctionibus abhorret. Quinetiam baptismum a laicis collatum irritum ac nullum esse Basilius idem arbitratus videtur, cum ex Cypriani, Firmiliani aliorumque sententia baptizatos ab haereticis perinde ἀληθινῷ baptismo expiandos esse dicit, ac si ab laicis id obtinuissent. Quasi laicorum baptismus ἀληθινὸς non esset. Quod secus se habeat, ut inter caeteros August. lib. II. contra Epist. Parm. cap. XIII. declarat. Tametsi eodem illo loco dubitat, utrum ab eo qui nunquam Christianus fuerit baptismus possit conferri: *Et haec quidem alia quaestio est, inquit, utrum et ab iis qui nunquam fuerint Christiani possit baptismus dari. Nec aliquid inde temere affirmandum est, sine autoritate tanti concilii, quantum tantae rei sufficit* Sed mirum est quod in Eliberit. concilio Can. XXXVIII. sancitur: *Ut peregre navigantes ingruente necessitate a quocumque fideli, qui non sit bigamus, baptizari possint.* Ergone a bigamis baptizari in tanta necessitate non licuit?

N. XVII. Καὶ συνηυλίσθη μετ' αὐτῶν.] Act. I., 4. καὶ συναλιζόμενος παρήγγειλεν αὐτοῖς etc. Pro quo legisse videtur Epiphanius, καὶ συναυλιζόμενος. Nam in Ana-
p. 342. cephalaeosi pag. 137. idem vocabulum usurpat: Καὶ συναυλιζόμενος οὐ δοκήσει, ἀλλ' ἀληθείᾳ. Quanquam lib. I. Panarii pag. 50. unde locum illum in Anacephalaeosin transtulit, communem lectionem expressit: καὶ συναλίζεται οὐ δοκήσει, ἀλλ' ἀληθείᾳ. Verbum συναλίζεσθαι eandem fere potestatem habet, quam τῷ συναλίζεσθαι quidam attribuunt, nimirum *convenire cum aliquo, congregari.* Atque ita nonnullos legere Beda testatur. At interpres noster συναλιζόμενος vertit *convescens.* Quo sensu Chrysostomus accepit, et Theophylactus, ut idem sit ac τῶν ἁλῶν καὶ τραπέζης μετέχειν. Sed et Hieronymus Epist. CL. ad Hedibiam, Quaest. VII. *convescens* legit.

N. XXI. Περὶ θεσμῶν δὲ τῆς αὐτῆς.] Egregia deinceps ac singularis disputatio sequitur de praecipuis ecclesiae ritibus, quem velut characterem ac notam adhibet, quo ab adulterinis conventiculis catholica ecclesia dignoscitur. Quibus nos argumentis ac signis perinde hoc tempore veram ac Romanam ecclesiam a faece novissimarum haereseon secernimus. Nam plerique omnes illi veteris ecclesiae mores in Romanae usu ac consuetudine resederunt. Quocirca pauci illi, qui supersunt, numeri magno catholicis omnibus usui esse possunt, ut adversus novorum hominum insaniam atque inscitiam opponantur. Ac si de singulis illis ritibus paulo accuratius verba facere vellem, ingentibus commentariis opus esset. Ne nihil vero dicam, praecipua quaedam ex iis libare placuit quae in adversariis nostris, proinde ut autorem quemque in manus ceperam, promiscue adnotata reperi.

DE VETERIBUS QUIBUSDAM ECCLESIAE RITIBUS.

Καὶ πρῶτον μὲν κρηπίς.] Primum ecclesiae veteris institutum, quod hodieque in Romana retinetur, in graduum ordinumque discrimine positum est. Nam princeps omnium ac praestantissimus est virginum ordo, qui in utroque sexu cernitur, quocum monasticum vitae genus coniungitur. Proximus huic continentiae gradus est, tum viduitas, ac postremo loco coniugium.

De virginibus, praesertim feminis, nota res est, quam antiquus in ecclesia quamque copiosus ille ordo fuerit. Iustinus Apolog. II.: Καὶ πολοί τινες, καὶ πολλαὶ ἑξηκοντοῦται, καὶ ἑβδομηκοντοῦται, οἳ ἐκ παίδων ἐμαθητεύθησαν τῷ Χριστῷ, ἄφθοροι διαμένουσι. Hinc Faustus ille Manichaeus apud Augustinum lib. XXX. cum catholicos reprehenderet, quod matrimonium damnaret, vicissim infinitum apud illos virginum numerum opponebat: *Ut pene iam maior*, inquit, *in ecclesiis omnibus virginum apud vos, quam mulierum numerositas habeatur.* Cui plane, ut nos haereticis hodiernis solemus, respondet Augustinus, ita virginitatem in ecclesia commendari, uti nuptiae nequaquam improbentur. Ammianus Marcellinus autor ethnicus in calce lib. XVIII. de Sapore: *Inventas tamen alias virgines Christiano ritu cultui divino sacratas, custodiri intactas et religioni servire solito more, nullo vetante, praecipit.* Pleni sunt Tertulliani, Cypriani, omnium denique vetustissimorum patrum libri, ut Augustinum, Hieronymum, Ambrosium aliosque praeteream, sacrarum mentione virginum, quas deo consecratas et voto etiam obstrictas, dei atque ecclesiae se obsequiis addixisse testantur. In Ancyrano concilio Can. XIX.: Ὅσοι παρθενίαν ἐπαγγελλόμενοι ἀθετοῦσι τὴν ἐπαγγελίαν, τὸν τῶν διγάμων ὅρον ἐκπληρούτωσαν. Chalcedonense vero Can. XVI.: Παρθένον ἑαυτὴν ἀναθεῖσαν τῷ δεσπότῃ θεῷ, ὡςαύτως δὲ καὶ μονάζοντα, καὶ μὴ ἐξεῖναι γάμῳ προςομιλεῖν· εἰ δέ γε εὑρεθεῖεν τοῦτο ποιοῦντες, ἔστωσαν ἀποινώνητοι. Epiphanius noster in angelicis haer. LX. num. VII. docet virgines, a quibus virginitatis sponsio, quam ὁμολογίαν nominat, violata sit, consultius facere si se legitimis nuptiis illigent, ut post diuturnam poenitentiam ecclesiae communionem impetrent. Nondum scilicet ea sponsio tantae religionis erat, ut irritum matrimonium faceret. Vide Cyprianum Epist. ad Pomponium, cuius initium est, *legimus literas tuas.* Sic Valentinum concilium sub Damaso Can. II. *Virgines, quae se deo voverunt, si ad terrenas nuptias transierint, poenitentiam agere* iubet. Eae porro ab episcopo consecrabantur. Quod ne sacerdotes usurparent, saepius interdictum, ut Carthag. II. et III. Basilius ad Amphil. Can. XVIII. illarum ὁμολογίαν excipi iubet anno aetatis XVI. vel XVII. Severius Agathense concil. Can. XIX.: *Sanctimoniales, quantumlibet vita earum et mores probati sint, ante annum aetatis suae* XL. *non velentur.*

Εἰ δέ τις τελευτησάσης.] In haeresi LIV. num. IV. tolerari nihilominus illos in ecclesia dixerat, qui post divortium alias uxores sibi copularent. De quo ad illum locum nonnulla scripsimus. Hic autem, cum legitimos scilicet et receptos ab ecclesia ordines et gradus percenseret, diligenter cautionem illam apposuit, nonnisi post prioris coniugis mortem secundas nuptias approbari, etsi, uti diximus, alterius generis utcunque tolerentur. Quanquam adversus digamos, qui priore mortua alteram uxorem ducerent, severior apud antiquos disciplina fuit. Nam Conc. Laod. Can. I. ita sanxit: Περὶ τοῦ, δεῖν κατὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα, τοὺς ἐλευθέρως καὶ νομίμως συναφθέντας δευτέροις γάμοις μὴ λαθρογαμίαν ποιήσαντας ὀλίγου χρόνου παρελθόντος, καὶ σχολασάντων ταῖς προςευχαῖς, καὶ νηστείαις κατὰ συγγνώμην ἀποδίδοσθαι αὐτοῖς τὴν κοινωνίαν ὡρίσαμεν: *Ut secundum ecclesiae canonem qui libere ac legitime secundis nuptiis illigati sint, neque clandestinum matrimonium inierint, exiguo tempore interlapso, postquam precibus et ieiuniis vacaverint, communio illis indulgeatur.* Neocaesariense vero Can. VII.: Πρεσβύτερον εἰς γάμους διγαμούντων μὴ ἑστιᾶσθαι, ἐπεὶ μετάνοιαν αἰτοῦντος τοῦ διγάμου, τὶς ἔσται ὁ πρεσβύτερος, ὁ διὰ τῆς ἑστιάσεως συγκατατιθέμενος τοῖς γάμοις. Vetat presbyterum digamorum nuptiis interesse, ne praesentia sua illis suffragari videatur. Ad haec Ancyrana synodus Can. XIX. iubet, ut qui virginitatem, quam deo spoponderant,

p. 343.

p. 344. violarint, eadem qua digami poena coërceantur. Apparet igitur digamos olim ignominia notatos et ad publicam poenitentiam, sed eam perbrevem ac tolerabiliorem, adstrictos fuisse. Iam supra vidimus quam severa concilii Eliberitani sanctio fuerit, cum in praesenti naufragii mortisque periculo a quocumque baptizari permittit, digamis duntaxat exceptis. Sed nihilominus in ecclesiam recepti sunt digami, et qui cum iis communicare nollent pro haereticis habiti. Hinc Nicaenum Can. VIII. cum Novatianis haereticis professionis formulam praescribit, secundum quam receptus illis ad ecclesiam pateat. Πρὸ πάντων δὲ τοῦτο, inquit, ὁμολογῆσαι αὐτοὺς ἐγγράφως προσήκει, ὅτι συνθήσονται καὶ ἀκολουθήσουσι τοῖς τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας δόγμασι, τουτέστι καὶ διγάμοις κοινωνεῖν, καὶ τοῖς ἐν τῷ διωγμῷ παραπεπτωκόσιν: *Ante omnia scripto profiteri illos oportet, consensuros se atque amplexuros catholicae et apostolicae ecclesiae dogmata, nimirum ut cum digamis communicent iisque, qui in persecutione lapsi sunt.* Sed quinam digami illi fuerint quaeritur. Nam iurisconsultus quidam, qui in canonum ecclesiae codicem notas edidit, vulgo fere ignotum esse dicit. Ipse autem tres digamiae species explicat. Prima est cum eodem tempore binas uxores quispiam habet, quod olim Iudaeis licitum, Romanis legibus prohibitum fuit. Altera est cum quis morte prioris coniugis soluto matrimonio secundas nuptias contrahit. Tertia, quam vulgo ignotam esse statuit, est cum extra caussam adulterii repudiata coniuge altera superinducitur. Cum enim variae divortii caussae citra adulterium saeculi legibus olim receptae fuerint, nunquam ecclesia illas admisit. Quocirca qui aliis de caussis quam propter adulterium uxore dimissa cum alia coniugium sociaret, hic, ait iurisconsultus ille, digamus censebatur eique canonica illa mulcta, cuius Neocaesar. et Laodic. meminerunt, irrogabatur. Ex qua oratione sequitur digamos illos, qui mortua coniuge alteri se copularent, mulctae huius expertes fuisse. Sed haec digamiae genera tria neque ignota vulgo erant, neque ad rem pertinent, constatque ad postremos illos digamos tres illos totidem conciliorum citatos canones pertinere. Nam Laodicenum digamos eos, de quibus loquitur, appellat ἐλευθέρως καὶ νομίμως συναφθέντας δευτέροις γάμοις, *legitime ac libere secundis nuptiis illigatos*, hoc est, qui licentia et facultate sibi a Christo et ecclesia concessa usi forent quique id legitime fecissent. In quo ridicula est iurisconsulti expositio, νομίμως idem esse ac *secundum legis humanae licentiam*. Neque enim ecclesiasticus ille patrum concessus νομίμως iniri nuptias illas ediceret, quas nullo modo licitas neque ratas esse cognosceret. Etenim qui citra adulterium alias ob caussas, propter quas divortium facere imperatoris legibus fas est, uxorem dimiserit aliamque duxerit, in eadem cum adulteris caussa ecclesiae iudicio decretoque versatur, neque aut levi poenitentia defungi poterat, aut aliter quam dissuto posteriore illicitoque contubernio illam ipsam impetrare poenitentiam. Quemadmodum devotae, hoc est quae se deo consecraverant, virgines aut viduae, *si maritum accepissent, non admittebantur ad poenitentiam, nisi adhuc ipso vivente marito caste vivere coepissent, aut postquam ipse decessisset*, ait Toletanum I. Can. XVI. et XIX, Atqui digamos istos Laodicenum concilium brevi tempore poenitentiam obire statuit, Nicaenum vero Novatianis, ut cum illis
p. 345. nominatim communicaturos se esse profiteantur, edicit. Quod profecto non faceret, si digamorum nomine flagitiosos illos ac iudicio ecclesiae adulterii damnatos intellexisset. Praeterea, ut quam absurda sit IC. sententia evidentius appareat, si in illo Nicaeni concilii canone digami sunt, qui contra ecclesiasticas sanctiones, hoc est, ut ipse cum Calvinianis existimat, citra caussam adulterii ob eas caussas de quibus divortium saeculi leges indulgent repudiata priore alteram sibi con-

iugem asciscunt, non alia puto conditione Novatianos ad iungendam cum illis communionem coëgit quam ut dissoluto posteriore illo coniugio foedissimam illam maculam poenitentia diluerent. Atqui non magis ut cum hoc peccatorum genere post poenitentiam quam ut cum caeteris communicarent omnibus lex ista cautioque ferri Novatianis debuit. Non enim eiusmodi solum digamos, sed quoscumque delicti gravioris reos ab omni spe communionis excluserant. Cur igitur de digamis illis utique nonnisi poenitentiam et illiciti coniugii diremptionem admittendis diserte nominatimque Nicaena synodus exceptum voluit? Quid, inquam, in illo criminis adulteriique genere inesse potest mysterii, ut cum iis, qui negandam peccatis omnibus atrocioribus poenitentiam communionemque censuerant, Nicaeni patres de uno illo stipulentur? Nam quod unum afferre potest, saeculi legibus adulterii genus illud fuisse concessum, ideo momentum habet nullum, quoniam, ut ipsemet asserit, nunquam id ecclesiae persuaderi potuit ut divortii causas illas approbaret, aut aliter de digamis istis quam de adulteris statueret. Quare eadem horum, quae et adulterorum caeterorum, et, quod ad Novatianorum negotium spectat, quam peccatorum omnium, ratio haberi a patribus debuit. Itaque dubium nullum est quin adversus digamorum genus tertium a veteribus conciliis severitatis aculei illi districti fuerint. Nec aliter Balsamo ac Zonaras aliique interpretes canones illos explicant.

Στεφάνη δὲ τούτων πάντων, ὡς εἰκεῖν.] De clericorum continentia ac coelibe vita illustris hic Epiphanii locus est. Sed in Catharorum haeresi LIX. num. IV. longe apertius atque insignius ecclesiasticam hac in re consuetudinem exposuit. Docet enim imprimis episcopum aut presbyterum aut diaconum ex digamis ordinari neminem. Tum neque hos neque subdiaconum aliter consecrari quam vel priore, eaque unica, coniuge mortua, vel ab eiusdem viventis consortio ac consuetudine distractos, nisi virgines omnino sint, praesertim ubi ecclesiastici canones accurate servantur. Nam quod in quibusdam locis presbyteri, diaconi et subdiaconi liberos adhuc suscipiant, id abusione quadam ac disciplinae corruptela fieri, aut vero necessitate, ubi pro ingenti populorum multitudine ministrorum copia non suppetit. Nam alioqui ecclesiae decreto clericorum ordinibus istis continentia praescribitur. Qua Epiphanii autoritate nulla aut expressior aut sanctior haberi potest. Huic par est ac geminum Hieronymi testimonium illud adversus Vigilantium, qui, ut hoc tempore nostrates haeretici, clericorum castimoniam oppugnabat. *Quid facient*, inquit, *orientis ecclesiae? Quid Aegypti et sedis apostolicae, quae aut virgines clericos accipiunt, aut continentes et, si uxores habuerint, mariti esse desierunt?* Atque hoc quidem vel recentiores Graeculi fatentur, post susceptos sacros illos ordines uxorem nemini ducere licuisse. Quod p. 346.
ad Can. Apost. XXVI. Balsamo et Zonaras agnoscunt. Canonis verba sunt: τῶν εἰς κλῆρον προσλθόντων ἀγάμων κελεύομεν βουλομένους γαμεῖν ἀναγνώστας καὶ ψάλτας μόνους. Ad quae Balsamo istud observat, ante ordinationem presbyteros, diaconos et hypodiaconos copulare nuptias atque ita ordinari potuisse, post ordinationem solis hoc lectoribus et cantoribus indultum. Addit Zonaras ante ordinationem interrogari presbyteros, diaconos et hypodiaconos, an continenter et caste vellent vivere. Quod si negaverint, permitti ut ante consecrationem uxores ducant. Sane in Ancyrano Can. X. de diaconis ita sancitum legitur, ut qui ipso ordinationis suae tempore contestati sint, se nuptiis carere non posse, ideoque post ordinationem uxores duxerint, de statu suo non dimoveantur, quod ab episcopo id illis concessum fuerit. Τοῦτο δὲ εἴ τινες σιωπήσαντες καὶ καταδεξάμενοι ἐν τῇ χειροτονίᾳ μίνειν οὕτως μετὰ ταῦτα ἦλθον ἐπὶ γάμον, πεπαῦσθαι αὐτοὺς τῆς διακονίας: *Hoc*

vero, inquit, *si qui forte tacuerint et in ordinatione permanere in ipso* (continentiae scilicet) *statu consenserint, cum deinde nuptias inierint, a diaconatu repellantur.* Quo ex canone illud evinci potest, clericorum maiorum, ad diaconos saltem usque, consecrationem implicitam, ut aiunt, votum iam tum habuisse continentiae. Nam cum eam conditionem apponit, εἴ τινες σιωπήσαντες καὶ καταδεξάμενοι ἐν τῇ χειροτονίᾳ μένειν οὕτως, procul dubio significat, cum ordinatione ipsa implicatam esse tacitam castimoniae legem, quae nonnisi concepta nominatim contestatione devitari posset. Cuiusmodi et in episcopatu suscipiendo fuisse ex Synesii causatione liquet, qui Epist. cv. cum a Ptolemaensibus in Episcopum posceretur, praedicere se ac testari istud asseverat, nolle a coniuge separari. Sed de episcopis ridicule a Graecis hodiernis excipitur, quibus solis nuptiis interdicunt. Nec minus inepte II. Concilii Carthag. Canon ille III. accipitur: *Placuit episcopos et presbyteros et diaconos secundum propria* (al. *priora*) *statuta etiam ab uxoribus continere etc.* In quo canone iampridem eruditi viri Graecorum atque haereticorum inscitiam refutarunt, et Balsamonis imprimis, qui ad Can. IV. Synodi Carthag., quae secunda vulgo censetur, nugas meras effutiit. Atqui canonum III. et IV. Carthag. illius synodi, qui ab episcopis, presbyteris et diaconis continentiam exigunt, tam liquida expressaque autoritas est, ut ludificationem ac fucum omnem respuat. *Placet*, inquit Carthag. II. canon II., *ut episcopi, presbyteri et diaconi, vel qui sacramenta contrectant, pudicitiae custodes, etiam ab uxoribus se abstineant. Ab omnibus dictum est, placet ut in omnibus et ab omnibus pudicitia custodiatur, qui altari deserviunt.* Accedit et Chalced. Canon. XIV.: Ἐπειδὴ ἔν τισιν ἐπαρχίαις συγκεχώρηται τοῖς ἀναγνώσταις καὶ ψάλταις γαμεῖν, ὥρισεν ἡ ἁγία σύνοδος, μὴ ἐξεῖναί τινι αὐτῶν ἑτερόδοξον γυναῖκα λαμβάνειν: *Cum in quibusdam provinciis concessum sit lectoribus et cantoribus uxores ducere.* Non igitur caeteris licebat ordinibus, maxime subdiaconis, ac ne lectoribus quidem et cantoribus ubique, sed in certis duntaxat provinciis. Quanquam de subdiaconis, non ex canonis ullius decreto, ut ait Epiphanius, sed ex quadam indulgentia et οἰκονομίᾳ remissum aliquando videtur. Nam et Carthaginensium conciliorum canones, quibus diserte continentia praecipitur, episcopos duntaxat et presbyteros ac diaconos complexi sunt. Quem-
p. 347. admodum et Arelatense II. Can. III.: *Si quis de clericis a gradu diaconatus in solatio suo mulierem praeter aviam, matrem, sororem, filiam neptem, vel conversam secum uxorem habere praesumpserit, a communione alienus habeatur.* Nam conversam appellat, quae sponte se a viri consuetudine segregarit. Uti canone praecedenti: *Assumi aliquem ad sacerdotium non posse in vinculo coniugii constitutum, nisi promissa fuerit conversio, non oportet.* At Concil. Tolet. I. Can. IV. decrevit: *Ut subdiaconus uxorem alteram ducens inter ostiarios vel lectores habeatur. Quod si tertiam duxerit, quod nec dicendum est, abstentus biennio postea inter laicos reconciliatus post poenitentiam communicet.* At haec Siricius papa in epistola, quae in Telensi concilio lecta est, Can. IX., Innocentius Epist. II. cap. IX., et Epist. III. cap. I. presbyteros duntaxat et diaconos coire cum uxoribus prohibent. Quorum decreta confirmat Agathense Conc. Can. IX. Quod ipsum tamen Can. XXXIX. subdiaconos etiam comprehendit: *Presbyteri, diacones, subdiacones, vel deinceps, quibus ducendi uxores licentia non est, etiam alienarum nuptiarum evitent consortia.* De tribus ordinibus accedit et Concil. Eliberit. Can. XXXIII., et Carthag. II. cap. II. apostolicam hanc institutionem esse significat: *Ut quod apostoli docuerunt*, inquit, *et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Haec nos ex infinitis pauca, quae in adversariis extabant, de clericorum caelibatu selegimus. Caetera

in Annalibus Eccles. ad annum LVIII. tum ab aliis, qui adversus haereses scripserunt, ad idem argumentum disputata reperies.

Δευτερόγαμον δὲ οὐκ ἔξεστι δέχεσθαι.] Digamos non solum ab episcopali munere, sed etiam a sacris omnibus ordinibus exclusos fuisse perpetuo, qui probare velit, is otio et charta intemperanter abutatur. De episcopis locus est apostoli I. Tim. III.: *Oportet episcopum esse unius uxoris virum;* quod idem et ad Titum cap. I., 7. repetit. Quibus in locis Beza et haeretici omnes, praesertim Molinaeus in Fidei Scuto, nec non et iurisconsultus ille supra refutatus a nobis, de digamis illis apostolum interpretantur, qui citra legitimam caussam, hoc est praeter adulterii culpam, repudiata coniuge alteram duxissent. Verum tametsi hoc ipsum digamorum genus eodem apostoli decreto comprehenditur, absurdissimum tamen est non eos quoque contineri credere, qui uxore mortua aliam sibi, et quidem legitimam, coniugem adsciverint. De quo luculentissimum hoc in loco testimonium habes Epiphanii, nec non et in Catharorum haer. LIX. num. IV. Ubi diserte negat sacros ad ordines illum recipi, qui priore coniuge mortua alteram duxerit. Quod adeo verum est, ut ne Ariani quidem contra communem illam receptamque consuetudinem venire ausi fuerint. Nam in Ebionitarum haeresi XXX. num. V. Iosephus Comes, cum Ariani, ut ad partes suas illum traherent, episcopatum ei pollicerentur, ne invitus ab illis ordinaretur, priore coniuge defuncta secundas nuptias iniit. Quaesitum olim fuit, utrum qui ante baptismum coniugem habuisset, digamus eiusmodi censeretur qui ab ecclesiasticis ordinibus arceretur. Qua de re parum probabilis Hieronymi sententia extat in Epist. ad Oceanum, quae est LXXXIII. Cui contraria est Augustini lib. de Bono Coniugii cap. XVIII., aliorumque patrum opinio, cui ecclesiastica traditio ac consuetudo suffragatur. Qua de re Valentini concilii, quod sub Damaso celebratum est, Canon primus ita sta- p. 348.
tuit: *Uti digami ne ordinentur clerici, etiamsi gentiles adhuc hac se infelicis sortis necessitate maculaverint.* Vide Innoc. I. Epist. II. cap. VI. Quin et Zosimus papa epist. I. non modo episcopum, aut diaconum ac subdiaconum, sed ne lectorem quidem, aut exorcistam fieri patitur eum qui viduae sit maritus. Redeo ad apostoli locum illum I. ad Tim. III. Quem, uti dixi, non negandum est ad illos pertinere quoque digamos qui repudiata utcunque coniuge novas nuptias copularint, quo sensu Chrysostomus interpretatus est. Qui et ipse tamen alterius digamorum generis, et quidem eorum qui post priorum obitum alias duxissent, meminit. Τινὲς δέ, inquit, ἵνα ἐκ μιᾶς γυναικὸς ᾖ, φασὶ τοῦτο εἰρῆσθαι: *Quidam ideo dictum hoc ab apostolo censent, ut ab una uxore sit* (mortua scilicet). Clarius in comment. ad Titum Hom. II., ubi caussam hanc apostolicae sanctionis affert. Ὁ γὰρ πρὸς τὴν ἀπελθοῦσαν μηδεμίαν φυλάξας εὔνοιαν πῶς ἂν οὗτος γένοιτο προστάτης καλός: *Qui defunctae uxori benevolentiam nullam servasse deprehenditur, quonam pacto hic ecclesiae praeesse poterit?* Ἀπελθοῦσαν appellat mortuam, non eam quae *repudiata discessit,* ut imperite iurisconsultus vertit. Nam et apud Theophylactum eadem Chrysostomi verba ita redduntur: *Qui enim nullam servavit benevolentiam erga eam quae obiit etc.* Quare posterius illud ac legitimum digamorum genus ab apostolico illo decreto nunquam Chrysostomus exclusit. Unus Theodoretus, quod valde miror, solos digamos, qui plures simul uxores haberent, ab apostolo repudiatos sentire videtur. In quo audiendus non est, multoque minus haeretici, uti Beza caeterique qui in apostolicis verbis praeceptum contineri putant, quod nullum ad episcopatum, nisi uxore ducta, promoveri permittat. Quod iamdudum Theophylactus refellit.

Εἰ δὲ εἶεν ἱκανοί.] Quemadmodum e monachis eligendi sint clerici, docet Augustinus epist. LXXVI.

Καὶ διακόνισσαι δὲ καθίστανται.] Diaconissarum usum et institutum uberius in Collyridianorum haeresi declarat, quae est LXXIX. num. III. et IV. Ubi ad mulierum quae baptizantur obsequia aliasque id genus functiones deligi idque e viduarum potissimum ordine scribit. Unde et *viduae* et *presbytides* appellantur. Hoc vero loco non solum viduas, sed etiam perpetuas capi virgines significat. Zonaras et Balsamo comment. ad Can. XIX. Nicaenae synodi virgines praecipue delectas esse docent: Παρθένοι, inquit Zonaras, τὸ παλαιὸν προσήγοντο τῷ θεῷ ἀγνεύειν ὁμολογοῦσαι, ἃς οἱ ἐπίσκοποι καθίδρυον κατὰ τὸν ς' κανόνα τῆς ἐν Καρθαγένῃ συνόδου, καὶ τῆς τούτων ἐφρόντιζον φυλακῆς κατὰ τὸν μδ' κανόνα τῆς αὐτῆς συνόδου· ἐξ ὧν δὴ παρθένων καὶ διακόνισσαι ἐχειροτονοῦντο κατὰ τὸν καιρὸν τὸν προσήκοντα, ἤγουν ὅτε ἐτῶν ἐγένοντο μ', αἱ δὲ τοιαῦται καί τι σχῆμα ἐνεδύοντο παρὰ τῶν ἐπισκόπων ἐν τῷ κε' ἐνιαυτῷ τῆς ἡλικίας αὐτῶν. Tertullianus vero lib. de Velandis Virgin. cap. IX. viduas ad eiusmodi ministeria constitutas fuisse ex apostoli autoritate significat, et queritur ab episcopo quodam *alicubi virginem in viduatu ab annis nondum viginti collocatam*. Carthaginense IV. cap. XII. de harum officio ita loquitur: *Viduae, vel sanctimoniales, quae ad ministerium baptizandarum mulierum eligantur, tam instructae sint ad officium, ut possint apto et sano sermone docere imperitas et rusticas mulieres tempore quo baptizandae sunt qualiter baptizatori*
p. 349. *interrogatae respondeant, et qualiter accepto baptismate vivant*. Concilium Chalcedonense Can. XV. Διακόνισσαν μὴ χειροτονεῖσθαι γυναῖκα πρὸ ἐτῶν τεσσαράκοντα, καὶ ταύτην μετὰ ἀκριβοῦς δοκιμασίας. De XL. annis idem Agathense decrevit Can. XIX. Ignatius Epist. IX. Ἀσπάζομαι τὰς φρουρὰς τῶν ἁγίων πυλώνων, τὰς ἐν Χριστῷ διακόνους. Epaunense porro Can. XXI. Diaconissas sustulit. *Viduarum*, inquit, *consecrationem, quas diaconas vocant, ab omni regione nostra penitus abrogamus; solam eis poenitentiae benedictionem, si converti ambiunt, imponendo*. Imo et Laodicenum ex ea parte saltem, ut aliis mulieribus minime praeessent, nec earum docendarum munus usurparent, ut Zonaras et Balsamo declarant ad Can. XL. Cuius haec verba sunt: Μὴ δεῖν τὰς λεγομένας πρεσβύτιδας, ἤτοι προκαθημένας ἐν ἐκκλησίᾳ καθιστάσθαι. Quae ita vetus editio Latina concipit. *Mulieres, quae apud Graecos presbyterae appellantur, apud nos autem viduae seniores, univirae et matricullariae nominantur, in ecclesia tanquam ordinatae constitui non debere*. De diaconissis nugatur pseudodiataxis Clem. lib. II. cap. XXVI. Ubi *episcopum* dei patris instar esse dicit, *diaconum* Christi domini, *diaconissam* vero spiritus sancti. Proinde uti spiritus sanctus nihil a seipso dicit facitve, ἀλλὰ δοξάζων τὸν Χριστὸν περιμένει τὸ ἐκείνου θέλημα, ita diaconissae nihil sine diacono debent suscipere. Quae sunt γραώδη et haeresim praeterea τῶν πνευματομάχων redolent.

Εἶθ' ἑξῆς τούτων ἐπορκισταί.] Horum omnium et praecedentium ordinum crebra est in veteribus synodis et apud antiquos patres mentio. Imprimis Carthag. IV. singulos gradus accuratissime describit, et quo quisque ritu sit initiandus declarat. Apud Ignatium cum in aliis Epistolis, tum in postrema IX. praeter maiores illos commemorantur ἀναγνῶσται, ψάλται, πυλωροί, οἱ κοπιῶντες, ἐξορκισταί. De quibus omnibus Annales Eccles. consule.

N. XXII. Συνάξεις δὲ ἐπιτελούμεναι.] Synaxis proprie sacros conventus et, quod in illis a fidelibus celebratur, divinum officium significat, quod sacrarum literarum lectionem, psalmodiam, tractatum, sive sermonem ad populum, ac demum, ubi opus est, divinorum mysteriorum celebrationem complectitur, uti

Fronto Ducaeus noster ad Chrysostomi Orat. II. in Iudaeos adnotavit. Nonnunquam tamen, ut apud Dionysium, praesertim libro de Eccles. Hierarch. cap. III., pro ipsa communione vel missae sacrificio sumitur. Nam ibi caussam inquirit cur κοινωνίας et συνάξεως appellatio divino illi augustissimoque sacramento, quam τελετὴν τελετῶν nominat, praecipue tribuatur, cum caeterorum ea quoque vis sit, ut μεριστὰς ἡμῶν ζωὰς εἰς ἑνοειδῆ θέωσιν συνάγειν, hoc est consociare possint. Proprie tamen, ut nos diximus, σύναξις conventum sacrum et divinum quod in eo peragitur officium sonat. Sic Epiphanius in Haeres. LXIX., quae est Ariomanitarum, de Ario caeterisque presbyteris per urbanas ecclesias Alexandriae distributis: Ἕκαστος δὲ τούτων ὅῆλον κατὰ τὴν εἰθισμένην σύναξιν τὸν αὐτῷ πεπιστευμένον λαὸν διδάσκων ἐν ταῖς ἐξηγήσεσι etc. Hanc Latini *collectam* vel *missam*, ut idem Fronto noster observat, appellare consueverunt. At Casaubonus Exercit. XVI. p. 350. num. XLII. dum Parisiensis editionis notas in Chrysostomum redarguit, castigandus et ipse venit. Nam pleraque oscitanter attigit. Imprimis Chrysostomus fideles adhortans, ut pro se quisque captandis ac lucrifaciendis proximis incumbat, his verbis alloquitur: Τί μέγα αἰτῶ παρ' ὑμῶν, ἀγαπητοὶ; ἕκαστος ὑμῶν ἕνα μοι τῶν ἀδελφῶν ἀνασωσάτω, περιεργασάσθω, πολυπραγμονησάσθω, ἵνα εἰς τὴν ἐπιοῦσαν σύναξιν μετὰ πολλῆς παῤῥησίας ἀπαντήσωμεν, δῶρα τῷ θεῷ κομίζοντες, δῶρα πάντων τιμιώτερα τὰς ψυχὰς τῶν πεπλανημένων ἐπαναγαγόντες. Hic Erasmus verba illa εἰς τὴν ἐπιοῦσαν σύναξιν verterat: *in crastina communione*. Quod merito reprehensum a Frontone nostro, proque *communionis* vocabulo substituta vox *collectae*. Displicuit haec emendatio Casaubono, qui cum Erasmo σύναξιν illic communionem esse defendit, eo fretus argumento quod donorum oblatio, de quibus loquitur Chrysostomus, eucharistiam designet. Sed mira est critici illius ἀπροσεξία. Nam δῶρα ista non sunt panis et vinum, quae ad eucharistiam adhibentur, aut eucharistia ipsa, sed nimirum fratrum et Christianorum animae, quibus ad synaxin adducendis et conservandis ut studeant auditores suos admonebat.

Proximus est Epiphanii ille ipse locus quem prae manibus habemus, in quo synaxes ait ex apostolica traditione in feriam quartam et parascevem ac dominicam incidere. *Hic potest dubitari* (Casauboni verba sunt) *an simpliciter conventus sacri intelligantur, ad verbum audiendum et orandum, an etiam de coenae domini celebratione senserit Epiphanius. Ratio dubitandi oritur ex observatione diversa veterum ecclesiarum. Nam, ut testatur Socrates, pleraeque omnes orbis terrarum ecclesiae, et his diebus, et sabbatis etiam ad synaxes conveniebant, in quibus mysteria celebrabantur.* Haec ille. Sed quod Socratem affirmare dicit in plerisque omnibus terrarum orbis ecclesiis synaxes et mysteria feria quarta, sexta et sabbato celebrari, falsissimum est. De sabbatis id quidem toto orbe usitatissimum esse, si Romanam ecclesiam et Alexandrinam exceperis, docet libro illo, quem Casaubonus citat historiae v. cap. XXI. Quod autem feria quarta sextave synaxes et mysteria celebrata fuerint, nusquam prodidit. Quin potius de solis Alexandrinis id refert, omnia apud illos, quae in synaxibus geri mos est, praeter mysteria ac sacrificia, biduo illo perfici. Quare neque ex Epiphanio neque ex Socrate confici potest, feria quarta et parasceve Christianos augustissima illa dominici corporis sacra celebrasse. Quod utrum aliunde colligi possit, antequam disputo, prius error ille castigandus est, quem non solum Casaubonus, sed et alii pridem pii et eruditi homines imbibisse videntur, in omnibus synaxibus mysteriorum celebrationem ac participationem locum habuisse. Quod secus se habet. Nam a mysteriorum celebratione ac communione synaxis perinde differt, ut genus a forma; propterea quod non omnibus in synaxibus dominicum corpus aut offere-

batur, aut a fidelibus usurpabatur. Quod ex Socrate primum, loco illo quem paulo ante citavimus, intelligitur, ubi τῇ τετράδι καὶ παρασκευῇ synaxes Alexandriae fieri scribit, δίχα τῆς τῶν μυστηρίων τελετῆς.

p. 351. Tum universe de Orientalibus ac Graecis ita potest confici. Etenim per solennes ieiuniorum dies mysteria nulla et sacrificia peragebantur, neque publice ac legitime communicabant fideles. Nam Laodicenum concilium canone XLIX. vetat quadragesimali tempore panem offerre praeterquam in sabbato atque dominica. Ὅτι οὐ δεῖ τῇ τεσσαρακοστῇ ἄρτον προσφέρειν, εἰ μὴ ἐν σαββάτῳ καὶ κυριακῇ μόνον. Quem canonem plerique non recte de eulogiis, sive fermentato pane, interpretati sunt; de quo agit idem Laodic. Can. XIV., et Innocentius I. Epist. I. cap. 5. Atque hunc iccirco putant offerri per illos dies minime licuisse, ne ea solvendi ieiunii esset occasio. Cuius falsissimae interpretationis autores vis ipsa verbi προσφέρειν ac potestas refellit, quae de sacrificio et oblatione solet accipi, ut in Nicaeno Can. XVIII. Est igitur προσφέρειν ἄρτον panem ipsum repraesentare, ex quo Christi corpus consecratione fieret. Quod partim a sacerdotibus ipsis in sacrorum functione ac τελετῇ geritur, partim ante mysteriorum celebrationem a fidelibus. Nemo enim citra notam aliquam ἀσύμβολος, et sine oblatione propria communicabat, sed panem suum ac vinum offerebat. Hinc vehemens illa Cypriani querela de matronis locupletibus lib. de Opere et Eleemos. *Locuples et dives es, et dominicum celebrare te credis, quae corbonam omnino non respicis, quae in dominicum sine sacrificio venis, quae in partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis?* Augustinus Serm. CCXV. de Tempore: *Oblationes, quae in altario consecrentur, offerte. Erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicat.* Quod idem et sequenti sermone repetit. Quoniam igitur qui communionis iure praeditus erat, idem aut offerebat, aut offerre certe, unde communicaturus esset, poterat, hinc vetusti canones eos qui in extremo gradu poenitentium haererent, quam σύστασιν nominabant, qui cum fidelibus orationum duntaxat erant participes, nec dum dominicum corpus usurpabant, κοινωνεῖν dicebant ἄνευ προσφορᾶς; ut est in Ancyrano Can. V. et XXIV. A quo demum ordine ad absolutum integrumque statum transferebantur, quam μέθεξιν τῶν ἁγίων et τὸ τέλειον appellant; cum scilicet perinde ad oblationes faciendas atque ad participandam eucharistiam admitterentur. Neque enim quorumcunque oblationes receptae sunt, sed sceleratorum hominum ac poenitentium, et universe τῶν ἀδέκτων καὶ ἀκοινωνήτων reiectae. De quo vide Constit. Apost. lib. III. cap. V. Et Vasense concilium Can. II. iubet, *ut poenitentium, qui sine communione inopinato transitu in agris aut itineribus praeveniuntur, oblationes recipiantur.* Excutiebantur itaque primum oblationes a diaconis, atque utrum eiusmodi essent inquirebatur, quae repraesentari ad altare possent. Igitur in Laodiceno concilio ἡ προσφορὰ de utroque genere oblationis potest intelligi, tam ea quae a fidelibus quam quae a sacerdotibus fiebat. Nec obstat quod προσφέρειν ἄρτον scriptum est in Canone; quae fuisse caussa videtur ob quam catholici viri de eulogiis potius quam de eucharistia dictum illud interpretarentur. Nam vel ἄρτος ad id refertur quod ante con-

p. 352. secrationem fuit, aut corpus ipsum domini *panis* usitata cum in scripturis, tum apud patres appellatione dicitur. Sic in Carthag. concilio apud Zonaram ad Balsam. Can. XL. περὶ τοῦ μὴ ἐξεῖναι περαιτέρω ἄρτου καὶ οἴνου ὕδατι μεμιγμένου τί ποτε ἐν τοῖς ἁγίοις προσφέρειν, ἵνα ἐν τοῖς ἁγίοις μηδὲν πλέον τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου προσενεχθείη· ὡς καὶ αὐτὸς ὁ κύριος παρέδωκεν, τουτέστι ἄρτου καὶ οἴνου ὕδατι μεμιγμένου. Quod apud Latinos Can. XXIV. Concilii III. Carthag. ita legitur: *Ut in sacramentis corporis et sanguinis domini nihil amplius offeratur quam ipse*

dominus tradidit, hoc est panis et vinum aqua mixtum. Proinde nihil certius est quam in Laodiceno canone prohiberi ne per solennes ieiunii dies oblationes et sacrificia celebrentur. Excipit sabbatum ac dominicam, quibus in Oriente ieiunare nefas arbitrabantur. Quod ex Trullana synodo comprobari potest, quae Can. LII. ita sanxit: Ἐν πάσαις ταῖς τῆς ἁγίας τεσσαρακοστῆς τῶν νηστειῶν ἡμέραις, παρεκτὸς σαββάτου καὶ κυριακῆς καὶ τῆς ἁγίας τοῦ εὐαγγελισμοῦ ἡμέρας γινέσθω ἡ τῶν προηγιασμένων ἱερὰ λειτουργία. *In omnibus quadragesimalis ieiunii diebus, excepto sabbato ac dominica et sacro annunciationis die, celebretur sanctum ante consecratorum sacrificium.* Quem ad canonem Zonaras haec adnotat: αἱ τῶν νηστειῶν ἡμέραι πένθους εἶναι ἐτάχθησαν, καὶ κατανύξεως εἰς ἐξίλασμα τῶν ἑκάστου σφαλμάτων· τὸ δὲ τῷ θεῷ προςάγειν θυσίας πανηγυρίζειν ἐστὶ etc. Διὰ τοῦτο ἐν μὲν ἄλλαις τῆς τεσσαρακοστῆς ἡμέραις ἡ τῶν προηγιασμένων γίνεται λειτουργία, οὐ τότε γινομένης τῆς ἀναιμάκτου θυσίας, ἀλλὰ τῆς ἤδη προςαχθείσης καὶ τελεσθείσης αὖθις προςαγομένης. Κατὰ δὲ τὰ σάββατα καὶ τὰς κυριακὰς, ἐπεὶ ἐν ταύταις νηστεύειν ἀπηγόρευται, ἐνδέδοται καὶ θυσίαν προςφέρειν, καὶ τελείαν λειτουργεῖν λειτουργίαν. Quocirca sacrificium nequaquam per ieiunii dies oblatum est, sed ea retractabantur quae iam ante consecrata fuerant, uti sacro parasceves magnae die apud nos fieri consuevit. Extant illae τῶν προηγιασμένων λειτουργίαι tom. VI. Biblioth. cum Genebrardi praefatione, in qua Graecorum ritum illum adversus catholicos quosdam doctores propugnat, negatque propterea damnandum esse, quod nulla in iis liturgiis neque consecratio neque distributio ac communio contineretur. Apparet autem, quemadmodum in synaxibus, quae per illos dies fiebant, nullum est oblatum sacrificium, ita nullam fidelium communionem extitisse. Quod praeterea alio ex argumento colligitur. Etenim neque ieiunantes osculum pacis fratribus impartiebantur, neque mysteriorum celebratio ac participatio sine pace osculoque peragebatur. Horum primum Tertullianus lib. de Orat. sub finem indicat his verbis: *Sic et die paschae, quo communis et quasi publica ieiunii religio est, merito deponimus osculum, nihil curantes de osculando, quod cum omnibus facimus.* In publicis igitur solennibusque ieiuniis pacem, hoc est osculum, sibi mutuo fideles non dabant. Quod cum in privatis et voluntate susceptis perinde ab illis observaretur, paulo ante idem Tertull. improbat: *Alia iam*, inquit, *consuetudo invaluit. Ieiunantes habita oratione cum fratribus subtrahunt osculum pacis, quod est signaculum orationis.* Unde illos admonet, ut cum privatim ipsi ieiunant, *domi quidem, inter quos latere ieiunium in totum non datur, pacem differant:* at publice et in ecclesia dissimulato ieiunio consuetudini serviant. Posterius vero, nempe p. 353.
cum mysteria celebrarentur, pacem atque osculum a fidelibus oblatum fuisse, vix est ut probari necesse sit. Res enim est perspicua. Sed aliquot nihilominus veterum testimonia producam. Primum Ladodicenum conc. Can. XIX. in liturgiis et synaxibus hunc praescribit ordinem. Post habitos ab episcopo sermones catechumenorum succedebat oratio. Quibus digressis super poenitentes orabant. Ii sub manus subeuntes ubi recesserant, tum fidelium triplex oratio concipiebatur: Εἶθ' οὕτως τὴν εἰρήνην δίδοσθαι, iubet, καὶ μετὰ τὸ πρεσβυτέρους δοῦναι τῷ ἐπισκόπῳ τὴν εἰρήνην, τότε τοὺς λαϊκοὺς τὴν εἰρήνην διδόναι, καὶ οὕτω τὴν ἁγίαν προσφορὰν ἐπιτελεῖσθαι. *Tum pax*, inquit, *danda, quam ubi episcopo sacerdotes impertierint, laici sibi invicem dabunt. Secundum quae perficiatur oblatio.* At Innocentius Epist. I. ad Decent. cap. I. pacem prohibet ante finita mysteria dari. *Pacem ergo asseris*, inquit, *ante confecta mysteria quosdam populis imperare, vel sibi inter sacerdotes tradere; cum post omnia, quae aperire non debeo, pax sit*

necessario indicenda, per quam constet populum ad omnia quae in mysteriis agantur atque in ecclesia celebrantur praebere consensum.

Quibus subductis omnibus liquet vetustissimos etiam Christianos in synaxibus suis non perpetuo communicasse, publice saltem ac legitime. Nec interim negamus privatim domi, vel extra synaxin communicare aliquos potuisse, cum eucharistiam, quam a sacerdote semel acceperant, domi reservatam reliquos in dies dispensare solerent. De quo vide quae Basilius Epist. CCLXXXIX. ad Caesariam Patriciam scribit. Tum annalium auctorem ad annum LVII. Redeo iam ad synaxes illas, quas Epiphanius ab apostolis fuisse traditas affirmat, feriae quartae, parasceves et dominicae. Inter quas miretur quispiam sabbati mentionem nullam esse factam. Hoc enim die synaxes Oriente fere toto celebratas ac frequentata mysteria testatur Socrates lib. illo v. cap. XXII. Quanquam hic, ut et Sozom. lib. VII. cap. XIX. Alexandrinos et Romanos excipit: Τῶν γὰρ πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης ἐκκλησιῶν ἐν ἡμέρᾳ σαββάτων κατὰ πᾶσαν ἑβδομάδος περίοδον ἐπιτελουσῶν τὰ μυστήρια, οἱ ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ καὶ οἱ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐκ τινός ἀρχαίας παραδόσεως τοῦτο ποιεῖν παρητήσαντο: *Cum enim omnes totius orbis ecclesiae sabbatis omnibus per unamquamque hebdomadam mysteria celebrent, Alexandrini et Romani ex vetere quadam traditione id agere detrectarunt.* Ita non Orientis modo, sed et totius orbis consuetudinem fuisse scribit; quod ego verum non arbitror. Fuit enim Orientis fere solius. In Responsis Canon. Timothei Alexand. apud Balsam. Interrog. XIII. quaesitum est, quibus diebus coniuges continere debeant? Respondet Timotheus omnino sabbato ac dominica temperandum, διὰ τὸ ἐν αὐταῖς τὴν πνευματικὴν θυσίαν ἀναφέρεσθαι τῷ κυρίῳ. Igitur sabbatis Alexandriae celebrata mysteria, contra quam Socratis aetate factum est. Atqui forte an Cyprii (*apud* quos ista scripsit Epiphanius) Romanos aut vicinos suos Alexandrinos imitati synaxes nullas sabbatis instituerunt: reliquis vero, hoc est quarta sextave feria, nulla in synaxibus mysteria celebrarunt. De mysteriis certe mentio nusquam hic habetur, contra quam Casaubonus aliique temere prodiderunt. In sequenti numero Epiphanius de sabbati synaxibus ita loquitur, ut in ecclesia sua institutas negare videatur. Scribit enim: ἔν τισι δὲ τόποις καὶ ἐν τοῖς σάββασι συναξεις ἐπιτελοῦσιν. Non igitur in Cypro; ac proinde verissima est coniectura nostra, Cyprios Alexandrinorum morem imitatos esse. Ac cum paulo ante demonstratum sit, quadragesimalis ieiunii tempore nulla in sacris conventibus celebrata fuisse mysteria, de quarta sextaque feria idem videri possit, cum in illis solenne peraeque ieiunium extitisse autor sit Epiphanius. Sed ne istud asseveremus, prohibet imprimis illud, quod ἡ τῶν προηγιασμένων λειτουργία soli Quadragesimae ieiunio in veteribus conciliis et liturgicis adscribatur. Accedit et disertissimus Tertulliani locus, qui in lib. de Orat. sub finem ostendit, ipsis stationum diebus, *quae* feria quarta sextaque cum ieiuniis obiri consueverant, ut paulo post dicetur, sacrificia celebrari ac dominicum corpus in fideles distribui solere. *Similiter,* inquit, *de stationum diebus non putant plerique sacrificiorum orationibus intervenien-dum, quod statio solvenda sit accepto corpore domini. Ergo devotum deo obsequium eucharistia resolvit, an magis deo obligat? Nonne solennior erit statio tua, si ad aram dei steteris? Accepto corpore domini et reservato, utrumque salvum est, et participatio sacrificii et executio officii.* Qui locus paulo a nobis postea declarabitur. Ad haec Basilius in Epistola ad Caesariam, cuius supra meminimus, cum quotidianam communionem plurimum commendasset, ista subiicit: ἡμεῖς μέντοι γε τέταρτον καθ' ἑκάστην ἑβδομάδα κοινωνοῦμεν, ἐν τῇ κυριακῇ, ἐν τῇ τετράδι καὶ ἐν τῇ παρασκευῇ καὶ τῷ σαββάτῳ, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἡμέραις, ἐὰν ᾖ μνήμη μάρ-

p. 354.

τυρός τινος: *Nos quater in quaque hebdomada communicamus, dominica, feria quarta, parasceve, sabbato, sed et diebus caeteris, in quos memoria martyris alicuius incidit.* Unde quod de ieiunio dictum est, nullum in eo celebratum fuisse mysterium, neminemque communicasse fidelium, de solo quadragesimali par est accipi, si Alexandrinos eximas, quorum velut singulare istud a Socrate commemoratur, quod feria quarta atque sexta omnia praeter τελετὴν synaxeon propria praestiterint. De quo proxime videbimus.

Denique quod Epiphanius admonet, *triplicem illam synaxin dierum totidem ab apostolis esse traditam*, haud scio an satis certo constare queat. Nam primis ecclesiae temporibus unus duntaxat dominicus dies ad eam rem observatus videtur, ut ex apostolo I. ad Cor. cap. XVI. colligitur. Quinetiam Iustinus Martyr Apol. II. cum de Christianorum conventibus agit, solius dominicae meminit: τὴν δὲ τοῦ ἡλίου ἡμέραν κοινῇ πάντες τὴν συνέλευσιν ποιούμεθα. Quare magis id ex privato ecclesiae cuiusque ritu, quam ex communi apostolorum praescripto derivatum existimo, ut quarta sextave feria, aut etiam sabbato synaxes conventusque fierent. Quam in rem egregius est Augustini locus Epist. CXVIII. qui mihi hic adscribendus videtur: *Alia vero*, inquit, *quae per loca terrarum regionesque variantur; sicuti est quod alii ieiunant sabbato, alii vero non, alii quotidie communicant corpori et sanguini dominico, alii certis diebus accipiunt, alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur, alibi sabbato tantum et dominico, alibi tantum dominico, et si quid aliud huiusmodi animadverti potest: totum hoc genus rerum liberas habet observationes.* Innocentius porro Epist. I. cap. IV. feria sexta et sabbato sacramenta minime celebrari scribit his verbis: *Quod utique non dubium est, in tantum eos ieiunasse* (de apostolis loquitur) *biduo memorato, ut traditio ecclesiae habeat, isto biduo sacramenta penitus non celebrari.* In Mediolanensi ecclesia quotidie sacrificium oblatum ex Ambrosio constat, qui Sermon. XXXIV. ita loquitur: *Moneo etiam ut qui iuxta ecclesiam est, et sine gravi impedimento potest, quotidie audiat missam, et qui potest, omni nocte ad matutinum veniat.* Et paulo post: *In quadragesima vero monec, ut die omni, aut saltem, ut dixi, dominica, offeratis et communicetis.* Varia igitur admodum per ecclesias consuetudo fuit. Non de vetustissimis temporibus, deque Orientalibus maxime, quae diximus intelligi volumus. p. 355.

Ex illo vero postremo Ambrosii loco liquet, falsissimum esse, quod haereticis quibusdam nimium stolide persuasum esse video, nunquam in vetere ecclesia missam auditam a fidelibus esse, quin una communicarent. Quo in errore sane stupidissimo versatur Casaubonus Exercit. XVI. ad Ann. Baron. num. LVIII. Et, quod mirum est, hunc ipsum Ambrosii locum citat, nec advertit eundem, cum quotidie missas audire, in quadragesima vero, si fieri potest, etiam communicare iubeat, satis innuere, nequaquam quotidie, caeteris saltem praeter quadragesimam diebus communicatum fuisse. Apud Eusebium lib. VII. Histor. cap. IX. in historia cuiusdam, qui ab haereticis baptismum acceperat, ita legitur: εὐχαριστίας γὰρ ἐπακούσαντα, καὶ συνεπιφθεγξάμενον τὸ ἀμὴν, καὶ τραπέζῃ παραστάντα, καὶ χεῖρας εἰς ὑποδοχὴν τῆς ἁγίας τροφῆς προτείνοντα etc. Casaubonus ut *audire missam* idem esse quod *communicare* confirmet, hunc Eusebii locum affert, quo nihil est alienius. Nam ex eodem ipso probatur diversum ac distinctum esse quiddam ἐπακούειν τῆς εὐχαριστίας et *participare dominico corpori*; quamvis duo haec tum ab illo praestita fuerint. In Agathensi vero concilio, quod ex Gratiano citat Casaubonus, tantum abest ut aliquid ad errorem illum sublevandum decretum fuerit, ut contrarium potius manifeste colligi possit. Etenim Can. XLVII. patres ita prae-

cipiunt: *Missas die dominica saecularibus tenere speciali ordine praecipimus, ita ut ante benedictionem sacerdotis regredi populus non praesumat. Qui si fecerint, ab episcopo publice confundantur.* Atqui Can. XVIII. ita statuit: *Saeculares qui in natali domini, pascha, pentecoste non communicaverint catholici non credantur nec inter catholicos habeantur.* Hic tribus duntaxat diebus quotannis fideles ad communionem commpellit, illic dominicis singulis iubet audire missam. Non est igitur idem *audire missam* ac *communicare*, nec ambo illa fidelium usu ecclesiaeque veteris perpetuo fuere coniuncta.

Τετράδι δὲ καὶ ἐν προσαββάτῳ.] Antiquissima est utriusque ieiunii religio, cuius et in Aërianis supra mentionem egit. In Canon. Apost. LXIX. cum quadragesimali, τετράδος et παρασκευῆς ieiunium eadem sanctione praecipitur. Ad quem Balsamo istud adnotat, perinde duabus illis feriis atque in quadragesima ξηροφαγίαν praescribi. Tum ne praesenti quidem mortis in periculo carnibus vesci licere. Ignatius Epist. v. ad Philipp. eiusdem praecepti meminit. In Constit. Apost. lib. VII. cap. XXIV. caussa cur τετράδι ieiunandum sit haec affertur, quod
p. 256. et feria quarta deliberatum a Iudaeis est de interficiendo Christo et Iudas operam suam detulit. Cui adstipulatur et Petrus Alexandrinus Can. XV. Et quidem probabilis est ista ratio. Quam vero hic Epiphanius reddit, falsa est et evangelicae veritati contraria. Vult enim Christum dominum feria quarta comprehensum. Quod in diatriba de Passione domini supra discussum ac refutatum est, pag. 173. De iisdem ieiuniis mentionem facit non uno in loco Tertullianus et stationes illis ipsis diebus obiri consuevisse significat; ut in lib. de Ieiuniis contra Psychicos: *Cur stationibus quartam et sextam sabbati dicamus, et ieiuniis parascevem?* Et cap. II.: *Sic et apostolos observasse, nullum aliud imponentes iugum certorum et in commune omnibus obeundorum ieiuniorum, proinde nec stationum, quae et ipsae suos quidem dies habeant, quartae feriae et sextae.* Cuiusmodi porro stationes illae fuerint et utrum ieiunia ipsa stationes appellatae sint, paulo est hoc loco diligentius inquirendum. Res enim est non minus studio digna quam propter antiquitatem obscura, neque vulgo satis cognita.

Stationes igitur statos ieiuniorum esse dies Pamelius ad lib. de Corona Mil. cap. XL. scribit: *metaphora a militibus orta, quod quandiu in statione erant, ieiunare eos oportebat.* Quod et alibi passim repetit. Ac ieiunium quidem stationem cum alii plerique vocant, tum Hermas lib. III. Simil. V. *Quid est*, inquit, *statio? Et dixi, ieiunium.* Rhabanus Maurus lib. II. de Instit. Cleric. cap. XVIII. ex quorundam sententia inter ieiunium et stationem id interesse scribit, quod ieiunium *indifferenter cuiuslibet diei sit abstinentia, non per legem, sed secundum propriam voluntatem:* Statio, *observatio statutorum dierum, ut quartae et sextae feriae, vel quadragesimae.* Citantur et haec apud Pamelium Ambrosii verba Serm. XXXVI. *Stationes vocantur ieiunia, quod stantes et commorantes in eis inimicos insidiantes repellimus.* Verum neque ego stationem idem esse cum ieiunio arbitror, neque, ut intersit aliquid, discrimen illud probo quod apud Rhabanum legitur. Quod enim a ieiunio discrepet, ex Tertulliano liquet, qui lib. II. ad Uxorem cap. IV. ita loquitur: *Ut si statio facienda est, maritus de die condicat ad balneas: si ieiunia observanda sunt, maritus eadem die convivium exerceat.* Quinetiam loco illo citato ex lib. contra Psych. cap. XIV. stationes a ieiuniis secernit, cum stationibus quartam et sextam sabbati dicatam esse dicit, parascevem ieiuniis. Contra lib. de Corona Mil. cap. XI. stationes pro ieiuniis usurpari Pamelius existimat his in verbis: *Ium et stationes aut alii magis faciet, quam Christo? aut et dominico die,*

quando nec Christo? Et multo manifestius lib. de Anima cap. XLVIII.: *Quia et Daniel trium hebdomadum statione aruit victum.*

Sed ego stationem apud Tertullianum praesertim religiosum illud esse fidelium officium arbitror, quo certis diebus ad synaxin adeuntes, ibidem ad nonam usque perseverabant, ad quam insuper ieiunia producebant. Unde et pro multitudine ipsa conventuque nonnunquam solet accipi. Non secus, opinor, ac militaris statio tam pro loco, quam pro standi et excubandi functione, imo et pro ipsa militari manu apud Latinos usurpatur. Livius lib. XXXVIII.: *Pabulatores lignatoresque Romani in eam partem, in qua colloquium futurum erat, ducti sunt, tutius id futurum tribunis ratis, quia cos. praesidium et ipsum pro statione habituri erant, suam tamen alteram stationem propius castra* DC *equitum posuerunt.* Erant milites, qui aliquanto a castris intervallo ad eorum tutelam excubabant. Eodem *p.* 357. modo Christianorum stationes tam sacrae illae diebus certis excubationes quam ipsimet fidelium conventus appellati. Tertull. in calce lib. de Orat.: *Si statio de militari exemplo nomen accipit (nam et militia dei sumus), utique nulla laetitia sive tristitia obveniens castris stationes militum rescindit.* Quibus verbis demonstrat, nequaquam, quod vulgo persuasum erat, stationes dominici corporis communione dissolvi, quoniam quicquid in castris accidat, sive prosperum sive triste, militaris nihilominus statio perseverat. Perperam igitur Rhabanus haec posteriora, *utique nulla laetitia sive tristitia* etc., velut caussam attulit cur Christianorum statio a militari nomen accepisset. Quo eodem errore Pamelius ad lib. de Corona Mil. cap. XI. stationem dicit per metaphoram a militaribus stationibus usurpari, *quod quandiu in statione milites erant, ieiunare illos oportebat.* Quod sane ridiculum est. Neque vero tandiu famelicos esse praesidiarios illos et excubitores exercitus ipsius atque imperatoris interfuit. Sed nec a statis temporibus stationes nominatae videntur, sed ab ipsa assistendi, hoc est conveniendi commorandique functione, quod ultra legitimum synaxeon tempus, videlicet matutinum, divinum officium ad nonam usque producerent, et diuturniores in ecclesia moras agerent. Apud Cyprianum Epist. XLI. ad Cornelium papam stationis nomen tam de conventu ipso, quam de tempore ac die potest intelligi, cum de Novatiani legatis in Africam missis agens: *Qui cum in statione*, inquit, *invidiosis quoque conviciis et clamoribus turbulentis prorueranl* etc.

Quamobrem stationes non ieiunia ipsa sunt, sed cum ieiuniis coniuncta. Quanquam duplex ieiuniorum genus apud antiquos fuit. Nam aliud exquisitius erat, quod longius, hoc est ad vesperam usque prorogabatur, uti quadragesimale ieiunium. Epiphanius enim infra, eodem isto numero, synaxes quadragesimales ab hora nona ad vesperam usque celebrari docet, ante quas synaxes ieiunia minime solvebantur. Aliud erat paulo remissius ac brevius, quod ad nonam duntaxat produceretur, cuiusmodi feriae quartae sextaeque ieiunium extitisse idem Epiphanius asserit: τετράδι καὶ ἐν προσαββάτῳ ἐν νηστείᾳ ἕως ὥρας ἐνάτης. Hinc est quod, ut ex Tertulliano conspicuum est, stationes non ultra nonam extenderentur. Quo nomine a catholicis, quos psychicos appellat, Montanistae reprehensi sunt, pro eo quod stationes suas ad vesperam proferrent. Tertulliani verba sunt lib. de Ieiuniis contra Psych.: *Aeque stationes nostras, ut indignas, quasdam vero et in serum constitutas novitatis nomine incusant, hoc quoque munus et ex arbitrio obeundum esse dicentes, et non ultra nonam detinendum, de suo scilicet more.* Ibidem praeterea: *Arguunt nos quod ieiunia propria custodiamus, quod stationes plerumque in vesperum producamus.* Quo in loco non leviter hallucinatus est Pamelius, dum Tertullianum per calumniam haec in orthodoxos iacere scribit,

quod negarent stationes, hoc est ieiunia ultra nonam propaganda, cum, ut ex infinitis veterum testimoniis constat, ad solem occasum usque ieiunia produxerint. Sed aliud videlicet statio est quam ieiunium, et ieiunia stationum, uti nec stationes ipsae, minime ultra nonam observabantur. Quare merito a catholicis castigata Montanistarum illa novitas est, quod stationes et ieiunia aliis, quam
p. 358. quae ab ecclesia praescripta essent, temporibus ad vesperam extenderent. Nam feria quarta sextaque ad nonam duntaxat perseverasse in statione Montanistas eodem illo libro cap. x. Tertull. indicat: *Non quasi respuamus nonam*, inquit, *cui et quarta sabbati et sexta plurimum fungimur*. Propterea vero stationum ieiunia illa *semiieiunia* ab eodem autore nominantur, cap. XIII.: *Ecce enim* (ait adversus catholicos) *convenio vos et praeter pascha ieiunantes citra illos dies, quibus ablatus est sponsus, et stationum semiieiunia interponentes.*

Sed obscurissimus est iisdem de stationibus quartae sextaeque feriae Tertulliani locus cap. XIV.: *Cur stationibus*, inquit, *quartam et sextam sabbati dicamus et ieiuniis parasceven?* Nam parasceve quid aliud est quam sexta sabbati? Praeterea ieiunium parasceve soli tribuit, quasi non et feria quarta ut statio, ita ieiunium solenne fuerit. Huius in loci interpretatione mirum quid Pamelio in mentem venerit, cum parasceven a Tertulliano nove sabbatum appellari credidit. *Stationes*, inquit, *appellat quartae et sextae feriae ieiunia, quod statuta essent illis diebus ieiunia, non item die parasceves, quae erant voluntaria.* Et numero sequente *parasceven* ait *esse sabbatum, quod dominicam praecederet. Quo die ieiunium pro cuiusque voluntate servatum est.* Nihil aut absurdius aut quod a Tertulliani mente magis abhorreret afferri potuit. Tantum enim abest ut Tertullianus sabbatum ieiuniis dicatum esse pronunciaverit, ut de eo statim ista subiicist: *Quanquam vos etiam sabbatum, si quando, continuatis, nunquam nisi in pascha ieiunandum, secundum rationem alibi redditam.* Si nunquam sabbato ieiunandum, uno duntaxat excepto, quomodo dicatum a suis, perinde ac catholicis, ieiunio sabbatum Tertullianus dicere potuit? Aliunde igitur quaerenda est loci illius explicatio. Quae an eiusmodi possit esset, considerandum est. Nimirum Tertulliani tempore, cum stationes feria quarta et sexta fierent, ambae quidem ad nonam duntaxat horam prorogatae sunt, sed feria quarta statim post stationis exitum horamque nonam ieiunium solvere licitum fuit. Sexta vero feria, expleto stationis tempore, non statim fas erat vesci, sed ad vesperam tantum. Unde feria quarta semiieiunium, ut Tertullianus vocat, observatum est, sexta ieiunium. Ita nonnullis in locis, ut paulo post testatur Epiphanius, feria quinta maioris hebdomadae cum stationes et synaxes ad horam nonam celebrarentur, non tamen subinde ieiunia solvebantur. Et vero arctiore ieiunio ac diuturniore inedia celebranda dies ille fuerat, quae dominicae passioni praecipue consecratur. Equidem non video quid de Tertulliani loco illo dici probabilius possit. Iam vero per illos stationum dies, quae cum ieiunio coniunctae erant, contra atque in maioribus ieiuniis usurpari consueverat, divina mysteria et sacrificia peragebantur, distributa quoque in fideles eucharistia; quam tamen non subinde in os traiici, sed reservari oportere Tertullianus admonet, in calce lib. de Orat. donec absoluta sit statio. Neque tum praetermissum videtur pacis osculum, quod uno paschae die communiter ab omnibus omissum idem auctor significat. Sed de variis ecclesiarum ritibus consule quae in superiore nota ex Augustino et Innocentio declaravimus. Plura de hoc stationum ritu antiquitatis ecclesiasticae studiosi pervestigare poterunt, cum et nos pleraque consulto praeterierimus, ut ea sola complecteremur quorum obscuritas lucem aliquam nostrae disputationis exigeret.

Δέχα μόνης τῆς Πεντηκοστῆς.] Vide Nicaenum canonem ult. Cassianum collat. xxi., cap. xi. p. 359.

Οὕτε ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῶν Ἐπιφανίων.] Multis igitur modis admirabile est decretum illud Theophili Alexandrini episcopi, quod apud Balsamonem extat pag. 1067., in quo et Theophania νήστιμον ἡμέραν esse dicit, et, quoniam illo anno in dominicam inciderat, paucis tantummodo dactylis vesci iubet, quo ab haereticis seianctos se esse profiterentur, qui dominicae resurrectionis diem non colerent, et hoc ipso, quod vespertinam synaxin praestolarentur, ieiunii religioni satisfacerent ac postremo synaxes ab hora nona celebrandas indicit. Atqui dominicis diebus synaxes matutinae omnes erant, et quod paucos dactylos sub vesperam comederent, nihil obstabat quo minus ieiunium esset eiusmodi, quale dominicis diebus omnibus interdictum fuisse cum Epiphanius hoc loco, tum alii veteres omnes affirmant. Caeterum idem ille Theophili locus admonet, si theophania alium in diem quam dominicum incurrisset, xerophagiis, hoc est pane cum sale et aqua, transigenda fuisse. Nunc ob diei religionem paucos dactylos remissos, quos tamen, ut ieiunii ratio haberetur, ante vespertinam synaxin degustare vetuit.

Τὰς δὲ κυριακὰς ἁπάσας.] De dominicis solis, non item sabbatis, prudenter hoc advertit, ut et Gangr. Synodus Can. xviii. de ieiunio dominicis duntaxat interdixit. Non enim ubique, nec in tota ecclesia sabbatum ieiunii expers fuit. Nec ignorabat Epiphanius aliter Romae et in plerisque Occidentis regionibus quam in Oriente usurpari consuevisse. Etenim Romani, quod Socrates lib. v. cap. xxii. scribit, πᾶν σάββατον νηστεύουσι. De quo fusissime disputat August. Epist. lxxxvi., et Epist. cxviii. et in Annalibus Baronius ad an. lviii. Quare nulla est ab apostolis edita sanctio, qua ieiunium eo die prohiberetur, ut Augustinus asserit Epist. cxviii., ubi in rebus huiusmodi negat quicquam esse *vel scripturae sanctae autoritate, vel universalis ecclesiae traditione determinatum*, sed eius, in qua verseris, ecclesiae consuetudini obtemperandum esse. Qua quidem praescriptione tanquam spurius et alienus canon ille reiicitur, qui inter apostolicos lxviii. numeratur: Εἴ τις κληρικὸς εὑρεθῇ τὴν κυριακὴν ἡμέραν νηστεύων, ἢ τὸ σάββατον (πλὴν τοῦ ἑνὸς μόνου) καθαιρείσθω, εἰ δὲ λαϊκὸς, ἀφοριζέσθω: *Clericus qui dominico die vel sabbato (uno duntaxat excepto) ieiunare deprehensus sit, deponatur, laicus excommunicetur.* Non potest hoc ab apostolis communi esse decreto constitutum. Aut si apostolicus iste canon est, haec verba, ἢ τὸ σάββατον, πλὴν τοῦ ἑνὸς μόνου, ab otiosis Graeculis intexta sunt. Nec melioris notae sunt quae in Apost. Constit. leguntur lib. vii. cap. xxiv., ubi τὰ σάββατα καὶ τὰς κυριακὰς ἑορτάζειν praecipit. Quod ab apostolis toti ecclesiae nunquam esse praescriptum sanctissimorum patrum consensus approbavit. Alia est Ignatii ratio, qui ad Philippenses scribens, non universali ecclesiae iura constituens, Epist. iv. ista pronunciat: Εἴ τις κυριακὴν ἢ σάββατον νηστεύει, πλὴν ἑνὸς σαββάτου, οὗτος Χριστοκτόνος ἐστίν. Graeculorum vero sane intolerabilis est fastus, qui in pseudosynodo Trullana Can. lv. Romanam ecclesiam damnant, quod per quadragesimam sabbatis ieiunarent. Atqui Socrates lib. v., cap. xxii. Romae scribit sabbatis in quadragesima ieiunatum non esse. Sed nimirum hallucinatus est, aut ad vocem Ῥώμῃ adiiciendum est νέᾳ, ut νέαν Ῥώμην Constantinopolim appellet. Nam subinde refert πᾶν σάββατον ἐν Ῥώμῃ νηστεύεσθαι. De sabbati ieiunio extant occidentalium synodorum canones, ut Eliberitani xxvi. et Agath. xii., nec non et Innocentii primi Epist. i. cap. iv. Quem quidem ridicule admodum Scaliger lib. vii. de Emend. Temp. pag. 641. scribit primum omnium instituisse, ut sabbato ieiuna- p. 360.

retur. Quasi vero tanto ante Innocentium non illud Occidentales consuetudine, quae tacitae legis instar esset, observaverint. Neque vero Innocentius tam de sabbati ieiunio praecepit, quam caussas attulit cur sabbato ieiunandum videatur. Ad extremum de sabbati religionis inter Pseudodiataxes Apostolicas extat Petri ac Pauli nomine edita sanctio lib. VIII. cap. XXXIII. *Ut eo die ac dominico servi ab opere feriati sint:* ἐγαζέσθωσαν οἱ δοῦλοι πέντε ἡμέρας, σάββατον δὲ καὶ κυριακὴν σχολαζέτωσαν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ διὰ τὴν διδασκαλίαν τῆς εὐσεβείας. Hoc vero nunquam ab apostolis manasse decretum apparet ex eo, quod Laodicense concil. Can. XXIX. diserte vetat sabbato otiosos esse Christianos. Ὅτι οὐ δεῖ Χριστιανοὺς Ἰουδαΐζειν, καὶ ἐν τῷ σαββάτῳ σχολάζειν, ἀλλὰ ἐργάζεσθαι αὐτοὺς ἐν τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, τὴν δὲ κυριακὴν προτιμῶντας, εἴ γε δύναιντο σχολάζειν, ὡς Χριστιανοί, εἰ δὲ εὑρεθεῖεν Ἰουδαΐσται, ἔστωσαν ἀνάθεμα παρὰ Χριστῷ. Dominicis potius quam sabbatis vacare iubet, et addit tamen, si illorum commodo fieri potest. Ut nondum illis temporibus ab omni opere feriatos esse penitus constitutum fuerit, uti Zonaras et Balsamo ad illum canonem adnotant.

Τὴν δὲ τεσσαρακοστήν.] Ad quadragesimalis ieiunii consuetudinem ab haereticorum calumnia vindicandam insignis hic Epiphanii locus est. Quanquam ea res infinitis antiquorum patrum ac conciliorum testimoniis explorata adeo est, nihil ut impudentius ab hodiernis haereticis irrideri repudiarique soleat. Consule quae in magnis Annalibus atque ab aliis studiose collecta sunt, qui adversus haereticos scripserunt. Sed mira quaedam in quadragesimalis ieiunii religione varietas apud antiquos extitit, de qua Irenaeus apud Eusebium lib. V. cap. XXIV., et Socrates lib. V. cap. XXII. Qui quidem insigniter aberrat, dum Romae scribit tres duntaxat hebdomadas ante Pascha continuo ieiunari, excepto sabbato ac dominica. Quod supra refutatum est. Subiicit deinde sex ab aliis hebdomadas ante pascha, ab aliis septem, ieiunio consecrari. Alios XV solos dies per VII hebdomadas dispensare. Qui omnes suum illum dierum numerum τεσσαρακοστὴν appellabant. Sane apud Photium num. CVII. Basilius Cilix Nestorianus adversus Ioannem Scythopolitanum scribens obiicit inter caetera: ὅτι τὴν ἁγίαν τεσσαρακοστὴν εἰς τρεῖς ἑβδομάδας συγκλείων, οὐδὲ ἐν ταύταις τῆς τῶν πτηνῶν κρεωφαγίας ἀπείχετο. Fuit enim non minor in ciborum delectu abstinentiaque diversitas, de qua idem Socrates. Vide et Cassianum collat. XXI., Ambrosium Serm. XXIII. et sequentibus. Sozom. lib. VII. cap. XIX. Epiphanius porro per ἑπτὰ ἡμέρας τοῦ πάσχα, ante quas τὴν τεσσαρακοστὴν celebrari dicit, non eam hebdomadem intelligit quae pascha praecedit, uti postea cum τὰς ἓξ ἡμέρας τοῦ πάσχα nominat, sed de paschalibus VII feriis loquitur, quas antecedit quadragesimale ieiunium. Utrum vero apud
p. 361. Cyprios, ubi haec scribebat Epiphanius, sabbata quadragesimalibus ieiuniis exempta sint, non satis apparet. Ac videntur ex Romanorum aliorumque consuetudine etiam diebus illis ieiunasse, cum solos dominicos dies excipiat. Profecto enim de sabbatis minime tacuisset. Quanquam sabbatorum ideo fortasse non meminit, quod non eandem apud omnes ecclesias formam esse consuetudinemque cerneret, neque quicquam super ea re sciret ab apostolis esse praescriptum. Hic autem ritus eos solos complecti voluit, quos ab apostolis toti ecclesiae traditos, non certorum locorum peculiares esse crederet. Perperam vero Pamelius ad Tertull. librum adversus Psych. cap. XV. hunc ipsum Epiphanii locum interpolat, et pro *septem dies*, haud dubie legendum, *septem hebdomadas*, affirmat. Frustra est, inquam. Etenim ἡμέρας est in Graeco, non ἑβδομάδας. Et ἡμέρας intelligit, quae a solenni paschatis ineunt, ante quas ἡ τεσσαρακοστὴ solida decurrit.

Τὰς δὲ ἓξ ἡμέρας τοῦ πάσχα.] Sex illis duntaxat diebus maioris, ut vocant,

hebdomadae, xerophagia Christianis imperata fuit. Atqui Laodic. Can. L. δεῖ πᾶσαν, inquit, τὴν τεσσαρακοστὴν νηστεύειν ξηροφαγοῦντας. Et Balsamo ad Can. LXIX. Apost. non solum in quadragesima, sed etiam quarta sextaque feria ξηροφαγεῖν oportere docet. Adeo ut ne aegrotis quidem aliud ciborum genus quam piscium indulgeatur, nec unquam carnibus, vel extremo vitae periculo, vesci liceat. Apud Socratem tamen lib. v. cap. XXII., ubi diversae quadragesimalis ieiunii consuetudines explicantur, non omnes xerophagiam adhibebant. Sed alii piscibus tantummodo, alii avibus insuper utebantur, quos ex aqua procreatos perinde ac pisces Moyses narrat. Alii fructibus ovisque contenti, alii pane solo, alii ne hunc quidem sibi permittebant. A carnibus quidem universos abstinuisse praeter caeteros Augustinus contra Faustum scribit lib. XXX. A carnibus et vino Chrysost. Hom. VIII. de Poenit. De carnibus etiam Spyridionis apud Sozom. historia confirmat lib. I. cap. XI. ut caetera praetermittam, quae sunt innumera. Postremis itaque quadragesimae diebus sex xerophagia lege quadam omnibus indicta. Quae quid sit, declarat Tertull. libro contra Psych. cap. I.: *Arguunt nos*, inquit, *quod etiam xerophagias observemus, siccantes cibum ab omni carne et omni iurulentia et vividioribus quibusque pomis, ne quid vinositatis vel edamus vel potemus, lavacri quoque abstinentiam congruentem arido victui.* Passim vero toto illo libro xerophagias a catholicis damnari significat, *quasi novum affectati officii nomen, et proximum ethnicae superstitioni, quales castimoniae Apin, Isidem et Magnam Matrem certorum eduliorum exceptione purificant.* Verum non omnes, opinor, tum a catholicis damnatae xerophagiae sunt, sed illae solum quas certis temporibus, praeterquam ab ecclesia constitutis, ex Montani disciplina servabant, quas idem autor duabus hebdomadis definit cap. XV.: *Quantula enim est apud nos interdictio ciborum? Duas in anno hebdomadas xerophagiarum, nec totas, exceptis scilicet sabbatis et dominicis, offerimus deo.* Ubi non assentimur Pamelio, qui *hebdomadas* non pro *septem diebus*, sed pro totidem *hebdomadibus* accipi putat, et de Telesphori sanctione, qua Tertullianus clericus teneretur, nescio quid narrat, quod nullo modo persuadet. Nam si XIV. hebdomadas xerophagiis Montanus addixisset non illud usque adeo Tertull. elevans diceret: *Quantula est apud nos interdictio ciborum?* Quocirca duas alias a quadragesima seiunctas ac p. 362.
diversas fuisse credibile est; in quibus sabbatum ac dominica dies eximeretur. Sozom. lib. VII. cap. XIX. de diverso quadragesimalis ieiunii dierum numero agens, Montanistas ait duas ante pascha duntaxat hebdomadas ieiunare. Verum cum in secunda, hoc est proxima ante pascha hebdomade sabbatum a ieiunio exemptum apud Montanistas non fuerit, ut Tertull. iam Montanista lib. contra Psych. narrat, non videntur ad duas istas hebdomadas totidem illae xerophagiarum accommodari posse. In Constit. Apost. lib. v. cap. XVII. eadem xerophagia sex illis diebus observanda proponitur: Ἐν ταῖς ἡμέραις οὖν τοῦ πάσχα νηστεύετε, ἀρχόμενοι ἀπὸ δευτέρας μέχρι τῆς παρασκευῆς καὶ σαββάτου ἐξ ἡμέρας, μόνῳ χρώμενοι ἄρτῳ καὶ ἁλὶ καὶ λαχάνοις, καὶ ποτῷ ὕδατι, οἴνου δὲ καὶ κρεῶν ἀπέχεσθε ἐν ταύταις. Haec igitur xerophagia pane, sale, aqua et, si forte, etiam oleribus constabat. Ad haec cap. XII. eiusdem libri quadragesimale ieiunium a paschali distinguitur: Ἐπιτελείσθω δὲ ἡ νηστεία αὐτὴ (nempe quadragesimalis) πρὸ τῆς νηστείας τοῦ πάσχα, ἀρχομένη μὲν ἀπὸ δευτέρας, πληρουμένη δὲ εἰς παρασκευὴν μεθ' ἃς ἀνανηστεύσαντες ἄρξασθε τῆς ἁγίας τοῦ πάσχα ἑβδομάδος, νηστεύοντες αὐτήν: *Celebretur quadragesimale ieiunium ante paschale, et incipiens a secunda feria desinat in parasceven, post quam soluto ieiunio sanctam paschatis hebdomadem in ieiunio transigite.* Quadragesimalis porro illius ieiunii, quatenus a paschali differt,

initium haud scio an Constitutiones illae a dominica quinquagesimae, an sexagesimae repetant. Prius enim illud initium ii sumpsisse videntur, qui VII hebdomadas et ieiunio dicabant, cum alii sex duntaxat tribuerent; ita tamen ut utrobique sex duntaxat et triginta sese dies inedia macerarent. *Hi enim* (ait Cassianus Collat. XXI. cap. XXVII.) *sibi sex hebdomadarum observantiam praefixerunt, qui putant dici quoque sabbati ieiunandum. Sex ergo in hebdomada ieiunia persolvunt, quae eosdem sex et triginta dies sexies revoluta consummant.* A sexagesima vero Graeci recentiores quadragesimam auspicati sunt, uti pluribus ad Nicephorum ante aliquot annos disseruimus. Quo nimirum XL solidos dies ieiunio tribuerent. Ambrosius Serm. XXXI. et XXXII. sex hebdomadis, ac diebus XLII. Quadragesimam definit, eosque qui quinquagesimam pro quadragesima ieiunarent redarguit.

Caeterum tam de hoc paschatis ieiunio, quam de quadragesima Timotheus Alexandrinus episcopus intelligi potest in Canonicis Responsis Interrog. VIII. et X. Quarum in priore quaeritur, utrum puerpera pascha ieiunare debeat, an ei vini usus indulgeatur? In posteriori de aegroto dubitatur, an similiter paschatis ieiunio teneatur, atque oleum et vinum adhibere possit. Qua ex posteriori quaestione Balsamo colligit, ὅτι ἡ νηστεία τῆς τεσσαρακοστῆς τοῦ πάσχα ξηροφαγία ἐστὶ, ἀλλὰ καὶ οἴνου ἀποχή. Addit tamen, nonnullos in utroque canone hebdomadas sanctae ieiunium, non quadragesimae totius intellexisse. Epiphanius quoque in Aërianis haeres. LXXV. num. III. de hac hebdomada loquens: Ἔν τε ταῖς ἡμέραις τοῦ πάσχα, inquit, ὅτε παρ' ἡμῖν χαμευνίαι, ἁγνεῖαι, κακοπάθειαι, ξηροφαγίαι, εὐχαὶ, ἀγρυπνίαι τε καὶ νηστεῖαι, καὶ πᾶσαι τῶν ψυχῶν αἱ σωτηρίαι etc. Idem et haer. LXX. num. XII. hebdomadem illam paschatis ξηροφαγίας ἑβδομάδα καὶ τοῦ πάσχα nominat. Vide et num. XIV. Nec illud praetermittendum est, uti pascha pro tota
p. 363. quadragesima, aut pro ultima saltem illius hebdomada sumitur. Veluti cum Timotheus νηστεῦσαι πάσχα dixit, ita nonnunquam certum eiusdem hebdomadis diem significare, ut apud Tertull. lib. de Orat. sub finem: *Sic et die paschae, quae communis et quasi publica ieiunii religio est, merito deponimus osculum.* Qui dies parasceve sancta, qua passionis memoria celebratur ac πάσχα σταυρώσιμον esse videtur, idemque forte, quem unicum ieiunio diem a nonnullis dicatum fuisse Irenaeus ad Victorem scribit, Eusebio teste lib. V. cap. XXIV.: Οἱ μὲν γὰρ οἴονται μίαν ἡμέραν δεῖν αὐτοὺς νηστεύειν, οἱ δὲ δύο, οἱ δὲ καὶ πλείονας.

Ἀλλὰ καὶ οἱ σπουδαῖοι διπλᾶς.] Dionysius Alexandrinus epistola ad Basilidem: Ἐκεῖ μηδὲ τὰς ἐξ τῶν νηστειῶν ἡμέρας ἴσως, μηδὲ ὁμοίως πάντες διαμένουσιν. Ἀλλ' οἱ μὲν καὶ πάσας ὑπερτιθέασιν, ἄσιτοι διατελοῦντες, οἱ δὲ δύο, οἱ δὲ τρεῖς, οἱ δὲ τέσσαρας, οἱ δὲ οὐδαμίαν. Epiphanius eodem, quo Dionysius, verbo utitur, nimirum ὑπερτίθεσθαι. Quod est *cibum differre*. Hinc ieiunium *superpositio*, nisi fallor, a Latinis vocatur; ut in Eliberit. Conc. Can. XXVI.: *Errorem placuit corrigi, ut omni sabbati die ieiuniorum superpositiones celebrentur.* In Constit. Apost. lib. V. cap. XVII.: τὴν μέν τοι παρασκευὴν καὶ τὸ σάββατον ὁλοκληρον νηστεύσατε, οἷς δύναμις πρόκειστι τοιαύτη, μηδενὸς γευόμενοι, μέχρις ἀλεκτοροφωνίας νυκτὸς, εἰ δέ τις ἀδυνατεῖ τὰς δύο συνάπτειν ὁμοῦ, φυλασσέτω κἂν τὸ σάββατον. Caussam subiicit, quod his diebus ablatus sit sponsus. Quam et Tertull. attigit lib. contra Psych. cap. VIII.: *Ecce enim convenio vos et praeter pascha ieiunantes, citra illos dies quibus ablatus est sponsus.*

Καὶ ὅλην τὴν τεσσαρακοστὴν ἀπὸ ἑνάτης.] Utrum omnibus quadragesimae diebus synaxes celebrari dicat, dubitari potest, an illud potius velit, tam sex illas paschalis et maioris hebdomadae, quam caeteras quadragesimae synaxes, quibuscumque tandem diebus obeantur, a nona ad vesperam usque frequentari. Hoc

vero certum est ex iis Epiphanii verbis, iunium in quadragesima non ante vesperam atque occasum solem a fidelibus solutum. Cui consentaneum est, quod cum de synaxibus ageremus, ex Tertulliano docuimus, stationes ob id *semitieiunia* vocari quod ad horam nonam usque prorogarentur, cum majora, cujusmodi quadragesimalia fuere, non ante lucis exitum desinerent. At Constit. Apost. lib. v. cap. XVIII. nona vel vespera pro cujusque viribus vesci jubet: ἐν δὲ ταῖς λοιπαῖς ταῖς πρὸ τῆς παρασκευῆς ἐνάτην ὥραν, ἢ ἑσπέραν ἕκαστος ἐσθιέτω, ἢ ὅπως ἄν τις δύναιτο. Ambrosius Serm. XXVI: *Rogo vos, fratres carissimi, ut in isto legitimo tempore, exceptis dominica et sabbato diebus, nullus ante nonam prandere praesumat, nisi forte quem jejunare infirmitas non permittit. Quia aliis diebus jejunare aut remedium, aut praemium est, in quadragesima vero non jejunare peccatum est.* Qui quidem sermo totidem verbis apud Augustinum legitur, estque Sermo de Temp. LXII. Sed de sabbato verbum nullum. Sed hoc solum *ut exceptis dominicis diebus nullus prandere praesumat.* Quod idem est ac si ante nonam vesci prohiberet. Quia prandium ante horam sextam capiebatur. Vide August. Epist. LXXXVI. Ita Cassianus Collat. XXI. cap. XXIII. vel Theonas apud illum admonet, ut in diebus festis *cibus, qui hora diei nona fuerat capiendus, paulo citius, id est sexta hora pro festivitatis tempore capiatur.* At priscis temporibus non ante vesperam cibum capere consueverant, id quod insuper Theophili Alexandrini locus ille confirmat, quem supra discussimus. Posteaquam vero ad horam nonam vescendi p. 364. tempus a vespera translatum est, tum sublatum illud discrimen arbitror, quod hactenus inter stationes et jejunia fuisse vidimus. Indeque est quod Ambrosius Serm. XXXVI. jejunia *quadragesimae stationes* appellari dixit.

Ἐν τισι δὲ τόποις τῆς μετὰ τὴν πέμπτην.] Ἀπονηστισμὸς est *jejunii solutio*, et ἀπονηστίζεσθαι *jejunium solvere*. Nec aliter in Graeco Hippolyti Canone verbum illud accipitur, cum ait: ἀπονηστίζεσθαι δὲ δεῖ οὗ ἂν ἐμπέσῃ κυριακή. Tametsi Scaliger in Notis ad illum Canonem ἀπονηστίζεσθαι putat esse *transferre jejunium*. Quod minime procedit. Tempus vero dissolvendi jejunii, sive hora τοῦ ἀπονηστισμοῦ multiplex fuit. Constit. Clem. lib. v. cap. XIX.: Τῷ δὲ σαββάτῳ μέχρις ἀλεκτοροφωνίας παρατείνοντες ἀπονηστίζεσθε ἐπιφωσκούσης μιᾶς τῶν σαββάτων, ἥτις ἐστὶ κυριακὴ ἀπὸ ἑσπέρας ἕως ἀλεκτοροφωνίας ἀγρυπνοῦντες, καὶ ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἐν ᾗ ἐκκλησίᾳ συναθροιζόμενοι γρηγορεῖτε. Jubet quadragesimale jejuninm solvi ad gallicinium, ut et superiori capite. Dionysius Alexandrinus ad Basiliden, reprehendit eos qui paulo ante mediam noctem post sabbatum jejunium dissolvunt, ὡς ὀλιγώρους καὶ ἀκρατεῖς. Eos autem commendat qui usque ad quartam custodiam sustinent, nec eos magni faciendos ait qui ex illis majoris hebdomadae sex diebus, prioribus quatuor sine jejunio transactis, parasceuen et sabbatum sine ullo cibo traducunt, quod ὑπερτιθέναι nominat. Fuit enim hoc veteribus Christianis familiare, biduum illud absque cibo perseverare, et in ecclesia precibus ac vigiliis insistere. Sexta Synodus in Trullo Can. XCI.: τὰς τοῦ σωτηρίου πάθους ἡμέρας ἐν νηστείᾳ καὶ προσευχῇ, καὶ κατακύξει καρδίας ἐπιτελοῦντας χρὴ τοὺς πιστοὺς περὶ μέσας τῆς περὶ τὸ μέγα σάββατον νυκτὸς ὥρας ἀπονηστίζεσθαι. Ad quae Balsamo dubitat, an illud praecipiatur, triduum, quod est μετὰ τὴν τετράδα, quodque passioni praecipue dicatum est, adusque mediam noctem ante dominicam paschalem jejunos persistere, an de uno duntaxat sabbato caveatur, in quo rigidior ac severior esse jejunii disciplina debeat.

Ἐν τισι δὲ τόποις λατρεία τῆς οἰκονομίας.] Λατρείαν τῆς οἰκονομίας, *divinum*

et incruentum sacrificium appellat; ut et paulo post disjuncte λατρείας καὶ οἰκονομίας, et in Aerianis haer. LXXVII. τὴν οἰκονομίαν τῆς λατρείας, hoc est *missam*. Nam λατρεία divinus cultus atque officium est, quod sacrificio praestatur; οἰκονομία incarnationis passionisque dominicae mysterium significat, cui repraesentando institutum illud est a deo sacrificium. Etsi in Aerianis N. III. simpliciter οἰκονομίαν, hoc est mysterium, vocat. Porro feria quinta dominicae passionis in quibusdam ecclesiis ἀπονηστιμὸς fuit, ac jejunii relaxatio, ut Aug. indicat Ep. CXVIII. Cap. IV. Quod Laodicena Synodus usurpari vetuit Can. XLIX: Ὅτι οὐ δεῖ ἐν τεσσαρακοστῇ τῇ ὑστέρᾳ ἑβδομάδι τὴν πέμπτην λύειν, καὶ ὅλην τὴν τεσσαρακοστὴν ἀτιμάζειν, ἀλλὰ δεῖ πᾶσαν τὴν τεσσαρακοστὴν νηστεύειν ξηροφαγοῦντας. Ex quo notabis obiter passionis hebdomadem quadragesimae partem esse, non ab illa distinctam. Trullana quoque Synodus Can. XXIX. quod in Carthaginiensi Concilio de feria illa quinta nominatim exceptum fuerat, *Ut sacramenta altaris nonnisi a jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo coena domini celebratur* (qui est Carth. III. Can. XXIX.) abrogavit, vetuitque illo die solvi jejunium. At Augustinus in Epistola proxime citata nonnullis in ecclesiis morem fuisse declarat, *ut bis quinta sabbati hebdomadae ultimae quadragesimae, et mane, et ad vesperam offerretur*, quod
p. 365. improbandum esse negat. Quod ipsum olim in vetere ecclesia ceteris diebus usitatum fuisse, indicat Cyprianus Epist. LXIII. edit. Pam. Ubi nonnullos reprehendit qui in matutinis sacrificiis aquam solam adhibebant, *ne per saporem vini redolerent sanguinem Christi*. Quos ita castigat: *An illa sibi aliqua contemplatione blanditur, quod etsi mane aqua sola offerri videtur, tamen cum ad coenandum venimus, mixtum calicem offerimus, sed cum coenamus, ad convivium nostrum plebem convocare non possumus, ut sacramenti veritatem fraternitate omni praesente celebremus*. Bis igitur sacrificia celebrari solebant, mane, et quidem publice, tum privatim sub vesperam.

Καὶ οὕτως ἀπόλυει.] Ἀπόλυσις est *missa*, sive *missio*, cum diaconus re sacra confecta populum dimittit. Quare subaudiendus est ὁ διάκονος.

Ἐν τῇ ἀναστασίμῳ ἡμέρᾳ.] Proprie μεγάλη ἡμέρα pascha nominatur. Ut in Ancyrano Can. VI: ἔδοξε μέχρι τῆς μεγάλης ἡμέρας εἰς ἀκρόασιν δεχθῆναι. Et quoniam in illustrandis veteris ecclesiae ritibus navatur a nobis opera, de uno alterove lectorem admonebimus qui per solennes paschatis ferias usurpari solebant. Qui etsi ad Epiphanium nostrum nihil admodum pertineant, alias tamen habent opportunitates, ob quas illorum non praetermittenda mentio videtur. Primum igitur per illos dies a Christianis imperatoribus vincti caplivique e carcere mittebantur. Monachi Eutychis haeretici in libello supplici ad Pseudosynodum Ephesinam in Actis Chalcedon. Concilii de die paschatis loquentes, καθ' ἣν, inquiunt, λύεται μὲν τοῖς πλείστοις τῶν ἡμαρτηκότων ἀπὸ τῶν ἁγίων πατέρων ἡμῶν τὰ ἐπιτίμια, λύεται δὲ παρὰ τῶν βασιλευόντων ἐπὶ τῶν ἐγκλημάτων τὰ δεσμὰ τοῖς ὑπευθύνοις. Extat eadem de re Impp. Valentiniani, Valentis et Gratiani rescriptum LIII. de indulg. Cod. Theodos.: *Ob diem paschae quem intimo corde celebramus, omnibus, quos reatus astringit, carcer inclusit, claustra dissolvimus*. Huius nobis commemorandae consuetudinis occasionem dedit Themistiana quaedam oratio, cujus argumentum hactenus ignoratum, nec a nobis etiam in novissima nostra editione satis intellectum, plurimum huic observationi debebit. Ea est inter Themistianas ordine quinta, in qua Theodosii senioris clementiam humanitatemque praedicat. Quam quidem orationem vulgo persuasum erat omnibus ad Antiochensem illam pro-

cellam calamitatemque referri, quando ob dejectas populari seditione Placillae statuas exulceratus imperatoris animus et ad vindicandam majestatem inflammatus Flaviani praesulis legatione mitigatus est. Sed nos necessariis quibusdam rationibus in Themistianis notis ostendimus, alio quam ad Theodosianum illud factum spectare Themistium, neque tamen cujusmodi facinus illud esset, extricare tum potuimus. Quare ita disputationem clausimus: *Habent igitur eruditi viri atque historiae studiosi, in quo quaerendo atque enucleando ingenium suum exerceant.* Quod sane merito tum a nobis est factum. Postea vero dum Chrysostomi Hom. xx ad Populum Antiochenum percurrimus, in qua de Flaviani legatione et impetrata ab imper. venia gratulatur, veram Themistianae illius orationis historiam et argumenti summam non sine ingenti animi fructu ac voluptate didicimus. Cum enim habitam a Flaviano ad Theodosium orationem ac deprecationem explicat, sic eum inter caetera loquentem inducit: Καὶ τί χρὴ λέγειν Κωνσταντῖνον, καὶ τὰ ἀλλότρια παραδείγματα, δέον οἰκοθέν σε καὶ ἐκ τῶν σῶν παρακαλεῖν κατωρθωμάτων; μέμνησαι πρώην, ὅτε τῆς ἑορτῆς ταύτης καταλαβούσης ἐπιστολὴν ἔπεμψας πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης κελεύουσαν p. 366. τοὺς τὸ δεσμωτήριον οἰκοῦντας ἀφεῖναι, καὶ συγχωρεῖν αὐτοῖς τὰ ἐγκλήματα, καὶ, ὡς οὐκ ἀρκούντων ἐκείνων, δεῖξαί σου τὴν φιλανθρωπίαν, ἔλεγες διὰ τῶν γραμμάτων, ὅτι, Εἴθε μοι δυνατόν ἦν καὶ τοὺς ἀπελθόντας καλέσαι, καὶ ἀναστῆσαι, καὶ πρὸς τὴν προτέραν ἀναγαγεῖν ζωήν. *Quanquam quid attinet Constantinum, aut aliorum exempla memorare, cum te domesticis tuis rebus ac factis incitare oporteat? Meministi nuper, cum eodem illo appetente festo literas toto terrarum orbe misisti, quibus eos omnes qui in carcere erant, dimitti, eisque condonari crimina jussisti, tum perinde ac si nondum haec testificandae humanitati tuae sufficerent, in haec verba scripseras: Utinam ego mortuos ad vitam revocare atque excitare possem!* Quod est ipsissimum benignitatis clementiaeque specimen, quod Themistius in illa oratione praedicat, aliquanto ante Antiochenum illud editum, cum adhuc Placilla viveret, ut ex oratione ipsa constat. Non potui tam illustrem historiam, tamque luculentam ad Themistium nostrum accessionem tacitus praetermittere. Commodiorem autem, ubi hanc intexerem, locum, quam hunc ipsum habui nullum. Alter non tam ritus quam rituum ac disciplinae corruptela fuit, ut iisdem diebus catechumenis extraordinaria quaedam sacramenta permitterentur. Quae cujusmodi fuerint, nondum liquet. In Carthag. quidem Conc. III. Canc. v. mos ille abrogatur his verbis: *Item placuit, ut per solennissimos paschales dies sacramentum catechumenis non detur, nisi solitum sal. Quia si fideles per illos dies sacramenta non mutant, nec catechumenis oportet mutare.* Cum sal catechumenis praeberi consuetum esset, appetentibus paschatis feriis extraordinarium quiddam concessum illis est. Non utique eucharistia, nec enim tantum insaniisse quenquam arbitror. Neque vero per sacramentum intelligi puto symbolum, sed panem ipsum ac vinum, ex quo eucharistia consecrata fuerat. Nam reliquiae panis et vini, quae a fidelibus ad sacrificium celebrandum oblata fuerant, nonnunquam in catechumenos distribuebantur. Quod amplius usurpari vetat Theophilus Alex. Can. VIII: τὰ προσφερόμενα εἰς λόγον θυσίας μετὰ τῶν ἀναλισκομένων εἰς τὴν τῶν μυστηρίων χρείαν οἱ κληρικοὶ διανειμάσθωσαν, καὶ μήτε κατεχούμενος ἐκ τούτων ἐσθιέτω ἢ πινέτω, ἀλλὰ μᾶλλον οἱ κληρικοὶ, καὶ οἱ σὺν αὐτοῖς πιστοὶ ἀδελφοί. Ad quem Canonem Balsamo scribit: Oblationes illas panem et vinum esse, ex quibus partes illae sumptae sunt (μερίδας vocat, uti Graeci ferme consueverunt) quae a sacerdote consecrantur. Ex quo fit ut reliquiae ipsae quodammodo sanctificate sint,

nec in profanos dividendae. Has reliquias Carthag. Synodus sacramenta vocat, quod ex illis sacramenta fierent, uti nos *hostias* vulgo τὰς μερίδας, sive *particulas*, etiam ante consecrationem appellamus. Quanquam et sacramenta scio etiam absolute pro quibuslibet mysticis signis usurpari adeoque pro sale, ac caeteris, quae catechumenis dabantur. Aug. Lib. II. de Peccat. meritis cap. XXVI: *Et quod accipiunt, quamvis non sit corpus Christi* (de catechumenis loquitur) *sanctum est tamen, et sanctius, quam cibi quibus alimur, quoniam sacramentum est.* Quae Augustini verba utrum ad panem vinumque, ex quo eucharistia confecta jam erat, referri debeant, cogitandum amplius est. Cum igitur fideles eadem diebus omnibus sacramenta, hoc est eucharistiam, quae fidelium propria est, usurpent, non debent (aiunt Carthaginenses Patres) catechumeni propria ordinis sui ac status sacramenta mutare, neque aliquid praeter salem accipere.

p. 367. Τὰ δὲ ἄλλα μυστήρια.] Caute ac circumspecte de sacramentis et inferioribus mysteriis mentionem aspergit. Ita complures veterum cum de sacramentis eorumque formis disserunt, consulto rem obscurant, neque plena apertaque voce declarant. Pauca, quae ad manum modo sunt, exempla producam. August. Ep. LVII. ad Dardanum: *Nosti autem in quo sacrificio dicatur, Gratias agamus domino deo nostro.* Innocentius primus Ep. I. ad Decentium de Sacramento Confirmationis: *Verba vero dicere non possum, ne magis prodere videar, quem ad consultationem respondere.* Sic Epiphanius aliquoties de eucharistia timide obscureque locutus est.

Ἐπὶ δὲ τῶν τελευτησάντων.] De orationibus et sacrificiis, quae pro mortuis ab ecclesia celebrantur insignis ac memorabilis hic locus est. Sed multo copiosius atque expressius in Aërianorum haeresi ritum illum ecclesiae pertractat, quae est haer. LXXV. n. VII. Nam Aërius eodem, quo haeretici nostri, furore amentiaque percitus mortuorum ad altare commemorationem, fusaque pro illis preces et sacrificia deridebat, contra quem Epiphanius luculentissime disputat. Ὠφελεῖ δὲ, inquit, καὶ ἡ ὑπὲρ αὐτῶν γινομένη, εἰ καὶ τὰ ὅλα τῶν αἱτιαμάτων μὴ ἀποκόπτοι: *Quae pro mortui concipiuntur preces, iis utiles sunt, tametsi non omnes culpas extinguant.* Quod pluribus exequitur August. lib. de cura pro Mort. Agend. cap. I., ubi quaenam peccatorum genera in mortuis precibus illis et sacrificiis expiari possint, edisserit. Et paulo ante, *In Macchabaeorum*, inquit, *libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed etsi nusquam in scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universae ecclesiae, quae in hac consuetudine claret auctoritas, ubi in precibus sacerdotis, quae domino deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* Et cap. ult: *Quae cum ita sint, non existimemus ad mortuos, pro quibus curam gerimus, pervenire, nisi quod pro eis sive altaris, sive orationum, sive eleemosynarum sacrificiis solenniter supplicamus, quamvis non pro quibus fiunt omnibus prosint, sed iis tantum, quibus dum vivunt comparatur ut prosint.* Frequentissima est et illius consuetudinis apud Cyprianum mentio. Ut in Ep. LXVI., in qua decretum ait in Concilio: *Ut si quis moriens clericum tutorem reliquisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur.* Vetatque mox deprecationem pro eo ullam ad altare fieri. Tertull. de Cor. Mil. cap. III: *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis, annua die facimus*, et alibi saepe. Eusebius lib. IV. de Vita Constantini, cum de ejus funere scribit: τά τε τῆς ἐνθέου λατρείας δὶ εὐχῶν ἀνεπλήρουν. Λατρείαν appellat altaris sacrificium. Mox σὺν κλαυθμῷ δὲ πλέονι τὰς εὐχὰς ὑπὲρ τῆς βασιλέως ψυχῆς ἀπεδί-

δοσαν τῷ θεῷ. Athan. Quaest. ad Antiochum Quaest. XXXIV., cum quaesitum esset, utrum mortuorum peccatorum animae beneficia in se collata sentirent, γινομένων ὑπὲρ αὐτῶν συνάξεων καὶ εὐποιϊῶν καὶ προςφορῶν, respondet, τὰς τῶν ἁμαρτωλῶν ψυχὰς μετέχειν εὐεργεσίας τινὸς ἐκ τῆς ὑπὲρ αὐτῶν γενομένης ἀναιμάκτου θυσίας καὶ εὐποιΐας. Alioqui si nihil haec ipsis prodessent, οὐκ ἂν ἐν τῇ προσκομιδῇ ἐμνημονεύοντο, hoc est in oblatione. Nam προςκομιδὴ est προςφορά. Male autem interpres, *In cura et exsequiis.* Scripserat idem Athanasius λόγον εἰς τοὺς κοιμηθέντας, cujus meminit Damascenus in ejusdem argumenti oratione, et Balsamo ad Can. IV. Apost. Citatur et Epiphanii locus ex opere quodam *in Proverbia* apud Anastasium Nicenum Quaest. XX. in Scripturam, in quo preces pro mortuis commendantur. Qui locus totidem fere verbis sparsim in hoc opere continetur. De mortuorum praeterea commemoratione in salutaribus sacris meminit Concilium Vasense Can. II. et Carthag. III. Can. XXIX., et IV. Can. LXXIX, ut alia infinita praetermittam, maximeque Graecorum ac Latinorum antiquissimas liturgias. Luculentissimus vero est alter ille Epiphanii locus haer. LXXV. num. VII, in quo mortuorum duplicis generis commemorationem in sacrificio fieri docet, justorum et peccatorum. Horum quidem, uti divinam pro illis misericordiam imploremus. Justorum autem ac sanctorum, ut singulare Christi domini privilegium agnoscatur, qui ab reliquorum mortalium conditione segregatur. De martyrum commemoratione passim loquitur Cyprianus, ut in Ep. XXXIV: *Sacrificia pro eis*, inquit, *semper, ut meministis, offerimus, quoties martyrum passiones et dies anniversaria commemoratione celebramus.* Quod ad memoriam praedicationemque martyrum debet referri, quemadmodum et in eorum memorias altaria constituebantur. Augustin. lib. XX. contra Faustum cap. XXI. adversus Manichaeos disputans, qui similiter atque hodierni στασιῶται memorias martyrum in idola convertere catholicos impudentissime criminabantur, his verbis utitur: *Populus autem Christianus memorias martyrum religiosa solennitate concelebrat, et ad excitandam imitationem, ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur. Ita tamen ut nulli martyrum, sed ipsi deo martyrum sacrificemus, quamvis in memorias martyrum constituamus altaria. Quis enim antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari aliquando dixit: Offerimus tibi, Petre, aut Paule, aut Cypriane? etc.*

p. 368

Ἑωθινοί τε ὕμνοι ἐν αὐτῇ.] De matutino ac caeterarum horarum officio diligenter in Annalibus et ab aliis disputatur. De lucernalibus psalmis hoc adscribimus: Socratem lib. V. cap. XXII. eas appellare τὰς ἐν ταῖς λυχναψίαις εὐχάς. Qui ibidem addit in Cypro ac Caesarea sabbato et dominica ἀεὶ περὶ ἑσπέραν μετὰ τῆς λυχναψίας τοὺς πρεσβυτέρους καὶ ἐπισκόπους τὰς γραφὰς ἑρμηνεύειν. Concil. Tolet. I. Can. IX. *lucernarium* appellat. Vetat enim *professas aut viduas domi suae antiphonam cum confessore vel servo suo facere, absente episcopo vel presbytero. Lucernarium vero*, inquit, *nisi in ecclesia non legatur.* De nonis et vesperis Laodic. meminit Can. XVIII. Vide et Tertull. lib. contra Psych., Agathense Can. XXX.

AUCTORUM QUI IN ANIMADVERSIONIBUS D. PETAVII

RECENSENTUR, ILLUSTRANTUR VEL EMENDANTUR

CATALOGUS.

A.

Aben Ezra, p. 5. in c. s. Dan. p. 18. 19. 61. 370.
Aelianus lib. II. de Anim. c. 50. p. 65. lib. VI. hist. Anim. c. 23. p. 68. lib. VI. c. 35. p. 76.
Aëtius lib. XIII. c. 14. p. 223.
Africanus. p. 5. 8. 13. 14. 176. 203.
Alexander episc. Alex. p. 285. 286.
Ambrosius correctus ex probabili conjectura in cap. XXIV. Lucae p. 42. lib. I. Offic. c. 18. p. 56. Sermone in II. Fer. post dominic. I. quadrag. p. 76. lib. I. de Poenit. cap. 2. p. 226. 233. de Poenit. cap. 10. p. 237. Epist. ad episc. Aemil. p. 292.
Ammianus Marcellinus lib. XXVI. 99. lib. XIIX. p. 343.
Anastasius Sinaita p. 225. 228. 367.
Anatolius illustratur p. 189. et deinceps.
Apollinarius Laodic. p. 204.
Apollodorus lib. I. Bibliothecae p. 46.
Aristophanes in Thesmophor. p. 136.
Aristophanis Scholiastes ad Σφῆκας p. 9.
Aristoteles lib. I. de Anima. c. 3. p. 17. lib. VI de hist. Anim. c. 29. p. 136. lib. V. c. 9. p. 137. Meteor. c. 6. p. 137. lib. VI. hist. Anim. c. 31. p. 332.
Arnobius p. 7.
Athanasius in Synopsi p. 59. Apologia II. p. 287. Orat. IV. p. 289. lib. de Synod. Armen. et Seleuc. p. 321.
Athenagoras in Legat. pro Christianis p. 64.
Athenaeus lib. XII. p. 283.
Augustinus lib. I. contra Cresconium cap. 31. p. 50. lib. XII. contra Faustum c. 35. p. 76. lib. II. contra Parmen. p. 79. lib. de Haeresib. p. 85. lib. XII. contra Faustum c. 14. Epist. LIV. p. 236. contr. Adim. c. 9. p 288. lib. II. de Trinit. ib. I. de Trinit. c. 12. p. 289. III de Bapt. Donat. p. 340. Epist. LXXVII. p. 367. lib. de Cura pro mort. ag. c. 1. p. 367. lib. XX contra Faust. c. 21. p. 368. lib. XVI. de Civ. Dei c. 13. p. 5. Quaest. 152. in Gen. et lib. XVI. de Civit. c. 49. p. 14. lib. XVI. contra Faustum c. 38. p. 43. lib. I. de Nupt. c. 11.

B.

Balsamo ad canon. LXX. Basilii p. 77. ad XIV. canonem Neocaesariensis concilii, p. 280. 353. 358. 359. ad can. LXIX. p. 361.
Baronii Annales ad annum 120. p. 43.

an. 60. p. 81. an. 45. p. 88. et passim, anno 253. p. 256. an 341. p. 304. 320.
Basilius ad cap. VII. Esaia p. 59. Epist. ad Amphiloch. p. 340.
Basilius Alex. p. 360.
Beda lib. II. Eccles. hist. c. 3. et lib. V. c. 16. p. 86. lib. de Temp. Rat. cap. 45. p. 112. et c. 47. p. 113. ejusd. lib. c. 40. p. 142.
Berosus p. 5.
Beza reprehenditur in *scribarum* voce, p. 31. Item in dictione πυγμῇ ibid.
Biblia Genes. XXXVI, XXV et XXVIII. p. 14.
Exodi II, 18. p. 60.
Deuteron. X. p. 14. VI, p. 31.
Regum lib. III. cap. 13. 16. p. 18. lib. IV. c. 24. p. 20. lib. IV. c. 16. p. 61.
Paralipom. lib. I. c. III. p. 18. c. XXIX. p. 61.
Psalm. XIX. in verbo enarrant, ex Rabbi Mose et Dav. Kimhi p. 35.
Liber Sapientiae c. XIV. p. 9.
Esaias c. XXIII. p. 7. c. II. p. 44. c. VII. p. 61.
Ezechiel cap. LXXII. p. 7.
Matthaeus cap. XXII. p. 30.
Matthaei locus difficilis expositus c. XV. cum Marci c. VII. p. 70.
Lucae c. XI. p. 30.
Paulus Epist. ad Rom. c. I. p. 14. Ad Colossenses c. II. p. 40.
Actor. VII. p. 14. c. L. et X. p. 110. c. XIX. locus explicatus p. 370.
Billius p. 70. 71. 72. 73.
Boethius p. 337.
Burgensis p. 185.

C.

Calpurnius p. 424.
Canones Apost. p. 170. 359.
Capitolinus p. 390.
Capitular. Car. Magn. cap. IX. p. 279.
Casauboni error in verbo ἐξυδαρεύεσθαι. Exerc. I. num. 2. p. 8. in voce collecta p. 350. Exerc. XVI. p. 355. impia reprehensio deregitur circa signum crucis p. 57. refellitur in Exerc. XIV. num. 4. p. 64. inclementer Maldonatum lacerat. p. 89. error Exerc. XVI. p. 147. refellitur. p. 187.
Cassianus Collat. XXI. c. 27. p. 362. et eadem collat. c. 23. p. 363.
Cassiodorus p. 98.
Catholici Armeniae Epistola p. 211.
Cedrenus p. 281.
Censorinus p. 104. 153. 297.
Chaldaeus Paraphrastes Cordu I. Γορδιαῖος 5. et p. 31.
Chrystomus homilia I. in Joannem p. 17. 46. homilia XXXIX. in Matth. p. 61. 62. homil. V. de Incompreh. Dei nat. p. 244.
Chronicon Alexandrinum p. 597. 134. 210.
Cicero lib. IV. de Finib. p. 17. lib. I. off. p. 56.
Clemens Alexandrinus p. I. Strom. lib. I. p. 9. in Protreptico p. 10. lib. II. III. et VII. Strom. p. 39. 40. 47. lib. III. Strom. p. 43. lib. I. Paedagog. c. 6. et lib. VII. de Gnosticis p. 44. lib. VI. Strom. p. 64. lib. III. Strom. p. 68. lib. I. ibid.
Cyrillus Catech. IV. p. 18. lib. VI. p. 53. ad V. c. Amos p. 81. Catech. XIII. 84.
Cyprianus Epist. XLIX. p. 226. Epist. LI. ad Antonianum p. 230. Epist. XIII. p. 233. Epist. XXXI. p. 235. Epist. ad Clementem p. 250. et Epist. XI. et XII. Ibid. et Orat. de laps. Ib. lib. II. Testimon. ad Jud. c. I. p. 288. Epist. LXV. p. 365. Epist. LXVI. p. 367.
Cod. Theodos. lib. III. de Indulg. p. 365. l. 3. Quor. app. non rec. et l. 3. de Suariis l. 5. et 21 de Praetorib. de Judaeis p. 55. lib. 16. tit. 8. et lib. 14.
Columella lib. XII. c. 50. p. 425.
Concilium Agath. can. XV. p. 252.
Concilium Ancyranum can. XIX. p. 251. can. XIII. p. 277. c. XIX. p. 343. can. VI. p. 365.
Concilium Antiochenum can. X. p. 277. can. IIX. p. 278.
Concilium Aquileiense p. 288.
Concilium Arelatense p. 255.

Concilium Caesariense p. 171. 200.
Concilium Chalcedonense oecumen. p. 279. 280. 305 343.
Concilium Carthaginense III. c. 32. p. 248. Concil. IV. c. 76. et c. 78. p. 252. et can. 80. p. 252. Concil. III. can. 17. p. 331. can. 44. p. 337. Concil. III. c. 3. p. 346. Concil. IV. c. 12. p. 348. Concil. III. c. 5. p. 366.
Concilium Eliberitanum c. 38. p. 341.
Concilium Laodicenum c. 19. p. 252. can. 57. p. 280. can. l. et 7. p. 343. can. 50. p. 361. can. 35. p. 40. can. 30. p. 56.
Concilium Milevitan. can. 16. p. 305.
Concilium Neocaesariense can. 13. p. 278.
Concilium Nicaenum can. 8. p. 254. can. 3. p. 331. can. 19. p. 340. can. 8. p. 344.
Concilium Toletanum p. 344.
Concilium Tridentinum sess. XIV. c. 5. p. 247.
Concilium in Trullo p. 57. can. 52. p. 352.
Concilium Vasense can. 2. p. 351.
Constantinus Magnus p. 287. 292.
Constantinus in Geoponicis p. 4.
Constitut. Apostol. lib. I. c. 9. p. 56. 290 et deinceps 340. 350. 363. lib. XII. c. 9. p. 355. lib. VII. c. 24. p. 359. et alibi.
Cornarius ad Epiphanium reprehenditur in voce *Fregella*. p. 56. 57. et passim.
Curopalates p. 133.

D.

Damasi Liber Pontificalis p. 276. Epistola V. p. 278.
Damascenus lib. de haeresibus p. 25.
Demosthenes p. 89. 139.
Diodorus lib. I. p. 17. lib. III. p. 136. lib. I. 338.
Dio lib. LIII. p. 79. lib. LVI. ejus error p. 118.
Diogenes Laërtius p. 8. in Zenone
Dionysius lib. de Eccles. Hier. c. 3. p. 251.
Dionysius Alexandr. p. 86. 231.
Dionysius Exiguus p. 112.
Dioscorides in praefatione p. 4. lib. V. c. 99. p. 88.
Dorotheus p. 89.
Drusius lib. II. de Tribus Sectis c. 13. p. 29.

E.

Elias Thesbites p. 21. in Thisbi p. 27. 43.
Erasmus reprehenditur in voce *Communionis* p. 350.
Etymologicon Magnum in verbo σκύζεσθαι p. 6.
Eusebius lib. II. hist. Eccles. c. 11. p. 39. lib. III. c. 20. p. 41. lib. IV. c. 6. p. 42. et c. 7. p. 47. lib. II. c. 11. p. 53. lib. III. c. 21. p. 55. lib. III. c. 20. lib. X. τῆς ἀποδειξ p. 76. lib. IV. c. 17. p. 76. lib. V. hist. c. 3. p. 77. lib. IV. c. 15. p. 81. lib. V. p. 85. lib. II. c. 14. p. 88. lib. III. c. 4. p. 90. lib. V. hist. c. 23. p. 291. ejus locus emendatus lib. II. de Praepar. Evang. p. 339. lib. IV. de vita Constant. p. 367. emendatus lib. VI. c. 17. p. 405. Chronologia p. 5. 9. anno 484. p. 10. propugnatur adversus Scaligerum in dynastiis Aegyptiorum p. 12. error initio sui operis p. 13. 15. lib. XX. p. 16. προπαράσκ. lib. I. p. 15. 17. lib. VI. hist. c. 19. p. 18.
Eunapius in Jamblicho p. 56.
Eustathius lib. I. Iliad. p. 445. 283.
Eutropius p. 283.

F.

Fasti Siculi. p. 93. 94. et deinceps, citantur aut emendantur.
Fasti Capitolini p. 16.

G.

Galenus lib. de Composit. Medicam. κατὰ τόπους καὶ γενύη p. 4. ad Glauconem p. 57. lib. I. Epidem. p. 139.
Gaza p. 135. 136. 140.

Gelasius Cyzicenus lib. III. de conc. Nicaeno can. 54. et 55. p. 282.
Geminus p. 207. 208.
Gellius lib. II. c. 22. 9. u. 7. p. 74.
Germanus Constantinopolitanus p. 284.
Glossae veteres p. 281.
Gratianus can. 32. p. 255.
Gregorius Magnus Lib. XIX. Moral. c. 15. p. 321.
Gregorius Nazianzen. Orat. III. contra Julianum p. 57. Orat. XIIX. Ib. Orat. XXXIV. p. 521.
Gregor Thaumaturgus p. 251.

H.

Harpocratio p. 328.
Hegesippus apud Eusebium lib. V. c. 22. p. 22. 331.
Helladius p. 225.
Herodotus lib. IV. emendatus p. 10. 65.
Hermas lib. III. Similit. 5. p. 356.
Hesiodus initio Ἔργων p. 4. in Theogon. p. 46.
Hieronymus in Epist. ad Augustinum p. 50. comment. in c. III. Esai. p. 55. Epist. XIII. p. 26. ad Esaiam p. 59. ad Psalmum LXXVII. p. 73. ad Matth. c. XXVII. p. 76. contra Elvid. p. 76. Comment. ad Amos p. 81. lib. de Script. Eccles. p. 88. Apolog. II. contra Ruffin. p. 286. ad Esaias c. XXVI. comm. 13. p. I. 6. Apologia II. contra Ruff. p. 8. lib. de Nominibus Hebraeis. Ib. Epist. ad Ageruch. p. 9. in Tradit. p. 14. in Prologo Gal. p. 18. Apolog. II. contra Ruf. p. 45. adversus Helvidium p. 49.
Hilarius lib. IX. de Trinit. p. 289· lib. XI. p. 290. lib. VI. de Synod. p. 312. in Psalm. CXXVIII. p. 446.
Hippolytus p. 364.
Hincmarus Epist. ad Hincm. Episc. Laud. p. 251.
Horatius p. 183.
Homerus p. 109.

I.

Jansenius in Lucam c. II. p. 110. III. c. XXX. Concord. p. 269.
Ignatius Epist. ad Trallianos p. 88. Epist. ad Magnesios Ibid. Epist. IV. ad Tarsenses p. 288.
Innocentius Epist. I. ad Decent. p. 80. Epist. III. ad Exuperium c. 2. p 229.
Josephus lib. I. c. 4. p. 5. lib. II. c. 5. p. 17. lib. X. c. 7. p. 18. lib. IX. c. 14. Antiquit. p. 21. lip. IV. c. 8. et lib. XI. c. 8. p. 22. lib. III. Origin. c. 18. lib. XVII. Orig. c. 2. et lib. II. Ἀλώσεως c. 12. p. 34. lib. XIII. c. 15. p. 51. in fin. lib. XIV. p. 52. lib. II. Antiqu. et lib. III. c. 10. p. 63. lib. XIV. c. 15. p. 228. passim in p. 139. lib. III. Orig. c. 10. p. 159.
Irenaeus p. I. c. 20. p. 39. et c. 27. p. 43. correctus in voce *Parerga* p. 40. c. 21. p. 41. lib. I. c. 23. p. 42. lib. III. c. 3. p. 48. lib. III. c. 3. p. 59. c. 18. p. 68. lib. I. c. 6. p. 69. ejus Interpres lib. I. c. 18. p. 74. lib. V. c. 26. p. 76. lib. II. c. 12 p. 77. lib. III. c. 4. Ib. lib. II. c. 39. p. III. lib. II. c. 39. p. 145.
R. Issachar p. 49.
R. Isaias p. 217.
Isidorus Pelusiota Epist. 110. lib. III. p. 61. et deinceps.
Isidorus Hispalensis Orig. lib. XVI. c. 24.
Julius Pollux lib. II. c. 4. p. 255. et 256.
Franciscus Junius refellitur p. 5. Geminus p. 31.
Justinianus lib. II. Instit. t. I. p. 79.
Justinus Martyr 7. in dialogo cum Tryphone p. 31. III. Apologia II. p. 39. 40. 41. 42. 71.
Juvenalis p. 335. 336., ejus Scholiastes ibid.

K.

Kalendarium Judaicum p. 32.
Keplerus lib. de Christi natali p. 97. 119.
Kimchius Comm. ad Gen. XXII. v. 21. p. 6. 61. ad lib. III. Reg. c. 17. p. 219.

L.

Lactantius lib. I. c. 14. p. 9.
Lampridius in Alexandro Severo p. 56. 402.
Leo Magnus Epistola LXXX. c. 2. p. 246. Epist. LXXXIIX. p. 278.
Leopardus lib. XIX. Emendat. c. 2. p. 334.
Liranus p. 28. 272.
Livius lib. XLII. p. 60. lib. XXXIIX. p. 356.
Lucianus in Toxari p. 10. in Vita Peregrini 140.
Lucretius p. 338.
Lucidus p. 150. 185.
Lysias p. 328.

M.

Macrobius lib. I. c. 16. p. 68.
Maldonatus ad c. II. Matthaei p. 29. ad c. ejusdem XII. p. 62. 63. ad c. ejusdem XXVI. p. 71. 89.
Manuelis Novell. I. de Feriis p. 133.
Marius Victorinus p. 224.
Mariani Chronicon p. 114. et sequ.
Masius ad c. XII. Josue p. 22. ad ejusdem c. XII. p. 59. ad ejusdem c. VI. p. 70.
Maximus Tyrius p. 46.
Methodius p. 261.
R. Moses Maimonides p. 65. 151.
Modestinus IC. p. 40.
Martialis p. 336.
Mulleri Tabulae p. 118.

N.

Nebrissensis p. 216.
Nicander de Gagate p. 88.
Nicephorus p. 39. 199.
Nicephori Chronicon p. 265. 267.
Nicetas lib. I. Thesauri p. 44.
Nicolaus Damascenus p. 5.
Notitia Imperii p. 306.

O.

Optatus Milevitanus p. 25.
Origenes lib. IV. περὶ ἀρχῶν c. 2. p. 26. contra Celsum tomo II. p. 55. et I. p. 65. in eundem tom. VI. p. 66. homil. XV. in 25. c. Levit. p. 237. homil. II. in Psal. 37. p. 278.
Orosius p. 203.

P.

Pacianus Epistola I. emendatus p. 81.
Palladius p. 284.
Pamelius ad Tertullianum p. 361.
Paulus Forosemproniensis lib. XII. et XIII. p. 118. lib. IV. Paulinae p. 144. et alibi passim.
Paulus Jurisc. p. 215.
Pausanias p. 13. Corinthiacis p. 15.
Perrerius in Genesim p. 50. 150. lib. II. comm. in Dan. p. 252.
Phavorinus p. 41.
Philastrius p. 1. 27. 49.
Philo p. 159. 169. 335.
Philostratus II. Icon. p. 78.
Phlegon p. 176.
Photius p. 4. in orat. Eudociae Augustae n. 484. p. 157. num. 190. p. 81. p. 225.
Plato in Phaedone p. 17.
Plinius lib. p. 4. lib. XIII. c. 4. p. 18. lib. X. c. 62. p. 46. lib. IX. c. 48. et lib. XXXII. c. 4. p. 65. eodem lib. c. 2. p. 71. lib. XXXV. c. 15. p. 71. lib. XIX. c. 1. lib. XXIIX. c. II. lib. XXXIII. c. 16. Ibid. lib. XXX. c. 4. p. 76. lib. XXXVI. c. 19. lib. XV. c. 17. p. 260.
Plutarchus lib. de Iside p. 8. in Cicerone p. 26. in vita Caesar. p. 137.
Polybius p. 271.
Pontacus ad Eusebium p. 52.
Prateolus p. 1.
Procopius in Esaiam. p. 20.
Proverbia Graeca p. 40.
Ptolemaeus p. 7. 39.

R.

Rabi Levi ben Gerson ad lib. lib. IV. Regum c. 23. p. 18.
Rabi Meir p. 26.
R. Selomo p. 5.
Rhabanus Maurus lib. II. Inst. Cler. c. 18. p. 356.

Rogerius Bacon p. 150.
Rhodiginus lib. XV. c. 9. p. 338.
Ruffinus p. 39. reprehenditur p. 139. et deinceps p. 285.

S.

Scaliger p. 8. reprehenditur p. 10. et p. 21 in verbo Ἀνάγνους male reprehendit Epiphanium p. 23. 73. reprehenditur c. 20. Elenchi ubi arguit Serrarium p. 25. citatur in voce Γορθαιηνοὶ p. 26. arguitur in voce πνεῦμα p. 28. in Elencho c. XI. de scribis p. 29. in voce ἀσάλευτα super Matthaei 23. p. 31 in voce ῥοῖσκοι et κράσπεδα p. 32. item in dictione νομικοὶ p. 32. in voce ἀηδὴς p. 33. citatur in opusculo posthumo de decimis Judaeorum p. 33. friget ejus conjectura circa Ossenos p. 38. lib. VI. de Emend. temp. et lib. III. Isag. can. p. 64. in Elencho Trihaeresii p. 70. 73. 81. in celebratione Paschatis lib. II. de Emend. Temp. p. 86. error circa fastos Capitolinos p. 96. in Lucae interpretatione reprehenditur p. 109. ejus hallucinatio p. 116. error circa Herodis annos p. 125. alii duo errores p. 126. male reprehendit Onufrium p. 131. lib. II. de Emend. Temp. p. 134. et lib. III. Isag. can. Ibid. et lib. III. c. 9. Ib. in mensibus Atticis arguitur p. 135. 136. de Posidione error p. 137. p. 140. refellitur Judaici anni doctrina p. 156. 157. male reprehendit Epiphanium p. 170. error in in natali Christi p. 211.
Serrarius defenditur contra Scaligerum p. 21. 26. in Minervali lib. IV. c. 10. 11. 12. Ibid. in Trihaeresio. p. 27. 28. lib. II. c. 3. p. 31. lib. I. de Trib. Sect. c. 2. p. 34. et Minervali lib. IV. c. 31. in Iosue. p. 90. contra Scaligerum sentit p. 335.
Seder Holam p. 156.
Sibyllina oracula p. 73.
Sigebertus in Chronico p. 114. et seq.
Simplicius p. 134.
Sixtus Senensis p. 3.
Socrates lib. IV. c. 10. p. 4. Ibid. c. 18. p. 44. lib. V. c. 21. p. 86. lib. IV. c. 13. p. 226. lib. I. c. 23. p. 320. lib. II. c. 20. p. 320. lib. II. c. 31. p. 324.
Solinus lib. I. p. 104.
Sozomenus l. II. c. 3. p. 37., l. III. c. 10. p. 320., l. IV. c. 21. p. 324. l. VII. c. 19. p. 362.
Spartianus in Antonino Pio p. 42. in Adriano p. 56.
Stephanus de Urbibus p. 39. 71. 270. 271.
Stesichorus p. 70.
Stephanus in Thesauro p. 77. 78. 84.
Strabo lib. IIX. p. 4. lib. X. p. 10. lib. XIV. p. 78. lib. XIII. p. 84.
Suetonius in Cajo et eius hallucinatio p. 97. 384. et deinceps.
Suidas p. 4. in vocabulo *Seruch* p. 9. 17.
Sulpitius Severus lib. II. Histor. Sacr. p. 314. 317.
Synesius p. 257.

T.

Tacitus lib. VI. Annal. p. 97. locus ejus emendatus lib. II. ann. p. 305.
Tertullianus p. 1. in Apologet. p. 9. de Praescript. c. 33. p. 40. Ibid. c. 46. p. 41. lib. contra Judaeos h. 11. p. 42. in Scorpiaco p. 45. lib. de Anim. c. 35. p. 47. lib. I. de Resurr. et V. contra Marc. p. 49. lib. contra Judaeos p. 64. contra Valent. c. 9. p. 66. lib. de Pudic. c. 5. et 9. p. 228. lib. de Poenit. p. 236. eod. lib. c. 9. p. 250. lib. de Bapt. p. 254. contra Hermogen. c. 9. p. 288. lib. I. contra Psych. c. 1. p. 361. de Coron. milit. c. 3. p. 367. lib. contra Valent. c. 34. p. 67. 69. lib. de Praescriptionibus c. 50. p. 72. contra Marcionem lib. V. p. 77. lib. de Veland. virg. p. 348. lib. de Orat. p. 354. lib. II. ad Uxorem c. 4. p. 356. lib. de Jejun. contr. Psych. p. 357.
Themistius oratione XV. p. 9. orat. IV. p. 58. et orat. VI. Ibid. orat. V. ubi insignis illustratur locus p. 365.

Theodoretus emendatus ex Irenaeo p. 47. de Ebionaeis p. 55. comment. in Daniel. c. 6. p. 79. ad II. Timoth. c. 4. p. 88. lib. II. c. 27. p. 324.
Theophrastus lib. VII. c. 1. p. 136.
Theophylactus in Lucam. c. XI. p. 29. et c. V. p. 63. 342.
Timotheus Alexand. p. 353. 362.
Tostatus in c. XXIII. Matth. qu. 12. p. 29.
Trebellius Pollio p. 283.

V.

Vegetius lib. III. c. 16. et 19.
Virgilius p. 77.
Vitruvius lib. III. c. 1. p. 337.

X.

Xiphilinus p. 339.

Z.

Zonaras p. 251. 281.
Zosimus papa p. 305. 348.

INDEX

RERUM ET VERBORUM NOTABILIUM

QUAE

IN ANIMADVERSIONIBUS D. PETAVII REPERIUNTUR.

A.

Abraham genealogia a Sem post diluvium 222.
Abraami circumcisio quo aetatis anno facta 12.
Ab Adamo ad Thare quot numerentur anni 9.
Actiacae pugnae tempus ex Josepho 121.
Adamo quo anno post orbem conditum Abelum genuerit 269.
Ἀδριάνειον templum ab Adriano constructum 283.
Aegyptiorum dynastiae quot fuerint et quo ordine 12.
Aegialeus primus rex Sicyonorum cui successit Europa 12.
Aelam urbs an sit eadem quae Berenice 263.
Aeones an fuerint quilibet hermaphroditi 67.
Aeonum nomina unde fluxerint et quot eorum species 66.
Aër pars balnei, et quaenam illa fuerit 57.
Aera vulgaris Dionysianam anticipat 113.
Aera vulgaris quomodo possit conciliari 112.
Aera Dionysiana incipit anno 45 Juliano 106.
Aera Dionysiana examinatur ex iis quae objiciuntur ex Josepho 119.
Aëriani similes haereticis nostri temporis 228.
Aëtius unde suos adversarios χρονίτας vocaverit 330.
Alabastritis provincia et urbs Alabastra 271.
Alexander an fuerit rex ultimus de tribu Juda 25.
Alexandra uxor utriusque fratris Alexandri et Aristobuli 52.
Alphabeti distributio in tres partes 72.
Anatolii insignis locus expenditur de Paschali 14. Christianorum 188.
Anatoli locus explicatur adversus Bedae sententiām p. 190.
Anatolii verba explicantur 106.
Anatolii de loco altera et probabilior conjectura proponitur 199.
Angeli an fuerint creati ante coelorum creationem 263.
Angeli qui adamaverunt filias hominum quales fuerint ex sententia veterum quorumdam 261.
Angelorum invocationes qualiter a magis fieri dicantur 40.
Annalium scriptores hodierni qua in re ab antiquis discrepent disquisitio 307. 308.
Annus a quo mense initium sumpserit tam apud Christianos quam apud Judaeos 49.
Annus sabbaticus quando fuerit 51.
Annus quo plerique veterum passum dominum putant 174.
Annus Aegyptiorum duplex quomodo accipiendus 140.
Annus baptismi Christi ex Epiphanio in 8. Novemb. secundum Latinos in 6. Januar., 168., et passionis annus ex eodem Epiphanio ibid.

Annus primus Julianus non fuit Bisextilis 205.
Anni Judaici vera declaratio et ex Epiphanio cyclus Judaeorum exponitur 159.
Anni Judaici forma quam sub Christi tempora tenuerunt 151.
de Anno passionis dominicae variae priscorum sententiae diatriba amplissima 242.
de Annis Adriani imperatoris quaestio implicata 391., de ejus peregrinationibus 193.
Antiochia Syriae metropolis Epidaphne dicta et quam ob causam 305.
Ἀποβατήριον 5.
Apollinaris error duplici synodo damnatus 230.
Apollinaris opinio de carne Christi 60.
Apostolorum principes quo anno passi sunt 49.
Aquae benedictae usus quam fuerit antiquus 58.
Arabes a vere annum suum incipiebant 134.
Archelai Judaeae regis relegatio 134.
Arianorum fidei professionesvariae quae usque ad undecim enumerantur 327.
Aristoteles fabulam de leaena rejicit 332.
Aspis a vipera venenum mutuatur proverb. 42.
Assur de quo debeat intelligi variae sententiae 6.
Assyriorum monarchiae intervalla 11.
Assyriorum regum posteri 214.
Astra a quibusdam animata censebantur quod de Judaeis creditum est 34.
Athanasii exilium in Gallia quamdiu duraverit 276.
Atthis Atheniensium regis filia a qua Attica dicta, quae Acta dicebatur 16.
Azymorum dies quos cibos quam solemnitatem admitterent 293.

B.

Babyloniorum regnum quando coeperit 215.
Balnea utriusque sexus promiscua a quibus Romae prohibita 56.
Bano se Josephus tradiderat lotionibus crebris uti solito 34.
Baptisimus laicorum an sit verus 341.
Barnabae nomen quid Graeca et Syriaca voce significet 60.
Baronius Cassiodori sententiam sequitur in Christi natali investigando 98.
Basilides haereticus quot coelos constituerit 43.
Bedae decretum excutitur de passione Domini 142., ejusdem difficillimus locus expenditur 144.
Βεβίωκε, id est vixit, pro eo quod est mortuum esse 27.
Bisextus quando primum fuit institutus a Julio et ab Augusto emendatus 99., ejus reformatio quando coeperit et quomodo fuerit facta 100.

C.

Calvisii error supinus 141.
Carpocratiani Gnosticorum pessimi 47.
Carpocratianorum duo dogmata ab Epiphanio impugnata 49.
Cassius collega Vinucii an fuerit idem cum Caio Cassio Longino 97.
Caussarii proprie dicit ἀδύνατοι 328.
Cecrops primus Jovi bovem immolavit 10.
Chebron vulgo esse creditur Eleutheropolis 76.
Chorepiscopi qui dicantur, tum regionarii et vicani. 277., quae sit eorum dignitas et potestas in ecclesia ib. eidem sunt vicarii episcoporum. ibid., pares episcopis 278., utrum ab uno an a pluribus episcopis fuerint ordinati 270., origo chorepiscoporum 281.
Christus Februario mense natus quorundam opinione 110.
Christus quot Paschata post baptismum obierit 203., quomodo plura quam tria Paschata colligantur 204., Scaligeri opinio de quinque Pascha-

tibus ibid., veterum consensus de tribus Paschatibus, de tribus Paschatibus falsa Epiphanii ratio 205., trium Paschatum certior ratio 206.
Christus utrum eodem quo Judaei caeteri die Pascha celebrarit 185., quibus rationibus probatur eadem qua Judaei caeteri die Christum Pascha celebrasse ibid., alia sententia quae diverso tempore putat esse celebratum. ibid., praefertur posterior, sed nova quadam ratione declarata ibid., refelluntur pro priore allatae rationes 186.
Quoto anno natus sit Christus secundum annos Augusti 130.
Christus quo anno mundi creatione natus 269.
Christus ante Joannis carcerem praedicare coepit 206.
Christus quo tempore baptizatus a Joanne ac deinde discipulos elegerit et miracula fecerit 91.
Christus quo aetatis anno fuerit baptizatus 109.
Christi annus natalis et passionis amplissima disputatione explicatus 91. 92. 93. 94. 95. et seqq.
Christi baptismus cui mensi tribuatur ab Epiphanio 141.
Utrum annus natalis Christi fuerit bisextilis 104.
de Christi passione ejusque anno vero sententia ex Epiphanii mente 174.
Christi aetatem ex Lucae verbis non posse certo colligi 110., neque id ex Ignatio posse concludi 111.
Christiani quomodo in paschate dicebantur laetari, et Judaei lugere 294. 295.
Christiani unde Jessaei dicti fuerunt 53.
Christiani omnes a Turcis Franci, ut Mahumetani a Francis Turcae vocantur 272.
Chronologorum opinio circa annos aerae Dionysianae expenditur 146. 147.
Chronicon Mariani emendatur 117.
Chronologia de vaticinio Christi ex Esaia 61.
Chrysostomi locus explicatur de confitendi ritu 244.
Chydaei dactyli qui a Judaeis appellentur 18.
Cittim vel Cetim qui populi significentur 60.
Clemens Alexandrinus ex qua patria fuerit oriundus variae opiniones 69.
Clerici quidam reprehensi quod cum mulieribus lavarent 56.
Clericorum caelibatus in veteri ecclesia 345. 346., in quo Graecorum ridicula consuetudo hodierna 346.
Clinici poenitentes a poenitentia primum arcebantur 230. 231.
Coenae nomine an recte vocatur lacramentum corporis Christi 80.
Comitum dignitas quae fuerit apud imperatores 58.
Communio in ecclesia veteri propter quae peccata negata fuerit 227.
Communio sive eucharistiae participatio non semper fiebat in missa 355.
Communionem multis etiam in periculo mortis negatam 233 contra in mortis periculo quibusdam concessam 354., ex Nicaena synodo can. 13 moribundis dari solitam 235.
Concilium Eliberitanum a Novatianae haeresis suspicione vindicatur 333.
Concilium Nicaenum quod in tempus
Concilium Tolet. 4 can. 42
Concilium Arelatense secundum can. 3
Concilii Ancyrani et Sirmiensis pseudosynodorum acta fusius exposita et illustrata 306. 307.
Conciliium Eliberitani canones circa poenitentiam expenduntur 229.
Sirmiensis Concili et Ancyrani acta exponuntur etiam accuratius 317.
Confessio publica quibus probatur rationibus 246., quibus etiam rationibus videatur repudianda 246., a concilio Tridentino improbatur 247.
Confessio peccatorum publica an fuerit quondam ecclesiae moribus recepta 245.

de publica Confessione vulgaris opinio refellitur 241.
pro Confessione publica Origenis testimonia expenduntur 248. ejus loca explicantur 249.
Consulares qui, item qui triumphales 121.
Constantinopolitani quo die Christi baptismum celebrarent 133.
Constitutiones Apostolicae varie circumferentur 291.
Copiatae sive vespillones atque decani qui 329.
Cuthaei unde dicti, et an fuerint iidem qui Cudaei 21.
Cyclus duplex et embolismorum ratio 299.
Cyclus Judaicus et ejus opportunitas declaratur 169.
Cyclus lunaris et ejus initium 300.
Cyclus decemnovennalis primus omnium est 299.
Cycli Judaici προηγήσεις tridui vel bidui 163., accommodatur ad Epiphanii verba ibid. altera ejusdem cycli ratio 164., accommodate ad eundem Epiphanium 165., prima ratio alteri anteponenda videtur 165.
Cycli declarandi ex Judaeorum usu ratio 162.
Cyclorum ac coelestium observationum usus in chronologia 106.

D.

Decimarum tria genera apud Hebraeos 33.
Defensores ecclesiae qui dicantur, et nomen esse officii non ordinis, 305.
Demetrius cognomento Εὔκαιρος an pro Alexandro fuerit positus ab Epiphanio 39.
Diaconissarum usus et institutum vetus 348.
Digami a sacris ordinibus arcentur 347.
Digami quomodo in ecclesia veteri tolerabantur 343., digamia triplex 344. de digamis opinio iurisconsulti refellitur. ibid.
Diluvium quoto anno ab orbe condito extiterit 5.
Diluvium quo tempore extiterit ex annorum vera supputatione 11.
Dionysii Areopagitae dictum 179.
Dositheos complures extitisse ante et post Christum 26.
Drungus vox a recentioribus Graecis et Latinis usurpata 85.

E.

Ebionitarum secta quando primum emerserit 55., quot eorum genera fuerint. Ibid.
Ecclesiae ritus veteres hodie retinerentur, ut ex Epiphanio constat 342., ex his quidam adnotantur ibid.
Eclipsis solis Romae ingens quo anno Augustus obiit 118.
Elias Thesbites et de ejus patria disquisitio 219.
annus octavus fuit Embolymaeus 300.
Embolismaeorum ratio apud Judaeos 152.
Embolismi praecipitatio 302.
Encratitae haeretici quando esse coeperint 84.
Ephod summi sacerdotis quid fuerit 32., a quibus gestabatur ibid., quomodo distinguebatur ab Ephod laicorum ibid.
Epiphanius tempora persecutionum non recto ordine prosequitur 254.
Epiphanius ab inepta Scaligeri reprehensione vindicatur 170.
Epiphanius quo tempore opus hoc suum aggressus est 4.
Epiphanii opinio de liberis Josiae 19., item de colonis in Samariam transmissis 20., item de Esdra a Nabuchodonosore misso 21., in sectarum Judaeorum ac Samaritanorum partitione. ibid., non recte Essenos conjungit cum Samaritanis 23., Demetrium accepit pro Alexandro 39., de serie principum de tribu Juda quomodo apte sentiat 51., de Jacobo minore 52., item de Jacobo Josephi filio ibid., lapsus memoriae 59., de

sabbato δευτεροπρώτῳ 61., de Assamonaei filiis 78. 81. 84., ab inepta Scaligeri reprehensione vindicatur 170., ejus ratio de tribus Paschatibus 205., usus nomine Valeriani pro Claudii nomine 283., in Arii morte fallitur 286., in Paschate celebrando 291., vindicatur a suspicione Arianismi 324.
Epiphanii sententia explicatur de die natali Christi 127.
nodus ex Epiphanio valde difficilis 180. mira ejus sententia ibid. et 181.
Epiphaniae dies quo ritu et quo jejunio celebraretur 359.
Epiphaniae plures variis in locis sitae urbes hoc nomine 326.
Ἐπιφώσκειν quid sit 187.
Episemon quam notam apud Graecos significet 78.
Esseni vel Essaei qui dicuntur a Philone Judaeo 54.
Essenorum quod fuerit institutum diversum a Gorthenis et Sebuaeis 26.
Essenorum duo genera et qualiter distincta 53.
Evam, Evae, Euhye vocum vera derivatio 33.
Εὐχαριστεῖν quo sensu accipiatur et εὐχαριστία 71.
Eusebii error in Herodis annis supputandis 126.
Exhomologesis quid sit et qualiter a partibus usurpata 250., ea convenit tertio poenitentiae gradui qui ὑπόπτωσις dicitur ibid.
Exhomologesis quid sit et quo a confessione differat 71.

F.

Feminas clericorum contubernales prohibuerunt sacri conciliorum canones 331.

G.

Gadarenae thermae qua re et a quo commendatae 56.
Gagates lapis unde nomen habuit et ejus vires 88.
Gaza vox Persica etiam a Judaeis usurpata 56.
Γενητὸν et Γεννητὸν quomodo differant 260.
Genealogiae a Matthaeo traditae examinatio 20.
Generationes ab Adamo ad Abraham, ab Abrahamo ad Christum quot fuerint 287.
Glomus a Latinis usurpatur voce Graeca γολμή 60.
Gnostici unde dicti et quae axiomata praecipue asserebant 44., eos Augustinus vocat fabulones 45., eorum decem genera a totidem duabus propagata ibid.
Golgothaesius Calvariae locus an ab Adami cadavere 84.

H.

Hebdomaditae unde dicti, et quae ratio istius nominis 23.
Heber unde Phaleg nomen filio suo imposuerit 13.
Haeresis nomen quo sensu sit accipiendum in Epiphanio 2.
Haeresis, schisma et parasynagoge quomodo differant 340.
Haereseon ac religionis progressio ab Epiphanio rectene fuerit exposita 14.
Haereseon catalogum qui ex veteribus et recentioribus ex professo recensuerunt 1.
Haereseon octoginta dinumeratio quo pacto sit consideranda in hoc opere 2.
Haereseon vitiosa divisio quae ab Epiphanio traditur 2.
Haeretici nostri temporis improbe insectantur Catholicos ob nuptiarum et ciborum abstinentiam 85.
Haeretici reconciliati an iterum baptizandi et inter varias haereticorum sectas qui re baptisandi 340.
Herodis parentes qui fuerint variae opiniones 39.
sub quo Herode Christus est passus 331.
Herodis historia accurate ex Josepho describitur 121. 122.

Herodiani haeretici a quo Herode fuerunt nominati 38.
Historiarum superius expositarum refutatio historica 310.
Homeritarum regio ubi sita, item Auxomitarûm 271.
Homerus ex qua patria fuerit oriundus 78.
Hominis membra quot sint varie relatum 43.
Horae qualiter aequinoctiales dicantur ab Epiphanio 74.
Hyginus fueritne nonus an octavus Papa 77.

I.

Iacobo apostolo an licuerit intrare in sancta sanctorum, ubi rationes Scaligeri examinantur 332. 333.
Idololatriae origo quomodo ex simulacris et idolis 9.
Jesus nomen qualem in se numerum continet secundum litteras alphabeti 73.
Jesus nomen et ab Hebraeo et a Graeco potest deduci 53.
Jejunium quadragesimale a paschali differt secundum nonnullos 362.
Jejunium quadragesimale ex v. p. testimoniis 360.
Jejunii duplex forma apud antiquos 357.
Jejunii solvendi tempus 364.
Jejunia Judaeorum quae et quibus diebus celebrarentur 65.
Jejunia plena et semijejunia quae dicerentur 363.
Ἡμιφόριον, κολόβιον et ὠμοφόριον quomodo distinguantur 284.
Inachi et Argivorum regni initia 15.
Indiculus episcoporum Hierosolymitanorum 266. et an Nicephorus vere annos notaverit quibus singuli sedem tenuerunt 266.
Indiculus triplex ad Christi natalem et tempus passionis eruendum utilis secundum factos consulares 95.
Indiculus aliquot consulum ad intelligendam rationem anni bisextilis 100. 101. 102. 103.
Indorum nomen ad orientales populos remotiores extendi 60.
Indorum sectae quae fuerint praecipuae 338.
Innocentii locus explicatur de poenitentia 230.
Ioannes evangelista defenditur, et ostenditur quo tempore Apocalypsim scripsit 213.
Iob origo et quotus fuerit ab Abramo 11.
Io Inachi filia a qua fuit Bosphorus dictus 64.
Io Inachi filia dicta Isis ab Aegyptiis 16.
Josephus an liberos ex priore uxore habuerit 89.
Josephus defenditur multis in locis 121.
Josiae liberorum successio quomodo concilietur ex mente scholiastae 18.
Irenaei sententia de Christi passione 145.
Israelitae an in deserto idolis sacra fecerint 81.
Israelitae an quinta generatione ex Aegypto migraverint 15.
Israelitarum et Judaeorum appellatio quomodo differat 17.
Israelitarum peregrinatio in Aegypto quot annorum fuerit
Judaea quando tributa P. R. pendere coepit 128. 129.
Judaeorum festa qui ex accuratis lunae motibus explorant errant 152.
Judaei utrum olim translatione festorum sint usi 182. de eo Scaligeri sententia ibid., quae refellitur 182., circa illud memorabilis locus ex Rabi Mose 184.
Judaei cur ante aequinoctium Pascha celebrarent 169.
Judaei ac Judaizantes Quartadecimani 296.
Judaei rubrum mare trajicientes tot vias impressas habuerunt quot erant tribus 262.
Jus imperii quod reges sibi vindicant 224.

Justinus caute legendus, cum de trinitate idem prope cum Arianis sentiat 285.
Justinus quando vixerit et Apologias scripserit longa et accurata disquisitio 82. 83.

K.

Καββᾶ quid Hebraice et Syriace significet 45.
Καθοσίωσις quid sit amplissima disquisitio 78.
Kepleri descriptio cycli quo Judaei utebantur 160. et quo in ejus descriptione minus placeant 161.
Kippurim festum expiationum quando celebrabatur a Judaeis 26.
Κοδδὰ quid sit lingua Hebraica 45.

L.

Labar et Labarum 5.
Laodicea Antiochiae cur appelletur 306.
Laura pro labra legendum in Epiphanio et quid sit Laura 282. 283.
Laterculum noviluniorum, ac pleniluniorum etc. 149.
Laterculum descendentium a Levi 218.
Laterculum mensium Atticorum ex Gaza et Scaligero 135.
Laterculum mensium Antiochenorum sive Συροελλήνων 132.
Legisperiti qui apud Judaeos dicerentur 29.
Leptes geminae in Africa et earum distinctio 271.
Levitae decimarum decimas persolvebant 33.
Liberii purgatio qua ostenditur illum non subscripsisse Athanasii condemnationi neque cum Photianis communicasse 316.
Librorum sacrorum partitio ex Epiphanio 54.
Librorum numerus apud Judaeos quomodo computetur 18.
Linguarum distinctio in septuaginta duas et unde 6. 7.
Lini et Cleti Petri successorum historia, et controversia circa eorum successionem dirempta 47., ac exinde dinumeratio pontificum Romanorum a Petro 48.
Lucas an evangelium in Gallia praedicaverit 90.
Lucae evangelium quot annorum historiam scripserit 88.
de Lucae loco nova quaedam conjectura proponitur 111.
Lucae locus expenditur de aetate Christi 108.
Lucernae ardentes in templo die et nocte, de eo disquisitio 272. 273.
Lunarum ac feriarum tam verarum quam vitiosarum anno dominicae passionis 173.

M.

Maccabaei an fuerint orti ex tribu Juda 50.
Magorum adventus quoto anno extiterit post Christum natum 89.
Mambre quercus quam celebris olim fuerit 37.
Manichaeorum origo. et quo tempore haeresis illorum emerserit 267. autores qui in eorum sectam scripserunt recenset Theodoretus 268.
Manna quem gustum habuerit 59.
Marcelli haeretici libellus de professione suae fidei et de ea iudicium Baronii 304.
Marcion cujas fuerit et an lycus vel lupus vocatus 77.
Mariae virginis invocato nomine daemones fugati 57.
Mariae virginis partus quam apte ad spiritalem Ecclesiae partum referatur 59.
Marcosianarum vocum quae barbarae videntur interpretatio 74. 75.
Marcus e septuaginta duorum discipulorum numero fuit 88.
Marci evangelium ubi scriptum et an iussu Petri 88.
Mariandynorum regio ubi sit 70.
Massaliani quibus vocarentur nominibus 334. duplex eorum genus ib.
Methusalem quot annos vixerit 45.

Megarensia certamina quae 338.
Melchisedec sacrificium typus eucharistiae 221.
Melchisedecis domicilium ubi fuerit 218.
Meles et Critheis Homeri parentes 78.
Meletius bis in exilium pulsus 327.
Menander discipulus Simonis Magi a quo haeretici Menandriani 41. an fuerit major Simone suo magistro ib., ejus baptismus quo immortalitatem promittebat ibid.
Mensium Judaicorum, Macedonicorum Graecorum et Julianorum latercululum 139.
Mensium Atticorum duplex genus 138.
Mercurius lucrionibus et quaestus avidis praest. 34.
Metis uxor Jovis ex qua sustulit Palladem . 46.
Missae sacrificium divinum et incruentum 364.
Mithrae sacerdos, quod fuit idolum Cretensium 81.
Monarchiae quatuor quo tempore coeperint 214.
Moyses et Inachus an fuerint σύγχρονοι 15.
Mus araneus orbitis rotarum enecatur 223., ejus morsus quale vulnus inferat ibid.

N.

Nabathaea regio quae fuerit et quod a Batanea differat 59.
Nasaraei qui dicantur ab Epiphanio 36.
Nazaraei qui fuerint et utrum Judaeis an Christinanis annumerandi 50.
Nazaraei an verum Matthaei evangelium habuerint 55.
Nazaraei qui fuerint et unde dicti 36.
Nectarii praesulis Constantinopolitani memorabilis historia et utrum ille confessionem sustulerit 240.
Nembroth idem et Belus Babylonis conditor 7.
Neomeniae mensium ab Epiphanio propositae et diligenter distinctae 138.
Neomeniarum constituendarum synedria plura in Palaestina 151., quomodo neomenias sapienter indicerent 151.
Tabula neomeniarum Nisan secundum Judaeos 166.
Nitrariae permultae in Aegypto et magna copia nitri 329.
Notarii atque exceptores ac ferme diaconi episcoporum in conciliis 304.
Notae ad excerpta consulatuum collegia 95. 96.
Νουρὰ lingua Aramaea quid significet 45.
Novati ac Novatiani in nominibus error veterum 226., unde Novatianorum haeresis ibid. quod eorum fuerit dogma ibid., Novatiani praeceptoris sui dogma temperant 227.
Novatiani haeresis quo tempore ecclesiam sit persecuta 253.

O.

Oblationes quarum partes dicuntur μερίδες quales sint ex concilio Carthaginensi 366.
Oblationum usus et quorum oblationes recipiebantur 351., de oblatione panis et vini 352., quando fiebant oblationes ibid.
Oraculum Jacobi de principibus e tribu Juda numquam de futuris quo sensu accipiendum 50.
Orationes et sacrificia quae in ecclesia fiunt pro mortuis accurate probantur 367.
Ordo triplex graduum in ecclesia virginum, viduarum, conjugum 342., virginum ordo ex patribus et conciliis defenditur adversus haereticos 343., ab episcopis consecratae virgines ib.
Origenes apud imperatores gratia et commendatione valebat 257.
alia multa de Origene ibid. de illius lapsu 258., de ejus in Tyrum profectione 259.
Origenis insectatores quatuor qui adversus eum scripta ediderunt 260

Osculo abstinebant fideles tempore jejuniorum 352.
Ὦσεὶ quomodo apud Graecos usurpetur 109.
Osseni utrum fuerint iidem qui Esseni 37 unde dicti ex opinione Scaligeri 37. et 38.
Ovatio dicta ex Οὐὰ voce laetitiae 339.

P.

Pamelii error apud Tertullianum in Parasceues interpretatione 358.
Paphnutios plures ejus fuisse nominis 275.
Paradisus terrestris ubi fuerit constitutus 271.
Pascha vetus fuit typus perpetui sacramenti 80.
Pascha 14 mensis Martii a quibus celebrari solitum, et omnino circa Paschatis celebrationem multa notatu dignissima 85. 86. et 87.
in Paschate celebrando tria sunt observanda 292.
Paschalis diei varietas per octaeterides et syzygias exponitur 297 298
Paschatis contentio apud Scotos et Anglos gravissima 194.
Paschatis depravatio apud Christianos duplex 303.
Pascha dies magna dies dicta et tempore paschali vincti carcere solvebantur 365.
Paschata tria juxta narrationem evangelistarum ad Epiphanii mentem accommodata 207., primum Pascha ibid. secundum 209., tertium et σταυρώσιμον ibid. trium Paschatum character ibid.
Pastinacae venenum dicitur esse praesentissimum 65.
Patres, apud inferos detentos et a Christo liberatos 84.
Patriarcharum et Apostolorum nomen et dignitas quando primum usurpari coeperit 55.
Pauli Middelburgensis insignis locus 145.
Pauli Middelburgensis dictum memorabile 120.
Pauli Middelburgensis somnium 117.
Pauli Middelburgensis somnium refellitur 147.
Πέδεια item et βράχες quae dicantur ex Polluce 225.
Peregrini mors quo anno contigerit 141.
Periodorum libri multi hoc nomine apocryphi 59.
Petrus non primus vocatus a Christo, quamvis primus fuerit dignitate 91.
Pharisaei quomodo fatum et librum arbitrium admittebant 34.
Pharisaei a voce Phares quod est separatus 34.
Pharisaeorum traditiones contra praeceptum domini 70.
Philippi tetrarchae obitus 124.
Phosphorus rhetor latinus et ejus vanitas ex Tertuliano 69.
Phryges a Thracibus oriundi 10.
Phylacteria quae fuerint ex doctiorum sensu 32.
Poenitentia fit aut propter peccata capitalia, aut propter venalia, quae sint utraque 238.
Poenitentia qualis fuerit constituta concilio Arelatensi c. 23 Ancyrano c. 232 232.
Poenitentia publica propter occulta peccata quibusdam imposita 248.
Poenitentia fuit apud antiquos triplex 237.
Poenitentia publica a quibusdam peccatoribus non sponte suscepta, sed necessario peracta 238.
Poenitentia publica non confessio sublata Constantinopoli 243.
Poenitentiae quo in gradu absolutio sacramentalis fuerit concessa 251., in tertio gradu probatur 252., contra non videri 253.
Poenitentiae capessendae ritus qualis fuerit in veteri ecclesia 239.
Poenitentiae vetus in ecclesia ratio quae fuerit 225. 226.
Poenitentiarii sacerdotis instituendi quae prima fuerit causa 241.

Poenitentiam ac pacem semel an saepius ecclesia vetus indulserit 236.
Poenitentium nomine vulgo tres gradus continentur 251.
Πολιτευόμενος qua voce Latine commodius reddatur 369.
Προβολὴ quid sit, item et προβολεῖς 286.
Prophetae intelligentiae cur dicti fuerint 59.
Prosabbatum quid sit 212.
Prosencha quid et an Judaei mendicarent 335.
Προύνικος quid significet, et quam varias interpretationes habeat 43. Nicolaitae Prunicum mulierem et Caulaucam venerabantur 44.
Prunicia quae fuerit ex Origene et Epiphanio 66.
Pythia certamina quando celebrabantur, contra Scaligerum 338.

R.

Rhodanusia, quid, item qui sint Rhodanici 71.
Ruffinus Origenis amator refellitur ab Hieronymo 262.

S.

Sabbatum δευτερόπρωτον, sive secundo, primum, quod fuerit 61.
Sabbati jejunium 359.
Sabbati duplex genus apud Judaeos 212 quod sit δευτερόπρωτον ib.
Sabbati iter quot pedibus vel cubitis constaret 270.
de Sabbato δευτεροπρώτῳ accurata disquisitio 62. 63. 64.
Sabbata Judaei sua festa vocabant ut et ethnici 64.
Sabbatis Judaeorum utrum aliquid operari licuerit 64. 65.
Sabbato an synaxes apud orientales celebrarentur 353 et utrum feria 4 et 6 mysteria celebrarentur 354.
Sacerdotum series usque ad excidium templi 220.
Sacramentorum verba caute ac timide proferenda 367.
Saducaei textuales dicti quod scripto et textui tantum adhaererent 28. Itidem quomodo spiritum negabanib. an solum Pentateuchum admiserint 28. 29.
Saducaei a Dositheo propagati 27.
Sadoci duo et quibus temporibus ambo vixerunt ibid.
Salaminiorum annus a quo mense inceperit 133.
Samaria varia significatione accipitur in sacris libris 18.
Sampsaei et Osseni an iidem fuerint 27.
Sanctorum animae beatae fiunt illico, nec judicii diem extremum expectant 334.
Saturninus, vel Saturnilus, auctor Saturnilianorum 42.
Saulus quo sensu dicatur νεανίας 122.
Scaligeri sententia de Judaeorum anno vetere 153., ejusdem inconstantia 154., de anno Graeco commentum 157., stupor 158.
Scaligeri jocularis inconstantia de anno natali Christi 134.
Scaligeri hallucinatio 115.
Scaligerianae inconstantiae aliud specimen 134.
Scaligeri error de Posideone mense Attico 137.
Schoenus quot miliaria item et stadia continet 38.
Scotorum haeresis vel error ex falsa Ruffini interpretatione, pro Anatolio 193.
Scribarum erant complures et distincti gradus in eodem ordine 33.
Scribae et Pharisaei quomodo inter se differant 29., an fuerint iidem qui et Jurisperiti ib.
Scythae Martem colunt sub ferrei acinacis effigie 10.
Scytharum nominis origo varia 6.
Seps cujus generis serpens et ejus natura 75.
Seruch vocabuli Hebraei varia interpretatio 8.
Seruchi temporibus idolatria grassata est 13.
Severitatis triplex ecclesiasticae gradus 231.

Sicyoniorum regnum quando defecerit et a quo fuit occupatum 13.
Sige quem procrearit filium, quamque varie id referatur 66.
Sigeberti, Mariani, aliorumque chronologorum hallucinatio quod ad aetae Christi anticipationem attinet 114.
Signum crucis quantas vires semper habuerit, contra Casaubonum 57.
Signorum zodiaci partitio quadripartita 34.
Simon Jonathae ac Judae Maccabaei frater quando mortuus 52.
Simon ex opinione Clementis posterior fuit Marcione, sed in eo refutatur 40.
Simoni Mago an fuerit statua Romae posita tanquam deo 41.
Simoniani omnes magi, ex Irenaeo probatum 40.
Solini opinio de anno confusionis 104.
Stationes quae dicantur et unde translatae 356.
Stoici qualem esse animam afferebant 16.
Synaxes sacrae quem in sensum accipiantur 349., synaxis pro sacra communione ibid.
Synaxes frequentes fiebant in quadragesima Caesareae et in singulis ecclesiis 284.
Synaxis quid differat a sacra communione, contra Casaubonum 350.
Synodus Seleuciensis quo tempore fuit celebrata 325.

T.

Tertullianus errore Montani imbutus poenitentiam oppugnat 228.
Tertulliani opinio de tempore passionis Christi 146., item Eusebii ibid.
A Thare ad ortum Abraami quot anni fluxerint 13.
Themistii locus insignis illustratur 365.
Theruma de frugibus elaboratis quomodo definita in lege 33.
Thisbi oppidum Eliae patria et Tobiae ubi situm 220.
Tituli ecclesiarum Alexandriae qui, et unde paroeciae 276.
Totaphoth quomodo reddantur a Septuaginta 31.
Traditionum apud Hebraeos quatuor genera 70.
Troiae excidium quo tempore contigerit 13.
Turris Babyloniea quo tempore extructa ibid.
Tylus Messeniae urbs, alias Oetylus 4.

V.

Victorini et Latinorum error in festo Paschatis 197.
Vinucius Consul cui Vellejus Paterculus suam historiam, sive breviarium inscripsit 96.
Vinucius et Cassius consules qui fuerint 97.
Visitatores, vel περιοδευταὶ, vel circitores et lustratores, an et procuratores iidem 281.
Ὑπόθεσις et superpositio quid sit 363.

X.

Xerophagiae hebdomas accurate explicatur 296.
Xerophagiae usus in quadragesima, et quid fuerit 316.
Xerophagiae usus in hebdomade sancta quis fuerit 295.

Z.

Zenones duo, unus Citieus, alter Eleates 17.
Zeuxippus postremus rex Sicyoniorum ibid.
Zoroaster unusne, an plures hoc nomine fuerint appellati 8.

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE.

SYMBOLAE

IN

EMENDANDA ET ILLUSTRANDA

S. EPIPHANII PANARIA.

SCRIPSIT

ALBERTUS IAHNIUS,

ACADEMIAE REGIAE MONACENSIS SOCIUS ORD.

CLARISSIMO OEHLERO SUO

S. P. D.

ALBERTUS IAHNIUS.

Quod Tu, amicissime Oehlere, mihi nuper detulisti munus, ut symbolas darem in Epiphanii Panaria a Te edenda, id eo lubentius suscepi, quod Epiphanio, uti reliquis ecclesiae Graecae scriptoribus, operam philologam inde a iuventute navassem. Qua in re illud maxime spectaveram, ut exploratum haberem, quid illi a παιδείᾳ ἑλληνικῇ, praesertim philosopha et potissimum Platonica, in doctrinae ratione inque oratione mutuati essent, utque, comparatis scriptoribus classicis et ecclesiasticis, quid illi sibi invicem lucis adferrent, patefacerem. Neque vero haec studia Patrum ὀρθοδόξων operibus circumscripta esse volueram, sed etiam Haereticorum doctrinas perlustraveram, quum plerique illorum ex Platone et ex Platonicis plurima ita hauserint, ut placita Platonica doctrinae Christianae per vim ac fraudem non accommodare solum, sed etiam substituere conarentur. Itaque Epiphanium minime neglexeram; frequenti autem eius usu cognoveram, neminem facile scriptorum veterum illo corruptiorem esse.

Est autem profecto Epiphanius ἕλκεσι βρύων, inque eo persanando hodie etiam criticis plurimum reliqui est factum. Nam Petavii in eum curae criticae tanto viro haud prorsus dignae sunt. Cum enim criseos subsidia, de quibus mox dicemus, praeter illud, quod in divinatione est positum, vix adhibuit, tum in eo iustam reprehensionem incurrit, quod in expurgandis mendis, quibus editio princeps scatet, nova menda haud satis cavit et genuinas illius lectiones, sive sua, sive typothetarum negligentia, cum mendosis commutari passus est. Omnino Petavius in edendo Epiphanio magis theologum, chronologum et archaeologum, quam criticum egit. Iam vero codices manu scripti, ut sunt omnino perrari, ita, excepto Veneto, haud ita multum subsidii ad emendandum Epiphanium conferunt. Ipse autem Venetus, ceterum mancus, etsi in ea operis parte, quam complectitur, tum transpositionibus, tum lacunis egregie medetur et plurimis locis corruptis genuinam exhibet scripturam, haud raro tamen nos destituit. Quo diligentius quaecunque in codicibus reliquis inque editione principe ad crisin factitandam expediunt, excuti debent. Neque vero negligendi sunt scriptores tum ii, ex quibus Epiphanius hausit, tum qui ex Epiphanio vel ex auctoribus ab eo compilatis decerptas particulas sua in scripta transtulerunt. Haec autem subsidia ubi nos simul cum codicibus manu scriptis deficiunt, res ad coniecturam redit, qua haud scio an nemo scriptorum

veterum magis quam Epiphanius egeat. Quo in genere quamvis, Cornario praeeunte, Petavius et post eum Gatakerus operae pretium fecerint, immensa tamen emendationum messis facienda est, priusquam Epiphanius sibi ipsi restitutus videri possit. Sed emendandi negotium in Epiphanio eo est difficilius, quod ille dicendi genere squalido nec satis Graeco usus est, ut saepe dubites, quid illi, quid librariorum barbariei attribuendum sit. Huc accedit, quod scriptores, ex quibus ille hausit, dicendi genere inter se quam maxime discrepant et sententiarum obscuritate haud raro laborant. Inde factum, ut praeter Cornarium, Petavium et Gatakerum nemo sit repertus, qui Epiphanium integrum aut ex parte de industria tractaret, utque ex immensa philologorum grege, exceptis philologiae heroibus, Scaligero et Casaubono, horumque aemulis viris eruditis, nemo Epiphanium non dico accuratius inspiceret, sed omnino legeret. Theologi autem (nam rari exstitere Petavii et Gatakeri) plerumque satis habuerunt, haeresium et dogmatum testimonia, utcunque mendis vitiata et male intellecta, ex eo afferre.

Quo magis Tua, mi Oehlere, laudanda est industria, qui, non reformidatis iis, quae dixi, criseos Epiphanianae impedimentis, ad eam te accinxisti, subsidia naviter explorasti, explorata Tuos in usus convertisti. Nam primum quidem codicis Veneti ope folia transposita suas ad sedes revocasti, lacunas explevisti, plurimos locos corruptos persanasti; neque vero neglexisti, quae alii codices manu scripti et editio princeps ad emendandum Epiphanium conferunt. Deinde, quae ille ex Irenaeo et aliis scriptoribus hausit, ad illorum exemplaria exegisti; quae autem Photius et alii ex iisdem, quibus ille, fontibus derivarunt, cum excerptis Epiphanianis scite comparasti. Ac si minus haec omnia cum pulvisculo excussisti, at multis tamen partibus scriptori Tuo egregie profuisti. Porro, quae post Cornarium Petavius et praeter illos pauci quidam ingenio et doctrina excellentes viri coniectando periclitati sunt, Tuos in usus sedulo convertisti. Denique ipse illam emendandi rationem, quae coniectura continetur, expertus es. Atque etiamsi interdum fortasse calidior fuisti in coniecturis in contextum, qui dicitur, recipiendis, multo tamen saepius rem acu tetigisti.

Sed est omnino facilius, viam ab alio per loca aspera et dumetis repleta primum excisam corrigere et quod ad laborem consummandum deest adiicere, quam eundem suscipere. Iniquus autem et impudens sit, qui difficilem operam laudabili studio susceptam ideo cavillari audeat, quod illi ad perfectionem multum adhuc desit. Neque vero ego haec adulandi causa Tibi dico, aut Tu, quid Tuo in labore mancum et imperfectum sit, alios celare cupis. Alioquin neque Tu me ad symbolas in Epiphanium dandas invitasses, aut ego ea, quae haec studia decet, ingenuitate in supplendis et corrigendis vigiliis Tuis usus essem.

Quid autem in symbolis meis maxime spectaverim et quibus instructus subsidiis eas scripserim, malo lectores ex iis quae dedi cognoscere, quam hic ambitiosius enarrare. Et istud quidem sponte apparet, me non solum emendandi, sed etiam illustrandi Epiphanii curam habuisse, quod pensum Tu a Tuo labore fere exclusisti. Illud vero hoc loco tacere nolo, plurimas emendationes, a me factas in Methodio, e cuius scripto περὶ ἀναστάσεως Epiphanius larga specimina tanquam pannum vere purpureum centoni suo assuit, propediem a me confirmatum et illustratum iri in *Methodio Platonizante*, ex quo quae ad Epiphanium emendandum pertinent nonnisi summatim delibavi, ne mea ipsius scri-

nia compilare voluisse postmodum viderer*). Ceterum ab Epiphanii Tui lectoribus eandem, quam Tu, veniam peto, nimirum meo in labore ut non tam spectent, quid non praestiterim, quam quid praestiterim, praesertim quum, quod Te minime latet, hanc quoque opellam philologam elaboraverim inter bonorum studiorum impedimenta maxima, et quae haud scio an quemvis alium ab illis deterreant.

Faxit vero Deus Optimus Maximus, ut tandem aliquando hisce studiis honeste et ex professo vivere possim, utque ne in perpetuum inter humanitatis

---

*) In gratiam eorum, qui minus norunt, quae ego in genere philologiae patrologicae elaboravi scripta, a me in his Symbolis identidem citata, visum est ea hoc loco enumerare. Sunt autem haec: 1°. *S. Basilius Magnus Plotinisans*, supplementum editionis Plotini Creuzerianae, Basilii M. Garnerianae. Bernae, apud C. A. Iennium filium. MDCCCXXXVIII. 4°. — 2°. *Animadversiones in S. Basilii Magni opera*, supplementum editionis Garnerianae secundae. Fasciculus I, continens animadversiones in tom. I. Accedunt emblemata Plutarchea ex Basilii Hom. in Psalm. XIV. Bernae et S. Galli Helvetiorum. Impensis Huberi et Soc. (I. Koerberi) MDCCCXLII. 8°. — 3°. et 4°. *Censurae Speciminis novae editionis cohortationis S. Basilii Magni ad adolescentes de utilitate e libris gentilium capienda* ed. P. C. Hess. Helmstadii. MDCCCXLII. (vid. *Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft* 1843. p. 1012 — 1020. et: *Neue Jahrbücher für Philologie und Pädagogik*. 1848. Vol. XLIX. Fasc. IV. p. 371—425). — 5°. *Animadversiones in posteriorem partem Basiliani opusculi de legendis gentilium libris.* (vid. *Archiv für Philologie und Pädagogik*. Vol. XIII. Fasc. III. p. 455 — 473). — 6°. *Lesefrüchte byzantinischer Theologie: I. Nikolaos Kabasilas.* (vid. *Theologische Studien und Kritiken*. 1843. p. 721 — 746). — 7°. *Marcus Eugenicus über die moralische Schwäche des Menschen. Aus der Münchner Handschrift 495 zum ersten Male und mit Anmerkungen herausgegeben.* (vid. *Zeitschrift für die historische Theologie*. 1845. Fasc. IV. p. 42 — 73). — 8°. Dissertatio theologica, qua disputatur, ad quosnam pertineat promissio Spiritus sancti secundum Novi Foederis doctrinam. Inest disquisitio philologica de Paracleto. *Accedunt scholia maximam partem patristica.* Basileae. Typis et impensis bibliopolii Schweighaeuseriani. MDCCCXLI. 8°. — 9°. *Eliae Metropolitae Cretae Commentarii in S. Gregorii Nazianzeni Orationes XIX. E codice ms. Basileensi excerpsit et annotationem cum in Eliae Commentarios tum in S. Gregorii Orationes XIX adiecit A. I. Accedunt Basilii aliorumque Scholia in S. Gregorii Orationes, e codicibus Monacensibus excerpta.* (*Patrol. Gr. ed. Migne* T. XXXVI. = *S. Gregorii Naz. Opp. omnia ed. Migne* T. II. Parisiis. MDCCCLVIII.) — 10°. Symbolas contuli ad hunc librum, editum a viro amicissimo, cuius memoriam nulla unquam oblivio ex animo meo delebit: *S. Gregorii Episcopi Nysseni de Anima et Resurrectione cum sorore sua Macrina Dialogus.* Gr. et Lat. Ad codd. mss. fidem rec. et illustr. Io. Georg. Krabingerus, Bibliothecae Reg. Monac. Custos. Lipsiae. MDCCCXXXVII. In libraria C. Wuttigii. 8°. — 11°. *Variantes lectiones* et *emendationes* in *Eusebii Praeparationem Evang.*, a me suppeditatas Heinichenio, Viro Cl., exhibet Programma Gymnasii Zwiccav. MDCCCXLVII. — Neque vero SS. Patres Ecclesiae neglexi in reliquis scriptis philologis, a me editis, quae tamen hic enarrare longum sit.

et panis quaerendae studia Tantali instar misere fluctuem, aut mihi occinam illud:

Sedet aeternumque sedebit
Infelix Theseus.

Quod votum ut ne irritum cadat, quantum quidem in me est, enitar, dum adhuc viret ingenium.

Vale, amicissime Oehlere, meque, quod cum Tui similibus facis, amicitiae ac benevolentiae solatio erigere et recreare ne desinito.

Dabam Ursopoli Helvetiorum pridie Non. Aug. MDCCCLX.

Tom. I. P. 8 (cap. 2). ἕκτη] Vulgo: ἕξ. Ἕκτη scribi iussit *Petavius* et ante eum *Aretius*, celeber quondam apud Bernates theologiae professor, qui editionis Basileensis exemplari, in bibliotheca civitatis Bernensis asservato, notas adscripsit.

Pag. 10. ἑξκαιδεκάτῃ Ἡρακλεωνῖται] Ἑκκαιδεκάτην Noster p. 58 (19). Sed ἑξκαιδεκάτης cl. editor e codd. mss. et ex ed. Basil. bis reposuit T. III. p. 32 (824 et 825), ubi Petav. ἑκκαιδεκάτης. Tu vide *Lobeck.* ad *Phryn.* p. 413. Quam idem exemplis stabilivit formam ἑξκαίδεκα, nunc tueor apud *Eliam Cret.* Comment. in *Gregor. Naz.* col. 758. ed. Paris.

P. 16. διά τοι τῆς εἰδωλολατρίας] Rescribe εἰδωλολατρείας ex Anac. p. 544 (131) ed. Oehler. ubi vide a me annotata.

P. 20. Διώριζε δὲ ἅμα τὰ ἀπὸ σελήνης καὶ τὰ ἄνω ἀϑάνατα λέγων] Legendum: τὰ ἀπὸ σελήνης ἄνω, deletis verbis καὶ τά. Vid. annot. in T. III. p. 496 (1087).

P. 20. μεταγγισμούς τε ψυχῶν ἀπὸ σωμάτων εἰς σώματα] Haec totidem verbis scripta exstant in Anac. T. III. p. 546 (132). Quemadmodum corpus ἀγγεῖον, id est *vas* sive *vasculum*, figurate dicitur (vid. *Plethon.* Schol. in *Orac. Chald.* p. 26. ed. Opsop. *Ast.* Annott. in *Plat.* Phaedr. p. 443), ita μεταγγίζεσϑαι et μεταγγισμὸς ad migrationem animarum in alia corpora transferri solent. Sic Noster post paulo de *Platone:* μεταγγισμὸν δὲ ὡςαύτως ψυχῶν εἰς σώματα διάφορα [εἰς σωμάτων διαφορὰς Anaceph. T. III. p. 546 (132)] . . . ἐδογμάτισε, et plenius p. 48 (14), ubi μετενσωμάτωσις et μεταγγισμὸς τῶν ψυχῶν coniuncta. De *Stoicis* idem cap. 7 et in Anaceph. T. III. p. 546 (132) τὴν ψυχὴν πάντων μεταγγίζεσϑαι ἀπὸ σώματος εἰς σῶμα, et plenius p. 45. sq. (12), ubi item coniuncta μεταγγισμοὶ ψυχῶν et μετενσωματώσεις. Vide tamen illic annotata. Verbum μεταγγίζεσϑαι, *transfundi*, habes in doctrina *Simonis Magi* p. 124 (56), ubi cod. Vatic. pro μεταγγιζομένης male μετεγγιζομένης, eiusmodi mendum fraudi fuit *Voemelio*, qui ad *Nicol. Methon.* Refut. Procli p. 200. 256. nihili verbum μετεγγίζεσϑαι Lexicis adiici iussit. Μετενσωμάτωσις et μεταγγισμὸς animarum rursus copulata in *Carpocratis* doctrina p. 208 (105). Idem p. 210 (106) verbum καταγγίζειν eadem in re sic usurpavit: εἰς τὸ φέρειν τὰς ψυχὰς πάλιν καὶ εἰς σώματα καταγγίζειν διάφορα. De *Marcione Epiphanius* p. 558 (305) μεταγγισμοὺς ὁμοίως τῶν ψυχῶν καὶ μετενσωματώσεις ἀπὸ σωμάτων εἰς σώματα φάσκει. Omnino tenendum, quod idem ponit p. 602 (330) Οὐαλεντῖνος καὶ Κολόρβασος, Γνωστικοί τε πάντες καὶ Μανιχαῖοι καὶ μεταγγισμοὺς εἶναι ψυχῶν φάσκουσι καὶ μετενσωματώσεις τῆς ψυχῆς τῶν ἐν ἀγνωσίᾳ ἀνϑρώπων. De *Manichaeis* singulatim

videndus *Epiphan.* T. II. p. 448 (644. sq.) 450 (645) 452 (646) 490 (666). *Formula Receptionis Manichaeorum* apud *Toll.* Insign. Itin. Ital. p. 138. haec habet: ἀναθεματίζω τοὺς τὴν μετεμψύχωσιν δοξάζοντας, ἣν καὶ αὐτοὶ καλοῦσι μεταγγισμὸν ψυχῶν. ubi *Toll.* de μετεμψυχώσεως placito recondita attulit, sed in voce μεταγγισμὸς nihil vidit. Adde *Bevereg.* in *Canon. Concil. Trull.* p. 164, a. De Haereticis μετενσωμάτωσιν professis deque gemino *Platonis* placito *Krabinger.* ad *Gregor. Nyss.* De Anima et Resurrect. p. 288. docte monet. Μετενσωμάτωσιν Platonicam praeter alios tangit *Gregor. Naz.* Or. XXVII. p. 494. D. ubi vid. *Elias Cret.* Comment. col. 898. C. sq.

P. 20. Πλατωνικοὶ θεὸν καὶ ὕλην καὶ εἶδος —] Eadem *Epiphanius* de Platone ipso T. III. p. 500 (1088) et in Anaceph. p. 546 (132). Cf. *Iustin. Mart.* Cohort. ad Graec. cap. 6. p. 11 (p. 7. B. C.) τοῦ γὰρ Πλάτωνος τρεῖς ἀρχὰς τοῦ παντὸς εἶναι λέγοντος, θεὸν καὶ ὕλην καὶ εἶδος cet. et cap. 7. p. 12 (p. 8. A. B.) ὁ γοῦν Πλάτων ποτὲ μὲν τρεῖς ἀρχὰς τοῦ παντὸς εἶναι λέγει, θεὸν καὶ ὕλην καὶ εἶδος cet. quae, uti *Semisch.* in Iustino Mart. T. I. p. 110. docet, in usum suum convertit *Cyrill. Alex.* Contra Iulian. Lib. II. Opp. T. VI. p. 48. B. C. De ὕλῃ singillatim vid. annot. ad p. 48 (14).

P. 20. ὁμοῦ δὲ καὶ θεοὺς ἐκ τοῦ ἑνὸς πολλοὺς ἐδογμάτισε] In proclivi est ex Anaceph. T. III. p. 546 (132) reponere ἐδογμάτισαν, ut Πλατωνικοί, quod praecedit, habeat, quo referatur. Neque enim verisimile est, *Epiphanium*, licet rudiore stylo usum, Πλατωνικοὶ . . . ἐδογμάτισε dixisse, subaudito ad Πλατωνικοί . . . ἐπιθυμητικὸν verbo ἐδογμάτισαν vel simili, et subiecto Πλάτων ex Πλατωνικοὶ ad τὰς δὲ γυναῖκας . . . ἐδογμάτισε cogitatione repetito. Respicitur autem hoc loco potissimum celeberrimum illud in Timaeo p. 41. A. Θεοὶ θεῶν cet. ubi vid. *Stallbaum.* p. 176 sq. Scriptoribus ab eo laudatis, qui eius loci mentionem fecerunt, adiiciatur et simul ex *Platone* emendetur *Origenes* vel potius *Hippolytus* Philosophum. p. 116 sq. ed. Wolf. p. 21, 90. ed. Miller. (unde *Cedren.* p. 159. C. hausit) et p. 117. sq. ed. W. p. 22, 97. ed. M. quorum locorum priore *Platonis* verba in documentum eius sententiae, quam *Epiphanius* Platonicis tribuit, proferuntur.

P. 20. τὸν . . θεὸν . . ὁρίζουσι . . ὡς ψυχὴν παντὸς τοῦ ὄντος κύτους, οὐρανοῦ καὶ γῆς] Id est: *deum definiunt animam universi rerum complexus, coeli et terrae.* Κύτος, quod κῦτος male scribitur, proprie est *quod aliquid continet* et *complectitur.* Hinc *Plato* et alii vocem ad hominis corpus eiusque partes transtulerunt. Vid. *Schultens.* ad *Proverb.* p. 81. *Iacobs.* ad *Achill. Tat.* p. 692. *Ast.* Animadv. in *Plat.* Leges (XII. p. 964. E.) p. 577. *Stallbaum.* ad Timae. (p. 44. A.) p. 189. Ad mundi complexum et quasi corpus translata, vox apud Nostrum recurrit p. 44 (12) ubi idem explicatius de *Stoicis:* Στωϊκοὶ . . φάσκοντες εἶναι νοῦν τὸν θεὸν, ἢ παντὸς τοῦ ὁρωμένου κύτους, οὐρανοῦ τέ φημι καὶ γῆς καὶ τῶν ἄλλων, ὡς ἐν σώματι ψυχήν. Ita enim pro vulg. ἡ (ἢ Pet.) παντὸς . . . ψυχή. cum cl. editore legendum esse, nostro ex loco intelligitur. Adde *Irenaeum* ap. *Epiphan.* p. 462 (249) πρὸς αὐτῷ τῷ κύτει. et *Epiphanium* p. 510 (276) ποιητὴν τοῦ παντὸς τούτου τοῦ κύτους, οὐρανοῦ τε καὶ γῆς. ubi prius τοῦ delendum: T. II. p. 400 (619) ἐν παντὶ τῷ ὁριζομένῳ (leg. ὁρωμένῳ) τῆς κτίσεως κύτει, ubi vid. annot., p. 436 (638) τὸν ποιητὴν . . τὸν τόδε τὸ πᾶν κύτος (κῦτος male vulgo) οὐρανοῦ τε καὶ γῆς . . δημιουργήσαντα: T. III. in Anaceph. p. 546 (132) ubi nostri loci verba repetuntur, in quibus cod. Ven. τοῦ ὄντος παντὸς κύτους praeter *Epiphanii* con-

suetudinem. Ex aliis scriptoribus conf. *Pseudo-Clem.* Hom. VI, 6. *Herm. Trismeg.* p. 92. ed. Turneb. τὸ πᾶν ὕδατος καὶ γῆς καὶ ἀέρος κύτος (κῦτος male *Turneb.*). quae totidem verbis in dialogo *Hermippo* ed. Bloch. p. 22. reperiuntur. *Synes.* Hymn. I. 87. (νόος) κύτος οὐρανῶν ἐλίσσει. IV. 156. sq. κύτεος μεγάλου | βριαραῖς δίναις. IV. 167. sq. — ἀμφιθέων | κύτος οὐράντον. Plura dabit *Fronto Ducaeus* ad *Irenae.* T. II. p. 213. *b.* ed. Massuet. Apud posterioris aetatis scriptores κύτος et πλάτος synonyma sunt. Vid. *Boissonad.* ad *Herodian.* Epimer. p. 73.

P. 20. σῶμα δὲ αὐτοῦ τὸ πᾶν .. καὶ ὀφθαλμοὺς τοὺς φωστῆρας] Eandem de sideribus sententiam, repetitam in Anaceph. T. III. p. 546 (132), *Epiphan.* p. 50 (14) *Pythagoreis*, incertum quo iure, tribuit. Indica hoc ex genere attuli Animadv. in *S. Basil. M.* I. p. 42. Interpositis verbis ὡς ἔφην respicitur nomen κύτος, in proximis ea qua dixi vi positum.

P. 28 (2). ἄχρι τοῦ ἡμετέρου χρόνου, τουτέστι βασιλείας Οὐαλεντινιανοῦ καὶ Οὐάλεντος ἐνδεκάτου ἔτους καὶ Γρατιανοῦ] Οὐαλεντινιανοῦ cod. Ven., edd. Basil. et Pet. Οὐαλεντινοῦ ed. Pet. Colon. *Aretius* in marg. ed. Bas. ἑβδόμου post Γρατιανοῦ addidit. Conf. *Epiphan.* T. II. p. 434 (638) ἕως τοῦ παρόντος, τουτέστιν Οὐάλεντος μὲν ἔτους ιγ', Γρατιανοῦ δὲ ἔτους θ', Οὐαλεντινιανοῦ δὲ νεωτέρου ἔτους α'. Idem tamen T. II. p. 16 (404) ἕως τοῦ ἡμετέρου χρόνου, δωδεκάτου ἔτους Οὐαλεντινιανοῦ καὶ Οὐάλεντος καὶ Γρατιανοῦ βασιλείας.

P. 28 (3). Νίκανδρος .. ὁ συγγραφεύς] Notanda vox συγγραφεύς, de poëta usurpata. Conf. *Epiphan.* p. 26 (2) οἱ .. τῶν Ἑλλήνων συγγραφεῖς, ποιηταί τε καὶ λογογράφοι. Vid. *A. Ernest.* Opusc. Var. Argum. p. 9.

P. 44 (11). ἢ παντὸς τοῦ ὁρωμένου κύτους ... ὡς ἐν σώματι ψυχήν] Vid. annot. ad p. 20. τὸν .. θεὸν .. ὁρίζουσι cet.

P. 44 (12). Μερίζουσι δὲ οἱ αὐτοὶ τὴν μίαν θεότητα εἰς πολλὰς μερικὰς οὐσίας] Vid. Animadv. in *S. Basil.* I. p. 127. et conf. *Epiphan.* T. III. p. 204 (920) ὁ .. μεριστὴς τῶν ἀδιαιρέτων.

P. 44. 45 (12). μεταγγισμούς τε ψυχῶν καὶ μετενσωματώσεις ἀπὸ σώματος εἰς σῶμα, καθαιρομένας σωμάτων, ἢ δ' αὖ πάλιν εἰσδυούσας καὶ ἀνάπαλιν γεννωμένας.] Haec verba cum praegressis: μερίζουσι . . . καὶ τὰ ἄλλα, non cohaerent, neque habent, quo referantur. Nimirum, sublato post γεννωμένας puncto, haec omnia ad παρυφαίνουσι trahenda sunt, ita quidem, ut ista: ταύτην τὴν ἀσέβειαν, tanquam per appositionem negligentius adiecta accipias. Ad illa autem: καθαιρομένας ... γεννωμένας, ex ψυχῶν repete ψυχάς. Καὶ καθαιρομένας cl. editor probabiliter coniecit. Idem pro vulg. ἢ δ' αὖ πάλιν recte ita scripsit: ἢ δ' αὖ πάλιν, sicuti dudum fecit *Gatak.* ad *M. Anton.* IV, 21. De formula ἢ δ' αὖ πάλιν praeter locum ab *Oehlero* comparatum Haer. 45, 1. f. (p. 705. Oehl. p. 388. Pet.) conf. p. 50 (14. 15.) ubi bis ἤδ' αὖ πάλιν ed. Bas., ἠδ' αὖ πάλιν Pet., ἢ δ' αὖ πάλιν Oehl. Fortasse tamen erit, qui poëticam vocem ἠδὲ *Epiphanio* condonet. Vid. annot. in T. II. p. 652 (764). Ceterum μετενσωμάτωσιν, sive, quod idem valet, μεταγγισμὸν animarum, de quo vid. annot. ad p. 20, Noster cum *S. Hippolyto* Philosoph. p. 146. ed. Wolf. p. 26, 41. ed. Miller. *Stoicis* tribuit, haud sane optimo iure. Vid. *Gatak.* l. c.

P. 46 (12). περὶ οὗ πολὺς θρυλεῖται λόγος] Θρυλεῖται cl. editor secundum libros scriptos et ed. Bas.; θρυλεῖται idem T. II. p. 166 (489) ubi *Petav.* θρυλλεῖται. Πολυθρύλητος loco vulgati πολυθρύλλητος ex libris scri-

ptis restitutum est T. II. p. 398 (617). 638 (755). Et sunt sane formae Θρύλος, Θρυλλῶ, πολυθρύλλητος in Atticis minime ferendae; sed eaedem a posterioris aetatis scriptoribus abiudicari non possunt. Vid. annot. in *Eliam Cret.* col. 856, 10. Sic Θρύλλος, non Θρῦλος. Noster p. 256 (134), Θρυλλεῖν, non Θρυλεῖν, discipuli Marcelli Ancyrani ap. *Epiphan.* T. III. p. 64 (843).

P. 48 (14). Οἶδε γὰρ αὐτὸς θεὸν, τὰ δὲ γενόμενα πάντα ἐκ τοῦ ὄντος θεοῦ γεγενῆσθαι] Male vertit *Petavius: Etenim deum ille cognovit ab eoque cuncta producta . . . asseruit.* Sunt autem haec sic vertenda: *Profitetur enim deum esse, quae autem generata sint cuncta, ex deo orta esse. Petavio* fraudi fuit οἶδε, id est *esse statuit, agnoscit, profitetur. Athenagoras* Legat. pro Christ. cap. VI, 9. de *Platone* item loquens: ἕνα τὸν ἀγέννητον καὶ ἀΐδιον νοῶν θεόν· εἰ δ' οἶδεν καὶ ἄλλους . . . ἀλλ' ὡς γενητοὺς οἶδεν αὐτούς. Sic Noster p. 104 (45) διὸπερ τινὲς αὐτὸν λέγουσιν Ἰδουμαῖον, ἄλλοι δὲ Ἀσκαλωνίτην ἴσασιν. T. II. p. 150 (480. sq) p. 364 (598) δύο γὰρ κόκκους οἶδεν ἡ γραφὴ εἰρημένους (ubi εἰρημένους salva sententia abesse potest). p. 458 (650). T. III. p. 120 (873). 256 (950) ubi *Petavius* tricatur, 258 (952) et saepe alibi. Nonnunquam οἶδε verti potest *appellat*, ut p. 370 (199) ὃν καὶ λόγον οἶδε τοῦ θεοῦ. Verbum ἐπίστασθαι similiter usurpatur, velut T. II. p. 124 (465). 150 (480). al. Vid. mea ad *Marc. Eugenic.* p. 68. et ad *Eliam Cret.* col. 813, 1. praeterea annot. in *Epiphan.* T. II. p. 330 (580). — Quae apud *Epiphanium* post γεγενῆσθαι vulgo adiiciuntur: τινας δυν'μεις, ex insequentibus huc temere illata esse, *Oehlero* prorsus adsentior.

P. 48 (14). εἶναι δὲ πρῶτον αἴτιον καὶ δεύτερον καὶ τρίτον] Fontem habes in *Platonis*, qui fertur, Epist. II. p. 312. E. περὶ τὸν πάντων βασιλέα πάντ' ἐστὶ . . . καὶ ἐκεῖνο αἴτιον ἁπάντων τῶν καλῶν. δεύτερον δὲ περὶ τὰ δεύτερα καὶ τρίτον περὶ τὰ τρίτα. quem locum, ab *Astio* Lex. Plat. T. III. p. 413. v. τρίτος neglectum, Platonici pariter et scriptores ecclesiae certatim celebrarunt varieque interpretando suos in usus converterunt. Conf. *Chalcid.* Comment. in *Plat.* Tim. p. 277. ed. Meurs. *originem quidem rerum . . . esse summum et ineffabilem deum, post providentiam eius secundum deum . . ., tertium esse porro substantiam, quae secunda mens dicitur.* et p. 278. *Ergo summus deus iubet, secundus ordinat, tertius intimat. Socrat.* Hist. Eccles. VII. 6. οὐδὲ γὰρ Πλάτων τὸ δεύτερον καὶ τὸ τρίτον αἴτιον, ὡς αὐτὸς ὀνομάζειν εἴωθεν, ἀρχὴν ὑπάρξεως εἰληφέναι φησί. Plura dabunt *Steuch. Eugubin.* De Perenni Philos. Lib. I. p. 104—113. ed. Basil. (a. 1542). *Quirin.* Epist. p. 27. sq. (qui inter alios excitat *Cyrill.* Contra Iulian. Lib. I. ubi tamen ὕφεσιν pro ἄφεσιν legendum) *Creuzer.* Annot. in *Plotin.* p. 278, *a.* 397, *b.* sq. et p. 401, *b.* (a quo tamen miror Annot. p. 67, *b.* sq. neglectum *Plotinum* p. 73 C.) *Brandis.* Hist. Philos. Graeco-Rom. T. II. P. I. p. 330. not. s. (qui laudat *Martinum* in *Etudes sur le Timée*, p. 56. sq.) et *Thomasium* in Origene p. 66. Et Patres quidem Eccl. eo loco tanquam testimonio doctrinae de S. Trinitate abusi sunt. Quid? quod *Origeni* Christus ὁ δεύτερος θεός (vid. *Thomas.* Orig. p. 125), sicuti ab eodem Comm. in Ioann. I. 3. λόγοι δεύτεροι et τρίτοι celebrantur. Sed operae pretium erit, *Platonis* personati locum a temerariis, quibus tentatus est, interpretandi et emendandi conatibus vindicare. Velut *Steuchus Eugubinus* verba δεύτερον περὶ et τρίτον περὶ sic vertit: *circa secundum* et *circa tertium*, τὰ δεύτερα autem et τὰ τρίτα, subintellecto ἐστὶ, subiecti, quod dicitur, locum tenere temere opinatus est. Peius etiam rem gessit *Moshemius*, qui Praef. Tom. II. Dissert. ad Hist. Eccl. p. XLVIII. sq., abusus *Platonis* contextu, *Iustino Mart.* Apol. I.

60. p. 79. et *Proclo* Instit. Theol. Plat. II. 4. p. 102. ed. Port., scribi iussit: δεύτερα δὲ περὶ τὸ δεύτερον καὶ τὰ τρίτα περὶ τὸ τρίτον. Omnino quotquot *Platonis* loco usi sunt scriptores veteres, *Epiphanio* non excepto, in eo peccasse videntur, quod doctrinam de triplici rerum auctore eo contineri existimarunt. Verum enimvero illud ἐκεῖνο pro ἐκεῖνος (scil. ὁ πάντων βασιλεύς) ponitur, quod attractione, quae dicitur, ad αἴτιον refertur. Quae autem sequuntur, δεύτερον et τρίτον, intellecto αἴτιον, non minus quam αἴτιον ἁπάντων τῶν καλῶν, tanquam praedicata ad subiectum: ὁ πάντων βασιλεύς, referuntur. Totum locum sic verto: *circa regem omnium rerum omnia sunt ... eique ille causa omnium pulcrorum. Secundaria vero idem causa circa res secundarias, tertia circa res tertio gradu constitutas existit.* Δεύτερα sunt generata quidem, sed immortalia, τρίτα generata simul et mortalia, quibus in generibus rerum creatoris potentia nonnisi secundo et tertio gradu se prodit, nimirum per deorum inferiorum ministeria. Vid. *Plat.* Tim. p. 41. D. (quo ex loco Platonicus auctor Epistolae II. l. c. profecit) *Plotin.* p. 5. A. B. ibique *Creuzer.* Annot. p. 4, *a.* Verum in hac re partim vidit *C. Gesnerus*, qui *Athenagorae*, Legat. cap. XXI. 6. ad *Plat.* Epist. l. c. provocanti, Timaei locum scite adhibuit eumque explicare conatus est. Quo magis miror, quod idem non viderit, ap. *Athenag.* l. c. ista: καὶ περὶ δύο καὶ τρία, a sciolo profecta et expungenda esse.

P. 48 (14). τὸ δὲ δεύτερον αἴτιον ἐκ θεοῦ γεγενῆσθαί τινας δυνάμεις] Δυνάμεις istae apud *Platonem* re, non nomine, comparent, Tim. p. 41. A. sqq. Θεοὶ θεῶν cet. Vid. annot. ad p. 20. ὁμοῦ δὲ καὶ θεοὺς cet. Hoc sensu decantatae *Philoni Iudaeo* et *Gnosticis* δυνάμεις, id est *potestates* sive *mentes divinae.* Conf. *Saturnilus* p. 134 (62), *Basilides* p. 146 (69) 152 (73), *Valentinus* p. 378 (204), *Secundiani* p. 394 (213), *Marcus* p. 446 (241) 452 (243), et *Sethiani* p. 522 (284). sq. 532 (290). Vid. *Matter.* Hist. Doctr. Gnost. I. p. 63. Eadem vis vocis δύναμις in *Origenis* doctrina, notata ab *Epiph.* T. II. p. 234 (527) τὴν ψυχὴν γὰρ τὴν ἀνθρωπίνην λέγει προϋπάρχειν ἀγγέλους δὲ ταύτας εἶναι καὶ δυνάμεις. Eadem in doctrina vox *intellectus* posita ap. *Philastr.* De Haer. cap. 99. quemadmodum δυνάμεις alias νόες vocantur. Vid. *Casaubon.* Exerc. I. in Annal. Baron. p. 61, *a.*

P. 48 (14). Φάσκει γὰρ οὕτως· Οὐρανὸς ἅμα χρόνῳ γεγένηται, ὁμοῦ γὰρ καὶ λυθήσεται] Scripsit *Epiphanius*, aut saltem scribere debuit: ὁμοῦ ἄρα καὶ λυθήσεται. Sententiae fons est apud *Plat.* Tim. p. 38. B. Χρόνος δ' οὖν μετ' οὐρανοῦ γέγονεν, ἵνα ἅμα γεννηθέντες καὶ λυθῶσιν cet. ubi vid. *Stallbaum.* p. 162. Cum proximis: εἶπε γάρ ποτε καὶ σύγχρονον εἶναι τῷ θεῷ τὴν ὕλην, conf. *S. Hippolyt.* Philosophum. p. 111. ed. Wolf. (p. 21, 72 sq. ed. Miller.) τὴν μὲν οὖν ὕλην ἀρχὴν εἶναι καὶ σύγχρονον τῷ θεῷ ταύτην. ubi vid. *Wolf. Gregor. Naz.* Orat. XXIX. p. 529. B. et ad eum *Elias Cret.* Comment. col. 808. *Epiphan.* T. III. p. 312 (984).

P. 66 (24). Δωιχᾶρα] Οὐαϊχερα *Aretius.*

P. 70 (26). μεμιασμένοι] Μεμιαμμένοι ed. Basil. ex Epiphanii consuetudine. Vid annot. ad p. 434 (234).

P. 70 (26). ἐάν τις ἅψηται νεκροῦ] Τοῦ νεκροῦ diu est quod *Aretius* rescripsit.

P. 84 (34). ἀηδῆ ... ῥῦσιν σώματος] Ἀηδῆ ἔκκρισιν σπέρματος *Ios. Scaliger* speciosius, quam verius coniecit. Tu vide annot. ad p. 192 (95).

P. 86 (35). Ἐλήλεκται] Ita *Oehler.* cum cod. Ven. pro vulg. ἤλεκται:

nam ἐλήλεκται est typothetae peccatum. Pro ἦλεκται ferri poterat ἤλεγκται, neglecta reduplicatione. Vid. annot. in T. III. p. 38 (828). Sed scribendum ἐλήλεγκται, coll. annot. in T. II. p. 436 (638).

P. 94 (39). λέγοντες ὅτι, φασὶ, cet.] De voce φησὶ in φασὶ mutanda cl. editor hoc loco, p. 104. 162. 164 et alibi sententiam recte retractat in *Addendis et Corrigendis*. Vid. annot. in T. I. p. 488 (264).

P. 105 (47). ΕΝΔΗΜΙΑ ΧΡΙΣΤΟΥ καὶ ἔνσαρκος παρουσία] Ἐνδημία hoc loco idem valet atque ἔνσαρκος παρουσία, in qua declaranda ἐπιδημεῖν et ἐπιδημία Theologis magis usitata. Sic *Epiphanius* post paulo: μετὰ τὴν αὐτοῦ ἐπιδημίαν, et statim post: εὐθὺς δὲ ἐπεδήμησε .. ἡ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἔνσαρκος παρουσία, quae tamen φορτικώτερον dicta sunt. *Athanas.* ap. *Epiph.* T. III. p. 344 (1001) τῆς ἐπιδημίας τοῦ λόγου. p. 350 (1004) πρὸ τῆς ἐπιδημίας. p. 354 (1006) ἐπὶ .. τοῦ ἐκ Μαρίας .. ἐπιδημήσαντος. Vid. Animadv. in *S. Basil.* I. p. 118 sq. Neque tamen ἐνδημεῖν et ἐνδημία in hoc argumento minus recte habent. Conf. ἐνδημεῖν p. 118 (53) ἐνδημήσαντα δὲ τὸν Χριστὸν ἐν τῷ Ἀδὰμ πρῶτον cet. T. II. p. 610 (740). Πῶς ἐνεδήμησεν εἰς σάρκα —; p. 628 (750) ἐνδημήσας τῷ τῶν ἀνθρώπων γένει: ἐνδημία, p. 702 (387) ἐκ τῆς αὐτοῦ ἀγαθῆς πρὸς ἡμᾶς ἐνδημίας. p. 716 (395) τῆς .. κυρίου ἡμῶν ἐνδημίας. T. II. p. 702 (791) διὰ τὴν ἔνσαρκον ἐνταῦθα ἐνδημίαν. Vid. *Suicer.* Observat. Sacr. p. 38. Formula ἔνσαρκος παρουσία in eodem argumento ponitur p. 102 (44). T. III. p. 334 (996). 364 (1012). 366 (1013). 374 (1017. cap. 24 et 25. ubi tautologia τὴν ἐνδημίαν τῆς ἐνσάρκου παρουσίας). 376 (1018). et saepe alibi.

P. 108 (47). καὶ πᾶν εἴ τί ἐστιν ἄνθρωπος] Speciosa est emendatio *Ios. Scaligeri*, ὅ τι pro εἴ τι legi iubentis; sic enim optimi quique scriptores loquuntur. Statim *Plato* Phaedr. p. 246. E. τὸ δὲ θεῖον καλὸν, σοφὸν, ἀγαθὸν καὶ πᾶν ὅ τι τοιοῦτον. Verumtamen εἴ τι in Anaceph. T. III. p. 552 (135) recurrit, et omnem dubitationem tollunt, quae *Epiphanius* in eodem argumento ponit T. II. p. 666 (771) καὶ πάντα εἴ τι ἔστιν ἀνθρώποις. T. III. p. 380 (1020) καὶ πάντα εἴ τί ἐστιν ἄνθρωπος. 396 (1029). 444 (1057). Parilis usus vocis εἰ cernitur in verbis καὶ εἴ τι ἕτερον αἰσχρὸν T. III. p. 410 (1037).

P. 117 (52). Ἐδίδαξε ... ἀδιαφορίαν] Vid. annot. in T. III. p. 558 (319).

P. 118 (53). οὗτοι τὴν Βαρβελὼ καὶ Βαρβερὼ αὐχοῦσι] Legendum: τὴν καὶ Βαρβερὼ, subaudito καλουμένην. Cf. *Epiphan.* T. II. p. 404 (621) τὸν Κούβρικον, τὸν καὶ Μάνην. et: Τερβίνθου, τοῦ καὶ Βουδᾶ. et in Anacephal. T. III. p. 538—542 (127—130) ubi omnia plena exemplorum. Plenius idem T. II. p. 228 (524) Ὠριγένης, ὁ καὶ Ἀδαμάντιος ἐπικληθείς. Vid. *Schaef.* ad *Gregor. Cor.* p. 459. sq. Est autem Βαρβελὼ eadem ac Βαρβερὼ, quae alias Βαρβηρὼ vel Βαρβηλὼ vocatur. Conf. p. 124 (56) Βαρβηρὼ ἤτοι Βαρβηλώ. p. 184 (92) ἡ μήτηρ τῶν ζώντων ἡ Βαρβηρὼ ἤτοι Βαρβηλώ. ubi verba Βαρβηρὼ ἤτοι cod. Ven. perperam omittit. Eam qui colebant *Gnostici*, Βαρβηλῖται (vid. *Epiphan.* p. 174, 85) vel Βαρβηλιῶται (vid. *Theodoret.* Haeret. Fab. I. 13), aut vero, nomine propter mysteriorum turpitudinem immutato, Βορβοριανοὶ (vid. *Epiph. Theodoret.* ll. cc.) vel Βορβορῖται vocati sunt (vid. *Epiphan.* p. 118, 53), id quod *Fabricium* ad *Philastr.* cap. 73. latuisse videtur.

P. 118 (53). οἳ Χριστόν φασιν κεκτίσθαι ἐν τῷ οὐρανῷ] Ἔκτισθαι cod. Ven. teste *Oehlero* in Addend. et Corrig., nisi forte ἐκτίσθαι

ille cod. exhibet. Sed hoc praeter soloecam *Epiphanii* consuetudinem. Vid. annot. in T. II. p. 388 (611).

P. 124 (56). γυναῖκα .. ῥεμβάδα] Ed. Basil. ῥεμμάδα, quod *Aretius* ante *Petavium* correxit.

P. 128 (58). τῷ πατρὶ τῶν ὅλων] Τῷ, quod a cod. Rhedig. et ed. Bas. abest, *Petavius* ex cod. Vat. recte adiecit. Formula ὁ πατὴρ τῶν ὅλων, quae respondet Platonicae ὁ πατὴρ τοῦδε τοῦ παντὸς Tim. p. 28. C., Haereticis perquam placuit. De *Nicolaitis* Noster p. 176 (86) εὔχονται δῆθεν .. τῷ πατρὶ, φασὶ, τῶν ὅλων. Idem de *Carpocrate* p. 204 (102) οὗτος δὲ πάλιν ἄνω μὲν μίαν ἀρχὴν λέγει καὶ πατέρα τῶν ὅλων. In *Valentinianorum* haeresi *Irenaeus* ap. *Epiphan.* p. 346 (185) τὸν πατέρα καὶ βασιλέα πάντων. et p. 346 (186) πατέρα οὖν καὶ θεὸν λέγουσιν αὐτὸν (nim. Demiurgum) γεγονέναι τῶν ἐκτὸς τοῦ πληρώματος, ποιητὴν ὄντα πάντων ψυχικῶν τε καὶ ὑλικῶν. ubi nomina πατὴρ et ποιητὴς de deo coniuncte usurpata, ut ap. *Plat.* Tim. l. c. τὸν .. ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντός. *Valentini* βυθὸς a *Ptolemaeo* ap. *Epiphan.* p. 400 (215) ὁ πατὴρ τῶν ὅλων vocatur, qua dictione idem ap. *Epiph.* p. 402 (217) et 410 (222) utitur. Eandem habet *Marcus* apud *Irenaeum Epiph.* p. 432 (234). 452 (244). 454 (245). *Colorbasiorum* προπάτορα τῶν ὅλων *Epiphanius* p. 480 (259) commemorat, *Heracleonis* τὸν ἄνω τῶν ὅλων πατέρα p. 486 (263). De *Sabellio* et *Eunomianis* vid. *Elias Cret.* Comment. in *S. Gregor. Naz.* col. 803 (ubi cf. annot. 1) et col. 869. Neque vero hac formula Platonica abstinuerunt Patres Eccl., in his *Epiphanius* p. 698 (383). T. III. p. 406 (1035) et alibi.

P. 128 (58). εἶναί τε τὸν αἰῶνα τοῦτον ἀπὸ ἀρχῶν καὶ ἐξουσιῶν φησι τῆς κακίας ἐν ἐλαττώματι κατεσκευασμένον] Τὸν αἰῶνα τοῦτον dicit *mundum adspectabilem*. Conf. *Epiphan.* in refutatione p. 128 (59) πῶς δὲ δύναται ὁ κόσμος θεοῦ μὴ ἀγαθοῦ ὑπάρχειν; Mundum autem a divinis potestatibus, sive bonis sive malis, esse procreatum, plurimorum Haereticorum, imprimis *Gnosticorum*, opinio fuit. *Epiphan.* p. 132 (61) de *Menandro*, *Simonis* discipulo: ὁμοίως δὲ ἔλεγε καὶ αὐτὸς τὸν κόσμον γεγονέναι ὑπ' ἀγγέλων. p. 134 (62) de *Saturnilo:* ἑπτὰ δέ τινας (ἀγγέλους) τὸν κόσμον πεποιηκέναι καὶ τὰ ἐν αὐτῷ. et de *Basilide* p. 146 (63) ἐκ δὲ τούτων τῶν δυνάμεών τε καὶ ἀγγέλων γεγονέναι ἀνώτερον πρῶτον οὐρανὸν cet. Nam quae alii de mundo ab angelis procreato docuerunt, *Basilides* ad coelos, quos commentus est, CCCLXV transtulit, quorum singulos ab angelis perfectos esse tradidit. De *Carpocrate Epiphanius* p. 204 (102) τὸν δὲ κόσμον καὶ τὰ ἐν τῷ κόσμῳ ὑπὸ ἀγγέλων γεγενῆσθαι cet. Valentiniana ex hoc genere videas ap. *Irenaeum Epiphanii* p. 346 (186). sq. *Angelicos* hac ex opinione nomen nactos esse suspicatur *Epiphanius* T. II. p. 194 (505). Hominem quoque ab angelis formatum esse, *Ophitae* (vid. T. I. p. 500, 271) et *Sethiani* (vid. p. 522, 284) finxerunt. In eadem opinione *Seleuciani* et *Hermiani* fuerunt, teste *Philastro* cap. 55. p. 57. ed. Oehler. ubi vid. annot. Horum omnium fons apud *Platonem*, qui in Timaeo p. 41. A. sqq. docet, deos inferiores mundi opifici operam praestitisse, resque mortales et interituras, in his hominem, creasse. Inde factum, ut Patres Eccl. *Platoni* et *Platonicis* Haereticorum opinionem adscriberent, qui corpora ab angelis ficta esse volebant. Vid. Corpus Haereseolog. ed. Oehler. T. I. p. 291. 326. sq. — Quod autem *Simon* hunc nostrum mundum ἐν ἐλαττώματι κατεσκευασμένον dicit: *Basilidiani* eidem ὑστέρημα tribuunt p. 154 (74) τὸ λεγόμενον παρ' αὐτοῖς τοῦ κόσμου τούτου ὑστέρημα. Eodem pertinet, quod *Valentiniani* ap. *Epiph.* p. 312 (166. sq.) ὑστέ-

ρημα vocant potestatem, quae hunc nostrum mundum procreavit. Adde *Irenaeum*, contra *Valentinianos* disputantem, ap. *Epiph.* p. 378 (204) μίαν (δύναμιν) ἀποστᾶσαν καὶ ὑστερήσασαν τὴν λοιπὴν πραγματείαν πεποιῆσθαι. quibus significatur duodecimus aeon, de quo *Epiph.* p. 382 (206) ὁ δωδέκατος αἰὼν ὁ ἐν ὑστερήματι γενόμενος. In *Secundi* doctrina, licet aliquantum discrepante a Valentiniana, tamen similia deprehenduntur. Conf. *Epiph.* p. 386 (208) τὴν δὲ ἀποστᾶσάν τε καὶ ὑστερήσασαν δύναμιν μὴ εἶναι ἀπὸ τῶν τριάκοντα αἰώνων, ἀλλὰ μετὰ τοὺς τριάκοντα αἰῶνας. et ibid. φάσκει .. τὸ ὑστέρημα μετὰ τοὺς τριάκοντα αἰῶνας γεγενῆσθαι. Quem *Epiphanius* p. 388 (210) ita increpat: Πόθεν ἄρα τὴν τοῦ ὑστερήματος φύσιν κατείληφας, ὦ οὗτος, ἢ ἀποστᾶσαν δύναμιν, λέγε. In eadem re ἡ ὑστέρα δύναμις καὶ ἡ ἀποστασία ab *Epiphanio* post paulo commemorantur. *Marcosios*, qui mundi opificem ὑστέρημα, et tertio quidem gradu, esse statuerunt, merito castigat *Irenaeus* ap. *Epiph.* p. 460 (248) et binis locis p. 468 (252). Iidem animam ἐξ ὑστερήματος profectam docuerunt, teste *Irenaeo* ap. *Epiph.* p. 476 (256). Similia *Heracleonis* placita *Epiphanius* notat p. 486 (263). 487 (264). 492 (266). Sunt autem haec omnia repetenda ex *Platonicorum* placito de defectu et inopia rerum mortalium; id enim ipsum, *defectum* et *inopiam*, ἐλάττωμα et ὑστέρημα declarant. Vid. Scholia ad Dissert. Plat. p. 152 (ad p. 66 med.) et p. 153 (ad p. 68 med.).

P. 130 (60). οὔριον] *Aretius:* „Forte οὔρινον," indicato loco *Esaiae* 59, 5. Sed οὔριον idem quod οὔρινον (vid. *Schneider.* Lex. h. v.), et οὔριον Noster, eundem *Esaiae* locum respiciens, p. 168 (82) οἱ τούτῳ τῷ Νικολάῳ συνεζευγμένοι, πάλιν ἀπ' αὐτοῦ ὡς ἀπὸ οὐρίου ᾠοῦ ὄφεως σκορπίοι ἢ ἐξ ἀσπίδων γεγεννημένοι. Adde *Gregor. Naz.* Or. XXIII. p. 433. E. γνωσόμεθα καὶ τὰ κομψὰ ὑμῶν γεννήματα ἢ ἐξαμβλώματα, ἐπειδ' ἂν (leg. ἐπειδὰν cum cod. Basil.) τὰ ᾠὰ τῶν ἀσπίδων ῥήξαντες ἢ συντρίψαντες λόγῳ σκληρῷ (add. τε ex cod. Bas.) καὶ (p. 434 A.) ἀντιτύπῳ, οὔρια καὶ ἀνεμιαῖα ταῦτα ἐλέγξωμεν (ἐλέγχωμεν cod. Bas.) καὶ τὸν ἐν αὐτοῖς τῆς ἀσεβείας κρυπτόμενον βασιλίσκον εἰς μέσον ἀγάγωμεν (ἄγωμεν cod. Bas. cum Reg. hu. Or. 1.). ubi *Elias* Comment. cod. Basil. fol. 266 v. ἔστι δὲ τοῦ προφήτου ταῦτα ἡσαΐου, λέγοντος· ᾠὰ ἀσπίδων ἔῤῥηξαν, καὶ ὁ μέλλων τῶν ᾠῶν αὐτῶν φαγεῖν, συντρίψας οὖριόν εὗρε καὶ ἐν αὐτῷ βασιλίσκον. κατὰ μὲν οὖν τὸ ῥητὸν οἱ τὰ τῶν ἀσπίδων ῥηγνύντες ᾠὰ, οὐδὲν ἕτερον εὑρίσκουσιν ἢ βασιλίσκον. ἐνταῦθα δὲ ὁ ἅγιος οὕτως ὠνόμασε τὰ δόγματα τῶν ἀμφὶ τὸν εὐνόμιον, ὡς ἰοβόλα καὶ θανατηφόρα. βασιλίσκον δὲ λέγει τὸ φθοροποιὸν αὐτῶν τροπικῶς. ἔφεως δὲ κύημα ὁ βασιλίσκος παγχάλεπον, καὶ ἐξ αὐτοῦ βλέμματος θανατοποιὸν, ὡς λόγος. ἀσπίδες μὲν οὖν οἱ περὶ τὸν εὐνόμιον, ᾠὰ δὲ τὰ δόγματα αὐτῶν, κρύπτοντα ἐν ἑαυτοῖς τὴν ἀσέβειαν καὶ βλασφημίαν, ἣν δὴ καὶ βασιλίσκον προαγορεύει διὰ τὸν ὑπερβάλλοντα ἰόν. Quae cum *Gregorii* verbis adposita sunt ad allegoricam interpretationem loci Esaiani apud *Epiphanium*.

P. 132 (61). μείζονα .. κυβείαν .. ἐργασάμενος πρὸς ἅπαντων τῶν ἀνθρώπων] De metaphora vocis κυβεία, usitata in declaranda omni arte fraudulenta, vid. *Schleusner.* Lex. in Nov. Test. ed. IV. T. I. p. 1333. sq., et conf. *Epiphan.* p. 148 (70) ἔνθεν εὑρίσκει (*Basilides*) τῆς αὐτοῦ κυβείας ποιήσασθαι τὴν τραγῳδίαν. p. 154 (74) in refutatione *Basilidis*, qui Simonem Cyrenaeum a Christo in passione sui vicarium substitutum finxit: ἔσται λοιπὸν .. κακοηθείας καὶ κυβείας ἔργον τὸ τοιοῦτον, ὅτι ὁ κύριος κυβείᾳ τινὶ ἑαυτὸν κρύψας ἄλλον ἀντ' αὐτοῦ (leg. ἀνθ' αὐτοῦ coll. p. 156, 75) παραδέ-

δωκε. p. 156 (75) in eadem re: παίγνιον ἐποίει κυβείας ὁ τοῦ θεοῦ λόγος, καὶ ἄλλον ἀνθ' αὐτοῦ παρεδίδου ἀποθανεῖν καὶ σταυρωθῆναι. Idem de *Marco* p. 430 (232) μαγικῆς ὑπάρχων κυβείας ἐμπειρότατος. de *Arianorum* secta T. III. p. 124 (875) ἦν τὸ πᾶν κυβείας ἔμπλεων τὸ ἔργον. et sic alibi saepe. Κυβευτικὸς translate est *fraudulentus* p. 476 (257) κυβευτική τις ἐπίνοια. p. 710 (392) κυβευτικὴν ἔσχε τὴν ἀγωγήν. T. II. p. 486 (665). T. III. p 208 (923) et alibi. Κυβευται λόγων *Gregorio Naz.* Or. XXVII. p. 488. B. sunt, qui fraudulenta disputandi arte utuntur. Vide *Eliam Cret.* Comment. col. 759. sq. et annot. 5.

P. 134 (62). τὸν κόσμον δὲ κατὰ μερίτειαν ἑκάστῳ ἀγγέλῳ κεκληρῶσθαι] Angelos mundum aut terram saltem et singulas gentes sortitos esse, etiam aliorum Haereticorum doctrina fuit. Conf. *Basilides* p. 148 (70) τούτους ... μεμερικέναι τὸν κόσμον κατὰ διαίρεσιν κλήρῳ τῷ πλήθει τῶν ἀγγέλων, τούτῳ δὲ λελογχέναι τὸ γένος τῶν Ἰουδαίων. ubi κατὰ διαίρεσιν idem quod nostro loco κατὰ μερίτειαν. Quid? quod scriptores sacri et ecclesiastici eadem in sententia fuerunt. *Gregor. Naz.* Or. XXVIII. p. 522. A. (νοερὰς δυνάμεις) ἄλλας ἄλλο τι τῆς οἰκουμένης μέρος διειληφυίας, ἢ ἄλλῳ τινὶ τοῦ παντὸς ἐπιτεταγμένας. ubi *Elias Cret.* Comment. cod. Basil. f. 62. r. a. ὡς γὰρ οἱ προφῆται διδάσκουσι καὶ τὸ ἱερὸν διέξεισιν εὐαγγέλιον, ἑκάστῳ τε ἔθνει καὶ κλίματι ἄγγελος ἐπιστατεῖ. *Epiphan.* T. II. p. 108 (456) τὰ .. ἔθνη ὑπὸ ἀγγέλους τεταγμένα εἰσίν. cuius rei testimonia profert Deuteron. 32, 7. et Apocal. 9, 14. quorum locorum priorem *Petavius* Animadv. p. 40. *Basilidis* verbis p. 70 (l. c.) adhibuit. Vid. *Gataker.* De Natura et Usu Sortium (Lond. 1619) p. 37. *Coteler.* ad Recogn. *Clem.* PP. Apost. T. I. p. 518. sq. ed. Amstelod. *Matter.* Hist. Doctr. Gnost. T. II. p. 68. Notum est autem, Graecorum eandem opinionem fuisse. Conf. *Plat.* Politico p. 271. D. E. Critia p. 109 B. C.

P. 134 (62). κατὰ τὴν μορφὴν τῆς ἄνωθεν παρακυψάσης φωνητικῆς εἰκόνος] Φωνητικῆς εἰκόνος cod. Vat. Vulgo φωνῆς, omisso εἰκόνος. Sed versio Lat. *Irenaei* I. 22. *lucidam imaginem* sponte nos perducit ad genuinam scripturam: φανῆς εἰκόνος. *Epiphanius* quidem forma φαεινὸς utitur, velut T. II. p. 49 (421). 414 (626); sed scriptores Platonici, quibuscum *Gnostici* plurima communia habent, φανὸς dicere consueverunt. Vid. Animadv. in *S. Basil.* I. p. 48. sq. Nihil ad rem *Suidas*, qui φανὰς temere interpretatur ἐκλάμψεις. *Petavii* coniectura καλλονῆς a lectione vulg. nimium recedit, et eodem nomine repudianda est Fabriciana ad *Philastr.* I. 31. τοῦ ἄνωθεν παρακύψαντος φωτός. Nihil obstat, quod in seqq. ἄνωθεν τὸ αὐτὸ φῶς παρακύψαν, ut ap. *Philastr.* l. c., de *lumine*, non de *lucida imagine* sermo est. Ceterum in illis ap. *Philastr. de virtute enim superna lumen dicunt fuisse dimissum*, verbum *dimitti*, sive mavis *demitti*, Graeco παρακύπτειν non respondet, quum παρακύπτειν sit tanquam per fenestram vel ostiolum *prospicere*. Conf. p. 138 (65) ubi *Epiphanius* haec *Saturnili* figmenta salse ita ridet: λέγε ἡμῖν, ὦ οὗτος, ὁ διὰ τῶν θυρίδων παρακύψας —. Vid. *Casaubon.* Exercit. ad Annal. Eccl. Baron. XVI. p. 495, *b.* sq. *Schleusner.* Lexic. in Nov. Test. T. II. p. 423.

P. 134 (62). διὰ τὸ ὑπὸ θῆξιν ἀναπτῆναι τὸ αὐτὸ φῶς] Recte *Oehler.* τὸ αὐτὸ φῶς secundum *Cornar. eadem lux.* Conf. superiora: ἄνωθεν τὸ αὐτὸ φῶς παρακύψαν. Sed vel sic iste locus non persanatus est; θῆξις enim nihil ad rem, ac legendum: ὑπὸ θξιν. Conf. p. 306 (163) ὑπὸ μίαν θξιν, *temporis puncto*, quae formula respondet praegressae ἐν ἑνὶ χρόνῳ. Ea-

dem formula p. 552 (301) recurrit, quamquam male illic vulgatur ὑπὸ μίαν Θῆξιν, voce Θίξις in Θῆξις rursus depravata. Simplex formula ὑπὸ Θίξιν reperitur T. II. p. 358 (596) πόθεν τῶν νεφῶν ἡ σύστασις, ἢ ὑπὸ Θίξιν σκέπει τὸν οὐρανόν; ubi *Petavius* recte vertit *repente*, ut p. 366 (599) in istis: βάτραχον ὑπὸ Θίξιν συναγαγεῖν τοσοῦτον. Ὑπὸ Θίξιν pro mendoso ὑποθήξειν *Petavius* T. III. p. 362 (1011) reposuit et Latina voce *momento* reddidit. Ὑπὸ cum accus. breve temporis spatium declarat. Conf. ὑπὸ ἓν T. II. p. 374 (604) μὴ δυναμένη καταφαγεῖν τοὺς ὅλους ὑπὸ ἕν. T. III. p. 248 (945). Vid. *Bernhardy.* Syntax. Gr. p. 267. Nostro tamen loco *Saturnilus* vocem Θίξις in formula ὑπὸ Θίξιν, id est *inter apprehensionem*, translate usurpavit, sicuti *Platonici* exemplo *Aristotelis* θιγεῖν ad perceptionem rerum divinarum transtulerunt. Conf. *Plutarch.* De Is. et Osir. cap. 7 (binis locis) et cap. 78. *Synes.* Hymn. III. 117. In eadem re supra: ἣν μὴ δυνηθέντες παραχύψασαν κατασχεῖν. Quemadmodum autem θιγεῖν in θήγειν saepe abiit (vid. annot. in *Io. Glyc.* De Vera Synt. Rat. p. 71. sq. et p. 124), ita Θίξις nostro loco et p. 552 (301) in Θῆξις depravatum est. Eodem mendo *Hesychius* laborat v. Θῆξις (leg. Θίξις)· ῥοπή, στιγμή, τάχος. qua glossa *Petavius* Animadv. p. 40. abusus est, ut Θῆξιν nostro loco genuinum, Θίξιν in similibus ap *Epiph.* locis corruptum esse doceret. Eadem glossa abusum video *Thilonem* Cod. Apocr. T. I. p. 243. Denique Lexicis expellendae sunt notiones *momenti*, *puncti*, *celeritatis*, quae voci Θῆξις vulgo adscribuntur. Errorem pervagatum mendosa *Hesychii* glossa peperit. His ita in chartam coniectis, video mecum sentire *Boissonadium*, qui ad *Theophylact. Simocatt.* Opusc. p. 203. de voce Θίξις in Θῆξις corrupta docte monuit. Adde cl. *Oehlerum* Addend. et Corrigend. p. 600.

P. 134 (63). κεῖσθαι δὲ καὶ σκαρίζειν χαμαὶ κείμενον δίκην σκώληκος ἕρποντος] Σκαρίζειν vulgare est verbum pro Attico ἀσκαρίζειν. Vid. *Moer. Attic.* p 35. ed. Pierson. et ad eum *Sallier.* p. 35. sq. qui praeter hoc nostrum verbi exemplum *Epiph.* Haer. T. II. p. 128 (468) excitavit. Ad rem conf. *Epiph.* p. 500 (271) Ἣν ἑρπετὸν ὁ ἄνθρωπος ὡς σκώληξ cet. Commenti ansam dedisse videtur metaphora, qua homo corpori serviens σκώληξ vocatur (vid. *Bak.* ad *Cleomed.* p. 440) et Δυσπᾶσθαι dicitur. Vid. Animadv. in *S. Basil.* I. p. 121.

P. 134 (63). ἡ ἄνω δύναμις... σπλαγχνισθεῖσα διὰ τὴν ἰδίαν αὐτῆς εἰκόνα τε καὶ ἰδέαν κατ' οἶκτον ἀπέστειλε σπινθῆρα τῆς αὐτῆς δυνάμεως καὶ δι' αὐτοῦ ἀνώρθωσε τὸν ἄνθρωπον καὶ οὕτως ἐζωογόνησε, δῆθεν τὸν σπινθῆρα ψυχὴν τὴν ἀνθρωπείαν φάσκων· καὶ τούτου ἕνεκα πάντως δεῖ τὸν σπινθῆρα σωθῆναι, τὸ δὲ πᾶν τοῦ ἀνθρώπου ἀπολέσθαι] Conf. p. 136 (63) τοὺς ἔχοντας τὸν σπινθῆρα τοῦ ἄνωθεν πατρός. Gemina fuit *Ophitarum* sententia. Conf. p. 500 (271). Scintillam tamen *Saturnilus* et *Ophitae* non tam animam, ut *Epiphanio* visum, quam mentem et quod est in homine divinum intellexerunt; nam hominem iam antea, licet reptabundum, tamen animatum fuisse iidem docuere. Eandem *Heracleonis* sententiam *Epiphanius* notat et recte interpretatur p. 492 (266) διὰ τῆς τοῦ πατρὸς ἄνω εὐδοκίας καὶ τοῦ ἄνωθεν παρ' αὐτοῦ καταπεμφθέντος σπινθῆρος, ὅ ἐστιν ὁ πνευματικὸς κατὰ σὲ καὶ ἐσώτατος ἄνθρωπος. Adde *Sethianos* p. 524 (285) qui σπινθῆρα et σπέρμα in declaranda vi divina, homini insita, promiscue usurparunt. *Gnosticos* sequitur *Synes.* Hymn. III. 59—61. σὸν σπέρμα φέρω, |εὐγενέος| σπινθῆρα νόου. Sententiae ortum dederunt *Stoicorum* σπινθῆρες,

scintillae (cf. *Seneca* De Ot. Sap. cap. 32. *scintillas quasdam* —), id est semina boni in animo humano. Quam metaphoram *Philo Iud.* ab illis mutuatus est, non a *Cabbalistis*, ut *Grossmanno* Quaest. Philon. I. p. 61. visum. Quod autem *Saturnilus* dicit: σπλαγχνισθεῖσα . . . κατ' οἶκτον ἀπέστειλε cet., alii ex Haereticis beneficia divina misericordiae divinae similiter tribuunt. Conf. *Irenae.* in *Valentinianorum* haeresi ap. *Epiph.* p. 340 (182) οἰκτείραντά τε αὐτὴν τὸν Χριστὸν . . μορφῶσαι μόρφωσιν cet. *Turbo* Manichaeus ap. Epiph. T. II. p. 446 (643) ὅτε δὲ εἶδεν ὁ πατὴρ ὁ ζῶν θλιβομένην τὴν ψυχὴν ἐν τῷ σώματι, εὔσπλαγχνος ὢν καὶ ἐλεήμων, ἔπεμψε τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν ἠγαπημένον εἰς σωτηρίαν τῆς ψυχῆς. Qua in re illi secuti sunt scriptorum sacrorum loquendi usum eum, de quo vid. *Schleusner.* Lex. in N. Test. T. I. p. 779. sq. T. II. p. 265.

P. 140 (66). Συνεκάλει γὰρ εἰς τὴν ἑαυτοῦ δημιουργίαν τὸν αὐτοῦ λόγον καὶ μονογενῆ] Συνδημιουργὸν post δημιουργίαν addit cod. Ven. Optime; vid. annot. in T. II. p. 678 (778).

P. 146 (69). Ἐκ τούτου προβέβληται, φησί, Νοῦς cet.] Conf. p. 152 (73) ἡ δύναμις τὸν νοῦν προεβάλετο cet. Προβάλλειν, *procreare*, *Gnosticis* in doctrina de generatione divina usitatum est. Conf. *Epiphan.* p. 160 (77) de *Nicolaitis*: ταύτην (Barbelonem dicit) δὲ ἀπὸ τοῦ πατρὸς προβεβλῆσθαί φασιν. p. 164 (80) ἐκ δὲ τῆς μήτρας προεβλήθησάν τινες τέσσαρες αἰῶνες. — Ὕστερον δὲ μετὰ πάντας τούτους προβεβλῆσθαί τινα αἰσχρὸν αἰῶνα. p. 320 (171) de *Valentinianis*: Τοῦτον δὲ (nim. Christum) φάσκουσι προβεβλῆσθαι . . εἰς τὸ . . ἀνασώσασθαι τὸ γένος τὸ ἄνωθεν πνευματικόν. In *Valentini* doctrina de procreatione divina (vid. *Irenae.* ap. *Epiph.* p. 326, 175. sq.) perfrequentia hoc sensu sunt activum προβάλλειν, *procreare*, medium προβάλλεσθαι, *ex se procreare*, et passivum προβάλλεσθαι, *procreari*, *prodire*. Neque exempla desunt apud discipulos, *Secundianos* p. 396 (214), *Ptolemaitas* p. 398 (215. ubi *Pet.* προβαλεῖν pro προεβαλεῖν ex cod. Vat. reposuit), *Marcum* et *Marcosios* p. 436 (236). 446 (241). 454 (245). 460 (248. 249) al., *Colorbasum* p. 480 (259) et *Ophitas* p. 500 (270). Quid? quod *Valentinus*, apud *Irenaeum* *Epiphanii*, formulis utitur istis: p. 326 (175) προβολὴν προβαλέσθαι, p. 328 (175) προβαλεῖν προβολάς, p. 334 (179). Compositum συμπροβάλλειν habes p. 326 (175) συμπροβεβλῆσθαι δὲ αὐτῷ Ἀλήθειαν, p. 334 (179) ὁμογενεῖς ἀγγέλους συμπροβεβλῆσθαι, et p. 380 (204). P. 334 (179) exstat nomen πρόβλημα, id est *fetus*. Προβολὴ *procreationem* declarat nonnullis ll. cc. et p. 336 (180) τὴν . . τῆς δωδεκάδος τῶν αἰώνων προβολήν, p. 394 (213) in *Secundianorum* haeresi: τὰς λοιπὰς προβολὰς τῶν αἰώνων, p. 398 (215) in *Ptolemaitarum* haeresi pluribus locis, apud *Marcum* p. 446 (241). 448 (242). 460 (248), apud *Colorbasum* p. 480 (259) saepe (quamquam hic προβολὰς alio modo tradidit, teste *Epiphanio* Anaceph. T. III. p. 562, 141), apud *Tatianum*, ideo Gnosticismi accusatum, p. 710 (391), denique apud *Bardesanem*, eodem nomine notatum, T. II. p. 146 (477), ubi cl. editor προβολὰς pro vulg. προσβολὰς ex emendatione *Petavii* reposuit. Nomen προβολεύς, *procreator*, *auctor*, reperitur in *Valentinianorum* haeresi p. 322 (172) χωρεῖν δὲ ἑκάστην οὐσίαν πρὸς τοὺς ἰδίους αὐτῆς προβολέας. et ap. *Irenae.* in eadem p. 330 (177) καὶ οἱ μὲν λοιποὶ ὁμοίως αἰῶνες ἡσυχῇ πως ἐπεπόθουν τὸν προβολέα τοῦ σπέρματος αὐτῶν ἰδεῖν. *Epiphanius* ipse, *Valentinum* irridens, p. 308 (164) ὁ αὐτοῦ προβολεὺς τῆς ἐνοίας Ἡσίοδος. Universus iste loquendi usus apud *Manichaeos* recurrit; conf. *Epiph.* T. II. p. 444 (642), ubi vid. annot., 454 (647). 474 (658). Fuit autem *Gnosticis* et *Manichaeis* communis cum *Platonicis*; neque vero Patres

Eccl. eo abstinuerunt. Vide *Petav.* Animadv. p. 286 (ad Haeres. LXIX. cap. 7.) *Ullmann.* in *Theol. Stud. u. Krit.* 1833. 2. p. 726, ubi de *Nicolao Methon.*, *Semisch.* in Iustino Mart. T. II. p. 281. *Daniel.* in Tatiano p. 172. *Thomas.* in Origene p. 116, meque Animadv. in *S. Basil.* I. p. 25 et annot. in *Eliam Cret.* col. 800 (7). Apud *Gregor. Naz.* Orat. XXIX. p. 527. D. ubi sermo de Filio, in verbis: Θελήσεως .. πρόβλημα, *Elias Cret.* f. 82. v. πρόβλημα interpretatur γέννημα.

P. 146 (69). ἀπὸ τοῦ ἀνωτάτω ἕως τούτου τοῦ καϑ' ἡμᾶς οὐρανοῦ] Οὗτος hoc loco dicitur, *qui oculis subiectus est*, ut in seqq. ἐν τούτῳ τῷ καϑ' ἡμᾶς οὐρανῷ. Poterat autem utroque loco pronomen οὗτος aut καϑ' ἡμᾶς salva sententia abesse; est enim ὁ καϑ' ἡμᾶς οὐρανὸς *hoc nostrum coelum*, formulae καϑ' ἡμᾶς eo usu, de quo vid. annot. in *Eliam Cret.* col. 835 (2). Conf. *Tatian.* Apol. cap. 8. p. 22. Worth. τὴν καϑ' ἡμᾶς ποίησιν. (quae *Worth.* recte interpretatus est *mundum hunc nostrum*, comparatis, quae ap. *Tatian.* sequuntur: οἱ καϑ' ἡμᾶς αἰῶνες, *secula nostra*) *Epiphan.* in *Valentinianorum* haeresi p. 310 (165) ἕως τούτου τοῦ καϑ' ἡμᾶς οὐρανοῦ. (in quibus οὗτος et καϑ' ἡμᾶς rursus copulata sunt) *Irenae.* ap. *Epiph.* p. 347 (187) ἐν τῷ καϑ' ἡμᾶς κόσμῳ. *Method.* ap. eund. T. II. p. 316 (573) ex *Origenis* sententia: τὰς ψυχὰς .. εἰς τὸν καϑ' ἡμᾶς φερομένας κόσμον. Ceterum haec nostra de *Basilidianis* verba, uti gemina illa de *Valentinianis* p. 310 (165), posita sunt in sententia de processu generationum a summis ad haec citima. Quam quidem sententiam *Basilides* et *Valentinus* cum reliquis *Gnosticis* a *Platonicis* mutuati sunt. Vide *Eliam Cret.* Comment. in *Gregor. Naz.* col. 832. sq. cum annot. 3. et Schol. Monac. in *Gregor. Naz.* col. 904.

P. 152 (72). Οὔτε γάρ ποτε κακὸν ἦν, οὔτε ῥίζα γέγονε κακίας, οὔτε ἐνυπόστατον τὸ κακόν ἐστιν. Οὐκ ἦν γάρ ποτε τὸ κακόν· ἐπείσακτον δὲ διὰ προφάσεως ἑκάστῳ τῶν ποιούντων τὸ κακὸν ἔνεστιν.] Conf. *Epiphan.* p. 492 (267) sq. ἡ ἁμαρτία οὐκ ἔχουσα ἀρχὴν ῥίζης, οὐδὲ εἰς τέλος μένουσα, ἐν ἡμῖν δὲ ἐπεισάκτως γινομένη καὶ ἀφ' ἡμῶν πάλιν πανομένη. T. II. p. 424 (632) ἀνυπόστατον εὑρεϑήσεται τὸ κακὸν cet. *Method.* in fragm. ex libris adv. Porphyr. ap *Io. Damasc.* Parall. SS. Opp. T. II. p. 785. E. τὰ ἐν ἡμῖν καὶ ἐξ ἡμῶν φυόμενα, ταῦτα ἡμέτερα τυγχάνουσι, κακοποιητικὰ ὄντα πονηρίας (leg. πονηρίᾳ). Malum non per se esse, sed in hominis natura pro eius vitiositate adventicium existere, cum *Platonicis* non solum *Origenes* et *Dionysius*, qui fertur, *Areopagita*, sed *Methodius* etiam, *Basilius*, *Gregorius Nyssenus* et *Epiphanius*, ex Patribus Latinis *Ambrosius* et *Augustinus* docuerunt. Vide *Gataker.* De Natura et Usu Sortium p. 11. *Thomas.* in Origene p. 157. 177 299. *Ritter.* Histor. Philos. T. V. p. 490. *Strauss.* Dogmat. T. II. p. 372. not. 18. meque Animadv. in *S. Basil.* I. p. 14.

P. 154 (74). τὸ λεγόμενον παρ' αὐτοῖς τοῦ κόσμου τούτου ὑστέρημα] Vid. annot. ad p. 128 (58).

P. 156 (74). παντὶ γάρ τῳ δῆλον] Τῳ pro vulg. τοι *Oehler.* recte. Conf. p. 88 (36) παντὶ τῳ δῆλόν ἐστι. p. 168 (82). 220 (113) ὡς παντὶ τῳ δῆλόν ἐστι. p. 282 (150) παντὶ δέ τῳ δῆλόν ἐστιν —. T. III. p. 168 (900). Et sic Noster saepe alias. Ceterum p. 282 (149) παντὶ τῳ δῆλόν ἐστιν. ἐστιν, quod nostro loco deest, deleatur, quippe omissum in cod. Vat.

P. 156 (75). Θανὼν σαρκὶ Θάνατος Θανάτῳ γεγένηται, ἵνα τὸ κέντρον τοῦ Θανάτου κλάσῃ, καταβὰς εἰς τὰ καταχϑόνια, ἵνα τοὺς ἀδαμαντίνους μοχλοὺς συντρίψῃ.] Apposite *Epi-*

phan. T. III. p. 384 (1022) ἀναμοχλεύει τὰ καθ' ᾅδου. in Ancorato Opp. T. II. p. 67. D. (Χριστός) πύλας χαλκᾶς συντρίψας καὶ μοχλοὺς σιδηροῦς συνθλάσας. (ubi πύλας melius habet quam θύρας T. I. p. 888. A.) et in Anacephalaeosi Opp. T. II. p. 155. B. τῆς θεότητος ... κλασάσης κέντρον θανάτου, διαῤῥηξάσης τὰ κλεῖθρα καὶ τοὺς μοχλοὺς τοὺς ἀδαμαντίνους. quae totidem verbis in Panar. T. III. p. 518. 520 (1099) scripta reperiuntur. De vectibus adamantinis, quibus inferorum fores clausae finguntur, vid. *H. Stephan.* ad *Theocrit.* Id. II, 34. *Christ. Bach.* Epist. Crit. ad Eichstad. p. 90. sq. et *Thilo* Cod. Apocryph. T. I. p. 717 sq.

P. 162 (78). Προύνικον ἐὰν εἴπωσι, τὸ ὅλον ἐστὶν ἡδυπαθείας καὶ ἐκκαρδίας ἐξεύρεσις.] Γὰρ ante ἐὰν cod. Ven. apte infert. Idem ἐξέρευξις optime. Vid. annot. in T. II. p. 596 (731). Praeterea ἐκ καρδίας cod. Rhedig., recte, si καὶ deleatur. De voce προύνικος praeter *Petavium* in Animadv. vid. *Menag.* ad *Diog. Laërt.* IV. 6.

P. 172 (83). ποιητεύματι] Verbum medium ποιητεύεσθαι, de quo cl. editor monuit, exstat etiam haer. 24. cap. 2. p. 146 (69). et haer. 66. cap. 46. p. 478 (660). Παραποιητεύεσθαι reperitur T. II. p. 20 (406).

P. 176 (87). τὰς ἑαυτῶν μεμολυσμένας χεῖρας ἔχοντες] Μεμολυμμένας cod. Ven. ex *Epiphanii* consuetudine. Vid. annot. in T. II. p. 660 (768).

P. 190 (94). τὸ ἐνδαλματικὸν τῆς μορφῆς αὐτοῦ πρόσωπον] Ἐνδαλτικὸν cod. Ven. et Vat. deductum a verbo ἐνδάλλεσθαι (v. annot. in T. III. p. 118, 872), non a nomine ἔνδαλμα. Conf. *Lobeck.* Parerg. ad *Phryn.* p. 520.

P. 192 (95). ἐν τῇ ἀποῤῥοίᾳ τῶν σωμάτων] Nollem receptum σπερμάτων pro σωμάτων, quod omnes libri habent. Si quid mutandum, τοῦ σώματος pro τῶν σωμάτων scribendum erit. Ἀπόῤῥοια σώματος est *semen ex corpore destillans.* Conf. p. 126 (58) ubi de *Simone Mago:* μυστήρια δὲ ὑπέθετο αἰσχρότητος ῥύσεώς τε σωμάτων, ἀνδρῶν μὲν διὰ τῆς ἀποῤῥοίας cet. p. 186 (92) οἱ κύνες .. τὴν ἀπόῤῥυσιν τὴν ἀπὸ σωμάτων αὐτῶν ἐσθίουσι. T. III. p. 74 (848) τὰς ἀποῤῥοίας τῶν σωματικῶν πατέρων καὶ υἱῶν. p. 76 (849). 80 (851). 82 (852). 88 (855) καθὸ ἄνευ ἀποῤῥοίας καὶ πάθους, καθὸ ἄνευ σπορᾶς καὶ ἡδονῆς. 92 (858). 104 (864. 865) ubi ἄνευ σπορᾶς et ἄνευ ἀποῤῥοίας ex aequo ponuntur. Idem sibi vult ῥύσις σώματος T. I. p. 126 (58) l. c. et p. 84 (34) δι' ὀνειράτων ἀηδῆ γε ῥύσιν σωμάτων ἀπεργαζομένων. ubi *Scaliger* temere offendit. — Mox σωμάτων recte habebit, modo ἀπὸ σωμάτων scribatur et σπέρματα ad μεταλαμβάνειν subaudiatur. Conf. praegressa: μεταλαβοῦσα ἀπὸ σοῦ τὰ σπέρματα. et proxima: εἰ δὲ καὶ ἀπὸ σωμάτων μεταλαμβάνει. nim. τὰ σπέρματα. Facile autem ἀπὸ post ἀσώματον excidere potuit.

P. 192 (96). ἐννεοί] Ἔννεοι cod. Rhed. et ed. Basil.; ἐνεοὶ Pet. melius. Quo magis mireris, eundem p. 1035. D. 1036. A. scripturas ἔννεοι et ἐννεοὺς intactas reliquisse. Nam scriptura ἐνεὸς melioris notae scriptoribus usitata est, nec non in vers. Vet. Test. reperitur, v. c. *Esai.* LVI, 10. quem ipsum locum *Epiphanius* hic et p. 1035. D. laudat. Vid. *Valckenar.* Schol. Sel. in N. T. Tom. I. p. 448. sq. (ad Act. Ap. 9, 7) *Ruhnken.* ad Tim. p. 102. *Rhoer.* Fer. Daventr. p. 172 sq. *Matthaei.* ad N. T. Tom. V. p. 98. *Schleusner.* Lex. in N. T. Tom. I. p. 828. *Winer.* Gramm. Idiom. N. T. ed. III. p. 44.

P. 202 (102). ἀδρυνθὲν ἐν τῇ κοιλίᾳ] Ἀνδρυνθὲν ed. Basil. mendose; Petav. ἀδρυνθὲν melius, licet male posito leni pro aspero, quo modo

peccatum p. 216 (110) μετὰ τὸ ἀδρυνθῆναι τὸν Ἰησοῦν. p. 250 (130) ἀδρύνεται ὁ παῖς. et p. 250 (134) μετὰ τὸ ἀδρυνθῆναι Ἰούδαν. Recte vero ἠδρύνθη et τὸ ἀδρυνόμενον scribitur T. III. p. 378 (1019), recte item ἀδρυνθεὶς p. 516 (1097) pro ἀνδρωθείς, quod exstat gemino loco in Anaceph. p. 584 (153). Spiritus lenis perperam positus in verbis ἀδρύνεσθαι et ἀδροῦσθαι, quorum eadem est significatio (vid. *Bast.* ad *Greg. Cor.* p. 321), in causa fuit, ut in ἀνδρύνεσθαι et ἀνδροῦσθαι saepe depravarentur. Prioris verbi patrocinium temere suscepit *Passovius* De Lexicis Graecis p. 42, secutus ille *Coraëa* ad *Hippocr.* T. I. p. 134. Tu vide *Casaubon.* ad *Athenae.* XIV. 21. p. 935. et *Krabinger.* ad *Gregor. Nyss.* De Anima et Resurrect. p. 360. 363, a. Itaque ap. Nostrum T. II. p. 170 (491) ἀδρυνθέντας legendum pro ἀνδρυνθέντας, quod habent edd. Basil. et Pet. Apud *Plat.* Rep. VI. p. 498. B. vulg. lectio ἀδροῦται, licet ab uno tantum cod. servata, reliquorum codd. lectioni ἀνδροῦται minime posthabenda est, id quod *Schneidero* secus visum miror. Nihil vero dubitationis habet ἀνδροῦσθαι cum alibi, tum ap. *Aëlium Epiph.* T. III. p. 212 (925) ἠνδρώθη. Ceterum etiam adiectivum ἀδρυντικὸς in ἀδρυντικὸς et ἀνδρυντικὸς depravari solet. Conf. *Epiph.* T. III. p. 248 (945) et annot. crit. 4.)

P. 202 (102). ἀρωγόν] Ἀῤῥωγὸν cod. Rhed. et ed. Basil., litera ῥ male duplicata. Quo de mendi genere monui ad *Io. Glyc.* p. 89. et ad *Eliam Cret.* col. 867 (2). Eodem modo in ed. Basil. rursus peccatum est T. II. p. 372 (604). 396 (616). quorum locorum posteriore ἀῤῥωγὸν reductum nollem. *Petavius* ubique recte ἀρωγός.

P. 204 (102). τὸν δὲ κόσμον .. ὑπὸ ἀγγέλων γεγενῆσθαι, τῶν πολύ τι ὑπὸ τοῦ πατρὸς τοῦ ἀγνώστου ὑποβεβηκότων] De prioribus: τὸν δὲ κόσμον ὑπὸ ἀγγέλων γεγενῆσθαι, vid. annot. ad p. 128 (58) εἶναί τε τὸν αἰῶνα cet. Posteriora: τῶν πολύ τι ὑπὸ τοῦ πατρὸς τοῦ ἀγνώστου ὑποβεβηκότων, illustranda sunt ex *Platonicorum* sententia de ὑποβάσεσι naturae divinae rerumque ab ea procreatarum. Vide *Eliam Cret.* Comment. in *Greg. Naz.* col. 832. sq. ibique annot. 2. et Schol. Monac. in *Greg. Naz.* col. 904 *Epiphanius* contra *Secundum*, qui cum reliquis *Gnosticis* hanc sententiam adoptavit, ita disputat p. 388 (209): *unum ens* οὐδὲ ἀνώτατον οὐδὲ ἕν ἐστιν, οὔτε ὑποβεβηκός, οὔτε κατώτατον, εἰ μὴ τὰ ἀπ' αὐτοῦ ἐκτισμένα. et post paulo: *in Deo uno* οὔτε ἐλάττωμα ἕτερον, οὔτε τι ὑποβεβηκὸς πλὴν τῶν ὑπ' αὐτοῦ ἐκτισμένων. quibuscum conf. haec T. III. p. 166 (899) ὁ θεὸς .. ᾧ ὑποβέβηκε τὰ κτιστὰ καὶ ποιητά. Idem contra *Colorbasum* p. 480 (258) λέγει γὰρ τὴν πρώτην ὀγδοάδα οὐ καθ' ὑπόβασιν ἄλλων ὑπὸ ἄλλου αἰώνων προβεβλῆσθαι. quae *Marcosiorum* sententia fuit. *Arium* propter ὑπόβασιν, in S. Trinitate admissam, *Epiphanius* notat T. II. p. 214 (516) ἡ τριὰς ἐλέγχει τὸν Ἄρειον, ὑπόβασίν τινα διανοούμενον ἐν τῇ τριάδι. p. 216 (517) οὐ διαιρουμένης τῆς θεότητος, οὔτε ὑποβεβηκυίας τῆς ἑαυτῆς δόξης. p. 722 (803) ὁ υἱὸς .. οὔτε κατὰ ἔλλειψιν .. οὔτε κατὰ ὑπόβασιν .. ὑποτάσσεται τῷ πατρί. p. 724 (804) εἰ γάρ τι εἰς τὸν υἱὸν λογίζῃ ὑποβεβηκὸς (ὑποβεβηκῶς male codd. mss. et ed. Bas.) διανοεῖσθαι, οὐκοῦν καὶ ἐπὶ τὸν πατέρα ἀναβαίνει σου ἡ διάνοια. Idem contra *Aëlium* T. III. p. 236 (939) ἀπρεπὲς ὅλως ἦν τὸ διανοηθῆναι ἡμᾶς .. ὑποβεβηκότα τοῦ γεννήτορος γεγεννηκέναι τὸ γέννημα αὐτὸν τὸν γεγεννηκότα. Ὑπόβασιν, in S. Trinitate admissam, eidem exprobrat p. 320 (988). *Arium* hoc nomine tanquam *Platonicorum* sectatorem iure reprehendit *Elias Cret.* l. c.

P. 204 (103). εὔτονον ἔσχε ψυχὴν παρὰ τοὺς ἄλλους ἀν-

ϑρώπους, καὶ ἐμνημόνευε τὰ ὁραϑέντα ὑπ' αὐτῆς ἄνω, ὅτε ἦν ἐν τῇ περιφορᾷ τοῦ ἀγνώστου πατρός] Εὔτονος ψυχὴ dicitur, cui virtutis vigor et contentio inest. Conf. *Philo* Opp. ed. Mangei. T. II. p. 378. εὐτόνου καὶ γενναίας καὶ σφόδρα νενευρωμένης ψυχῆς ἐστι καταφρονεῖν πάντων ὅσα τῦφος εἰωϑε σεμνοποιεῖν. *Irenae.* ap. *Epiph.* p. 434 (235) τῶν μὴ εὔτονον τὴν πίστιν .. φυλασσόντων. *Basil. M.* Opp. ed. Garn. T. I. p. 417. B. Vid. Animadv. in *S. Basil.* I. p. 176. Contrarium ἄτονος, quod ibidem attigi, habet *Irenaeus* ap. *Epiph.* p. 348 (187) ἀτονώτερον αὐτὸν ὑπάρχοντα πρὸς τὸ γινώσκειν τινὰ πνευματικά. Proxima: καὶ ἐμνημόνευε τὰ ὁραϑέντα ὑπ' αὐτῆς ἄνω, uti insequentia: τὰ ὁραϑέντα αὐτῇ ἀναμνημονεύσασα, ex *Platonis* Phaedro hausta sunt. Conf. p. 249. C. τοῦτο δέ ἐστιν ἀνάμνησις ἐκείνων, ἃ ποτ' εἶδεν ἡμῶν ἡ ψυχὴ συμπορευϑεῖσα ϑεῷ .. καὶ ἀνακύψασα εἰς τὸ ὂν ὄντως. et quae plura eandem in sententiam in illo dialogo disputantur. Indidem repete, quae Noster subiicit: ὅτε ἦν ἐν τῇ περιφορᾷ τοῦ ἀγνώστου πατρός. et quae post paulo sequuntur p. 205. sq. (103) αἱ γὰρ ψυχαὶ ἐκ τῆς αὐτῆς περιφορᾶς εἰσι. Conf. Phaedr. p. 247. C. στάσας δὲ αὐτὰς περιάγει ἡ περιφορά. Ibid. D. — ἕως ἂν κύκλῳ ἡ περιφορὰ εἰς ταὐτὸν περιενέγκῃ. et p. 248. A. — συμπεριενέχϑη τὴν περιφοράν. Apud *Irenae.* Lib. I. cap. 24., cuius Graeca *Epiphanius* exscripsit, περιφορὰ in ed. Massuet. utroque loco vertitur *circumlatio.* Priore loco ed. Erasm. et Gallas. *circulatione* pro *circumlatione.* *Massuetus* Dissert. in *Irenae.* cap. 5. §. 123. prolixa disputatione ne id quidem praestitit, ut fontem in Phaedro aperiret, ex quo quid sibi velit illa περιφορά, liquido apparet: rivulos ap. *Iamblich.*, qui fertur, De Mysteriis Aeg. VIII. 6., ex Phaedro item repetendos, sectatus est. Neque vero *Matterus*, licet de sententia Platonica universe monens Hist. Doctr. Gnost. T. II. p. 269. 272., sedem eius indicavit. Verum subodoratus est *Petavius* Animadv. p. 46. qui male quidem περιφορὰν *comitatum* reddidit et comparato *Theodoreto*, qui διαγωγῆς nomine in eadem re utitur, συμπεριφορὰν Graece interpretatus est, sed tamen haec adiecit: „Nisi quis ad περιφορὰν illam deorum et circumactionem Platonicam respexisse *Carpocratem* existimet, de qua in Phaedro.“ Posterior interpretatio una vera. Reconditam *Platonis* sententiam multi laudarunt vel imitati sunt. Vide *Wernsdorf.* ad *Himer.* p. 628. *Ast.* Annot. in *Phaedr.* p. 413. meque ad *Gregor. Nyss.* De Anima et Resurrect. ed Krabing. p. 299 sq. Adde *Plotinum* p. 377. A. τὸ δὲ συνέπεσϑαι τῇ τοῦ παντὸς περιφορᾷ καὶ ἦϑη ἐκεῖϑεν κομίζεσϑαι καὶ πάσχειν παρ' αὐτοῦ, οὐδὲν ἂν εἴη σημεῖον τοῦτο τοῦ μέρη τὰς ἡμετέρας ψυχὰς εἶναι. Ceterum *Carpocratem* Platonicum fuisse, ex supra dictis intelligitur; de *Epiphane* filio idem expressis verbis testatur *Epiphanius* p. 390 (211).

P. 204 (103). τὰς ὁμοίας αὐτῇ ψυχὰς ... τὸν αὐτὸν τρόπον ἐλευϑερωϑείσας ἄνω πτῆναι πρὸς τὸν ἄγνωστον πατέρα ἐν τῷ τὰς πάσας πράξεις πραξάσας ὁμοίως τῶν πάντων ἀπαλλαγείσας λοιπὸν ἐλευϑερωϑῆναι.] Haec respondent supra dictis de anima Christi: ὅπως διὰ πασῶν τῶν πράξεων ἐλευϑερωϑεῖσα .. ἀνέλϑῃ πρὸς τὸν αὐτὸν πατέρα τὸν ἄγνωστον, τὸν δυνάμεις αὐτῇ ἀποστείλαντα ἄνωϑεν, ἵνα διὰ πασῶν τῶν πράξεων χωρήσασα καὶ ἐλευϑερωϑεῖσα διέλϑοι πρὸς αὐτὸν ἄνω. quo loco verba ἐλευϑερωϑεῖσα ... διὰ πασῶν τῶν πράξεων, molesta illa quidem propter otiosam repetitionem, in cod. Ven. omissa sunt, librario a priore διὰ πασῶν τῶν πράξεων ad posterius aberrante Multus est *Carpocrates* in commendanda ista libertate Christi eiusque asseclarum. Conf.

p. 206 (104) ὅπως ἂν τὴν ἄνω ἐλευθερίαν ἀσπάσωνται καὶ τὴν ἄνω πτῆσιν κτήσαιντο. p. 208 (105) ἐλευθερωθεῖσα καὶ μηκέτι χρεωστοῦσά τι τῶν πρὸς πρᾶξιν τῶν ἐν τῷ κόσμῳ. et quae p. 210 (106) pluribus locis eandem in sententiam dicuntur. Est autem illud minime dubium, quin *Carpocrates*, quod nostrae aetatis sophistae celebrant placitum de carne, quam dicunt, emancipanda, dudum protulerit et (pro scelus!) Christi exemplo commendare sit ausus. Qua quidem in nequitia exornanda ille nebulo flosculis Platonicis abusus est. Nam illa: ἄνω πτῆναι, τὴν ἄνω πτῆσιν, sumta sunt ex Phaedro p. 249. C. διὸ δὴ δικαίως μόνη πτεροῦται ἡ τοῦ φιλοσόφου διάνοια. et D. ἀναπτέσθαι. Atqui *Plato* ipse Phaedr. l. c. et p. 256. B. hominem nequam de vera animi libertate meliora edocere poterat. Ceterum similia nequitiae praecepta apud *Marcum* p. 486 (236) et apud *Ophitas* p. 510 (276. sq.) reperiuntur.

P. 206 (104). πρὸς φίλτρα καὶ ἀγώγιμα] *Heraldus*, ab Oehlero laudatus, ad *Arnob.* Lib I. p. 42. ἀγώγιμα recte interpretatur *amoris illecebrae*. Adde *Epiphan.* p. 252 (131) ἀγώγιμά τινα ἐπιτελοῦντες. Φίλτρα καὶ ἀγώγιμα rursus coniuncta p. 436 (235). Adiectivum ἀγώγιμος, *illecebrosus*, exstat p. 198 (100) ἀγώγιμον μῦθον. et p. 172 (83) ἀγώγιμόν τι ποίημα. ubi *Petavius* male: *adscititium*.

P. 208 (105). Φασὶ γὰρ ὅτι ὅσα νομίζεται παρὰ ἀνθρώποις κακὰ εἶναι, οὐ κακὰ ὑπάρχει, ἀλλὰ φύσει καλά. Οὐδὲν γάρ ἐστι φύσει κακόν, τοῖς δὲ ἀνθρώποις νομίζεται εἶναι φαῦλα.] Conf. p. 210 (106) ἵνα πράξωσι τὰ δοκοῦντα εἶναι κακὰ, οὐκ ὄντα. Bonum et malum natura ullum esse negabant *Pyrrhonii*. Vid. *Diog. Laërt.* IX. 101 ibique *Menag.* Sed qui eo perversitatis progrederetur, ut malum natura bonum esse statueret (id quod *Carpocrates* fecit), veterum philosophorum repertus est nemo.

P. 208 (105). πᾶν εἶδος ἀνδροβασιῶν καὶ λαγνιεστέρων ὁμιλιῶν πρὸς γυναῖκας] Λαγνιετέρων Basil., λαγνιεστέρων Petav. Tu repone: λαγνιστέρων. Eadem in voce peccatur T. III. p. 488 (1053) ubi λαγνίστερον pro vulg. λαγνιαίτερον scribendum. Attica forma λάγνης rite comparatur: λαγνίστερος, λαγνίστατος. Vid. *Lobeck.* ad *Phrynich.* p. 184. *Buttmann.* Gr. Gr. Ampl. §. 66. 5. annot. 6. Apud *Clem. Alex.* Paedag. L. II. p. 222. *Potterus* ex cod. Bodl. λαγνιστάτοις loco vulgati λαγνιστοτάτοις reposuit. Recte; ibid. λαγνίστατον τὸ ζῶον ἡ ὕαινα.

P. 208 (105). καὶ τούτου ἕνεκα μὴ ἀποστρέφεσθαι τὴν ψυχὴν μετὰ τὴν ἐντεῦθεν ἀπαλλαγήν] Legendum: μὴ ἐπιστρέφεσθαι τὴν ψυχήν —. Ἐπιστρέφεσθαι idem valet, quod καταστρέφεσθαι εἰς σώματα πάλιν p. 208 (106) ἵνα μὴ ἐξελθοῦσαι καὶ ὑστερήσασαί τινος ἔργου τούτου ἕνεκα καταστραφῶσιν εἰς σώματα πάλιν αἱ ψυχαί. In eadem re ἐπιστρέφειν ponitur p. 602 (330) ταύτας φασὶν ἐπιστρέφειν καὶ μετενσωματοῦσθαι εἰς ἕκαστον τῶν ζώων. et p. 604 (331) ἕδει τὸν Λάζαρον λυθέντα τοῦ σώματος μὴ ἐπιστρέψαι πάλιν εἰς τὸ σῶμα. Non multum differt στρέφεσθαι πρὸς τὰ ὧδε ap. *Zachar. Mitylen.* p. 151. ed. Boissonad. ὡς ἂν μὴ ταραχθείημεν λυομένων ἡμῖν τῶν δεσμῶν καὶ πυκνὰ στρεφώμεθα πρὸς τὰ ὧδε, δυσχεραίνοντες τὴν διάζευξιν. Ἐπιστρέφεσθαι nostro loco eo est accommodatius, quod id verbum de amantibus usurpatur, qui sese a deliciis divelli aegre patiuntur. Vid. *Valckenar.* ad *Callimach.* Elegiar. Fragm. p. 238. Adde, quod ἐπιστρέφεσθαι omnino in usu est de cura rerum terrenarum et corporis. Vid. Animadv. in *S. Basil.* I. p. 185. sq. Ceterum *Carpocratis* delirantis opinioni prorsus contraria est, quam *Zacharias*

Mityl. l. c. ante oculos habuit, sobria ac sana *Platonis* sententia Phaed. p. 81 B. — E. 108, A.

P. 210 (106). Φασὶ γὰρ εἶναι τὴν φυλακὴν τὸ σῶμα] Quod *Carpocrates* φυλακὴν apud *Matthae.* 5, 25. *corpus* allegorice interpretatur, ea in re iterum abutitur *Platonis* doctrina, videlicet ea, de qua monui ad *Eliam Cret.* col. 820 (5). 896 (10). De *Gnosticis* et *Manichaeis Epiphanius* in *Marcione* p. 604 (330) αὐτοὶ τὸ σῶμα φυλακὴν εἶναι δογματίζουσι. Ex *Manichaeorum* sententia idem T. II. p. 486 (665) Εἰ δὲ ὅλως τὸ εἶναι ἐν σώματι τὴν ψυχὴν φυλακὴν ἡγοῦνται οἱ ἄρχοντες cet. Eandem sententiam *Origenistae* exprobrat *Methodius* apud *Epiphan.* T. II. p. 268 (567) σὺ δὲ . . . δεσμὸν αὐτὸ καὶ φυλακὴν καὶ σῆμα καὶ ἅχθος καὶ πέδας εἶναι ἔφης. Conf. annot. in T. II. p. 234 (527).

P. 210 (106). Δεῖ γάρ, φασὶν, ὡς προείπομεν, πάντῃ ἐλθοῦσαν . . . ἀνελθεῖν πρὸς ἄνω ἄγνωστον] Πάντῃ recte *Oehler.* secundum cod. Rhedig.; quamquam scriptura πάντῃ magis placet. Vulgo πάντα. *Petavio* placuit εἰς πάντα. Sed πάντῃ ἐλθεῖν idem, quod p. 204 (103) διὰ πάντων χωρῆσαι τῶν ἐν τῷ κόσμῳ πραγμάτων καὶ πράξεων. Conf. Anaceph. T. III. p. 560 (140) εἰ μή τις διὰ πάντων . . παρέλθῃ —. Lingua vernacula vertas: *Alles durchmachen.* Deinde πρὸς τὸν ἄνω ἄγνωστον legendum esse, *Oehlero* adsentior. Est enim ὁ ἄνω ἄγνωστος, qui p. 216 (110) ὁ ἄνω ἄγνωστος πατὴρ dicitur, nec multum differt ὁ ἀνωτάτω ἀκατονόμαστος πατὴρ in *Valentinianorum* haeresi p. 310 (165). Alias *Gnostici* summum deum πατέρα vel προπάτορα ἄγνωστον simpliciter vocant. Conf. *Epiphan.* in *Saturnilo* p. 134 (62), in *Carpocrate* p. 204 (103), in *Marcositis* p 468. sq. (252. sq.) 470 (254). 472 (254), in *Cerdonianis* p. 550 (300), *Synes.* Hymn. IV, 227. πάτερ ἄγνωστε. Fons apud *Platonem* Tim. p. 28. C. τὸν . . . πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν . . ἔργον.

P. 216 (110). τὸν ἰὸν τῷ κόσμῳ φέρων ἥκει] Φέρειν ἥκει cod. Ven. Tu vide annot. in T. III. p. 262 (955).

P. 226 (116). συνιστᾶν] Id est: *demonstrare, adstruere.* Vid. *Schleusner.* Lex. in N. T. T. II p. 1030. sq. et conf. *Epiphan.* p. 482 (260) ἵνα ἡ ἀλήθεια πανταχόθεν συσταθῇ. Διασυνίστημι *Methodio* ap. *Epiph.* T. II. p. 300 (554) cl. editor restituit. Σύστασις ἀληθείας est *veritatis demonstratio* p. 708 (390). Ἀνατροπή, i. e. *refutatio*, et σύστασις sibi opponuntur in Epist. *Athanasii* ap. *Epiph.* T. III. p. 338 (997). Ἀσύστατον dicitur *quod demonstrari nequit*, T. I. p. 244 (126). T. II. p. 474 (663). 498 (671) et alibi, unde ἀσυστάτως T. II. p. 10 (400). Αὐτοσύστατος veritas vocatur p. 692 (380). T. II. p. 416 (627). Ceterum de forma verborum in — μι, in — αω commutata, monui ad *Eliam Cret.* col. 885 (1).

P. 236 (122). ὥςπερ οὖν καὶ ἦσαν] Haec in cod. Ven. omissa sunt. Tu vide annot. in T. III. p. 100 (862).

P. 242 (125). ἐκ παρατριβῆς καὶ σπέρματος ἀνδρός] Paratriβή nupta vox est in declaranda συνουσίᾳ. *Methodius* ap. *Epiph.* T. II. p. 328 (579) μὴ χραινόμενον ἀθέσμοις ὅλως οἴστροις παρατριβαῖς. ubi οἴστροις παρατριβαὶ sunt adfrictus venerei, ad quos libidinibus incitamur. *Epiphanius* T. II. p. 622 (747) de *Cerinthianis:* ἐκ παρατριβῆς αὐτὸν (nim. Christum) λέγοντας εἶναι ψιλὸν ἄνθρωπον. Alii vocem παράτριψις pariter usurpant, ut *Marcus Aurel.* VI. 13. cui συνουσία est ἐντερίου παράτριψις καὶ μετά τινος σπασμοῦ μυξαρίου ἔκχρισις, et *Io. Philopon.* in *Aristot.* De Generat. Animal. fol. 27. r. Apud

eundem *Philoponum* fol. 18. vers. ante med. in interpretatione vocis Aristotelicae κνησμός mendose scribitur περίτριψις pro παράτριψις.

P. 252 (131). κατὰ συγκυρίαν] Conf. T. II. p. 62 (431) κατὰ τὴν τοιαύτην συγκυρίαν. Huc pertinent verba συγκύρω et συγκυρῶ. Conf. *Plutarch.* ap *Euseb.* Praep. Evang. I. 8. ubi συνεκύρησε. *Plotin.* p. 743. C. ubi συγκύρω cum infin. *Porphyr.* Epist. ad Marcell. cap. 5. *Io. Glyc.* De Synt. p. 32, 19. ed. Bern. ubi συνέκυρσε. Suspectae fidei est συγκύρσω, quod Lexica habent. Vid. *Has.* ad Timarion. p. 188.

P. 258 (135). Φιλοῦται δὲ τῷ ἐκεῖσε ἐπισκόπῳ] Recte *Petav.* φιλιοῦται: soloecum est φιλοῦται, quod habent cod. Rhedig. et ed. Basil. Sic φίλιον in φίλον depravari solet. Vide Appendic. ad *Bastii* Epist. Crit. p. VII. Noster p. 104 (45) ὕστερον δὲ ἐφιλιώθη Δημητρίῳ. et T. III. p. 500 (1088) νῦν δὲ συνήνωται, ὡς λέγει, φιλιωθέντα ἀλλήλοις, sicuti legendum pro vulg. φιλωθέντα.

P. 282 (149). ὦ τῶν δεινῶν ἑρπετῶν τὰ δεινὰ κωκύματα] Cod. Vatic. ὦ, recte, quum ὦ sit mirantis et irridentis, ὦ appellantis. Sic p. 456 (648) ὦ πολλῆς αἰσχύνης. scribendum: ὦ πολλῆς αἰσχύνης. Eodem modo peccatum est T. II. p. 474 (658) ὦ ἀγύρτου μιμολογίας, ὦ χλεύης ἀσυνετικάστου. p. 476 (659) ὦ τῆς πολλῆς σου φλυαρίας. p. 496 (670) ὦ κολλοῦ καμάτου. p. 696 (788) ὦ πολλῆς ἠλιθιότητος. T. III. p. 388 (1025) ὦ πολλὴ ἡ τῶν ἀνθρώπων ἀφελότης. quo loco, uti nostro, nominativus, non genitivus, ut fit vulgo, post ὦ sequitur. Ὦ recte scribitur T. III. p. 410 (1038) Ὦ καινῆς μανίας. ὦ καινῶν πραγμάτων. p. 412 (1038) ὦ τῆς ἡμῶν τελωλομένης γενεᾶς. Male rursus ὦ p. 466 (1069) ὦ τῆς τῶν ἀνθρώπων ματαιοφροσύνης. Vide *Buttmann.* Gramm. Gr. Ampl. T. II. p. 303. *Ast.* Annot. in *Plat.* Prot. p. 13 et *Thilon.* ad Acta Thomae p. 62.

P. 282 (149). λεξιθηροῦσι τὰ εἰς ἑαυτῶν καταστροφήν] Λεξισιθηροῦσι cod. Rhedig. et ed. Basil. pessime. Tu confer T. II. p. 668 (771) λεξιθηροῦντες τὰ καλῶς καὶ ὀρθῶς εἰρημένα. et vid. *Lobeck.* Parerg. ad *Phryn.* p. 627. Idem V. D. p. 628. suspectae fidei nomen λεξίθηρ attigit, cuius tria exempla ap. *Epiphan.* exstant, primum p. 692 (785) οἱ λεξιθῆρες, ubi *Petav.* melius λεξίθηρες, alterum p. 720 (801) τοῖς λεξιθήρεσι, ubi λεξίθηρσι scribendum, nisi forte λεξιθηροῦσι hoc loco, priore λεξιθηροῦντες reponere mavis, tertium T. III. p. 392 (1027) λεξίθηρ ὧν τις, quo loco facillime scripseris: λεξιθηρῶν τις.

P. 308 (164). Τριάκοντα γὰρ καὶ οὗτος θεοὺς καὶ αἰῶνας ... βούλεται παρεισάγειν] Verba καὶ αἰῶνας, omissa in cod. Rhedig. et in ed. Basil., *Petavius* ex cod. Vat. optimo iure reposuit. Conf. proxima: Τριάκοντα γὰρ οὗτος, ὡς ἔφην, αἰῶνας βούλεται παριστᾶν, οὓς καὶ θεοὺς ὀνομάζει. et quae plurima *Epiphanius* eandem in sententiam in sequentibus, etiam ex *Irenaeo*, adfert. Primarius locus de *Valentini* aeonibus est apud *Irenae.* I. 1. 7. Divinitatis nomen αἰὼν, veteribus Graecis inusitatum, sed in doctrina *Valentini* et *Valentinianorum* decantatum, ex philosophia Orientalium repetendum est, apud quos Indorum philosophi divinitatem eiusmodi nominibus declarare solent. Vid. *Mignot.* in Hist. Acad. Reg. Inscript. T. XXXI. P. II. p. 277. sq. Ex *Valentini* doctrina, quae in aeonibus multiplicandis tota versatur, *Synesius* etiam illud sumsit, quod in celebranda natura Patris et Filii mentiumque divinarum vocem αἰὼν usurpare solet, v. c. Hymn. II. 67. III. 162. 249. 266. IV. 71. IX. 67. Vid. *Mignot.* libro laud. p. 277—279. et *Beausobr.* Hist. Doctr. Manich. T. I.

p. 573. sq. qui comparat personatum *Dionysium Areop.* De Div. Nom. cap. V. 4. (Θεός) ἀρχὴ καὶ μέτρον αἰώνων καὶ χρόνων ὀντότης καὶ αἰὼν τῶν ὄντων ... ὁ αἰὼν αἰώνων, ὁ ὑπάρχων πρὸ τῶν αἰώνων.

P. 308 (164). Χάος δὲ καὶ Βυθὸς τίνι οὐκ ἂν σαφὴς εἴη ὡς τὸ ὁμώνυμον κέκτηται;] Dormitat hoc loco bonus *Epiphanius*, Χάος Hesiodium docens idem valere ac Βυθὸν *Valentini*. Tametsi enim illud satis probabile est, *Valentinum* ad exemplum Theogoniae Hesiodiae suam finxisse, tantum tamen abest, ut Βυθὸν suum *Hesiodi* Χάει, mutato dumtaxat nomine, substituerit, ut infinitam nec ulli cogitationi accessam summae divinitatis naturam Βυθοῦ nomine in personam divinam animaverit. Conf. *Irenae.* ap. *Epiphan.* p. 326 (175). Sic in *Oraculis*, quae feruntur, *Chaldaicis* summum numen πατρικὸς βυθὸς vocatur; vid. *Beausobr.* Hist. Doctr. Manich. T. I. p. 551. not. 5. Sic *Synesius*, qui in Hymnis cum *Valentino* ampullatur, βυθοῦ nomine divinitatis naturam declarat, v. c. Hymn. I. 116. II. 27. III. 133. 189. Vid. *Grab.* ad *Irenae.* I, 1. 1. p. 7, 1. not. 4. *Beausobr.* Hist. Doctr. Manich. T. I. p. 579. *Neander* Syst. Gnost. p. 94. 207. Eodem spectant βύθια μυστήρια apud *Valentinum Epiph.* p. 318 (170) et βύθιον κάλλος ap. *Synes.* Hymn. IV. 69. Quid? quod Βύθιον unum ex aeonibus nomine proprio *Valentinus* vocavit, p. 310 (165) et p. 328 (176). Vim nominis Βυθὸς, de summo aeone usurpati, *Valentinus*, missa prosopopoeia, hisce verbis declaravit ap. *Irenaeum Epiph.* p. 330 (177) τὸ μέγεθος τοῦ βάθους καὶ τὸ ἀνεξιχνίαστον τοῦ πατρός. in quibus vocis βάθος eadem vis ac Cor. I. 2, 10. καὶ τὰ βάθη τοῦ θεοῦ. Vid. *Schleusner.* Lex. in Nov. Test. T. I. p. 433. sq. qui de voce ἀνεξιχνίαστος item consulendus T. I. p. 206. Adde *Irenae.* ap. *Epiph.* p. 454 (245) τὸν ἀνεξιχνίαστον ἐξιστορεῖ. Ceterum *Valentini* Βυθὸν recoxerunt *Secundiani* p. 396 (214), qui tamen potestates divinas vel Βυθῷ antiquiores commenti sunt, *Ptolemaeus* p. 398 (215) et p. 400 (215), *Marcus* p. 448 (241) et *Marcosii* p. 468 (253). 470 (253). 472 (254), *Heracleo* p. 486 (263).

P. 308 (164). Ἕκαστον δὲ αἰῶνα ἀῤῥενόθηλυν καὶ ζεῦγός φησιν —] Masculam et femineam deorum naturam esse, doctrina fuit minime inaudita tum apud Graecos (vid. *Io. Croi.* Specim. Coniectur. in Origen. Irenae. Epiphan., in capite Irenaei Grabiani, p. 6. *b*), tum apud Indos (vid. *Mignot.* in Hist. Acad. Reg. Inscript. T. XXXI. P. II. p. 236). Quam quidem doctrinam, a *Platonicis* adoptatam (vid. *Casaubon.* Exercit. in Annal. Baron. I. p. 59, *a.*), *Valentinus* eiusque discipuli exornandis aeonibus, a se fictis, adhibuerunt. Vid. *Casaubon.* l. c. *Wesseling.* Observ. II, 10. p. 178. sq. *Beausobr.* Hist. Doctr. Manich. T. I. p. 584. sq. *Souverain.* in Platonismo SS. Eccl. Patrum detecto P. I. cap. 8. p. 79. ed. Loeffler. *Neander* Syst. Gnost. p. 97. 209. sq. Eandem doctrinam *Synesius* laudibus veri Dei licentia poëtica accommodavit Hymn. II. 90. III. 186. Vid. *Casaubon.* l. c. *Grab.* ad *Irenae.* I. 5. 3. p. 53, 15. not. 7. *Brucker.* Hist. Philos. Doctr. de Ideis p. 185. sq. et VV. DD. ab eo laudati, praeterea *Mignot.*, *Beausobr.*, *Souverain.* ll. cc. et *Neander* Syst. Gnost. p. 207.

P. 308 (165). Βυθὸς, Σιγή] Post Βυθὸς male vulgo καὶ deest, quod adiici *Pelavius* recte iussit, quum copulatis nominibus Βυθὸς et Σιγὴ prima *Valentini* συζυγία contineatur. De Βυθῷ supra vidimus. Σιγὴ, quam illi *Valentinus* uxorem adiunxit, ineffabilem tranquillitatem summae divinitatis tanquam numen repraesentat. Conf. *Valentinus* ap. *Epiphan.* p. 314 (168) οἱ δὲ ἀληθεύσαντες Σιγὴν προσηγόρευσαν (nim. Ἔννοιαν summi aeonis), ὅτι δι' ἐνθυμήσεως χωρὶς λόγου τὰ πάντα τὸ μέγεθος (id est: summus aeon)

ἐτελείωσεν. *Irenaeus* ap. *Epiphan.* p. 326 (175) αὐτὸν (summum aeonem dicit) . . . ἐν ἡσυχίᾳ καὶ ἡρεμίᾳ πολλῇ γεγονέναι ἐν ἀπείροις αἰῶσι χρόνων. *Platonici* de divinitate similiter loquuntur. Sic *Numenius* ap. *Euseb.* Praep Evang. XI. 22. p. 543. C. loco divino et qui integer legatur, ταγαθὸν (id est *Deum*, Platonis sententia) tanquam τὸ ἥρεμον praedicat. Valentinianam Σιγὴν in scenam rursus produxerunt *Secundiani* ap. *Epiphan.* p. 396 (214), *Marcus* et *Marcosii*, *Colorbaso* auctore, ap. *Epiph.* p. 436 (236). 438 (236). 442 (238). 446 (240. 241). 448 (242). 452 (244) et *Heracleo* p. 486 (263). Eandem *Synesius*, licet missa prosopopoeia, tamen respexit Hymn. II. 65 ubi Deum ita adloquitur: σὺ δὲ φωνὰ, σὺ δὲ σιγά. Vid. *Grab.* ad *Irenae.* I. 1. p. 9, 1. not. 3.

P. 310 (166). ὡς ἔχει ἡ ἀπέραντος τοῦ Βυθοῦ ληρώδης φλυαρία] Quod si *Epiphanius* hoc loco Tim. I. 1, 4. respexit (et respexisse sane videtur), in ea fuit sententia, ut doctrinam de aeonibus Apostoli verbis notari statueret. Certe *Irenaei* haec fuit sententia, qui in refutanda haeresi Valentiniana ab Apostoli loco profectus est Vid. *Epiphan.* p. 322 (173). sq.

P. 312 (167). Ὥςπερ Ὑστερήματι βούλονται συνάπτειν μίαν ἀμιγῆ τινα αἰῶνα καὶ ἀθήλυντον] Scribendum: Ὥπερ Ὑστερήματι cet. id est: *cui quidem Hysteremati* cet. Sunt haec sane negligentius adnexa superioribus: Ὑστέρημα —, ὅπερ Ὑστέρημα —, ἀφ' οὗπερ cet. Sed ὥςπερ nihil ad rem, et orationis negligentia in *Epiphanio*, id est scriptore pessimo, nullam offensionem habet. De ὑστερήματι sive Ὑστερήματι *Valentinianorum* monui ad p. 128 (58). Ἀθήλυντον (θηλυντὸν male cod. Venet.) *Petav.* perperam vertit *deterioris sexus expertem*; nec melius rem gessit p. 318 (171) Προυνίκων ἀθηλύντων. et p. 332 (178) ἀσύζυγον, ἀθήλυντον. Ego vocem ἀθήλυντος ita verto: *nulla cupidine tactus.* Est enim ἀθήλυντος repetendum ex usu verbi θηλύνειν, *Platonicis* et *Gnosticis* trito, in significandis cupiditatis illecebris. Ex *Gnosticis* conf. *Valentin.* ap. *Epiphan.* p. 314 (168) ἡ ἄφθαρτος βουληθεῖσα δεσμὰ ῥῆξαι ἐθήλυνε τὸ Μέγεθος ἐπ' ὄρεξιν ἀναπαύσεως αὐτοῦ. et p. 316 (169) ἡ Ἀλήθεια . . . ἐθήλυνε τὸν πατέρα ἑαυτῆς εἰς ἑαυτήν. *Clem. Alex.* Strom. Lib. III. p. 553. ed. Potter. de *Iulio Cassiano:* ἠγεῖται δὲ ὁ γενναῖος οὗτος Πλατωνικώτερον θείαν οὖσαν τὴν ψυχὴν ἄνωθεν ἐπιθυμίᾳ θηλυνθεῖσαν δεῦρο ἥκειν εἰς γένεσιν καὶ φθοράν. Vid. *Baur.* in Gnosi Christ. p. 149. sq. De *Platonicis* conf. *Porphyr.* De Abst. IV. 20. p. 367. ed. Rhoer. τοῦ ἀλόγου θηλυνομένου. ubi *Rhoer. Irhoflum* De Paliugen. III. 5. 4. laudat. Omnino veteres cupiditati nescio quid femineum inesse volebant. Conf. *Callicratid.* ap. *Stob.* Floril. Tit. 70. p. 426. ἡ δ' ἐπιθυμία θαλυ καὶ νεαρὸν καὶ ὑγρὸν πάθος ὑπάρχουσα ψυχῇ, τῇ γυναικὶ ποτιφερής ἐστιν. *Epiphan.* p. 498 (269) θηλυκοῖς γὰρ ἀεὶ διανοήμασι προσπελάζει, ἡδονῇ τε καὶ ἐπιθυμίᾳ cet. T. III. p. 452 (1061) ἡ κακία . . . ἡμῖν τὸ θῆλυ τῆς ὑπονοίας τοῖς φρονήμασιν ἐμχέουσα, τὸ σφέτερον ἡδυπαθείας ἐργαζομένη.

P. 312 (167). Ἰησοῦν τὸν διὰ Μαρίας ὡς διὰ σωλῆνος παρελθόντα] Conf. p. 320 (171) φασὶ δὲ (τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν) ἄνωθεν κατεννηνοχέναι τὸ σῶμα καὶ ὡς διὰ σωλῆνος ὕδωρ διὰ Μαρίας τῆς παρθένου διεληλυθέναι. p. 356 (191) εἶναι δὲ τοῦτον τὸν διὰ Μαρίας διοδεύσαντα, καθάπερ ὕδωρ διὰ σωλῆνος ὀδεύει. Emendandus est *Epiphanius* in Anaceph. T. III. p. 562 (141) καὶ ὡς διὰ σωλῆνος τὴν Μαρίαν πεπερακέναι. Scribendum enim: ὡς διὰ σωλῆνος τῆς Μαρίας —. Similia de Iesu *Marcus* p. 452 (244), ubi attende ista: διελθόντα διὰ μήτρας. Vid. *Fabric.* ad *Philastr.* De Haeres. cap. 38. *Strauss.* Dogmat. T. II. p. 88.

P. 314 (168). παρὰ δὲ τῷ Μεγέθει] Μέγεθος hoc loco et plus semel in proximis per se declarat summum aeonem, de quo conf. p. 330 (176) θεωρῶν τὸν πατέρα καὶ τὸ μέγεθος τὸ ἀμέτρητον αὐτοῦ. p. 330 (177) τὸ μέγεθος αὐτοῦ. et post paulo: διά τε τὸ μέγεθος τοῦ βάθους καὶ τὸ ἀνεξιχνίαστον τοῦ πατρός. Ibidem in istis: ἐκτὸς τοῦ ἀῤῥήτου μεγέθους, summus aeon, ut nostro loco, per se intelligitur. Sic *Marcus* ap. *Epiphan.* p. 432 (234) summum deum τὸ μέγεθος, p. 436 (236) potestates divinas τὰ μεγέθη vocat.

P. 314 (168). ὑπερουρανίων μυείαν ποιοῦμαι μυστηρίων] Ὑπ' οὐρανίων, id est ὑπουρανίων, cod. Rhedig. Sed optime habet vox ὑπερουράνιος, quae recurrit p. 348 (187) οἰκεῖν δὲ τὴν μητέρα εἰς τὸν ὑπερουράνιον τόπον. ubi velim attendas formulam Platonicam ὁ ὑπερουράνιος τόπος, sumtam ex Phaedr. p. 247. C. de qua vid. *Ast.* Annot p. 414. sqq. Ὑπερουράνιον γένεσιν Iesu tribuit *Marcus* ap. *Irenae. Epiph.* p. 450 (243), ubi cod. Rhedig. male ὑπουράνιον. Τὴν ὑπερουράνιον δύναμιν habes in *Marcosiorum* formula p. 474 (256). Quae *Valentinus* hoc loco venditat mysteria, ab eius discipulis celebrata tradunt *Epiphan.* p. 322 (172) et *Irenaeus* apud eundem p. 352 (188). Sed ea merito irridet *Irenaeus* ap. *Epiph.* p. 324 (174) τὰ τερατώδη καὶ βαθέα μυστήρια, ἃ οὐ πάντες χωροῦσιν. p. 328 (176) τὰ μεγάλα καὶ θαυμαστὰ καὶ ἀπόῤῥητα μυστήρια. et p. 342 (183) ἀνακεχωρηκότα καὶ τερατώδη καὶ βαθέα μυστήρια.

P. 314 (168). μόνῃ δὲ τῇ τοῦ ἀτρέπτου Ἐννοίᾳ πεφανερωμένων] Post paulo *Valentinus:* ἡ ἐν αὐτῷ Ἔννοια, quam alio nomine Σιγὴν melius appellari dicit. De Σιγῇ diximus annot. ad p. 308 (165). De Ἐννοίᾳ conf. *Irenae.* ap. *Epiphan.* p. 326 (175) συνυπάρχειν δ' αὐτῷ (nim. Bytho) καὶ Ἔννοιαν cet. Connubii Ἐννοίας cum Βυθῷ fingendi ansam *Valentino* dedisse videntur, quae *Plato* Hesiodi exemplo de Metide, Iovis uxore, pulcre commentus est. Vid. Schol. ad Dissertat. Platonic. p. 103. sq.

P. 314 (168). ὃν καλοῦσί τινες Αἰῶνα ἀγήρατον, ἀεὶ νεάζοντα] Usitata *Valentino* vox poëtica ἀγήρατος. Conf. p. 316 (169) ἀφθάρτῳ μίξει καὶ ἀγηράτῳ συγκράσει. p. 318 (170) μετὰ ἡδονῆς ἀγηράτου καὶ ἀφθάρτου μίξεως. Quid? quod idem uni ex aeonibus nomen proprium Ἀγήρατος tribuit p. 310 (165). 328 (176). Adposite ad nostri loci sententiam *Synesius* Hym. IX. 66. sq. — αὐτὸς ἀγήραος | αἰὼν ὁ παλαιγενὴς, | νέος ἅμα καὶ γέρων.

P. 314 (168). ἡ ἐν αὐτῷ Ἔννοια ἠθέλησεν ἐκείνην cet.] De reponendo ἐκείνη cl. editori adsentior. Nam verba ἣν τινες ... ἐτελείωσεν per parenthesin interiecta sunt, et verba ἡ ἄφθαρτος cet. ad superiora per anacoluthiam ita referuntur, ut pro ἠθέλησε desmà ῥῆξαι καὶ ἐθήλυνε cet. nunc ista ponantur: βουληθεῖσα desmὰ ῥῆξαι ἐθήλυνε cet.

P. 318 (170). ἐν ἀφθάρτοις ἀπέδειξε φῶτα ἄφθαρτα] Magnopere fallor, aut legendum: ἀνέδειξε. Nam ἀναδείκνυμι solemne verbum in declaranda generatione divina. Conf. exempla, quae in hac ipsa *Valentini* disputatione reperiuntur: p. 314 (168) καὶ αὕτη αὐτῷ μιγεῖσα ἀνέδειξε τὸν πατέρα τῆς Ἀληθείας. p. 316 (168) καὶ ἀναδείκνυσι τὴν Ἀλήθειαν (ἀναδεικνύουσι *Oehler.* probabiliter coniicit: conf. duos locos seqq.). p. 316 (169) καὶ ἀναδεικνύουσι (ita *Oehler.* cum cod. Ven. pro vulg. ἀναδείκνυσι) τετράδα πνευματικήν. et post paulo: καὶ συνελθόντες ἀνεδείξαντο δεκάδα Προυνίκων. p. 318 (171) καὶ ἀνέδειξε πεντάδα Προυνίκων ἀθηλύντων. *Marcus* ap. *Irenae. Epiph.* p. 444 (240) τὸν τῶν εἰκοσιτεσσάρων ἀνέδειξαν ἀριθμόν. et p. 456 (246) ἡ δυὰς ἀπ' αὐτῆς προελθοῦσα ... τὴν δωδεκάδα ἀνέδειξε. Ita

enim corrigenda scriptura vulg. ἀπέδειξε: ἐπέδειξεν peius etiam cod. Venet. e *Pseudo-Origenes*. Tu praeter locum modo allatum ex p. 444 (240) confer superiora: γεννῶσι τὴν δωδεκάδα. et: τὸν τῶν δέκα αἰώνων ἀπεκύησεν ἀριθμόν. Vid. Animadv. in *S. Basil.* I. p. 181. ubi simul illustravi simplex δεικνύναι in eadem re positum. Sic *Irenae.* in *Valentini* haeresi ap. *Epiph.* p. 58 (186) οὐρανὸν πεποιηκέναι (τὸν δημιουργόν) .. καὶ ἄνθρωπον πεπλακέναι .. τήν τε δεδειχέναι.

P. 324 (173). καθὼς ὑπό του κρείττονος ἡμῶν εἴρηται: ἐκ τῶν τοιούτων] Ὑπὸ τοῦ κρείττονος recte habet; conf. *Irenae.* ap. *Epiph.* p. 434 (234) καθὼς ὁ κρείσσων ἡμῶν ἔφη περὶ τῶν τοιούτων. Similiter *Epiphan.* T. II. p. 240 (531) ὡς καὶ ὁ κρείττων ἡμῶν κατ' αὐτοῦ εἴρηκε. et p. 316 (596) ὡς καὶ ἤδη διὰ πολλῶν ἐξήλεγξέν σου τὴν μυθοποιίαν ὁ καλλίων ἡμῶν πρεσβύτης καὶ μακάριος ἀνήρ.

P. 326. sq. (175). καὶ εἶναι ταύτην .. Πυθαγορικὴν τετρακτύν, ἣν καὶ ῥίζαν τῶν πάντων καλοῦσιν] De translata voce ῥίζα cui illa, quae de ogdoade post paulo dicuntur: καὶ εἶναι ταύτην ἀρχέγονον ὀγδοάδα, ῥίζαν καὶ ὑπόστασιν πάντων. Summus aeon ἄναρχος ῥίζα vocatur p. 330 (177) = *Irenae.* Lib. I. cap. 2. §. 2. p. 10, 10. ubi *Grabius* not. 4. *Synesium* Hymn. II. 25. sq. III 171. sq. IV. 136. sq. et alios Patres Eccl. comparat, a quibus Deus Pater eadem *radicis* metaphora ornatur. Ex *Gnosticis Simonianis ante Valentinianos* summum numen ῥίζωμα τῶν ὅλων, rerumque principia, ex illo oriunda, ῥίζας vocarunt, teste *Theodoreto* Haeret. Fabul. Lib. I. p. 192. ed. Paris. Metaphoram vocis ῥίζωμα, veteribus philosophis usitatam, *Karsten.* Comment. in *Empedocl.* p. 180. sq. illustrat. *Valentini* exemplo *Marcus* ap. *Epiphan.* p. 440 (237) elementa rerum ῥίζας vocat. *Heracleo* p. 488 (264) εἰ ἡ μήτηρ ὑμῶν ἀγνοεῖ τὴν ἑαυτῆς ῥίζαν. p. 490 (264) τῆς ῥίζης καὶ τοῦ γένους τῆς μητρός. *Epiphanius* de *Manetis* haeresi T. II. p. 402 (619) ἐκ δύο ῥιζῶν ἢ ἀρχῶν ἐνεργεῖσθαι τὰ πάντα. p. 414 (626) ἀρχόντων τῆς ἀντικειμένης ἀρχῆς τε καὶ ῥίζης. *Epiphanius* ipse satis putide p. 492 (266) ἡ ἁμαρτία οὐκ ἔχουσα ἀρχὴν ῥίζης. Idem melius p. 424 (632) ἀνυπόστατον εὑρεθήσεται τὸ κακὸν καὶ μηδεμίαν ῥίζαν ἔχον. *Nicomach.* Harm. Manual. Lib. II. p. 41. ed. Meibom. ἡ .. πρώτη τετρακτύς, ἡ καὶ τῶν τετραχόρδων τούτων ῥίζα. Πηγὴ et ῥίζα coniuncta ap. *Gregor. Palam.* Orat. ed. Matthaei, p. 77. πηγὴ καὶ ῥίζα τῆς τοῦ γένους ἐλευθερίας. de S. Virgine, et p. 83. de eadem: αὕτη καταρχὴ καὶ πηγὴ καὶ ῥήζα (leg. ῥίζα) τῆς ἀποκειμένης ἡμῖν ἐν οὐρανοῖς ἐλπίδος. De coniunctis κρηπὶς et ῥίζα vid. Animadv. in *S. Basil.* I. p. 5.

P. 328 (176). οἱ τριάκοντα αἰῶνες ... οἱ σεσιγημένοι καὶ μὴ γινωσκόμενοι] Haec totidem verbis exstant apud *Irenae.* I. 1. p. 9, 1. ed. Grab. qui annot. 3. comparat *Synesium* Hymn. I. 75. τὰ δ' ἄνω σιγὰ καλύπτοι. et Hymn. II. 22. sq. τὰ πρόσω μάκαιρα σιγὰ | νοερῶν τε καὶ νοητῶν | ἄτομον τομὰν καλύπτει. quorum locorum priore ad normam posterioris καλύπτοι pro καλύπτοι rescribendum. Adde *Synes.* Hymn. IX. 59. sq. ἀγαθῶν ὅσα παγὰ, | σιγώμενος οὐρανός.

P. 330 (176). Τὸν μὲν οὖν προπάτορα αὐτῶν γινώσκεσθαι μόνῳ λέγουσι τῷ ἐξ αὐτοῦ γεγονότι Μονογενεῖ, τουτέστι τῷ Νῷ] Hisce et proximis apud *Irenae.* I. 2. p. 10, 1. *Grabius* apte adhibuit *Synesium* Hymn. V. 10. sq. (ubi pro olim vulgato εὐβλάστα hodie recte legunt σεῦ βλάστα) III. 123. sq.

P. 330 (177). ἐκ τοῦ ἐκπλήκτου ἐκείνου θαύματος] Alias ἐκ-

πληκτον Nostro est *quod in stuporem conicit*, v. c. p. 540 (295). T. II. p. 66 (433). 556 (710). T. III. p. 286 (968). 288 (969). 450 (1059). 455 (1062). 456 (1063), unde ἐκπλήκτως est *admirabiliter* T. III. p. 254 (950) ἐκ τοῦ ἐκπλήκτως γεννήσαντος. Hinc vero, ut T. III. p. 368 (1014), ἔκπληκτος idem valet ac Lat. *attonitus*. Sed fortasse legendum: ἐμπλήκτου, quum haec non sine temeritatis nota dicantur. Conf. superiora: πρόφασιν μὲν ἀγάπης, τόλμῃ δέ (male vulgo: τόλμης δέ), id est: *praetextu quidem amoris, reapse conatu temerario*.

P. 332 (177). τεκεῖν οὐσίαν ἄμορφον, οἵαν φύσιν εἶχε θῆλειαν τεκεῖν] Recte habet librorum omnium lectio: οἵαν ... τεκεῖν, neque est, quod de voce θῆλειαν in θῆλεια commutanda cogites. Nihil in hisce viderunt *Irenaei* et *Epiphanii* interpretes Latini. Tu verte: *qualem consentaneum erat feminam parere*, nimirum absque coniugis copulatione. Conf. ista in praegressis: p. 330 (177) ἄνευ τῆς ἐπιπλοκῆς τοῦ συζύγου τοῦ Θελητοῦ. et in seqq. p. 332 (178) καρπὸν ἀσθενῆ καὶ θῆλυν αὐτὸν λέγουσι. et p. 340 (182) ὥςπερ ἔκτρωμα. Interpretibus Latinis et *Massueto*, θῆλεια coniicienti, fraudi fuit formula φύσιν ἔχειν, quae nunc absolute ponitur et accusativum cum infinitivo secum habet, ut hoc loco, nunc ad subiectum refertur et infinitivum adsciscit. Videsis mea ad *Io. Glyc.* De Vera Synt. Rat. p. XXIX. Posterior structura obtinet ap. *Ptolemaeum Epiphanii* p 412 (222) τοῦ ἀγαθοῦ φύσιν ἔχοντος τὰ ὅμοια ἑαυτοῦ καὶ ὁμοούσια γεννᾶν καὶ προφέρειν. ubi interpres Lat. satis bene: *cum id bono insitum sit* cet. Melius tamen vertas: *quum bonum natura ita comparatum sit, ut* cet. — Ceterum οὐσία ἄμορφος est ὕλη. Conf. p. 332 (178) ἐντεῦθεν λέγουσι πρώτην ἀρχὴν ἐσχηκέναι τὴν οὐσίαν τῆς ὕλης ἐκ τῆς ἀγνοίας cet. ibid. φυσικήν τινα αἰῶνος ὁρμὴν τυγχάνουσαν, ἄμορφον δὲ καὶ ἀνείδεον διὰ τὸ μηδὲν καταλαβεῖν. et ista, de Achamothâ dicta p. 340 (182) ἔξω γὰρ φωτὸς ἐγένετο καὶ πληρώματος ἄμορφος καὶ ἀνείδεος, ὥςπερ ἔκτρωμα, διὰ τὸ μηδὲν κατειληφέναι. Fons non est quaerendus apud *Stoicos* (id quod miror visum *Rittero* Hist. Philos. T. V. p. 218), sed apud *Platonem* Tim. p. 50. D. ἄμορφον δὴ ἐκείνων ἁπασῶν τῶν ἰδεῶν, ὅσας μέλλει δέχεσθαι ποθεν. et p. 51. A. ἀνόρατον εἰδός τι καὶ ἄμορφον, πανδεχὲς, μεταλαμβάνον δὲ ἀπορώτατά πῃ τοῦ νοητοῦ. Indidem hausit auctor libri Sapient. XI. 17. ἡ παντοδύναμός σου χεὶρ κτίσασα τὸν κόσμον ἐξ ἀμόρφου ὕλης. *Olympiodorus* Comment. in *Plat.* Alcib. I. p. 232. ed. Creuz. τὸ δουλοπρεπὲς πρέπον (πρέπει Cod. Basil.) τῇ ὕλῃ, ὡς αἰσχρῶς καὶ ἀνειδέως. Ex cod. Basil. rescribe: ὡς αἰσχρᾷ καὶ ἀνειδέῳ. Vid. Animadv. in *S. Basil.* I. p. 9.

P. 332 (177). ἐγκαταγενομένην δὲ τοῖς πάθεσι λαβεῖν ἐπιστροφὴν καὶ ἐπὶ τὸν πατέρα ἀναδραμεῖν πειραθῆναι] Haec dicta sunt ex *Platonicorum* sententia de ἐπιστροφῇ et ἀνόδῳ ad Deum. De ἐπιστροφῇ rerum ad Deum *Proclus* et ante illum melius etiam *Dionysius Areopagita* exposuit, *Psellum* si audias Quaest. Phys. in Cram. Anecd. Paris. T. I. p. 347. Vid. *Procl.* Instit. Theol. Plat. cap. 31. p. 56. sq. ed. Creuzer. cuius conferatur annotatio p. 62. sq. et in *Plotin.* p. 9, *b.* sq. Adde mea in Scholiis ad Dissert. Plat. p. 168. 194. Huc pertinent, quae de Achamotha, Sapientiae filia, dicuntur p. 342 (183) ἐπισυμβεβηκέναι δ' αὐτῇ καὶ ἑτέραν διάθεσιν, τὴν τῆς ἐπιστροφῆς cet. et in seqq. ἐκ μὲν γὰρ τῆς ἐπιστροφῆς cet. De ἀνόδῳ ad Deum dixi in Basil. Plotinis. p. 38. Cum proximis: καὶ ἱκέτιν τοῦ πατρὸς γενέσθαι, conf. *Synes.* Hymn. III. 86. sq. Ἑλέαιρε, πάτερ, | κούραν ἱκέτιν cet.

P. 334 (178). καὶ οὐκ ἔστιν οὔτε ἰδεῖν οὔτε ἀκοῦσαι αὐτὸν ἢ διὰ μόνου τοῦ Μονογενοῦς γινώσκεται] Γινώσκεται delendum, quippe profectum ex glossemate eius, qui praegressa sic interpretaretur: καὶ διὰ μόνου τοῦ Μονογενοῦς γινώσκεται.

P. 336 (179). τοῖς συνιεῖν δυναμένοις] Ne quis συνιέναι legendum coniiciat, conf. p. 376 (203) ἀλλὰ ἄλλως ἄλλοις συνιεῖν. et vid. *Winer.* Grammat. Idiomat. Novi Test. p. 74.

P. 340 (182). τὴν Ἐνθύμησιν τῆς ἄνω Σοφίας, ἣν καὶ Ἀχαμὼθ καλοῦσιν, ... λέγουσιν ἐν σκιαῖς καὶ κενώματος τόποις ἐκβεβράσθαι κατὰ ἀνάγκην.] Istud ἐκβεβράσθαι attigerunt *Grabius* ad *Irenae.* I. 7. p. 19, 15. et *Beausobr.* Hist. Doctr. Manich. T. II. p. 161. not. 9. *Grabius* haec annotat: „Verbo ἐκβεβράσθαι vel simpliciter *eiectam* in loca umbrosa dicere voluerunt Enthymesin sive *explosam*, ut *Tertullianus* reddidit, vel potius significarunt eam ibi *aestuasse*, iuxta illud *Iuvenalis* Sat. X. 169. *Aestuat infelix angusto limine mundi.*“ Tu sic habeto, ἐκβράσσειν proprium esse tum eorum, qui vanno vel cribro paleas excutiunt (vid. *Ruhnken.* ad *Tim.* p. 64. *Matthaei.* ad *Nov. Test.* Tom. XI. p. 237. *Niclas.* ad *Geopon.* T. I. p. 241. sq. *Friedemann.* ad *Strabon.* ed. Tzchuk. T. VIII. p. 377), tum maris aestuantis, quod eiectamenta salo exspuit, ut cum *Apuleio* loquar. Vid. *Scip. Gentil.* ad *Apulei.* Apol. p. 182. ed. Hanov. *Bynkershoek.* Opp. P. I. p. 199, b. *Matthaei.* l. c. *Bernhardy.* ad *Dionys. Perieg.* p. 895. *Orell.* ad *Memnon.* p. 251. Deinde verbum, uti nostro loco, usurpatur de omni motu vehementiore, quo aliquid expellitur. *Hesych.* ἐκβρασθείη· — ἐκβληθείη, ἀποῤῥιφείη. ubi vid. *Albert.* Ceterum in illis, quae *Irenaeus* hoc loco et deinceps de Enthymesi sive Achamotha, a πληρώματι divino exclusa et in κένωμα expulsa, indeque per ἐπιστροφὴν emergere conante, ex Valentiniana doctrina refert, haud obscura deprehenduntur vestigia fabulae Platonicae de Amore, Pori et Peniae filio. Vide Scholia ad Dissertat. Plat. p. 141.

P. 344 (185). ἐξ ἀσωμάτου πάθους εἰς ἀσώματον τὴν ὕλην μεταβαλεῖν αὐτά] „Iren. ἐνσώματον.“ *Pet.* Recte; conf. p 346 (186) διακρίναντα ... τὰς δύο οὐσίας συγκεχυμένας καὶ ἐξ ἀσωμάτων σωματοποιήσαντα. cet.

P. 346 (185). τὸν πατέρα καὶ βασιλέα πάντων] Conf. quae paulo post sequuntur: συμπάντων δὲ βασιλέα. Dictio est Platonica. Conf. Cratyl. p. 396. A. ὁ ἄρχων τε καὶ βασιλεὺς τῶν πάντων. Epist. II. p. 312. E. περὶ τὸν πάντων βασιλέα cet. de quibus vid. annot. ad p. 48 (14). *Apulei.* Apolog. p. 69. T. II. Opp. ed. Bipont. *quisnam sit ille ... a Platone nuncupatus* βασιλεύς, *totius rerum naturae causa.* — Βασιλεύς vel μέγας βασιλεὺς deus etiam a scriptoribus ecclesiasticis nuncupatur. Confer *Asterium* et *Acacium* ap. *Epiphan.* T. III. p. 56 (838). 60 (841). De formula Platonica ὁ πατὴρ τῶν πάντων sive τῶν ὅλων monui ad p. 128 (58).

P. 348 (186). ὠῆσθαι] Ita edd. Basil. et Petav., ut post paulo, pessime. Μὴ νενοῆσθαι hoc loco cod. Venet.; sed debebat saltem scribi μὲν νενοῆσθαι. Tu utroque loco pro ὠῆσθαι (ita enim scribendum erat) repone: οἰήσασθαι, qua de forma vid. *Lobeck.* Parerg. ad *Phryn.* p. 719.

P. 348 (186). Αἰτίαν δ' αὐτῷ γεγονέναι τὴν μητέρα τῆς οἰήσεως ταύτης φάσκουσιν] Haec, de Demiurgo μυθικῶς dicta, aliquem colorem duxisse videntur ex iis, quae *Plato* Symp. p. 204. B. in fabula de Amore dicit: αἰτία δὲ αὐτῷ καὶ τούτων ἡ γένεσις. — Quod ne cui auda-

cius a me pronuntiatum videatur, conferri velim, quae de fabula illa, a *Valentinianis* ad partes vocata, annotavimus p. 340 (182).

P. 350 (187). Ὕστερον δὲ περιτεθεῖσθαι λέγουσιν αὐτῷ τὸν δερμάτινον χιτῶνα. Τοῦτο δὲ τὸ αἰσθητὸν σαρκίον εἶναι λέγουσι.] Secundum interpretationem allegoricam, a *Philone Iudaeo* inventam (vid. Paralipom. in Genes., ab Auchero ex lingua Armenica in Latinam versa p. 35. ed. Venet.), *Valentino* δερμάτινοι χιτῶνες ap. LXX. Genes. 3, 21. mortalia corpora sunt. Conf. *Galeard.* ad *Philastr.* De Haeres. cap. 117. *Grab.* ad *Irenae.* ed. Massuet. T. II. p. 189. *a. b. Matter.* Hist. Doctr. Gnost. T. I. p. 321 (qui tamen demiror quodnam *Plotini* fragmentum, quod ad rem faciat, ante oculos habuerit) et *Strauss.* Dogmat. T. I. p. 699. not. 31. In quaestionibus ad Orthodoxos, quarum auctor *Iustinus Martyr* fertur, eiusdem sententiae vestigia reperiuntur. Vid. *Gass.* in Ilgenii Diario Theol. Hist. a. 1842. Fasc. IV. p. 107. Eadem *Origenis* fuit sententia, quidquid *Galeardus* l. c. obloquitur. Vid. *Orig.* Opp. ed. Ruae. T. II. p. 29. *Method.* apud *Epiphan.* Opp. ed. Petav. T. I. p. 545. D. 546. A. sqq. 564. D. 565. D. sqq. et *Epiphan.* Opp. T I. p. 527. D. 591. C. 594. D. sqq., in Ancorato Opp. T. II. p. 65. et in Epist. ad Ioann. Hierosol. p. 314. D. sq. Conf. *Hoeschel.* ad *Phot.* Biblioth. p. 968, *a. Grab.* l. c. *Ruae.* ad *Orig.* Opp. T. I. p. 534. D. *Ang. Mai,* Collect. Nov. Vet. Script. T. VII. p. 83. *Strauss.* Dogmat. l. c. et *Thomas.* in Origene p. 191. Quid? quod vel ambo *Gregorii*, *Nyssenus* et *Nazianzenus*, hanc allegoriam suam fecerunt. De *Nysseno* vid. *Krabinger.* ad librum De Precat. p. 166. De *Nazianzeno* conf. Orat. XXXVIII. p. 670. E. T. I. Opp. ed. Maurin. (quem locum *Cedrenus* p. 7. C. respexit) et Carm. p. 172, B. T. II. Opp. ed. Bill. Atque horum auctoritate freti, alii scriptores eccles. formula δερμάτινοι χιτῶνες in declarando corpore mortali usi sunt, in his *Nicolaus Cabasilas*, de quo videsis *Theol. Stud. u. Kritik.* a. 1843. p. 736. ibique annot. Adde *Offic. Quadragesim.* ed. Quirin. p. 79. στολὴν θεοῦφαντον ἐξεδύθην ὁ τάλας . . . καὶ συκῆς φύλλα δὲ καὶ τοὺς δερματίνους νῦν χιτῶνας περιβέβλημαι. quae idem sibi volunt atque ista p. 80. τῆς νεκρώσεως τὴν δορὰν ὡς θνητὸς . . περιφέρω. Denique ne apud *Platonicos* quidem eius formulae exempla desunt. Conf. *Porphyr.* De Abstin. I. 31. p. 52. ibique Rhoer. — De voce σαρκίον conf. *Clem. Alex.* Strom. VI. p. 764. ed. Potter. ubi locutio ἐπιπροσθεῖσθαι σαρκίῳ. *Epiphan.* T. II. p. 680 (778) τὸ ὑμέτερον σαρκίον εἰληφα. Cum aliis nominibus deminutis hoc quoque ex Stoicorum loquendi usu ad Patres Eccl. transiit, quamquam Stoicis σαρκίδιον magis quam σαρκίον placuit. Vid. *Schweighaeuser.* Indic. Graecit. Epict. v. σαρκίδιον, et Animadv. in *S. Basil.* I. p. 31. De gemina voce Lat. *caruncula* conf. *Varro* in Andabata ap. *Priscian.* Gramm. VI. 3. p. 230. ed. Krehl. *sed quidvis potius homo, quam caruncula nostra. Arnob.* II. 76. *in carunculae huius folliculo constitutis.*

P. 350 (188). τὸ σαρκίον ἀπὸ τῆς ὕλης] Quod loco vulgati σαρκικὸν receptum est σαρκίον, idem valet ac τὸ αἰσθητὸν σαρκίον p. 350 (187), ubi vid. annot. Sed τὸ σαρκικὸν nuncupari videtur ὁ σαρκικὸς ἄνθρωπος, cui in proximis ὁ πνευματικὸς ἄνθρωπος opponitur. Sic p. 322 (172) τὸ σαρκικὸν id vocatur, quod carnis est in homine.

P. 360 (193). Ὅνπερ τρόπον εἴ τις . . μετενέγκοι . . καὶ μεθαρμόσοι καὶ ποιήσει . ., ἔπειτα διορίζοιτο cet.] Erit fortasse, qui ποιήσειε vel ποιήσοι scribi velit. Tu conf. T. II. p. 191. sq. (503) ὥσπερ γάρ τις . . τρέπηται . . ἐπιλάβοιτο, ἀγνοήσει δὲ . ., ἐπιτρέχοι δὲ cet.

ubi cl. editor legi iubet: ὥςπερ γὰρ εἴ τις cet. quae emendatio comparato nostro loco commendatur. De enallage modorum vid. *Matthiae.* Gramm. Gr. Ampl. §. 523. annot. 1.

P. 366 (197). οὕτως ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν Θεόν] Minus nota est ista, quae paulo post recurrit, discrepantia lectionis in loco ap. *Io. Ev.* I. 2. οὗτος ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν Θεόν.

P. 378 (203). Ἐπὶ τούτων . . . αὐτοῦ·] Haec per se interposita, neque τελείᾳ, sed μέσῃ a prioribus dirimenda sunt, ita ut proxima: ἀλλὰ οὐκ ἐν τῷ παρεπινοεῖν cet. ad praegressa p. 376 (202) ἀλλὰ ἐν τῷ . . . προςεπεξεργάζεσθαι cet. referantur.

P. 384 (207). ἑτέραν αἵρεσιν εἰςηγήσατο ἐχομένην τῆς προτέρας] Vulgo ἐχομένης: ἐχομένην *Oehlerus* de *Petavii* coniectura, recte, siquidem ἔχεσθαί τινος est *congruere cum aliqua re.* *Epiphan.* T. II. p. 674 (776) οὔτε προκοπῆς ἔχεται τὸ Θεῖον. Videsis mea ad *Io. Glyc.* De V. S. R. p. 60. sq.

P. 386 (208). τῷ ἰδίου χορηγῷ ἰοῦ] Τῷ ante ἰοῦ recte deletum; neque est, quod de τοῦ reponendo cogites. Nam praecedens ἰδίου articulum non admittit. Scribendum vero χορηγῷ pro vulg. χωρηγῷ. Sic χορηγὸς, quod recte scribitur T. II. p. 352 (593), χορηγία, χορηγεῖν et composita in χωρηγὸς, χωρηγία et χωρηγεῖν cet. depravata persaepe reperiuntur. Velut T. I. p. 314 (168) ἐπικεχορηγηκέναι primum in ἐπικεχωρηγηκέναι, deinde in ἐπικεχωρηκέναι abiit, quod habet cod. Ven., et τὸν ἐπιχωρηγὸν τῆς ἐπιδόσεως male vulgatur T. III. p. 248 (946), tametsi p. 250 (947) voces χορηγὸς et χορηγία recte scribantur. Vid. Animadv. in *S. Basil.* I. p. 168. et quae ad *Eliam Cret.* col. 822 (9). 858 (2) annotavi. De vocibus illis, translate et plerumque in meliorem partem usurpatis, vide *Creuzer.* in *Theol. Stud. u. Kritik.* a. 1832. p. 36. sq. meque Animadv. in *S. Basil* l. c. et annot. ad *Eliam Cret.* col. 822 (9). Adde *Meletium* in homilia ap. *Epiphan.* T. III. p. 126 (877) διὰ τῆς . . . ἐπιχορηγίας τοῦ πνεύματος. *Epiphanium* locis cit. et T. III. p. 262 (954) μὴ δυνάμενος ἐπιχορηγεῖν τῷ βουλήματι.

P. 392 (211). σὺν τῷ αὐτοῦ πατρί τε καὶ πρωτοστάτῃ τῆς αἱρέσεως Καρποκράτει] Magnopere fallor, aut loco vulgati πρωτοστάτῃ reponendum προστάτῃ. *Epiphan.* T. III. p. 68 (845) τῆς Ἡμιαρείων ταύτης τῆς (τῆς deleto) αἱρέσεως προστάται. Videsis mea ad *Eliam Cret.* col. 834 (8). Πρωτοστάτης, quod militare est vocabulum (vid. *Goeller.* ad *Thucyd.* VIII. 89.), nonnunquam pro προστάτης perperam positum reperitur, velut apud *Thucyd.* l. c., ubi *Goellerus* formulae ὁ προστάτης τοῦ δήμου, ab ipso ad *Thucyd.* I. 56. illustratae, immemor fuit. Verissima est *Leunclavii* emendatio, qui apud *Eliam Cret.* Comment. in *Gregor. Naz.* Cod. Basil. fol. 238. r. προστάτης pro πρωτοστάτης in istis rescripsit: (ὁ διάβολος) πρωτοστάτης τε τῆς περιγείου τάξεως καὶ τῆς γῆς τὴν φυλακὴν ἐγχειρισθεὶς παρὰ Θεοῦ. Neque tamen πρωτοστάτης nunquam translate usurpatur. Conf. Act. Apost. XXIV. 5. πρωτοστάτην . . τῆς τῶν Ναζωραίων αἱρέσεως. et vid. *Schleusner.* Lexic. in Nov. Test. T. II. p. 785.

P. 392 (211). ἐκ . . . τοῦ Πλάτωνος Πολιτειῶν πρόφασιν λαβών] Scribendum puto: ἐκ . . τῶν Πλάτωνος Πολιτειῶν. De plurali Πολιτεῖαι vid. *Schneider.* ad Civitat. T. I. p. 1. sq. Quid autem inter *Carpocratem* intersit et *Platonem*, qui coniuges communes esse voluit, pulcre vidit *Clemens Alex.* Strom. III. 2. p. 514. sq. ed. Potter. Platonis sententiam Noster ter inculcat, T. I. p. 20. T. III. p. 500 (1088) et Anaceph. p. 546 (132) ubi pro vulg.

ἀλλ' αὐτοὺς θέλοντας cl. *Oehlerus* recte ἀλλὰ τοὺς θ., sicut vulgatur T. I. p. 20. T. III. p. 500 (1088).

P. 392 (211). τὴν ἐπὶ λογισμὸν τῶν ἐπιτηδείων ἀσχολίαν δεδιότες.] Nollem τὸν ἐπιλογισμὸν in τὴν ἐπὶ λογισμὸν commutatum; scribendum saltem erat: τὴν περὶ τὸν λογισμὸν τῶν ἐπιτηδείων ἀσχολίαν δεδιότες. Recte vero *Petavius* locum corrigendum censuit ex *Clem. Alex.* Strom. III. 1. p. 509. ed. Potter. τὸν ἐπιλογισμὸν τοῦτον λαμβάνουσιν, τὴν περὶ τὸν πορισμὸν τῶν ἐπιτηδείων ἀσχολίαν δεδιότες. Scilicet librarius oscitans, gemina terminatione -ισμὸν deceptus, a voce ἐπιλογισμὸν ad alteram πορισμὸν aberravit, in medio posita neglexit.

P. 398 (215). ἐννοουμένην ἀεὶ τὸ τί προβαλέσθαι] Scribendum: τό τι προβαλέσθαι, quum structura verborum interrogationi repugnet.

P. 400 (216). Τὸν διὰ Μωϋσέως τεθέντα νόμον .. ὅτι μὴ πολλοὶ προκατελάβοντο cet.] Duplici mendo haec verba laborant; rescribendum: ὅτι μὲν πολλοὶ προκατεβάλοντο —. Ratiocinatio, hoc loco inchoata, longioribus ambagibus adstruitur et p. 402 (217) ita absolvitur: Οὗτοι μὲν οὖν ὡς διημαρτήκασι τῆς ἀληθείας δῆλόν σοί ἐστιν ἐκ τῶν εἰρημένων. Deinde *Ptolemaeus* ita pergit: Πεπόνθασι δὲ τοῦτο ἰδίως ἑκάτερος αὐτῶν cet. De verbo προκατεβάλοντο pro προκατελάβοντο reponendo dubitare nos non sinunt, quae apud *Ptolemaeum* insequuntur: μήτε τὸν θεμέλιον αὐτὸν ἐγνωκότες —. Προκαταβάλλεσθαι proprie dicitur, qui fundamentum praestruit, translate, qui rem fundamenti loco praestruit. Vid. *Fronto Ducaeus* ad *Io. Chrysost.* Homil. ed. Paris. 1609. Not. p. 42. a. (ad p. 185. D.)

P. 410 (221). Οὗτος δὲ δημιουργὸς καὶ ποιητὴς τοῦδε τοῦ παντός ἐστι κόσμου] Scribendum erat: παντὸς τοῦδε τοῦ κόσμου. Sed κόσμου delendum, quippe interpretamentum verborum τοῦδε τοῦ παντός. Conf. *Plato* Tim. p. 28. C. τὸν .. ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντός. *Irenae.* ap. *Epiphan.* p. 376 (202) ἄλλον θεὸν παρεπινοεῖν παρὰ τὸν δημιουργὸν καὶ ποιητὴν τοῦδε τοῦ παντός. et p. 468 (252) ἄλλον καταγγέλλοντα πατέρα παρὰ τὸν ποιητὴν τοῦδε τοῦ παντός.

P. 410 (222). ὑλικὸς γὰρ οὗτος καὶ πολυσχεδής.] Verissima est emendatio *Grabii*, qui πολυσχιδὴς pro vulg. πολυσχεδὴς scribi iussit. De voce πολυσχιδὴς, fere semper in πολυσχεδὴς depravata, monui ad *Eliam Cret.* col. 812 (8). Vitiatae vocis haec exempla adiicio: *Epiphan.* T. III. p. 482 (1078) τὰ .. πολυειδῆ καὶ πολύτροπα καὶ πολυσχεδῆ (leg. πολυσχιδῆ) ... διδάγματα. *Theodoret.* Hist. Eccl. IV. 29. τούς τε πολυσχεδεῖς (leg. πολυσχιδεῖς) τῶν Ἑλλήνων διήλεγξε πλάνους. Rarior forma πολύσχιδος exstat apud *Epiphan.* T. II. p. 730 (807) τὴν Ὕδραν, τὴν ἑπτακέφαλον καὶ πολύσχιδον.

P. 410 sq. (222). φῶς αὐτὸ ὄν, ἁπλοῦν τε καὶ μονοειδές.] Αὐτὸ ὂν ex codd. Venet. et Vatic. loco vulgati αὐτοὸν receptum nollem. Tu vide *Creuzer.* ad *Procl.* Instit. Theol. Plat. p. 190 (4). Qui apud *Euseb.* Laud. Constant. cap. XII. αὐτὸ ἀγαθὸν quam αὐτοαγαθὸν scribi malebat *Valesius*, apud eundem cap. XIV. αὐτοζωὴ et αὐτοφῶς pro vulgatis αὐτὸ ζωὴ et αὐτὸ φῶς scribendum esse censuit, idque fecit *Heinichen.* p. 480. qui c. XII. p. 462. l. c. scripturam ὑφ' ἓν recte tuitus est, quamquam αὐτοάγαθον et αὐτόφως scribere eum oportebat. De vocabulis, cum αὐτὸς more Platonicorum compositis, monui ad *Eliam Cret.* col. 814 (10). sq. 873 (5). Ex *Epiphanio* conf. T. II. p. 716 (799) τὸ αὐτοδεδοξασμένον καὶ αὐτοτέλειον. T. III. p. 56 (838) εἰ οὐσίας ἐστὶν εἰκών, οὐ δύναται αὐτοουσία εἶναι· καὶ εἰ βουλῆς ἐστιν εἰκών, οὐκέτι

αὐτοβουλὴ εἶναι δύναται. quae sunt *Marcelli Ancyrani*. *Acacius* contra eandem voces αὐτοδύναμις, αὐτοδόξα, αὐτοβουλὴ, αὐτοούσιον et αὐτουσία cumulat ap. *Epiphan.* T. III. p. 58 (840). 60 (840. 841. ubi αὐτοδοξίαν pro αὐτοδέξαν male vulgo scribitur). 62 (841). Voce αὐτουσία etiam *Aëtius* utitur ap. *Epiph.* T. III. p. 214 (927), ubi ante Oehlerum male legebatur αὐτὸ οὐσία, et p. 268 (958). Accedant ex *Epiphanio* αὐτόθεος T. III. p. 238 (939); αὐτοάγαθος (quod p 274. 961. αὐτοαγαθὸς male scribitur), αὐτοαγαθότης, αὐτοουσία, αὐτοδόξα, αὐτοαρετὴ, αὐτόθαῦμα, αὐτοϋμνηγορία p. 270 (959); αὐτοαόργητος, αὐτοαγέννητος p. 274 (961); αὐτοαίσθησις et αὐτοθέλημα p. 278 (963); αὐτοσύνεσις et αὐτοσοφία p. 386 (1024); αὐτόνους et αὐτόφως p. 396 (1029) ubi supra allata αὐτοτέλειος, αὐτόθεος et αὐτοδύναμις recurrunt.

P. 434 (234). ἅτε ὑπὸ κενοῦ τεθερμαμμένη πνεύματος] Τεθερμαμένη ed. Basil., τεθερμασμένη Petav. Tu cum scriptura codicis Vatic. τεθερμαμμένη confer p. 70 (26) μεμιαμμένοι, quae est scriptura editionis Bas., a Petavio in μεμιασμένοι temere mutata. p. 174 (85) τοῖς μεμιαμμένοις. p. 536 (292) et T. II. p. 580 (695) ἐξηραμμένοις. p. 560 (718) πεπικραμμένοις. p. 574 (720) κεχραμμένοι. Vid. *Buttmann.* Gramm. Gr. Ampl. §. 101. annot. 14. et conf. annot. in T. II. p. 660 (768).

P. 436 (236). Ὦ πάρεδρε θεοῦ καὶ μυστικῆς πρὸ αἰῶνος Σιγῆς, ἣν τὰ μεγέθη διαπαντὸς βλέποντα τὸ πρόσωπον τοῦ πατρὸς ὁδηγῷ σοι καὶ προσαγωγεῖ χρώμενα ἀνασπῶσιν ἄνω τὰς αὐτῶν μορφὰς, ἃς ἡ μεγαλότολμος ἐκείνη φαντασιασθεῖσα διὰ τὸ ἀγαθὸν τοῦ προπάτορος προεβάλετο ἡμᾶς τὰς εἰκόνας, τότε ἐνθύμιον τῶν ἄνω ὡς ἐνύπνιον ἔχουσα, ἰδοὺ ὁ κριτὴς ἐγγὺς cet.] Locus multifariam corruptus est. Ac primum quidem legendum: Ὦ πάρεδρε θεοῦ καὶ μυστικὴ, προαιώνιε Σιγή. Quae enim hoc loco compellatur μήτηρ, est Σιγή, quae θεοῦ, id est Βυθοῦ, πάρεδρος recte nuncupatur. Conf. *Irenae.* contra *Valentinianos* ap. *Epiphan.* p. 326 (175) τῇ συνεπαρχούσῃ ἑαυτῷ Σιγῇ. *Epiphan.* contra *Secundianos* p. 396 (214) Σιγὴν δὲ πάλιν ἄλλοι συνεννέτιν αὐτῷ προσάπτουσιν. Similiter Graeci Δίκην Iovis πάρεδρον finxerunt. Vid. Schol. ad Dissert. Plat. p. 103. Μυστικὴ hoc loco Σιγὴ audit, quae p. 442 (239) σιωπωμένη vocatur. Conf. annot. ad p. 308 (165). Deinde pro vulgato πρὸ αἰῶνος Vet. *Irenaei* Interpr.: *pro aeonon*, cod. Paris. προαιῶνος, quae scriptura, licet mendosa, tamen ad genuinam προαιώνιε propius accedit. Vocem προαιώνιος habes in expositione fidei *Marcelli* ap. *Epiphan.* T. III. p. 66 (843). Porro in verbis: ἣν τὰ μεγέθη διαπαντὸς βλέποντα τὸ πρόσωπον τοῦ πατρὸς, postrema: τὸ πρόσωπον τοῦ πατρὸς, delenda sunt; nam structuram turbant et videntur a sciolo temere illata esse ex *Matth.* XVIII. 10. οἱ ἄγγελοι αὐτῶν ἐν οὐρανοῖς διὰ παντὸς βλέπουσι τὸ πρόσωπον τοῦ πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς. quibus verbis, ab *Irenaeo* p. 440 (237) ad partes vocatis, *Marcosii* ita abusi sunt, ut Deo Σιγὴν, angelis μεγέθη, id est *potestates divinas* (vid. annot. ad p. 314, 168), substituerent. Denique illa: τότε ἐνθύμιον τῶν ἄνω ὡς ἐνύπνιον ἔχουσα, sic sunt refingenda: (ἡμᾶς τὰς εἰκόνας) τό γε ἐνθύμιον τῶν ἄνω ὡς ἐνύπνιον ἐχούσας. Nam εἰκόνες, id est animae, simulacrorum instar a Σιγῇ effictae, rerum coelestium aliquam saltem cogitationem velut somnium animo concipere (id quod in Σιγὴν minime cadit) recte dicuntur. De imperfecta rerum divinarum cognitione *Plato* et *Platonici* similiter loquuntur.

P. 436 (236). αὐτοὺς εἰς τὸν νυμφῶνα εἰσήγαγε καὶ ἀπέδωκε τοῖς ἑαυτῶν νυμφίοις.] Haec detorta ex *Matth.* XXII. 11. sqq.

Vid. quae ad *Nicol. Cabasil.* περὶ τῆς ἐν Χριστῷ ζωῆς in *Theol. Stud. u. Kritik.* a. 1843. p. 732 (12) annotavi.

P. 444 (239). ἀποῤῥοίας .. τῶν τριῶν δυνάμεων εἰκονικάς] Post paulo: τῶν .. ὕπερθεν τὴν ἀπόῤῥοιαν. et p. 462 (249) τῇ καταπεμπούσῃ τὴν ἀπόῤῥοιαν δυνάμει. sicuti Vet Interpr. *Irenaei* pro vulg. δύναμιν legit. Ecce tibi rerum divinarum ἀποῤῥοίας, *Platonicis* decantatas. Verbi causa conf. *Procl.* Comment. in *Alcib. I.* p. 69. 71. ed. Creuzer.

P. 444 (240). ὧν στοιχείων εἰκόνες εἰκόνων τὰ παρ' ἡμῖν διπλᾶ γράμματα ὑπάρχειν] Ut εἰκόνας pro εἰκόνες rescribatur, structura flagitat, quae gemina est illis ap. *Plat.* Phaed. p. 110. B. ὧν καὶ τὰ ἐνθάδε εἶναι χρώματα ὥςπερ δείγματα. et p. 110. D. ὧν καὶ τὰ ἐνθάδε λιθίδια εἶναι ταῦτα τὰ ἀγαπώμενα μέρια.

P. 452 (243) δυνάμεις ... ἀποῤῥυεῖσαι] Sermo est de divinis potestatibus sive mentibus (vid. annot. ad p. 18, 14.), quae ad haec citeriora defluxerunt. Similiter, id est Platonice, *Synesius* loquitur Hymn. I. 69. sq. (παίδων) ἀπὸ κέντρου τε θορόντων, | περὶ κέντρον τε ῥυέντων. Ἀποῤῥέω posterioris aetatis scriptoribus Platonicis usitatum est in declaranda animarum πτεροῤῥυήσει. *Origenes* De Princip. I. 8. 4. p. 76. *a.* A. ed. Rnae. ἡ ψυχὴ ἀποῤῥέουσα τοῦ καλοῦ καὶ τῇ κακίᾳ προσκλιναμένη —. Vid. Animadv. in *S. Basil.* I. p. 158. sq. ubi Lat. *defluere* comparavi.

P. 452 (244). τοῦ δὲ Ἀνθρώπου τὴν δύναμιν τοῦ Ὑψίστου] Haec verba, quippe ex praegressis suspensa, nonnisi ὑποστιγμῇ ab illis separanda sunt. Μέσῃ autem praefigenda proximis: τὸν δὲ τῆς Ἐκκλησίας τόπον ἡ Πάρθενος ἐπέδειξεν. ubi loco vulgati ἐπέδειξεν repono ἐπεῖχεν. Ἔδειξεν codd. Rhedig. et Paris., quae scriptura ad genuinam propius accedit. Formula τόπον τινὸς ἐπέχειν, quae ap. *Iustin. Mart.* De Resurrect. §. 7. bis exstat, respondet praegressae: τόπον τινὸς ἀναπεπληρωκέναι. Geminae sunt locutiones λόγον vel τύπον τινὸς ἐπέχειν. Vid. Animadvers. in *S. Basil.* I. p. 54. 135. Posterior exstat in Aëtianis ap. *Epiphan.* T. III. p. 212 (926) τοῦ ἀνομοίου μέρους ἐπὶ θεοῦ βλασφημίας τύπον ... ἐπέχοντος. p. 250 (948). 252 (948. 949). Neque multum differunt τρόπον — τάξιν τινὸς ἐπέχειν (vid. *Lobeck.* ad *Phrynich.* p. 366), quorum posterius exstat T. III. p. 244 (944).

P. 460 (248). Καθάπερ οἱ εἰς φρενίτιδα διάθεσιν ἐμπεσόντες cet.] Haec verba ab insequentibus: ὁμοίως δὲ cet., quibus apodosis continetur, nonnisi μέσῃ στιγμῇ dirimenda sunt.

P. 462 (249) — 464 (250). Πρὸς δὲ τούτοις θελήσαντά φασι τὸν δημιουργὸν τῆς ἄνω ὀγδοάδος τὸ ἀπέραντον καὶ αἰώνιον καὶ ἀόριστον καὶ ἄχρονον μιμήσασθαι, καὶ μὴ δυνηθέντα τὸ μόνιμον αὐτῆς καὶ ἄῤῥιζον ἐκτυπῶσαι διὰ τὸ καρκὸν εἶναι ὑστερήματος, εἰς χρόνους καὶ καιροὺς ἀριθμούς τε πολυετεῖς τὸ αἰώνιον αὐτῆς κατατεθεῖσθαι, οἰόμενον ἐν τῷ πλήθει τῶν χρόνων μιμήσασθαι αὐτῆς τὸ ἀπέραντον.] Tempus imaginem aeternitatis esse, *Marcosii*, *Platone* auctore, docuerunt. Vid. Tim. p. 37. D. ibique *Stallbaum.* p. 159. Adde *Plutarch.* De Def. Orac. cap. 22. Eodem illud pertinet, quod ap. *Herm. Trismeg.* ed. Turneb. p. 52. 57. hi rerum gradus ponuntur: θεός, αἰών, κόσμος, χρόνος.

P. 466 (251). ἀρσενόθηλυν ἄνθρωπον] *Marcositis*, hominem ἀνδρόγυνον antiquitus fuisse docentibus, fortasse obversatum est *Platonis* figmentum Symp. p. 189. E.

P. 470 (258). εὐσυνιέντας] Ita edd. Basil. et Petav.; sed scribendum εὖ συνιέντας. In usu quidem est εὐσύνετος: sed inauditum est verbum εὐσυνιέναι. Sic εὐφρονούντων T. II. p. 686 (782) melius scribetur εὖ φρονούντων, quum εὔφρων fere sit *hilaris*, non *prudens*. Idem mendum in *Didymo Alex.* correxi Animadv. in *S. Basil.* p. 73. Vid. *Krabinger.* ad *Gregor. Nyss.* De Precat. p. 144. Εὐπράσσειν, quod *Lobeck.* Parerg. ad *Phrynich.* p. 623. respuit, corrigendum ap. *Ignat.* Epist. ad Smyrn. 11. Vid. *Sylburg.* Not. in *Clearch.* p. 455. 553. Contra recte habet εὐνοεῖν, *mihi ingenio esse*, ab εὔνους formatum, ap. *Epiph.* T. II. p. 170 (491). Εὐπαθεῖν in εὖ παθεῖν male divisum ap. *Plotin.* p. 454. B. ed. Creuzer. notavi Basil. Plotiniz. p. 34. Videsis etiam Supplem. Annal. Philol. Vol. X. Fasc. II. p. 170.

P. 474. sq. (256). Τὸ γὰρ μύρον τοῦτο τύπον τῆς ὑπὲρ τὰ ὅλα εὐωδίας εἶναι λέγουσιν.] De officio μύρου rectae fidei scriptores mystici similiter loquuntur. Vid. quae annotavi ad *Nicol. Cabasil.* περὶ τῆς ἐν Χριστῷ ζωῆς, in *Theol. Stud. u. Kritik.* a. 1843. p. 731. sq.

P. 478 (258). ἕτερα πάλιν παρὰ τούτους ἐνοχλεῖν τῷ κόσμῳ κέντρων δίκην ἐπενόησε] Παρὰ τούτους optime rescriptum pro vulgato παρὰ τούτοις: ἑτέρᾳ tamen pro ἕτερα scribi nolim. Tu conf. p. 430 (232) ἕτερα παρὰ τούτους τολμήσας. p. 486 (263) ἕτερα ὑπειςφέρων παρὰ τὴν τῶν διδασκάλων αὐτοῦ ματαιοπονίαν. p. 490 (264) ἕκαστος αὐτῶν ἕτερα παρὰ τὸν ἕτερον νομοθετεῖ. al. Si quid praeterea nostro loco immutandum, ἐνοχλῶν pro ἐνοχλεῖν scribi malim.

P. 484 (261). τοῖς τὰ ... πολύφημα ἐπινοοῦσιν] Παλίμφημα *Petavius* docte coniecit. Conf. *Method.* ap. *Epiphan.* T. II. p. 332 (581) ἐπινοήσεις ... ἀναπλεούσας ἄνω καὶ κάτω καὶ ὁμιλούσας παλίμφημα. Sed πολύφημα, opinor, idem valet, quod in praegressis πολύκομπα.

P. 486 (263). τὴν δευτέραν μητέρα τὴν ἐν λήθῃ γενομένην] Hisce de Achamotha dictis respicitur Platonica sententia de oblivione rerum coelestium, quam animae in terram delapsae patiantur. Vide Phaedr. p. 248. C. ibique *Ast.* Annot. p. 424. Adde *Procl.* Hymn. II. 6. III. 8. *Synes.* Hymn. I. 96. III. 659. qui Λήθης apud inferos flumen in hanc sententiam interpretati sunt.

P. 488 (264). φασίν] Φησὶν in φασὶν commutatum nollem, quamquam ἐγκελεύονται praecedit. Adsolet enim Noster in enarrandis haereticorum placitis φησὶν et φασὶν promiscue ponere. Conf. v. c. p. 500. sq. (271) φασὶ γὰρ καὶ οὗτοι· — —, φησὶν, — —, οὗτός φησιν. T. III. p. 24 (821) Εἴ γε — δεικνύουσι — φάσκοντες —, φησὶ, —. Τινὲς δὲ — ὁρίζονται —, φησὶ, —. p. 388 (1025) Φέρουσι —, φησὶ, —, φασὶν, —. Quocirca, libris invitis, non magis quam nostro loco quidquam mutandum p. 94 (39). 104 (46). 162 (78). 164 (80). 502 (272). 512 (278). 522 (284). 540 (295). T. II. p. 152 (481). 314 (572). al.; imo vero φησὶ ex libris mss. pro vulg. φασὶ recipiendum T. II. p. 608 (738). 642 (757. bis). al., id quod cl. editor nonnullis locis fecit, ut T. II. p. 666 (770). 686 (782). al. Vide *Casaubon.* Exercit. ad Annal. Eccl. Baron. II. p. 136, *a. Boissonad.* ad Anecdot. Gr. T. IV. p. 386. meque Animadv. in *S. Basil.* I. p. 8. et Symbol. in *Epiph.* T. I. p. 94 (39).

P. 490 (265). πόθεν δὲ ὁ δημιουργὸς ... τῇ ὕλῃ μᾶλλον ἠθέλησεν ἐγκαταδῆσαι τὴν ἑαυτοῦ δύναμιν;] Conf. illa in proximis: πότερον μισῶν τὴν ψυχὴν κατέδησεν αὐτὴν τῇ ὕλῃ —; In eadem re *Plato* verba ἐνδεῖν et συνδεῖν usurpat Tim. p. 43. A. 73. B. unde scriptores Platonici Deum

τὸν συνθήσαντα nuncupant. Vid. Annal. Philolog. et Paedag. Supplem. T. XI. Fasc. III. p. 362 (1).

P. 492 (265). Ἐνεπάγην εἰς ὕλην βυθοῦ] *Epiphanium* suo in codice ὕλην pro ἰλὺν mendose scriptum reperisse, *Petavius* scite monuit. Potuit autem ἰλὺν eo facilius in ὕλην commutari, quod alias ὕλη reapse ἰλὺς vocatur. Vid. annot. in *Eliam Cret.* col. 761 (3).

P. 500 (270). Ταύτην γάρ φασι τὴν Προύνεικον κατελη-λυθέναι εἰς τὰ ὕδατα καὶ μιχθῆναι αὐτοῖς καὶ μὴ δεδυ-νῆσθαι εἰς τὰ ἄνω χωρεῖν διὰ τὸ μεμίχθαι τῷ βάρει τῆς ὕλης, ἐπιμεμίχθαι δὲ αὐτὴν τοῖς ὕδασι καὶ τῇ ὕλῃ καὶ μηκέτι δυνηθῆναι ἀναχωρεῖν.] Horum verborum postrema: ἐπιμε-μίχθαι — ἀναχωρεῖν, censeo esse delenda, quippe quibus praegressa putide repetantur. Quod autem ὕδατα et ὕλη apud *Ophitas* idem valent, in hac re illi Platonicum secuti sunt loquendi usum. Vid. Basil. Plotiniz. p. 20. sq. Ex Platonica de ὕλῃ doctrina item hausta sunt, quae p. 500 (271) exstant: πρὸς τὴν ὑποστάθμην τῆς ὕλης. Vid. *Plat.* Phaed. p. 109. B. ibique *Wyttenbach.* Annot. p. 290. sq. ed. Lips. praeterea *Krabinger.* ad *Gregor. Nyss.* De Precat. p. 153. Adde *Herm. Trismeg.* ed. Turneb. p. 54. In eodem argumento τρύξ, τρυγία et τρυ-γώδης usurpari solent. Vid. *Valentin.* in *Grabii* Spicil. PP. T. II. p. 57. *Iulian.* Orat. V. p. 170. D. *Gregor. Nyss.* De Precat. ed. Krabing. p. 76, 20. *Synes.* Hymn. III. 322. Quid? quod etiam illa apud Nostrum sunt Platonica: διὰ τὸ μεμίχθαι τῷ βάρει τῆς ὕλης. et quae post paulo sequuntur: διὰ τὸ βαρεῖσθαι ἐκ τῆς ὕλης ἧς προσέλαβε. Corpori enim et rebus corporeis vim animas prae-gravantem inesse *Plato* vult, Phaedr. p. 247. B. (ubi vid. *Ast.* Annot. p. 412) 248. C. Phaed. p. 81. C. Cuius sententiae plurima vestigia etiam apud Patres Eccl. reperiuntur. Verbi causa conf. *Epiphan.* T. III. p. 384 (1022) ὄγκου καὶ βάρους τῆς σαρκὸς ὑπαρχούσης, οὐ βάρει συνέχεται. p. 384 (1023) οὐκ ἀπὸ τοῦ ὄγκου πιεζόμενος.

P. 500 (271). ἀναχύφειν] Ita edd. Basil. et Petav., quae forma no-tanda, non corrigenda est. Vid. *Lobeck.* ad *Phrynich.* p. 318. Alias in hoc argumento ἀναχύπτειν Platonice usurpatur. Vid. Animadv. in *S. Basil.* I. p. 77.

P. 500 (271). Καὶ τότε, φησίν, ἔστηὁ ἄνθρωπος ἐπὶ τοὺς πόδας καὶ ὑπερβέβηκε τῇ διανοίᾳ τοὺς ὀκτὼ οὐρανούς] Id quod in homine divinum insit, erectae eius staturae causam esse, *Plato* docet Tim. p. 90. A. B. Qua de maiestate corporis humani vid. *Stallbaum.* ad Tim. p. 360. meque annot. ad *Eliam Cret.* col. 787 (1).. Illa: ὑπερβέβηκε τῇ διανοίᾳ τοὺς ὀκτὼ οὐρανούς, significant mentis pernicitatem in perscrutandis re-bus coelestibus. Quo de argumento, veteribus scriptoribus celebrato, conf. *Plato* Theaet. p. 174. E. *Aristot.* De Mundo cap. 1. §. 2. *Cic.* Tusc. V. 39. *Ho-rat.* Od. I. 28, 5. Epist. I. 12, 13. *Maxim. Tyr.* Dissert. XXII. 6. XXXVIII. 3. *Themist.* Orat. XXIV. p. 307. D. *Herm. Trismeg.* ap. *Stob.* Eclog. Lib. I. cap. 50. nr. 8. *Basil. M.* Homil. I. De Struct. Hom. cap. 13. p. 328. F. Opp. ed. Garn. T. I. *Theodoret.* De Provid. Orat. V. p. 553. ed. Schulz. et quos *Gataker.* ad *M. Anton.* XI. 1. laudavit. — Mox pessime vulgo εἰδέαν pro ἰδέαν.

P. 504 (273). ἀλιτεύοντες] Hoc nollem receptum loco vulgati ἀληθεύ-οντες. *Epiphanius* enim *Ophitas*, quum rerum divinarum ignorantiam pro scientia habeant, in eo *veraces esse* concedit, quod scientiae nomine errorem suum et ignorantiam declarent.

P. 508 (275). πῶς ἂν ἔχωμεν ... μιμήσασθαι ..;] Ἔχομεν rescribendum pro ἔχωμεν, quod habent edd. Basil. et Petav.

P. 510 (276). Καὶ ἄλλα τινὰ συγγράμματα ὡςαύτως πλάττονται κατὰ τῆς Ὑστέρας, ἣν Ὑστέραν τὸν ποιητὴν τοῦ παντὸς τούτου τοῦ κύτους, οὐρανοῦ τε καὶ γῆς, καλοῦσι.] De priore τοῦ delendo monui annot. ad p. 20. ubi vocem κύτος, ad mundum translatam, illustravi. Ὑστέραν *Petavius* in versione Latina *Uterum* interpretatur. Malim *matricem*, quemadmodum alii materiam quasi *matricem* quandam omnium rerum esse volnerunt. Vid. *Fabric.* ad *Philastr.* De Haeres. cap. 95. Fortasse tamen *Ophitae* τὴν Ὑστέραν intellexerunt τὴν ὑστέραν δύναμιν, quae ἡ ἀσθενεστέρα δύναμις supra vocatur. Certe alii τὸ ὑστέρημα et τὴν ὑστέραν δύναμιν in eadem re usurparunt. Vid. annot. ad p. 128 (58).

P. 512 (277). καὶ ἀκηκοέναι ἄῤῥητα ῥήματα] Quae verba Apostolus II Corinth. 12. 4. de mysteriis divinis sibi audita commemorat, isti spurcitiarum magistri interpretati sunt tanquam prolata de praepostera ac nefanda Venere. Hanc enim Graeci ἄῤῥητα vocare solent. Vid. *Courier.* ad *Lucian.* Asin. p. 270. Est etiam, ubi vox ἀπόῤῥητος in eadem re ponitur. *Philostr.* Vit. Apollon. V. p. 198. ed. Olear. τὰς ἐπιῤῥήτους (leg. ἀποῤῥήτους) ἡδονὰς ἐξ ἁπάσης οἰκίας ἐκλέγοντος τοῦ Νέρωνος. Ex illo, quem dixi, usu vocis ἄῤῥητος facinus nefandae Veneris ἀῤῥητοποιία nuncupatur, et qui illud perpetrant, ἀῤῥητοποιεῖν dicuntur. Sic Noster paulo antea συνταγμάτιον ... ἀῤῥητουργίας ἔμπλεων libellum vocat, qui plenus est praeceptorum de flagitiis eiusmodi. Idem de *Origenianis* T. II. p. 6 (398) ἀῤῥητοποιοῦντες καὶ τὰ ἑαυτῶν σώματα φθορᾷ παραδιδόντες. quae in Anaceph. T. III. p. 570 (146) totidem verbis scripta exstant. Vid. *Meric. Casaubon.* ad *Diog. Laërt.* p. 8, b. ed. Londin. et Interpretes *Theophili* ad Autolyc. III. 3. p. 275. sq. ed. Wolf.

P. 538 (293). Ὁ γὰρ συνετὸς ἄνθρωπος οὐδαμόθεν ζημιοῦται, ἀλλ' ἢ πανταχόθεν κερδαίνει·] Ἀλλὰ pro ἀλλ' ἢ repono; nam oppositionem, non exceptionem sententia flagitat.

P. 554 (302). ἐξεοῦται τῆς ἐκκλησίας] Soloecum est ἐξεοῦται, quod habent edd. Basil. et Petav.; neque tamen quidquam mutandum. Scilicet Graeculi, decepti ἐξωθεῖν verbi aoristo act. ἔωσα et perfecto pass. ἔωσμαι — ἐῶσθαι (cf. ἐξεῶσθαι T. II. p. 114, 459. T. III. p. 564, 143), monstrum verbi ἐξεοῦν commenti sunt. Soloeca forma ἐξεοῦται recurrit T. II. p. 574 (720). Eiusdem farinae sunt ἐξεοῖ, pro ἐξωθεῖ, T. II. p. 574 (720). 592 (729); ἐξεοῦσι, pro ἐξωθοῦσι, T. III. p. 10 (812). 134 (882); ἐξεῶσαι, pro ἐξῶσαι, T. II. p. 586 (726); ἐξεώσθη, pro ἐξεώσθη, T. II. p. 586 (726). T. III. p. 12 (814).

P. 692 (380). παρὰ θεῷ τῷ ὄντως] Exspectaveris: παρὰ τῷ ὄντως θεῷ. Conf. T. II. p. 64 (432) ἀπὸ τῆς ὄντως αὐτοῦ γαμετῆς πρώτης. T. III. p. 88 (856) ἐπὶ τὴν ... ἐξ αὐτοῦ ἀπαθῶς γνησιότητα. p. 342 (1000) ἐκ τῆς τέλεον σιωπῆς. Sed scribendum: παρὰ θεῷ τῷ ὄντως ὄντι. Conf. p. 148 (70) τὸν ὄντως ὄντα θεόν. T. III. p. 406 (1035) θεὸν ... τὸν μὲν ὄντως ὄντα ἀρνούμενοι.

P. 706 (388). διαμφές] Nihili vox exstat in edd. Basil. et Petav.; ut scribe: διαμφίς.

P. 710 (391). αἰῶνάς τινας κατὰ τοὺς μύθους Οὐαλεντίνου καὶ ἀρχάς τινας καὶ προβολὰς καὶ αὐτὸς εἰςηγήσατο.] Vid. *Fabric.* ad haec *Philastri* de *Tatiano* verba De Haeres. cap. 48: *dicens eos*

nas quosdam de coelo fuisse prolatos. De aeonibus ad p. 308 (164), de προβολαῖς ad p. 146 (69) dixi.

P. 714. sq. (394). Ἐξελθὼν γὰρ ἐκ τοῦ παραδείσου cet.] Conf. Nonn. Paraphr. Evang. Ioann. cap. XIX. vers. 93. 94. et *Nans.* Not. p. 212. Hanc fabulam, quae explicando Calvariae nomini a sciolo excogitata est, posterioris aetatis scriptores varie exornarunt, in his auctor descriptionis Hierosolymorum, quae, veteri lingua francogallica conscripta, inter codices manu scriptos Bibliothecae Bernensis exstat. Cuius rei notitiam debeo *Conr. Hoffmanno*, Monacensi, viro clarissimo mihique amicissimo.

Ceterum haud ab re fuerit hoc loco lectores monere, mihi has Symbolas elaboranti *Oehleri* Addenda et Corrigenda, id est pleniorem codicis Veneti collationem, nonnisi usque ad p. 608. = Tom. I. p. 256, lin. 23. (p. 134. Pet.) ad manum fuisse.

Tom. II. p. 18 (405). Ἰδού, ἄνθρωπος ὡσεὶ λύρα, κἀγὼ ἵπταμαι ὡσεὶ πλῆκτρον·] Speciosa est emendatio *Gatakeri*, qui ἅπτομαι loco vulgati ἵπταμαι reponi iussit. *Plat.* Leg. VIII. p. 809. E. λύρας .. ἅψασθαι. Idem *Gatakerus* post paulo, p. 19 (406), ubi huc respicitur, ἐφάπτομαι pro ἐφίπταμαι scribendum esse vidit. Ac fortasse etiam nostro loco ἐφάπτομαι scribendum; quo conducere videtur scriptura ἐφίπταμαι codicis Ven., qui infra ἐφίσταμαι pro ἐφίπταμαι habet. *Montanus*, qui Spiritus sanctus haberi vellet, se cum plectro comparavit, quod animos hominum tanquam lyram percutiat. Conf. p. 19 (406) Πλήσσω. Plectri autem et lyrae vel citharae similitudo apud Patres Eccles. solemnis est in argumento de inspiratione divina. Conf. *Clem. Alex.* Protrept. p. 5. ed. Potter. ubi ὁ τοῦ θεοῦ λόγος hominem ita alloquitur: σὺ γὰρ εἶ κιθάρα καὶ αὐλὸς .. ἐμοί. *Offic. Quadragesim.* ed. Quirin. p. 121. *inspiratus a Deo* λύρα ὄντως τοῦ Σωτῆρος πνευματοκίνητος. Vid. *Baumgarten-Crus.* Hist. Dogm. T. II. p. 884. Alii, in quibus *Clem. Alex.* l. c., in eodem argumento tibiae similitudine utuntur. Vid. *Ritter.* Hist. Philos. T. V. p. 309. qui cum *Athenagora Plutarchum* comparat. Idem *Plutarchus* (De Def. Orac. cap. 15. extr. 38. init. 48. med. 50. med.) cum omnino oracula et vaticinantes cum ὀργάνοις musicis comparat, tum πλήκτρου mentionem in eadem re cap. 48. med. facit. Eodem pertinet, quod sapiens a *Philone Iud.* eiusque exemplo a Patribus Eccl. instrumentum Dei musicum vocatur. Vid. *Semisch.* in Iustino Mart. T. II. p. 16. sq. 20. sq.

P. 34 (414). Εἰ αὐτὴ ἔλεγεν ἡ ἄνθρωπος cet.] Neque ἡ, quod libri exhibent, neque ᾗ, quod Petavius coniecit, locum habet; scribendum ἡ ἀνθρωπος, *femina*, nimirum Maximilla. Vid. *Loesner.* Observat. ad N. T. e Philone Iud. p. 134. sq.

P. 80 (441). ἡκέναι] Vid. *Winer.* Gramm. Idiom. N. T. p. 79. ed. III.

P. 80 (441). Λέγουσι δὲ τὸ κατὰ Ἰωάννην εὐαγγέλιον .. ἀδιάθετον εἶναι] Suppositi libri sacri ἀδιάθετοι, canone qui continentur ἐνδιάθετοι nuncupantur. Conf. p. 130 (469) κατὰ τὰς ῥητὰς γραφὰς καὶ ἐνδιαθέτους.

P. 110 (457). τῇ περιοδυνίᾳ] Scribendum: περιωδυνίᾳ: nam ō *in* verbo quidem περιοδυνάω ferri potest, non item in vocibus περιώδυνος et περιωδυνία. Vid. *Lobeck.* Parerg. ad *Phrynich.* p. 712.

P. 110 (457). μακροείκελον] A Lexicis abest μακροείκελος, *longa specie et figura*, quam vocem *Epiphanius* ad exemplum illarum: θεοείκελος, βροτοείκελος, ἀνδροείκελος (vid. annot. in T. III. p. 452, 1061), πανείκελος et similium finxit. In scriptura μακροείκελλον, quam edd. Basil. et Petav. habent,

notandus est frequens librariorum error, literam λ temere duplicantium. Vid. annot. in *Elias Cret.* col. 830 (10).

P. 114 (459). οὔτε ἀηδεστάτῃ ἐκπυρώσει καύσωνος ἐπηρτημένος] Lego: ἐπηρτυμένος, id est: *neque ad molestissimi ardoris exustionem comparatus.*

P. 134 (470). ἐν .. ταῖς ῥηταῖς βίβλοις] Conf. p. 130 (469) κατὰ τὰς ῥητὰς γραφάς. p. 196 (506) ταῖς ῥηταῖς μόνον γραφαῖς κέχρηνται. Ῥηταὶ γραφαὶ sunt, quae alias ἐνδιάθετοι vocantur. Vid. annot. in T. II. p. 80 (441).

P. 146 (477). προβολάς] Quod vulgo legebatur προςβολὰς, ita corrigi *Petavius* docte iussit. Vid. annot. in T. I. p. 146 (69).

P. 152 (481). Ὁρᾷς, φασὶ, πάλιν cet.] Nollem φησὶ, libris invitis, in φασὶ commutatum. Conf. proxima: Ὁρᾷς, φησὶ, πῶς —; et vid. annot. in T. I. p. 488 (264). Ceterum veteris elegantiae est, vocem ὁρᾷς reliquae orationi ἐλεγκτικῶς praemittere. Vide *Krabinger.* meque ad *Gregor. Nyss.* De Anima et Resurrect. p. 195. et conf. *Epiphan.* p. 714 (799) Ὁρᾷς ὅτι λέγει —; T. III. p. 388 (1025). 426 (1046).

P. 152 (482). Πάντῃ δὲ τῷ τὸν νοῦν εἰς θεὸν κεκτημένῳ .. εὐθυέλεγκτος ὁ αὐτῶν λόγος] Non est dubium, quin legendum sit: παντὶ δὲ cet. Conf. p. 420 (630) Καὶ γνωστὸν (male vulgo γνωστέον) τοῦτο ἔσται παντὶ τῷ σύνεσιν κεκτημένῳ. ibique annot., p. 458 (649) Παντὶ γὰρ τῷ νοῦν ἔχοντι ἐν κυρίῳ τὰ τῆς ἀληθείας τεκμήρια εὔδηλα δήπουθέν ἐστιν ἐξ αὐτῆς τῆς ἀληθινῆς διδασκαλίας. p. 484 (663) παντὶ γὰρ τῷ σύνεσιν κεκτημένῳ φανερόν ἐστιν ἀπ' αὐτῆς τῆς γραφῆς καὶ ἀκολουθίας, ὅτι cet. p. 668 (772) καὶ δῆλον ὅ τι (repone vulg. ὅτι) καὶ παντὶ τῷ σύνεσιν κεκτημένῳ σαφὲς εἴη. T. III. p. 400 (1031) παντὶ σαφές ἐστι τῷ σύνεσιν κεκτημένῳ. Contrario mendo πάντῃ in παντὶ abiit T. II. p. 8 (399). 220 (520).

P. 152 (482). Εἰ γὰρ υἱὸς ὑπάρχει, πάντως τοῦ τινος υἱὸς εἴη, ἀφ' οὗ γεγέννηται·] Scribendum: πάντως πού τινος υἱὸς εἴη. Πάντως που Nostro usitatum est. Conf. T. I. p. 28 (2). 136 (64). T. II. p. 348 (591). 352 (593). 616 (743). T. III. p. 414 (1040). 416 (1040). Που cum πᾶς coniunctum T. II. p. 456 (648) ὡς παντί που δῆλον εἴη. Habent quidem τοῦ τινος edd. Basil. et Petav.; sed articulus ante τινὸς per se offensionem habet, neque in eiusmodi ratiocinationibus ponitur. Conf. *Plat.* Sympos. p. 199. D. E. *Epiphan.* T. II. p. 426 (633) εἰ ἔστι φθορὰ, τινὸς ἄρα εἴη φθορά. quae *Cornarius* et *Petavius* Latine verterunt, quasi legissent: τίνος ἄρα εἴη φθορά; T. III. p. 108 (866) Πατὴρ γὰρ υἱοῦ πατὴρ λέγεται. Quae omnia referuntur ad genus τῶν πρός τι, de quo vid. Animadv. in S. Basil. I. p. 156.

P. 154 (483). συναλιφὴν εἶναι πρὸς τὸν υἱὸν τὸ ἅγιον πνεῦμα] Pro συναλιφὴν repono συναλοιφήν. Mendosum συναλιφὴ rursus corrigendum est p. 388 (612). 392 (615). 394 (615). 706 (794). T. III. p. 138 (883. 884). 512 (1095). 518 (1098). 522 (1101) et alibi. Idem mendum cl. editor, licet libris invitis, tamen iure meritoque correxit T. II. p. 164 (488). 212 (514. 515). 216 (517. 518) et alibi. Quo magis miror, quod idem ad mendosam librorum scripturam revolutus sit T. III. p. 138. annot. 3. p. 512. cap. 14. annot. 1. p. 518. annot. 5. p. 522. annot. 4. Eadem *Petavii* inconstantia fuit, qui p. 488. C. 514. D. 515. D. 834. B. et alibi mendosam editionis Basil. scripturam συναλιφὴ intactam reliquit, eandem p. 883. D. 884. B. 900. D. 901. B. C. D. 918. C. 940. B. 964. A. 984. A. 1095. D. 1098. C. 1101. C. et alibi in συναλοιφὴ commutavit. Verum enimvero συναλιφὴ est merus itacismus, et συναλοιφὴ ana-

logiae unice est accommodatum. Vid. *Lobeck.* Parerg. ad *Phrynich.* p. 571. sq. et infra annot. ad p. 212 (514) et ad T. III. p. 518 (1098).

P. 176 (494). τῆς ἀγαθοεργίας] Vid. *Lobeck.* Parerg. ad *Phrynich.* p. 675.

P. 176 (494). οὐκ ἐξυδαρευομένη] *Petavius* recte: *non quod mollior ac dilutior sit.* Conf. T. III. p. 198 (917) ὑδαρῶς. ibid. τῆς αὐτοῦ ἀχολασίας καὶ ὑδαρότητος. Mox ἀνακόπτουσα, quod *Petavius* coniecit, magis placet quam vulg. ἀναχάμπτουσα. Ἀνακόπτειν proprium est navem vel equum inhibentis; deinde ad inhibendum omnem cursum transfertur. Vid. *Wyttenbach.* Lexic. Plutarch. h. v. et conf. *Epiphan.* T. III. p. 276 (962) ἀνακόψαι τὸ ἴδιον ὅρμημα. Ibid. (963) adfine ἀνακρούειν exstat.

P. 186 (501). ἀμπέλους δὲ ἤδη κυπριζούσας τὸ εὔοδμον] Ἀμπέλου δὲ ἤδη κυπριζούσης legendum esse (id quod visum cl. editori), apparet ex praegressis: τῆς πόας μηκέτι ποαζούσης μόνον cet. Rarioris usus verbum κυπρίζειν, *germinare*, obliteratum est apud *Clem. Alex.* Strom. III. p. 514. ed. Potter. μετὰ δὴ τὸ κορεσθῆναι ἐν πλησμονῇ τῇ καπρίσῃ. Oportebat saltem scribi καπριώσῃ vel καπριζούσῃ. Sed ed. Flor. κυπρίσῃ, qua lectione, licet item mendosa, tamen commendatur emendatio *Cresollii*, qui Mystag. p. 2092. κυπριζούσῃ scribi voluit. Notum est autem, verba *germinandi*, ut σπαργᾶν et ὀργᾶν, ad subantium affectum transferri; qua potestate translata verbum κυπρίζειν a *Clemente* usurpatum est. Nomen κύπρις exstat ap. *Epiphan.* T. III. p. 514 (1096) ἡ εὐφρασία ἡ πνέουσα τὴν κύπριν τῆς ἀμπέλου. ubi Cant. 1, 14. respicitur. Κύπρον *Petavius* prave coniecit. Ceterum nostro loco τὸ εὔοδμον . . χήρυγμα scribendum, sublata post τὸ εὔοδμον virgula.

P. 190. sq. (503). Ὥςπερ γάρ τις cet.] Ὥςπερ γὰρ εἴ τις cet. legendum esse, cum cl. editore censeo. Vid. annot. in T. I. p. 360 (193). ubi de structura nostri loci simul dixi.

P. 192 (503). εὑρέθη δὲ αὐτῇ τεῖχος ἀῤῥαγὲς ἡ τῆς ἀγνοίας καὶ ἀγνωσίας πάλιν πλοκή] Libris invitis, παλιμπλοκή scribi nolim. Πάλιν est *contra* ac licet longius traiectum, tamen ad εὑρέθη refertur.

P. 202 (509). ἐπαρνησιθεΐαν] Ita edd. Basil. et Petav.; inauditum Lexicographis nomen eaedem exhibent p. 396 (616). 510 (678). 570 (717). T. III. p. 244 (944). 406 (1035) et alibi. Quid? quod ἐπαρνησίθεος exstat T. II. p. 382 (608). 394 (615). Praepositio ἐπὶ in istis nominibus *constanter* negandi vim habet. Longe magis usitata sunt ἀρνησιθεΐα (T. III. p 42, 830. al.) et ἀπαρνησιθεΐα (T. I. p. 150, 71. al.).

P. 210 (513). καὶ εἶναι μὲν τὸ θάλπον, εἴτουν θερμόν καὶ ζέον, τὸ πνεῦμα] Hanc *Sabellii* sententiam Noster plenius ita refert in proximis: τὸ δὲ ἅγιον πνεῦμα πέμπεσθαι εἰς τὸν κόσμον, καὶ καθεξῆς καὶ καθ' ἕκαστα εἰς ἕκαστον τῶν καταξιουμένων· ἀναζωογονεῖν δὲ τὸν τοιοῦτον καὶ ἀναζέειν, θάλπειν τε καὶ θερμαίνειν, ὡς εἰπεῖν, διὰ τῆς τοῦ πνεύματος δυνάμεώς τε καὶ συμβάσεως. Quamvis reprobata *Sabellii* una hypostasi, vis tamen Spiritus sancti similiter describitur in *Anastasii* et *Cyrilli* Explicat. Orthod. Fidei p. 430. ed. H. Stephan. εἰκὼν τοῦ πατρὸς ὁ ἥλιος, ἀκτὶς ἡλίου ὁ υἱός, θέρμη τῆς ἀκτῖνος τὸ παράκλητον πνεῦμα. Καὶ οὕτως ἥλιος ὁ πατήρ, ἀκτὶς ὁ υἱὸς, αἴγλη πυραυγὴς τὸ πανάγιον πνεῦμα, καὶ ὁ μὲν ἥλιος οὐδέποτε κατέλιπε τὸν οὐρανόν, υἱὸν δὲ ὡς τὰς ἀκτῖνας ἀπέστειλε, τὸ ἀπαύγασμα ἐπὶ τῆς γῆς, τὴν δὲ θέρμην τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, περιθάλπειν καὶ εὐεργετεῖν τὸν ἄνω καὶ τὸν κάτω κόσμον. Si-

militer de Spiritu sancto dicta etiam apud *Basilium M.* reperiuntur et apud alios scriptores eccl., qui tamen, *Basilio* auctore, ea in re *Plotini* verbis de anima mundi abusi sunt. Vid. Basil. Plotiniz. p. 11. col. 1, 10. col. 2, 7. sq. (et annot. p. 18), p. 12. col. 1, 11 — 16. col. 2, 11 — 15 (et annot. p. 21. inf.), p. 24. col. 1, 9 — 11. col. 2, 11 — 13 (et annot. p. 30). Quo magis suspicor, *Sabellium* ipsum, auctorem huius doctrinae, Plotiniana placita suos in usus convertisse.

P. 210 (513). ὡς ὑπὸ ἡλίου πεμφθεῖσαν ἀκτῖνα καὶ πάλιν εἰς τὸν ἥλιον ἀναδραμοῦσαν.] Ne rectae quidem fidei scriptores eccl. hac similitudine in eodem argumento abstinuerunt. Sic *Iustin. Mart.* Dial. c. Tryph. p. 128. Λόγον, instar radii solis, ex Deo emitti inque eum reflecti docet. Adde *Anastas.* et *Cyrill.* Explicat. Orthod. Fidei p. 430. ed. H. Stephan. ἀκτὶς ἡλίου ὁ υἱός, et in seqq. (ὁ ἥλιος) υἱὸν .. ὡς τὰς ἀκτῖνας ἀπέστειλε, τὸ ἀπαύγασμα ἐπὶ τῆς γῆς. De Spiritu sancto *Athenagor.* Legat. cap. 10. similia docet. *Sabellius* in doctrina de Filio etiam facis, a rogo abstractae eique rursus adiunctae, abusus esse videtur; certe *Gregorius Naz.* hanc similitudinem ei obiicit. Vid. annot. in T. II. p. 598 (733).

P. 212 (514. sq.). Ἀλλ' οὐ συναλοιφὴ ἡ τριὰς, ὡς Σαβέλλιος ἐνόμισεν] In notanda *Sabellii* haeresi solemnia sunt συναλείφειν et συναλοιφή, cuius vocis scripturam stabilivi annot. in T. II. p. 154 (483). Conf. *Epiphan.* p. 212 (515). 216 (517. 518). *Gregor. Naz.* Orat. XX. p. 378. E. οὔτε εἰς ἓν τὰ τρία συναλείφομεν, ἵνα μὴ τὴν Σαβελλίου νόσον νοσήσωμεν. cet. ubi *Elias Cret.* Comment. Cod. Basil. f. 68. r. σαβέλλιος .. καὶ μίαν φύσιν καὶ μίαν ὑπόστασιν τριώνυμον ἐδογμάτιζε, τὴν αὐτὴν πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα καλῶν καὶ κακῶς συναλείφων τε καὶ συγχέων. Orat. XX. p. 380. A. εἰς ἓν αἴτιον καὶ υἱοῦ καὶ πνεύματος ἀναφερομένων, οὐ συντιθεμένων, οὐδὲ συναλειφομένων. Ibid. αἱ δὲ τρεῖς ὑποστάσεις, μηδεμιᾶς ἐπινοουμένης συναλοιφῆς, ἢ ἀναλύσεως, ἢ συγχύσεως. ubi συναλειφῆς male duo Reg. et duo Colb. cum Cod. Basil. et *Elia*, qui f. 70. r. haec annotat: ἕνα .. θεὸν (λέγομεν) τὴν ἁγίαν τριάδα, εἰς ἓν αἴτιον υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος ἀναφερομένων, οὐ συντιθεμένων, οὐδὲ συναλειφομένων κατὰ τὴν σαβελλίου συναίρεσιν. ἑνοῦνται γὰρ .. οὐχ ὥστε συγχεῖσθαι, ἀλλ' ὥστε ἔχεσθαι ἀλλήλων δίχα πάσης συναλειφῆς (leg. συναλοιφῆς) καὶ συμφύρσεως. ἔστι δὲ συναλειφὴ (leg. συναλοιφή) .. τὸ συναιρεῖν τὰ τρία εἰς ἓν πρόσωπον τὸν πατέρα. Orat. XXXIX. p. 684. B. ἀπέστω γὰρ ἡμῶν ἐξ ἴσου καὶ ἡ Σαβελλίου συναίρεσις, καὶ ἡ Ἀρείου διαίρεσις —· τί γὰρ δεῖ θεὸν ἢ συναλείφειν κακῶς, ἢ κατατέμνειν εἰς ἀνισότητα; — Quae *Epiphanius* nostro loco subiicit: οὔτε ἡλλοιωμένη τῆς ἰδίας ἀϊδιότητος καὶ δόξης, ὡς ὁ Ἄρειος κενοφωνῶν ἐδογμάτισεν, comparabis cum istis, quae ap. *Greg. Naz.* Orat. XX. p. 378. E. verba supra allata subsequuntur: p. 379 A. οὔτε διαιροῦμεν εἰς τρία ἕκφυλα καὶ ἀλλότρια, ἵνα μὴ τὰ Ἀρείου μανῶμεν. ubi *Elias Cret.* Comment. f. 68. r. Ἄρειος .. τρεῖς ὑποστάσεις καὶ ἰσαρίθμους ταύταις φύσεις (ἐδογμάτιζε), ἀθέως κατατέμνων καὶ διαιρῶν τὴν μίαν φύσιν τε καὶ θεότητα εἰς ἀνίσους τινὰς βαθμοὺς καὶ τάξεις. Porro conf. Orat. XXXIII. p. 614. D. Ἀρείου .. καὶ τῶν ὑπ' Ἀρείῳ τὴν τῶν φύσεων ἀλλοτρίωσιν. et Orat. XXXIX. p. 684. B. loco supra allato.

P. 214 (516). ὑπόβασίν τινα διανοούμενον ἐν τῇ τριάδι] Vid. annot. in T. I. p. 204 (102).

P. 214 (517). ὁ ἀρχιτέχνας λόγος] Posterioris aetatis scriptores, *Pindari*, ut videtur, exemplo, Deum tanquam ἀρχιτέχνην interdum celebrant. Do-

ricam formam ἀρχιτέχνας *Epiphanius* servavit, nomine in laudem Λόγου usurpato. Vid. annot. in *Io. Glyc.* De V. S. R. p. 61. 118. et conf. annot. in *Epiphan.* T. II. p. 278 (542). Τὸν ὄντως ὄντα τεχνίτην Deum vocat *Epiphan.* T. I. p. 496 (268).

P. 234 (527). ἀγγέλους δὲ ταύτας εἶναι καὶ δυνάμεις] Δυνάμεις intelliguntur, qui alias vocantur νόες, Lat. *intellectus*. Vid. annot. in T. I. p. 48 (14). Quod autem *Origenes* animas, priusquam propter delicta ex coelo in terras deturbarentur, in ordine angelorum et mentium divinarum constitutas fuisse docuit, hac in re, *Platone* auctore (vid. Phaedr. p. 246. E. coll. p. 247. E.), *Empedoclem* secutus est, ita quidem, ut angelos daemonibus substitueret. Vid. Carmin. Reliq. vs. 4. p. 84. ed. Karsten. Empedocleae doctrinae vestigium inest poëtico verbo ἀμπλακεῖν in proximis: ἐν ἁμαρτίαις δὲ ἁμπλακησάσας. Nimirum nomen ἀμπλαχίη in eadem re ponitur ap. *Empedoclem* vs. 3. Porro animas hac vita mortali poenas antea peccatorum luere (conf. εἰς τιμωρίαν in seqq.), *Empedocles* pariter et *Pythagorei* docuere (vid. *Karsten.* p. 519), secuti illi *Orphicos*, quos significat *Philolaus* ap. *Clem. Alex.* Strom. III. 3. p. 518. Potter. et laudat *Plato* Crat. p. 400. C. Subsequitur mystica vocis δῆμας etymologia, de qua vid. *Casaubon.* ad Athenae. IV. p. 157. C. et *Wyttenbach.* ad Fragm. Plutarch. post *Plutarch.* De S. N. V. p. 135. qui confert parilem etymologiam vocis σῶμα ap. *Plat.* Crat. p. 400. C. Absque verborum lusu, sed pari sententia *Plato* et *Platonici*, praeeuntibus *Orphicis* et *Pythagoreis*, corpus animae custodiam, carcerem et vinculum nuncuparunt (vide *Ast.* Annot. *in Plat.* Phaed. p. 519. meque ad *Epiphan.* T. I. p. 210. 106.), animasque corporibus illigari dixerunt (vid. Animadv. in *S. Basil.* I. p. 5. sq.). In Origeniana, quam *Epiphanius* subiungit, etymologia vocis ψυχή illud: διὰ τὸ ἄνωθεν πεψύχθαι, *Petavius* male sic vertit: *quod coelitus afflata sit.* Tu audi *Epiphanium* Epist. ad Ioann. Hierosol. (ex vers. Hieronymi) Opp. ed. Petav. T. II. p. 314. C. „asserit (sc. Origenes) animas iuxta Graecam etymologiam ψυχὰς ἀπὸ τοῦ ψύχεσθαι idcirco vocitatas, *quia de coelestibus ad inferiora venientes, calorem pristinum amiserint.*“ A verbo ψύχειν etiam Stoici, licet alia usi ratione, vocem ψυχὴ derivarunt. Vid. *Menag.* ad *Diog. Laërt.* VII. 157. qui Origenis rationem cum Stoica perperam confundit. Ceterum de soloeco πεψύχθαι conf. annot. in T. II. p. 388 (611).

P. 234 (528). Ἐντεῦθέν φησι καὶ τοὺς χιτῶνας τοὺς δερματίνους ἐπισημήνασθαι τὴν γραφήν] Vid. annot. in T. I. p. 350 (187).

P. 240 (531). πάντη τοῦτο δῆλόν ἐστι.] In promtu est emendatio: παντὶ τοῦτο δῆλόν ἐστι. Conf. p. 672 (774) παντὶ τοῦτο δῆλόν ἐστι, ὅτι —. Formula παντὶ δῆλον Noster persaepe utitur, plerumque illata post παντὶ vocula τῷ, vel adiectis verbis: τῷ σύνεστιν κεκτημένῳ, et similibus. Vid. annot. in T. I. p. 156 (74). et in T. II. p. 152 (482).

P. 242 (532). κατὰ τοῦ ἑνὸς κτιστοῦ] *Petavius* male vertit: *cum unico creatore*, quasi scriptum esset μετὰ τοῦ ἑνὸς κτίστου. Tu verte: *cum detrimento unius creati.* Κατὰ cum genitivo detrimentum et noxam declarat. Conf. p. 676 (776) εἰ κατ' αὐτοῦ ἦν ἡ τῆς ἀληθείας διάνοια. quae *Petavius* Latine vertendo pervertit. p. 682 (780) λόγος ὁ καθ' ἑαυτῶν. p. 696 (787) ζητοῦντες κατὰ τοῦ σωτῆρος λέξεις τινάς. p. 702 (791) τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγραφον (ex Col. 2, 14). T. III. p. 40 (829) ἑκατὸν μαρτυρίας φέρειν ὁ γεννάδας ἐπηγγείλατο κατὰ τῶν ἀεὶ πολλάκις πρὸς αὐτὸν ἀντιβαλλόντων. quae *Petavius*, a se recte

emendata, tamen perperam vertit. p. 92 (858) καινοφωνίας κατὰ τῆς οὐσίας τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ φθέγγεσθαι τολμῶν. ubi *Petavius* male: *de filii dei essentia.* p. 136 (883) ἡ κατ' αὐτοῦ . . κίνησις. Sed satis exemplorum, quorum omnia plena sunt. Significatur autem nostro loco Christus, quem *Origenes* θεὸν κτιστὸν esse voluit. Vid. *Epiphan.* p. 240 (531).

P. 244 (534). τὰς μεταβαλλούσας σάρκας ἐν νόσοις εἰς ἰδρῶτας] Εἰς, quod in ed. Basil. deest, excidisse, *Petavius* pulcre vidit.

P. 246 (534). κἂν γὰρ δοκοῦσι cet.] Ex p. 244 (533) repone: κἂν γὰρ δοκῶσι. Conf. p. 250 (537) κἂν οἱ χαρακτῆρες δοκῶσι πολλὴν ἔχειν παραλλαγήν. et: κἂν ἐπὶ τὸ ἐνδοξότερον γένηται αὐτοῦ ἡ τροπή. Deinde ex p. 244 (533) rescribendum: ἐὰν οὖν πυνθανώμεθα. Male vulgo πυνθανόμεθα. Contra τὰ ἐξῆς, quod p. 286 (546) recurrit, melius habet, quam τὸ ἐξῆς p. 244 (533), quum *Origenes* plures quaestiones deinceps moveat.

P. 250 (536). κἂν ῥευστὴ ἦν ἡ φύσις τοῦ σώματος] Pro vulgato ἦν repone ᾖ ex p. 246 (534).

P. 256 (540. 560). ἀνάγκη, φησὶ, τὴν ἀνάστασιν ἐπὶ μόνου τοῦ εἴδους σώζεσθαι δεῖν προσδοκᾶν.] Δεῖν loco vulgati δεῖ ex cod. Ven. recte est repositum, neque obstat, quod *Phot.* cod. 234. p. 299. b. 5. 6. ed. Bekk. haec in brevius ita contraxit: ἀνάγκη δὴ τὴν ἀνάστασιν ἐπὶ μόνου εἴδους ἔσεσθαι. Tu conf. p. 304 (556) ἀνάγκη δὴ σαρκῶν ὡςαύτως ἐκείνοις γυμνοὺς ἔσεσθαι δεῖν.

P. 256 (540, 560). Καὶ ἵνα μὴ εἴπῃς ὅτι, Καὶ λανθάνει σκοτεινῶς. Ἐκεῖνος γὰρ τοῦτο διέλαβεν· ἐγὼ δέ σοι σαφέστερον ὧδε τὸν νοῦν τοῦτον ἐξηγήσομαι.] Loco vulgati Οὐκ ἀεὶ μανθάνει ex cod. Veneto receptum nollem Καὶ λανθάνει, quo genuina scriptura magis etiam obliteratur, pariter atque eiusdem codicis variis lectionibus σκοπεῖ ὡς (vulg. σκοτεινῶς) et δὲ ἔλαθεν (vulg. διέλαβεν). Videlicet locus mendosissimus ita est legendus: Καὶ ἵνα μὴ εἴπῃς ὅτι Οὐ καταμανθάνω· σκοτεινῶς ἐκεῖνος γὰρ τοῦτο διέλαβεν· ἐγὼ δέ σοι σαφέστερον ὧδε τὸν νοῦν τούτων ἐξηγήσομαι. *Petavius* parum profecit coniectando: ὅτι ἀεὶ διαλαμβάνει σκοτεινῶς, pro vulg. ὅτι οὐκ ἀεὶ μανθάνει. Ceterum cum verbis τὸν νοῦν τούτων, *dictorum sententiam*, conf. p. 258 (561) Οὕτως (οὗτος recte coniicit *Oehler.*) γὰρ ὡς ἐν κεφαλαίῳ τῶν Ὠριγένους δογματιστῶν ὁ νοῦς.

P. 258 (562). ὅτι τῷ ὄντι πεπαυμένος εἴη] Quod loco vulgati εἴην ex cod. Ven. receptum est εἴη, *Petavius* coniectura assecutus est, non minus quam ἀνατρεπτικοῖς, quod in seqq. pro vulg. ἅμα τρεπτικοῖς cod. Ven. suppeditavit. Ἀνατρεπτικὸς λόγος est *refutatio.* Conf. ἀνατρέπειν, *evertere, refutare*, p. 320 (575). 336 (584). 616 (748). 722 (803), ne plura cumulem. Ἀνατροπὴ, *refutatio*, exstat p. 656 (766). T. III. p. 176 (904). 198 (917). 208 (924) et saepe alibi. Adiectivum ἀνατρεπτικὸς occurrit T. III. p. 222 (931) ἀνατρεπτικὴν ἀντίδοτον κατασκευάσωμεν. Adverbium ἀνατροπικῶς exstat T. III. p. 252 (948) λέξιν λέξει ἀνατροπικῶς παρενθείς (f. l. παραθείς), cuius loco ἀνατρεπτικῶς ponitur p. 262 (954). 310 (982). In proximis idem *Petavius* saltem monuit de mendo in ἐκπέσῃ, cuius loco ἐκπέρσῃ ex cod. Ven. repositum est.

P. 258 (562). ὡς πρὸς ὑμᾶς εἰρήσθω] Scribendum: ὡς πρὸς ὑμᾶς εἰρῆσθαι.

P. 260 (563). ὥςπερ ἰατρικῆς δι' ὧν τοὺς κάμνοντας δεῖ σώζεσθαι τῶν λόγων ἔργοις κυρουμένων] Scribendum: κυρουμένης. Verba, per attractionem, quae dicitur, constructa, ita sunt explicanda:

ὥσπερ ἰατρικῆς ἔργοις κυρουμένης τοὺς λόγους, δι' ὧν τοὺς κάμνοντας δεῖ σώζεσθαι.

P. 262 (563. 564). Εἰσὶ γὰρ, εἰσὶν οἱ λόγων τραγικῶς κεκοσμημένων προβολεῖς καθάπερ γυναῖκες αἱ ἔξωθεν ὡραΐζόμεναι πρὸς ἀπάτην ἐντέχνως, ἐὰν μή τις πεφυλαγμένως αὐταῖς τῶν ἔτι νεωτέρων προσβλέψῃ τῇ πίστει, καὶ νηπτικῶς.] Locum mendosissimum ita refingendum esse puto: Εἰσὶ γὰρ, εἰσὶν οἱ λόγων τραγικῶς κεκοσμημένων προβολαῖς καθάπερ γυναῖκες ἔξωθεν ὡραΐζόμενοι πρὸς ἀπάτην ἐντέχνως, ἐὰν μή τις πεφυλαγμένως αὐτοῖς τῶν ἔτι νεωτέρων προσβλέψῃ καὶ νηπτικῶς. Οἱ recte *Oehlerus* pro vulgato δὲ, quo structura verborum turbatur. Προβολαῖς optima est *Petavii* emendatio; sunt enim προβολαὶ, *emicula*, idem quod προσχήματα in praegressis. Vid. Animadvers. in *S. Basil.* I. p. 35. Male vulgo: προσβολαῖς. Προβολεῖς ab hoc loco alienum est; vid. annot. in T. I. p. 146 (69). Deinde post γυναῖκες vocem αἱ, qua structura iterum turbatur, cum cod. Ven. omitto, et ὡραΐζόμενοι — αὐτοῖς pro ὡραΐζόμεναι — αὐταῖς scribo. Neque enim sermo est de mulieribus, sed de sophistis, qui orationis specie ac pompa, tanquam vestimento, mulierum instar extrinsecus ornati, iuvenes incautos decipere studeant. Λόγοι τραγικῶς κεκοσμημένοι dicuntur ex usu vocis τραγικὸς eo, de quo dixi ad T. II. p. 316 (572). De verbo ὡραΐζεσθαι vid. Animadvers. in *S. Basil.* I. p. 37. sq. Ceterum de conduplicatione, quae verbis εἰσὶ γὰρ, εἰσὶν inest, vid. *Ast.* Annot. in *Plat.* Phaedr. p. 225. Conf. *Method.* ap. *Epiphan.* p. 342 (586) Μὴ ἐνδιδῶμεν, ὦ ψυχή, μὴ ἐνδιδῶμεν τῷ πονηρῷ. *Epiphan.* p. 622 (747) οὐκ ἔστιν οὕτως, οὐκ ἔστιν ἀπὸ Μαρίας μόνον ὁ θεὸς λόγος. T. III. p. 514 (1096) = 582 (152) Ἦλθε γὰρ, ἦλθεν ὁ μονογενής.

P. 262 (564). Ἢ πῶς, ὦ Αὐξέντιε; ἔφην ἐγὼ σοὶ ταὐτὰ τίθεσθαι.] Vulgo: ἢ πῶς, ὦ Αὐξέντιε, ἔφην ἐγὼ, σοὶ ταῦτα τίθεσθαι; quae, licet corrupta, propius tamen a genuina lectione absunt. Eam *Gatakerus* assecutus est ita legendo: ἢ πῶς, ὦ Αὐξέντιε, ἔφην ἐγὼ, σὺ ταῦτα τίθεσαι; id est: *Quomodo, Auxenti, inquam, tu haec de re statuis?* Confer responsum interrogati: Οὕτως καθάπερ καὶ σύ, id est: *Eodem, quo tu, modo*, scil. *statuo.*

P. 262 (564). Οὐκοῦν πάντως — λέγομεν — —.] Fortasse legendum: Οὐκοῦν πάντας — λέγωμεν — —; Confer proxima: Οὐκοῦν — πείθωμεν — —; quibus interrogationis nota, quae vulgo deerat, recte adiecta est.

P. 262 (564). Μακρὸν τῷ ἀκοῦσαι ποθοῦντι τὸ προοίμιον, ἀλλὰ ὠφέλιμον, ἔφην, ὦ ἄριστε.] Ita vulgo distinguunt; sed interpungendum: Μακρὸν — — τὸ προοίμιον. Ἀλλὰ ὠφέλιμον ἔφην, ὦ ἄριστε. Nam illa: Μακρὸν — — προοίμιον, Auxenti sunt, qui longioris exordii impatiens et ad propositum festinat. Cui Methodius reponit: Ἀλλὰ *ὠφέλιμον*, —, ὦ ἄριστε. *Aliqui ex re est*, —, *optime vir.* Ἔφην recte *Petavius* pro ἔφη, quod habet ed. Basil.

P. 262. 264 (564). Πότερον οὖν, ὦ Αὐξέντιε, ἦν δὲ ἐγὼ, σὺ βούλει ταύτης ἡγεμονεύειν τῆς ὁδοῦ, ἢ ἐγὼ ἡγήσομαι; Δίκαιον, ἔφη, σοὶ ἡγεῖσθαι.] Malim hoc loco, p. 264 (565) et p. 268 (567) ἦν δ' ἐγώ. Deinde legendum: ἡγῶμαι, et Δίκαιον — σὲ ἡγεῖσθαι, aut, quod magis placet, Δίκαιος — σὺ ἡγεῖσθαι.

P. 264 (565). ἄγ' εἰς ὑπόμνησιν, ἐάν τίς σοι φαίνομαι μὴ μεμνημένος.] Quod *Petavius* pro vulg. ἀλλ' εἰς ὑπόμνησιν reponi iussit ἄγ'

εἰς ὑπόμνησιν, non satis Graecum est, licet probatum *Gataker*o. Ego scripturam vulgatam, deleto εἰς, ita refingo: ἀλλ' ὑπόμνησον. Deinde τί σοι pro τίς σοι cum *Petavio* scribo et, quod nondum factum miror, φαίνωμαι loco mendosi φαίνομαι repono.

P. 264 (565). Τί δὲ, οὐχὶ καὶ τοῦτο ἐν τοῖς ἑξῆς ἐλέγετο πολλάκις ὑπὸ σοῦ, ὡς — — — σῶμα λήψεσθαι.] Haec omnia, quamvis longius producta, tamen unius periodi ambitu inclusa sunt et sic interpungi debent: Τί δέ; οὐχὶ — — ἁμαρτῆσαι τὴν ψυχήν· καὶ διὰ τοῦτο — — συνεργὸν γίνεται· ἄνευ — — ψυχήν· ὅθεν — — σῶμα λήψεσθαι;

P. 264 (565). Τί δὲ, καὶ καλῶς σοι τοῦτο καὶ ὀρθῶς, ἔφην, ἤγησαι λελέχθαι; Καὶ τί σοι, ἔφη, τοῦτο διαφέρειν; ἀλλὰ οὐκ ἐξελέγξεις τὸν λόγον.] Displicet, quod *Gataker*us coniecit: Τί δή, καὶ —; Interpungo: Τί δέ; καὶ —; Proxima sic scribi velim: Καὶ τί σοι, ἔφη, τοῦτο διαφέρει, ἀλλὰ οὐκ ἐξελέγχεις τὸν λόγον; id est: *Quid, inquit, hoc* (scil. quod ex me quaesivisti) *tua interest, nec vero rationem excutis?* Ad quae ita respondetur: Οὐδέν, — ἀλλὰ δι' ἃ εἴρηκας, ὅπως ἐξετάζηται ὁ λόγος. id est: *Nihil* (scil. interest); *sed* (scil. ex te quaesivi) *ob id, quod tu dixisti, videlicet ratio ut examinetur.* Pro vulg. διαφέρειν, quod codd. Venet. et Rhedig. exhibent, *Petavius* et *Gataker*us διαφέρει scribi recte voluerunt, neque tamen eius scripturae rationem reddiderunt. Διαφέρει, *refert, interest*, quod hoc loco dativum secum habet, nude ponitur p. 298 (558) διαφέρει γὰρ οὐδὲν οὕτως εἰπεῖν. Quod cod. Ven. habet ἐξελέγξεις, ad verum propius accedit, quam vulg. ἐλέγχῃς. Respondet autem verbo ἐξελέγχειν proximum ἐξετάζειν.

P. 266 (566). παραβᾶσα γὰρ τὴν ἐντολήν, κεκρατυμένης ἤδη διὰ τὴν πρὸς τὸν ὄφιν πειθὼ τῆς ἁμαρτίας, δεσμὸν αὐτῇ τὸ σῶμα δεδόσθαι τιμωρόν.] Recte *Oehlerus* παραβάσῃ coniecit; deinde idem κεκρατυμένης pro vulg. κεκρατημένης scripsit. Et est sane, ubi κρατύνειν, quod p. 326 (578) et p. 660 (768) recurrit, et κρατεῖν confunduntur. A voce κρατυνθὲν, in κρατηθὲν depravata, occasionem nactus, de verbo κρατύνω egi ad *Io. Glyc.* De V. S. R. p. 75. Sed, ut taceam illud, quod Noster forma participii perfecti passivi κεκρατυμμένος utitur (vid. annot. in T. II. p. 660 (768)), totus locus sic videtur legendus esse: παραβάσῃ γὰρ τὴν ἐντολὴν καὶ κεκρατημένῃ ἤδη διὰ τὴν πρὸς τὸν ὄφιν πειθὼ ὑπὸ τῆς ἁμαρτίας, δεσμὸν αὐτῇ τὸ σῶμα δεδόσθαι τιμωρόν. Iota adscriptum cum ς saepissime permutatur (vid. annot. in *Io. Glyc.* De V. S. R. p. 86. et in *Eliam Cret.* col. 861 (7)); καὶ autem propter frequentem confusionem literarum αι et ε (vid. annot. in p. 292, 550) ante κεκρατημένῃ et ὑπὸ post πειθὼ facillime excidere potuerunt.

P. 268 (567). Ἀλλ', ὦ ἀγαθὲ, μὴ ἀποκάμοις ἂν ἐρωτώμενος.] Ἀνερωτώμενος *Oehlerus* optime coniecit. Praeterea scribendum: μὴ ἀποκάμῃς, quod est vetantis. Ceterum malim ὠγαθὲ, quam ὦ ἀγαθέ.

P. 268 (567). τοσοῦτον κακῶν] Ita *Oehlerus*. Pro vulgato τοσούτων κακῶν *Petavius* τοσοῦτο κακὸν legendum coniecit. Magis placet τοσοῦτον κακόν.

P. 268 (567). παρ' ἀλλήλους παραβάλλοντες τοὺς λόγους σκεπτώμεθα —] Noli ἀλλήλοις cum *Petavio* coniicere. Dicitur enim παραβάλλειν τι παρά τι, non παρά τινι, *comparare aliquid cum aliqua re*. Ceterum hoc loco et p. 292 (549) malim σκεψώμεθα.

P. 268 (567). περὶ ὧν εἰδέναι τε κάλλιον, μὴ εἰδέναι τε

αἰσχρόν.] Si quis coniiciat καλόν, is videat *Matthiae.* Gramm. Graec. Ampl. §. 457.

P. 268 (567). Πάνυ μὲν οὖν, ἔφη, —] Vulgo ἔφην: recte tamen *Petavii* versio: *inquit.*

P. 268 (567). ἐμποδίζον] Scribe ἐμποδίζει, aut saltem ἐστὶ ad ἐμποδίζον subaudito.

P. 268 (567). τῶν ὄντως ὄντων] Vulgo τὸν pro τῶν: recte tamen *Petavius* vertit: *eorum quae re ipsa sunt.*

P. 268 (568). Ἆρα οὖν, ἵνα δή με καὶ μᾶλλον ἐπαινέσεις cet.] Ἄρα *Petav.*; ἆρα recte ed. Basil. Eadem ἐπαινέσης, id est ἐπαινέσῃς, quod repone.

P. 270 (568). Ὁμολογεῖ] Hic quoque repone ὡμολόγει, quod *Petavius* in seqq. pro ὁμολόγει bis rescripsit.

P. 270 (568). Τί δὲ, οὐ κατὰ ἀναλογίαν —;] Hic quoque interpunge: Τί δέ; οὐ cet.

P. 270 (568). Οὐκοῦν ὁ μὲν — — δεσμοῖς.] Interrogationis notam desidero, ut in illis, quae post paulo sequuntur: Οὐκοῦν εἴργεται — — σωφρονεῖν.

P. 270 (568). Οὔτε τοίνυν —] Scribendum: Οὐ τοίνυν —.

P. 272 (569). Καὶ ἐνταῦθα ἐπένευσε] Fortasse legendum: Καὶ ἐνταῦθα ἔτι ἐπένευσε.

P. 274 (570). Ἀελυμένου γὰρ καὶ ἐξελεγχθέντος τοῦ λόγου —] Ἀελυμένοι cod. Ven. male; nec melius λελεγμένου Anonymus *Mai.* Λύειν hoc loco est *labefactare, refellere.* Conf. proxima et p. 616 (743) ἀπὸ γὰρ τῶν ὀλίγων αἱ πλεῖσται λυθήσονται. ubi *Petav.* male vertit: *explicabuntur.* Quod ibi praecedit ἐπίλυσις, est *confutatio,* ut p. 654 (764). 684 (781). Eodem pertinent ἐκλύειν p. 632 (752), διαλύειν p. 634 (753).

P. 274 (570). λέλυται καὶ τὸ, ἵνα μὴ δεσμῶται δι' αὐτὴν ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ φωτὸς ἣν ἀπολαμβάνομεν ἐσόμεθα, διὰ τοῦτο οὐκ ἀναστήσεται.] Pro vulg. τὸ εἶναι, quod *Petavius* expungi voluit, τὸ ἵνα *Oehlerus* recte scripsit, secutus cod. Ven., Anonymum *Mai* et *Gallandium,* seu potius *Combefisium,* qui in proximis δι' αὐτὴν male omisit. Deinde idem loco vulgati ἣν ἀπολαμβάνομεν ex cod. Rupif. recepit εἰ ἀπολάβωμεν αὐτὴν, quod tamen sciolo debetur. Porro idem *Combefisius* pro vulg. ἐσόμεθα cum cod. Rupif. ἐσώμεθα, quod confirmat Anonymus *Mai* et ratio grammatica (ἵνα — — ἐσώμεθα) flagitat. Sed ne sic quidem locus mendosissimus persanatus est; scribendum videlicet: λέλυται καὶ τὸ, ἵνα — — ἐσώμεθα, διὰ τοῦτο οὐκ ἀναστήσεσθαι. Nam τὸ infinitivum, non indicativum adsciscit; quod sensit *Galakerus,* ὅτι pro τὸ scribi iubens. Illud διὰ τοῦτο, quo interposita: ἵνα — — ἐσώμεθα, colliguntur, neminem, opinor, morabitur.

P. 274 (570. 540). Ποταπὸν γὰρ λοιπὸν εἰς πειθὼ τοῖς δυσχεραίνουσιν ἕτερον ἀλήθευμα χρὴ δεικνύναι; Τῶν εἰρημένων ἐναργέστερον οὐκ ἀνέξονται.] Quo oratio, antea misere discerpta, nunc ope codicis Ven. feliciter resarta, prorsus sarta tectaque sit, oportet scribatur: Ποταπὸν γὰρ — — χρὴ δεικνύναι, εἰ τῶν εἰρημένων ἐναργέστερον οὐκ ἀνέξονται; Ceterum ἀνέχομαι cum genitivo hoc loco est *tolero, admitto aliquid.* Conf. p. 284 (546) οὐ γὰρ δὴ ἀνέξομαι φληναφούντων τινῶν.

P. 274 (540). εἰρκτή] Hoc loco et p. 272 (569) scribe: εἱρκτή. Vid. *Iacobs.* ad *Achill. Tat.* p. 987.

P. 274 (540). ἕκαστόν τε αὐτῷ συμφώνως ἡρμόσατο στοιχεῖον] Fallor, aut Methodius scripsit: ἕκαστόν τε αὐτὸ αὐτῷ σ. ἡ. στ.

P. 276 (541). Ἄνθρωπος δὲ ἀληθέστατα λέγεται κατὰ φύσιν οὔτε ψυχὴ χωρὶς σώματος, οὔτ' αὖ σῶμα χωρὶς ψυχῆς] Scripturae discrepantia apud *Phot.* cod. 234. p. 293. *a.* 30 — 33. ed. Bekk. haec est: λέγεται ἀληθέστατα κατὰ φύσιν (vulgo λέγεται κατὰ φύσιν ἀληθέστατα), deinde οὔτε αὖ πάλιν. Priorem scripturam vulgatae apud *Methodium* non praetulerim; placet vero οὔτε αὖ πάλιν, modo cum *Combefisio* ap. *Galland.* Biblioth. Patr. T. III. p. 783. A. scribatur: οὔτ' αὖ πάλιν. Vid. *Krabinger.* ad *Gregor. Nyss.* De Anima et Resurrect. p. 206. et conf. annot. ad p. 304 (556). Simplex οὔτ' αὖ exstat p. 302 (555).

P. 276 (541). ὅλων καὶ παντὶ τῶν ἄλλων διαφέρων] Citius rescribe, quod annot. in *Eliam Cret.* col. 837 (4) rescribi iussi: ὅλῳ καὶ παντὶ — διαφέρων.

P. 278 (542). Καὶ τοῖς μὲν — — εἰκόνα.] Scripturae discrepantia apud *Phot.* cod. 234. p. 293. *a.* 36 — 38. ed. Bekker. haec est: φύσεων] φύσεως, quod non praetulerim. — δίδονται] δέδοται, recte, modo δέδονται scribatur. — κελεύοντος τοῦ θεοῦ ἐγέννησε] κελεύοντος ἐγέννησε θεοῦ, quod minime displicet, quum *Methodius* amantissimus sit transpositionum. — τῷ δὲ θεοειδές] τῷ δὲ τὸ θεοειδὲς, scil. σχῆμα, recte.

P. 278 (542). χειροτμήτων] Χειροκμήτων diu est quod reponi iussi ad *Io. Glyc.* De V. S. R. p. 117. *b.* et Animadvers. in *S. Basil.* I. p. 8. Χειρόκμητος, quod *Krabinger.* ad Gregor. Nyss. de Precat. p. 137. attigit, exquisite dicitur pro vulgari χειροποίητος, de quo vid. *Schleusner.* Lexic. in Nov. Test. h. v.

P. 278 (542). ἀριστοτέχνας] Noli ἀριστοτέχνης scribere. Vid. annot. in *Io. Glyc.* De V. S. R. p. 61. 117. *b.* et Animadvers. in *S. Basil.* I. p. 8., collatis quae supra docui ad p. 214 (517).

P. 278 (542). Ἀπῄει] Scribendum: ἀπείη, *absit ut* —, qui vocis usus satis frequens est. Cum genitivo ἀπείη coniungit *Gregorius Naz.* Orat. XVII. p. 322. E. τὸ γὰρ ἐναντίον ἀπείη καὶ ἡμῶν καὶ τοῦ λόγου. ubi *Elias Cret.* Comment. Cod. Basil. fol. 361. vers. ὃ γὰρ ἀπεύχομαι, τοῦτο οὐδὲ λέγειν βούλομαι.

P. 278 (542). Ἀλλ' ἴσως μὴ ἐπιστήσαντες ἑαυτοὺς πρὸς τὰ λεχθέντα —] Vide, ne scribendum sit: Ἀλλ' ἴσως μὲν —. Ἐφίστημι ἐμαυτὸν πρός τι hoc loco est *occurro ad aliquid*, quo sensu etium ἀπαντᾶν πρός τι dicitur.

P. 280 (543). Ἀλλὰ τοῦτο δύσφημον λέξωμεν] Malim λέξομεν.

P. 280 (543). ἐπεὶ κἂν εἰ ἀντέπρασσέ τι τῷ θεῷ, ἐπαύσατο ἂν τοῦ εἶναι] Posterius ἄν omissum apud *Athenagor.* Legat. pro Christian. cap. 22. unde non solum, quae post paulo ad *Athenagoram* referuntur, sed etiam haec, paucis immutatis, *Methodius* mutuatus est. Sed post κἂν εἰ, non minus, quam post ὥςπερ ἄν εἰ, repetitum ἄν optime habet. Videsis *Matthiae.* Gramm. Graec. Ampl. §. 523.

P. 280. 282 (544). Τί οὖν ὁ διάβολος λέξεται; — — — οἷα καὶ ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων·] Haec omnia *Photius* adfert cod. 234. p. 293, *b.* 5 — 21. ed. Bekker. Initium loci in brevius ita contraxit: Ὁ διάβολός ἐστι πνεῦμα περὶ τὴν ὕλην γενόμενον ὑπὸ τοῦ θεοῦ. quibus quae adiiciuntur: καθά-

περ καὶ Ἀθηναγόρᾳ ἐλέχθη, confirmant emendationem scripturae olim vulgatae apud *Epiphanium*: καθάπερ ἐλέχθη, ὦ Ἀθηναγόρα. Quae praeterea apud *Photium* ad loci κρίσιν faciunt, haec sunt. — ὥσπερ δή] Confirmat *Photius Gatakeri* emendationem, qui δὴ pro vulg. δὲ scribi iussit. — πεπιστευμένοι] πεπιστευμένον *Photius*, apud quem ante ὥσπερ ὑποστιγμῇ, non μέσῃ, ut fit vulgo apud *Epiphanium*, interpungitur. Et lectionem et interpunctionem Photianam veram esse, ex *Athenagora* intelligitur. — Τοῦτο γὰρ ἦν ἡ τῶν ἀγγέλων σύστασις, τῷ θεῷ ἐπὶ προνοίᾳ γεγονέναι τοῖς ὑπ' αὐτοῦ διακεκοσμημένοις] *Photius*: τούτων γὰρ ἡ [τῶν ἀγγέλων] σύστασις τῷ θεῷ ἐπὶ προνοίᾳ γεγονέναι cet. quae cum praegressis parum cohaerent. Pro τούτων cod. A. τοῦτο, ut est apud *Athenagoram* et *Epiphanium*. Quod *Bekkerus* legi vult γέγονε, habet *Athenagoras*, apud quem haec nullo sensu ita scripta sunt: Τοῦτο γὰρ ἡ τῶν ἀγγέλων σύστασις τῷ θεῷ ἐπὶ προνοίᾳ γέγονε cet. *Methodii* apud *Epiphanium* vera est scriptura, sic si vertatur: *id enim sibi volebat angelorum creatio, ut Dei servitio rebus ab illo dispositis providentiae esset.* — ἵνα τὴν μὲν παντελικὴν καὶ γενικὴν ὁ θεὸς ἔχων τῶν ὅλων πρόνοιαν ᾖ, τὸ κῦρος cet.] Lectionem, a *Petavio* et *Galakero* ex *Athenagora* in locum vulgatae γενετικὴν restitutam, *Photius* exhibet, apud quem ante *Bekkerum* γεννικὴν perperam legebatur. Deinde *Photius* confirmat ᾖ, quod *Petavius* pro vulg. ᾗ rescribi iussit et quod *Galakerus* probavit. Male tamen apud *Photium* virgula post ᾖ deest. Nam quominus πρόνοιαν, ᾖ τὸ κῦρος cet. cum *Combefisio* scribas, obstant insequentia: τὴν δὲ διὰ μέρους οἱ ... ἄγγελοι, ad quae ex superioribus: ἔχων ... ᾖ, verbum ἔχωσι cogitatione repetendum est, quum ἔχων .. ᾖ sit circumlocutio pro ἔχῃ. Conf. *Epiphan.* T. III. p. 36 (827) εἰ καὶ ἐπὶ τὸ ἀκραιφνὲς εἶη τῷ βίῳ καὶ πάσῃ δικαιοσύνῃ τὸ τάγμα σεμνυνόμενον. *Laur. Lydus* in Cram. Anecd. Paris. T. I. p. 332, 12. πρῶτος γάρ ἐστι κύβος τὴν τοῦ παντὸς αἰσθητοῦ ἰδέαν περιέχων. Vide *Winer.* Gramm. Idiom. Novi Foed. §. 46. 8. et me annot. in *Io. Glye.* De V. S. R. p. 64. 121. *a. b.* Similem verbi γίγνεσθαι usum notamus ad p. 568 (717). Ceterum αὐτὸς ἀνηρτημένος, ut est apud *Epiphanium*, *Photius* legit, qui proxima: καὶ ὥσπερ ... ἄγγελοι, omisit; *Combefisius* pessime coniecit: αὐτοῦ ἀνηρτημένος. — Ἀλλ' οἱ μὲν λοιποὶ cet.] Omissum a *Petavio* Ἀλλ' *Photius* exhibet. — ἐφ' οἷς] ἐφ' ὧν male. — ὁ δέ] αὐτὸς δὲ *Photius*, inconcinne. — περὶ τῶν πεπιστευμένων ἐγένετο τὴν διοίκησιν] περὶ τὴν τῶν πεπιστευμένων ἐγένετο διοίκησιν, sublata traiectione et praeter *Methodii* morem. — οἱ .. ταῖς τῶν ἀνθρώπων εἰς φιλοκοιτίαν ὁμιλήσαντες θυγατράσιν] *Photius* φιλοτησίαν habet pro φιλοκοιτίαν. Sed voci φιλοτησία hic non magis locus est, quam apud *Platonem* Phaed. p. 81. E. ubi VV. DD. loco vulgati φιλοτησίαν ex codicibus et ex imitatoribus φιλοποσίαν reposuerunt. Apud Nostrum φιλοκοιτίαν recte habet; respicitur enim Genes. VI. 2. De consuetudine filiorum Dei cum filiabus hominum vid. *Petav.* Animadvers. p. 261. qui filios Dei vetustissimis Patribus Eccl. angelos esse docet. Sed vid. *Hoeschel.* ad *Phot.* Biblioth. p. 968. *a.*

P. 282 (544). Τὸ γὰρ θεῖον νεμεσᾷ τοῖς ὑπερηφάνοις καὶ τὰ αὐθάδη φρονήματα κωλύει.] Κολούει speciosa est *Petavii* emendatio. Vid. *Ast.* Animadvers. in *Plat.* Legg. p. 242. De verbo νεμεσᾶν, uti de loci sententia, vid. *Dorvill.* ad *Charlton.* p. 577. ed. Lips. qui Herodotea, quae huc pertinent, minime neglexit.

P. 282 (544). Ὡς πᾶσιν —] Optima est *Ios. Scaligeri* emendatio: Ὡ

πᾶσιν —. Confer proxima: ὑμεῖς ... ἐπείσατε .. καὶ .. ἐτεκτήνασθε, in quibus ὑμεῖς simul refertur ad nomina ὄφις et πλάνη, quae, etsi ambo Diabolum declarant, tamen libertate poëtica, tanquam de duabus dicta personis, proferuntur. De Diabolo πλάνης auctore conf. p. 284 (545) ὁ ἄρχων οὗτος ... καὶ πατὴρ τῆς πλάνης. ibid. ὁ διάβολος πλάνος ἦν. Quod *Scaliger* pro οὕτω coniecit ἧ τ' ὦ, durius dictum neque necessarium est.

P. 282 (545). Τί οὖν; παραίτιος ὁ θεὸς θανάτου; λέξετε·] Παραίτιος ὁ θεὸς θανάτου λέξεται; recte *Leontius* ap. *Mai.* Collect. Nov. Vet. Scriptor. T. III. p. 102. Sed idem male: τί οὖν παραίτιος —.

P. 284 (545). ἐνδοὺς ἀπ' αὐτοῦ εἰς τὸ φαγεῖν τῷ διαβόλῳ, δεδελεασμένῃ σοφίᾳ ποικίλως πρὸς παραχοὴν πεισθέντι] *Leontius:* ἐνδοὺς εἰς τὸ φαγεῖν ἀπ' αὐτοῦ, quod praestat. Neque enim in vulg. lectione ferri potest traiectio verborum ἀπ' αὐτοῦ. Quominus autem haec verba aliter atque in praegressis (conf. οὐ φάγεσθε ἀπ' αὐτοῦ —) dicta accipias, obstat ratio grammatica; nam ἀφ' αὐτοῦ, non ἀπ' αὐτοῦ, est *per sese*, et ἐνδοῦναι εἴς τι reapse dicitur, qui sponte et per sese alicui rei se dedit. Reliqua multifariam corrupta sunt. In verbis τῷ διαβόλῳ *Leontius* et cod. Ven. cum vulg. lectione consentiunt. Sed dativus male habet, sive ad insequentia refertur, ut fit in vulg. lectione, sive ad praegressa trahitur; nam ἐνδοῦναι εἴς τι, *alicui rei se dedere*, dativum respuit. Deinde pro vulgatis: δὲ δελεασμένη τ' σοφία, *Leontius* mendose δελεασμένῃ σοφίᾳ, paulo melius cod. Ven. δεδελεασμένη σοφία, id est δεδελεασμένῃ σοφίᾳ. Atqui diaboli calliditas non inescatur, sed homines eius calliditate inescantur, unde Patres Eccl. diabolo id quod est δελεάζειν tribuere solent. Verum partim vidit *Gataker*us, scribi iubens: διαβόλῳ δὲ δελεαζόμενος. Sed a scopo aberrant, quae idem in proximis coniecit: τῇ σοφίας ποικιλότητι (ποικίλως edd. et codd.) et πείσαντι (vulg. πείσοντι, *Leont.* et cod. Ven. πεισθέντι). Quid igitur? Locum sic emendandum esse censeo: —, τοῦ διαβόλου δεδελεασμένος τῇ σοφίᾳ ποικίλως πρὸς παραχοὴν πεισθέντος, prout vertit *Petavius: ad comedendum inductus ac diaboli calliditate, qui ad violandum imperium variis modis* (verte: *vafre*) *incitabat, vehut inescatus* —. Traiectio verborum: ποικίλως πρὸς παραχοὴν πεισθέντος, quae ad τοῦ διαβόλου pertinent, librariis fraudi fuisse videtur. Ceterum de participiis absque copula cumulatis (ut hoc loco ἐνδοὺς — δεδελεασμένος) vid. anot. in *Eliam Cret.* col. 795 (10).

P. 284 (545). Οὐ γὰρ ἐποίησεν ὁ θεὸς κακὸν, οὐδὲ ἔστι τὸ σύνολον ὅλως ἐκ παντὸς τὸ παράπαν αἴτιος κακοῦ.] Pro οὐ γὰρ apud *Combefis.* (*Galland.* Biblioth. PP. T. III.) p. 772. οὐκ perperam scriptum. Deinde pro vulgatis: ἐποίησεν ὁ θεὸς κακὸν, *Leontius* et *Combefisius:* ἐποίησε κακὸν ὁ θεὸς, quae, traiectione sublata, languidius dicta sunt. Porro *Leontius* οὐδέ ἐστιν, recte, modo οὐδέ ἐστι scribatur. Denique ante τὸ παράπαν vocalem εἰς excidisse suspiceris, collatis hisce p. 280 (543) οὐδὲ γὰρ ἕνι τὸ σύνολον ὅλως ἐκ παντὸς εἰς τὸ παράπαν ἕτερος δημιουργὸς πλὴν αὐτοῦ. Ex eodem genere est εἰς τὸ παντελὲς p. 286 (547). Formulam ἐκ παντὸς attigit *Toupius* Emendat. T. IV. p. 172. Ἐξάπαντος una voce Noster T. III. p. 488 (1082).

P. 284 (545). οἱονεὶ νεκρότητα περιβαλὼν αὐτόν] Malim νεκρότητι, collatis hisce p. 288 (547) ὁ θεὸς αὐτὸν διὰ τοῦτο θνητὸν ἀπεφήνατο νεκρότητι περιβαλών. Eodem pertinent ista p. 290 (549) πρὸ τοῦ περιβεβλῆσθαι θανάτῳ τὸν ἄνθρωπον.

P. 288 (548). εἰς ἔκτασιν καὶ μέγεθος εὐτροφήσασα.] Ἐκ-

στασιν mendose *Combefisius*. Tu conf. p. 294 (551) τὸ μὴ πρὸς ἔκτασιν αὐτὴν ἐᾶσαι φῦναι. ubi *Leontius* item male ἔκστασιν. Praestat autem vulgato εὐτροφήσασα scriptura εὐτραφήσασα, quam *Combefisius* exhibet. Vid. *Lobeck.* Parerg. ad *Phrynich.* p. 577 sq.

P. 288 (548). διέλυσε] Male *Combefisius* διεκώλυσε, *fructicationem inhibuit*. Διαλύειν et διάλυσις, ut λύειν et λύσις, mortis sunt propria vocabula. Conf. p. 294 (550) διέλυσεν εἰς ὕλην πάλιν. p. 296 (551) κατὰ τὴν τοῦ σώματος .. διάλυσιν.

P. 288 (548). ἀπήμων] Recurrit p. 310 (559). 334 (582) vox ἀπήμων, quam *Combefisius* ex cod. Rupif. reposuit et quam *Galakerus* coniectura est assecutus.

P. 288 (548). ἀπὸ τῶν σωφρονισμῶν] Male συμφορῶν cod. Rupif. apud *Combefisium*. Tu confer σωφρονίζειν p. 270 (569).

P. 290 (548). Ὥστε συμβέβηκε συστέλλεσθαι μὲν καὶ κατευνάζεσθαι τῇ πίστει νῦν τὴν ἁμαρτίαν] Κατευνάζειν cod. Rupif. apud *Combefisium*, male. Est enim transitivum κατευνάζειν et translate valet *sopire*, *sedare*. Vid. Animadvers. in *S. Basil.* I. p. 27. et adde *Gregor. Palam.* Orat. ed. Matthaei. p. 67. ubi attende insolitum transitivum ἀργεῖν in formula: τοὺς ἐρεθίζοντας πρὸς τὸ πάθος ἀργεῖν καὶ κατευνάζειν λογισμούς.

P. 290 (549). μηκέτι ῥίζαν ἐνθωπεύουσαν πικρίας ἔχων] Scribendum: ἐμφωλεύουσαν. *Amaritudinis* enim *radix*, locutione ex Hebr. XII. 15. sumta, vitiositas intelligitur, et ἐμφωλεύειν vitium latitans translate dici solet. Vid. Animadvers. in *S. Basil.* I. p. 6. et p. 162. Sic *Methodius* apud *Epiphanium* p. 346 (589) τὸν νόμον τῆς ἁμαρτίας τὸν .. ἐν ἡμῖν ἐμφωλεύοντα, quae absque scripturae discrepantia apud *Photium* cod. 234. p. 296. b. 7. 8. ed. Bekker. exstant. Recurrit quidem ἐνθωπεύειν p. 344 (588) ἀπὸ τῆς ἐπιθυμίας τῆς ἐνθωπευούσης ἐν τῷ σώματι. Sed confirmat *Photius* cod. 234. p. 296. *a.* 11. genuinum ἐμφωλευούσης, quod ego Animadvers. in *S. Basil.* I. p. 6. coniectura sum assecutus. Ἐμφωλεύειν et ἐνθωπεύειν rursus confusa apud *Methodium* Conviv. X. Virgin. p. 77. ed. Allat. ἐντυφώμενον ἔτι καὶ ἐνθωπεύοντα τὸν οἶστρον ἀναῤῥιπίζουσιν ἐξάπτοντες ἐρεθισμοῖς. *Allatius* ἐνθωπεύοντα Latine vertit: *intus blandientem* (oestrum). Sed ἐμφωλεύοντα eo certius scribendum, quod etiam ignis sub cinere delitescens, quocum libido hoc loco comparatur, ἐμφωλεύειν translate dicitur. Vid. Animadvers. in *S. Basil.* I. p. 162. et annot. in *Eliam Cret.* col. 759 (2). Omnino ἐνθωπεύειν nauci verbum est, et sicubi pedem Graeciae intulerit, furca expellendum est. Proclive autem librariis fuit, ΕΝΘΩΠΕΥΕΙΝ pro ΕΜΦΩΛΕΥΕΙΝ scribere. Φωλεύειν ἔν τινι translate ponitur in *Basilii* et *Georgii* Confess. ap. *Epiphan.* T. III. p. 100 (862) ἵνα .. λοιπὸν ἐν ταῖς καρδίαις φωλεύουσα ἡ αἵρεσις νέμηται. Verbo ἐμφωλεύειν utitur *Epiphanius* T. III. p. 410 (1037) ubi suam aetatem, sectarum foecundissimam, cum serpente ita comparat: δίκην κακοῦ ὄφεως καὶ θηρὸς ἰοβόλου ἐν σκότῳ ἐμφωλεύοντος. Similiter de haereticis ipsis *Gregorius Naz.* Orat. XXVIII. p. 496. D. εἰ δέ τις θηρίον ἐστὶ (θηριόν ἐστι *Clemencet.* pessime) πονηρὸν καὶ ἀνήμερον — —, μὴ ἐμφωλευέτω ταῖς ὕλαις κακούργως καὶ κακοήθως. ubi *Elias Cret.* Comment. Cod. Basil. fol. 14. vers. μὴ ἐμφωλευέτω .. ταῖς ἐπικρύψεσι, τουτέστι μὴ ἐπικρυπτέσθω. — κυρίως δὲ φωλεοὶ αἱ καταδύσεις τῶν ὄφεων καὶ λοιπῶν ἑρπετῶν καὶ θηρίων. quae decerpta sunt ex scholio *Basilii Caes.* ap. *Boissonad.* ad *Nicet.* p. 254. quem vide. Nudo φωλεύειν translate utitur *Synes.* De Insomn. p. 138. A. loco vitiato et sic emen-

dando: τοῖς χηραμοῖς τῆς γῆς ἐνδύεται φωλεῦον, βοπῇ φυσικῇ ὠθούμενον εἰς τὴν κατάγαιον χώραν.

P. 292 (549). Φαίνεται τοίνυν ὥςπερεί τις δημιουργὸς cet.] Repone: ὥςπερ εἴ τις δημιουργὸς, ut est apud *Combefisium*. Deinde infra ante Πρόςσχες non τελείαν, sed μέσην vel interruptae orationis notam pone. Nam post orationis diversionem verbis εἰ βούλοιτο cet. ad superiora εἴ τις δημιουργὸς cet. recurritur, neque tamen ita, ut comparatio, verbis φαίνεται ὥςπερ εἴ τις — incepta, absolvatur. Quod demum fit illis: Ταὐτὸν γὰρ φαίνεται δή μοι καὶ ἐφ' ἡμῶν ὁ θεὸς οὕτως ὠκονομηκέναι, quae cum praegressis ita sunt connectenda: Φαίνεται τοίνυν ὥςπερ εἴ τις δημιουργὸς — —, ταὐτὸν δὴ καὶ ἐφ' ἡμῶν ὁ θεὸς οὕτως ὠκονομηκέναι. Nunc comparatio instituta multis interpositis in longum trahitur. Ne tamen prorsus derelicta videatur, etiam ante illa: Διὰ τοῦτο — — Τῷ μὲν — — Τοῖς αἴσχεσι — et Ταὐτὸν γὰρ —, nonnisi μέσαις interpungi oportet. Est autem *Methodius* amans longiorum ἀνακολούθων. Conf. annot. ad p. 264 (565).

P. 292 (550). ματαίαν ἡδονὴν καρπούμενος τοῦ φθόνου] Καρποῦσθαι, *percipere*, etiam in peiorem partem dicitur. Quod cod. Rupif. apud *Combefisium* exhibet καρποζόμενος, est corruptum καρπιζόμενος, quod vulgato καρπούμενος minime praetulerim. Vid. *Lobeck.* ad *Phrynich.* p. 361.

P. 292 (550). Πρόςσχες γὰρ —] Ita vulgatum πρόσχες recte correctum est tum hoc loco, tum p. 294 (551). et 328 (579).

P. 292 (550). αἴσχη] Ita recte *Combefisius* pro vulgato ἔσχη. Literae αι et ε crebro confunduntur. *Io. Philopon.* Comment. in *Aristot.* De Anima I. fol. 45. rect. 9. αὐτὸς δὲ ἐν τῷ ἑφεξῆς βιβλίῳ ἐρεῖ, ὅτι τοῦ πεζετάτου καὶ ἐσχάτου μορίου ἐστὶ τῆς ψυχῆς, λέγω δὲ τῆς φυτικῆς δυνάμεως. Legendum πεζαιτάτου, a πεζός, quam superlativi formam notabis. Apud eundem *Philopon.* Comment. in Aristot. De Anima II. fol. 103. rect. supr. αἰσθητῶν legendum pro ἐσθητῶν. *Nilo* ap. *Procop.* Comment. in Cant. Canticor. ed. Mai. p. 282. ἀκραιφνῆ pro ἀκρεφνῆ, et p. 298. ἀκραιφνὴς pro ἀκρεφνὴς restituendum. Vide *Boissonad.* ad *Planud.* Metaphr. *Ovid.* Metamorph. p. 273. meque ad *Io. Glyc.* De V. S. R. p. 63. 115. et ad *Eliam Cret.* col. 851 (4). sq.

P. 292 (550). πρὸς τὸ σύμμετρον καὶ εὐθὲς τοῦ δημιουργουμένου.] Εὐθὲς est forma Alexandrina pro εὐθύ. Vid. *Thom. Mag.* p. 383. sq. et quae VV. DD. in eum annotarunt.

P. 294 (550). ἵνα διὰ τῆς ἀναπλάσεως ἐκτακῶσι καὶ ἐξαφανισθῶσι πάντα τὰ ἐν αὐτῷ μωμήματα.] Pessime *Combefisius* ἐκκακῶσι. Tu conf. p. 244 (533) αἱ ἐκτακεῖσαι ἐν νόσοις σάρκες. p. 286 (547) ἐκτακείσης τῆς ἁμαρτίας. p. 324 (577) ἐκβληθῆναι γὰρ αὐτὸν πρότερον καὶ ἐκτακῆναι δεῖ.

P. 294 (550). ἀναμορφοποιηθῆναι] Ἀναμορφωποιηθῆναι pessime *Combefisius*.

P. 294 (551). εἰς νεῖκος] Loco vulgati εἰς νῖκος, *in perpetuum*, εἰς νῖκος ex *Cornarii* et *Petavii* coniectura receptum nollem. Conf. p. 672 (774) ἕως ἐξαγάγοι τὴν κρίσιν εἰς νῖκος. Vid. *Schleusner.* Lexic. in Nov. Test. ed. IV. T. II. p. 208.

P. 294 (551). τὸ ἀφανίσαι τὴν ῥίζαν τῆς πονηρίας τελείως] *Leontius:* τὴν ῥίζαν τελέως τῆς πονηρίας, quod minime displicet; nam et traiectum τελέως maiorem vim habet, et forma τελέως vulgari τελείως praeferenda est. Conf. p. 288 (548) τελέως ἐκ βάθρων ἀπολομένης τῆς ἁμαρτίας. p. 332 (547)

ὅπως τελέως ἐκτέμνωμεν Ὕδραν. Miror, si codd. mss. consentiant in vulgato τελείως p. 274 (540). Vid. annot. in *Eliam Cret.* col. 773 (4).

P. 294 (551). Ἡ . . . ταῖς ῥίζαις αὐτῆς ἀναίρεσις] Τῆς ῥίζης (non ῥίζας) *Leontius*. Sed ταῖς ῥίζαις longe significantius dictum. Conf. p. 288 (547) ἵνα . . ἡ ἁμαρτία κάτωθεν αὐτόπρεμνος πᾶσα διαφθαρῇ.

P. 296 (551). ἀλλὰ μή τι στειρώσαντα τὸ ὅσον ἐπ' αὐτῷ καὶ συμπιλήσαντα] Μή τι recte repositum est pro vulg. μὴ ὅτι. Deinde τὸ ante ὅσον *Leontius* omisit, et facile articulo caremus, quum ὅσων ἐπ' αὐτῷ per se sit *quantum in ipso situm est*. Quod autem *Leontius* in seqq. συμπλήσαντα pro συμπιλήσαντα habet: συμπιλεῖν est *compingere*.

P. 296 (551). εἵλατο τὸ βλάπτον τοῦ συμφέροντος μᾶλλον προτιμῆσαι.] Εἵλετο *Leontius* pro vulg. εἵλατο, quae forma post paulo p. 296 (552) recurrit. Adde εὕρατο p. 342 (587). Vid. *Lobeck.* ad *Phrynich.* p. 183. *Winer.* Gramm. Idiom. N. Foed. §. 13. 1. a. Ἑλέσθαι tamen *Methodius* p. 336 (583) et ap. *Phot.* cod. 236. p. 307. *b.* 39. ed. Bekker.; ἐξελέσθαι idem ap. *Epiphan.* p. 298 (552). Ceterum *Leontius*: πρὸ τοῦ συμφέροντος μᾶλλον τιμῆσαι. Sed προτιμᾶν cum genit. tritum est. Μᾶλλον προτιμᾶν recurrit p. 318 (574).

P. 296 (551). κακίας καὶ ἀρετῆς τὰ ἀμοιβαῖα] Pro καὶ *Leontius* ἢ, quae scriptura scioli manum prodit.

P. 296 (552). Τοῖς μὲν γὰρ μὴ μετὰ σπουδῆς, ἀλλὰ ἀγεννῶς ἐμπίπτουσι τοῖς λόγοις —] Ἐγκύπτουσι loco vulgati ἐμπίπτουσι reponi iubeo, collatis illis, quae paulo post sequuntur: τὸν μὴ φαύλως τούτοις ἐγκύπτοντα. Adde *Epiphan.* p. 470 (656) δέδια ὡς εἰς πόσον ὄγκον βυθοῦ διανοημάτων ἐγκύπτειν πειρᾶται ὁ τῆς ἡμῶν βραχύτητος μικρὸς νοῦς.

P. 296 (552). διὰ τῶν ἐθελοκακούντων τιμωρὸν δίκην] Quo rationi grammaticae satisfiat, oportet scribatur: διὰ τὴν τῶν ἐ. τ. δ.

P. 298 (552). ἀποκτέννυται καὶ θνήσκει] Scribendum: ἀποκτίννυται. Neque enim plebeium ἀποκτέννεται, de quo vid. annot. ad p. 438 (640). *Methodio* obtrudere ausim.

P. 298 (552). ἵνα αὖθις ζῶον πλασθῇ καὶ ὑγιές.] Dato pignore spoponderim, *Methodium* scripsisse: σῶν . . καὶ ὑγιὲς, non ζῶον . . καὶ ὑγιές. Librarius imperitus, qui vocem σῶν ignoraret, mendosum ζῶον ex praegressis: ἵνα αὖθις ἀνασταθῇ καὶ ζήσῃ, exsculpsit. Sic σῶς cum ζῶν confundi solet; vid. *Schaefer.* Not. in *Longi* Pastoral. p. 346. sq.

P. 300 (554). διασυνίστησιν] Ita cl. editor optime pro vulg. δ' ἃ συνίστησιν. Διασυνίστημι, *corroboro*, est exaggeratum συνίστημι, de quo vid. annot. in T. I. p. 226 (116). Praepositio διὰ, ut Lat. *per*, vim simplicium verborum in compositis auget, velut in διαβεβαιοῦμαι (T. III. p. 96, 860), διαλαλῶ (T. III. p. 122, 875), διαμαρτύρομαι (T. III. p. 72, 874), διεγείρω (T. III. p. 166, 899), διευκρινῶ (T. III. p. 98, 861), inque sexcentis aliis. Vid. *Abresch.* ad *Cattier.* p. 70. sqq.

P. 300 (555). μετὰ τὴν ἐκφλόγωσιν . . . πάντων καὶ τὸν βρασμόν.] Βρασμὸν *aestum Petavius* interpretatur; sed βρασμὸς est *expurgatio*, similitudine sumta ab iis, qui frumenta vanno expurgant. Vid. *annot.* in T. I. p. 340 (182).

P. 302 (555). κατὰ τὴν εἰς τὸ φαιδρότατον ἁπάντων ἐξαλλαγήν·] Apud *Combefisium* εἰς male omissum; idem tamen recte φαιδρότερον. Conf. supra dicta: τὴν εἰς τὸ κρεῖττον καὶ ἐνδοξότερον . . μεταβολήν, et pro-

xima: τὴν πρὸς τὸ ἄμεινον .. καὶ εὐμορφότερον τροπὴν τοῦ πρόσθεν σχήματος, in quibus *Combefisius* εἰς pro πρὸς, recte, ut videtur. Conf. seqq.: τρεπομένης εἰς μέγεθος καὶ κάλλος τῆς ἡλικίας τοῦ νηπίου.

P. 304 (556). ἀνάγκη δὴ σαρκῶν ὡσαύτως ἐκείνοις γυμνοὺς ἔσεσθαι δεῖν·] Ἀγγέλους *Combefisius* ante ἔσεσθαι perperam inculcat. De pleonasmo: ἀνάγκη — δεῖν, vid. annot. ad p. 256 (540. 560).

P. 304 (556). οὔτε εἰς ἑτέρων πάλιν οἱ ἄγγελοι.] Placet, quod pro οὔτε *Combefisius* exhibet οὔτ' αὖ πάλιν. Vid. annot. ad p. 276 (541). Idem *Combefisius* εἰς ἑτέραν, non magis recte, quam post paulo εἰς τὴν ἄλλην pro εἰς τὴν ἄλλων. Si quid nostro loco mutandum est, εἰς τήν ἑτέρων scribi malim. Conf. praegressa: οὔτε .. εἰς τὴν τῶν ἀγγέλων ἰδέαν μετασκευάζονται, et quae mox sequuntur: οὔτε εἰς τὴν τῶν ἀγγέλων, οὔτε εἰς τὴν τῶν ἑτέρων μορφήν.

P. 304 (556). καταστα θείς] Ταχθεὶς *Combefisius*, quae scriptura glossema olet. Recurrit καταστα θείς, infinitivo tamen non adiecto, p. 336 (583) ἐν μέσῳ τοῦ πονηροῦ καὶ ἀγα θοῦ καταστα θείς.

P. 304 (556). Χρὴ γὰρ ἐν τῷ ἰδίῳ τῆς ἕξεως ἑαυτοῦ τύπῳ τῶν γενητῶν ἕκαστον μένειν] Αὐτῶν τόπῳ pro ἑαυτοῦ τύπῳ *Combefisius*, utrumque male. Ἑαυτοῦ tueor, collato *Platone* Tim. p. 42. E. ἔμενεν ἐν τῷ ἑαυτοῦ κατὰ τρόπον ἕθει. Polit. p. 272. E. εἰς τὴν αὑτοῦ περιωπὴν ἀπέστη. Ἕξει autem τύπος, non τόπος convenit, estque ὁ τῆς ἕξεως τύπος idem, quod ἰδέα et μορφὴ in superioribus.

P. 304 (556). τὰ ἀκραιφνῆ φῶτα τῶν Σεραφίμ] Τὰ ἀκράτητα καὶ ἀκραιφνῆ *Combefis.*, qua in lectione ἀκράτητα ex corrupto ἄκρατα ortum esse, veri est simillimum. Ἄκρατα autem librarius properans ante ἀκραιφνῆ facile omisit. Certe vox ἄκρατος rei valde accommodata est. Vid. annot. in *Eliam Cret.* col. 827 (2). De voce ἀκραιφνὴς vid. Prolegom. in *Io. Glyc.* p. XXXVII. et conf. *Epiphan.* p. 624 (747) τὸ ἀκραιφνὲς τῆς ἄνω τάξεως. p. 642 (575) πρὸς ἐκείνην τὴν μίαν ἀκραιφνῆ καὶ τελείαν οὐσίαν. T. III. p. 36 (827). 110 (868). 234 (938). 260 (953). 268 (958). 292 (971). 302 (978). ne plura cumulem.

P. 304 (557). ἃ παρεστήκασι τῇ μεγάλῃ βουλῇ διακρατούσῃ τὸ πᾶν] Διακρατοῦντα *Combefisius*. Atqui non angelorum est διακρατεῖν τὸ πᾶν, sed Dei, quem μεγάλην βουλήν, id est *summam providentiam*, *Methodius* nuncupat. Διακρατεῖν in hoc argumento Stoicae est consuetudinis. Videsis mea ad *Gregor. Nyss.* De Anima et Resurrect. ed. Krabinger. p. 184.

P. 306 (558). ἵν' ὥσπερ] Ἵνα ὥσπερ *Combefisius*, molesto hiatu. Deinde οὕτως idem in illis: οὕτω καὶ ἡμεῖς. Sed οὕτως ante consonam suam quandam vim habet ac frequens est tum apud alios scriptores, tum apud *Methodium* et *Epiphanium*. Vid. annot. in *Eliam Cret.* col. 809 (1) et conf. *Epiphan.* T. III. p. 22 (820). In seqq., quo structura sibi constet, σχολάζωμεν pro σχολάζοντες, et, quod *Petavius* coniecit, τῷ βλέπειν pro τοῦ βλέπειν legi oportet.

P. 306. 308 (558). Ὥσπερ καὶ τὸ μὴ ὑπάρχον χρυσὸς, ἐγγὺς δὲ τοῦ εἶναι χρυσὸς, πεφυκὸς ὡς χρυσὸς λέγεται —] Εἶναι χρυσὸς πεφυκὸς, ὡς χρυσὸς λέγεται *Combefisius*, ut πεφυκὸς praegresso ὑπάρχον respondeat et ὡς χρυσὸς λέγεται per se ponatur. Quae ratio quum commendetur proximis οὐκ ἂν ἐλέγετο ὡς χρυσὸς, tum corroboratur repetitis iisdem verbis ὡς χρυσὸς λέγεται.

P. 308 (558). ἀλλὰ ἐγγὺς τοῦ εἶναι χρυσές] Quod ex marg. *Scholii* repositum est ἐγγὺς, *Combefisius* vidit supplendum esse.

P. 308 (559). Εἰ δέ τις τὴν ἀνάστασιν ἐπὶ τῆς ψυχῆς καὶ μὴ ἐπὶ τῆς σαρκὸς βιάζεται λέγειν ἔσεσθαι, πολλὴ μὲν μωρία τούτῳ καὶ ἀλογία.] Λέγειν non in λέγων commutari, sed deleri velim; glossema enim eius esse videtur, qui nesciret βιάζεσθαι cum accus. et infinitivo esse *summa contentione disputare* sive *pugnare*, *aliquid esse*. Conf. *Epiphan.* T. III. p. 252 (948) ὡς ἐκ τούτου βιάζεσθαι τὸ ἀνέμοιον τοῦ υἱοῦ πρὸς πατέρα σημαίνειν. Τούτῳ in cod. Rhedig. omissum est; sed scribendum τοῦτο, deleta, quae post τούτῳ vulgo ponitur, virgula.

P. 308 (559). Καὶ δεῖ γὰρ —] Haec a vulg. scriptura Λέγει γὰρ nimis recedunt. Satis erit scribere Δεῖ γὰρ, quod *Petavius* suasit.

P. 310 (559). μή τοι ληροῦντά γε] Melius scripseris: μήτοι — γε. Proxime θᾶτερον malim quam θάτερον, uti p. 312 (571) et alibi.

P. 310 (559). ἀνόλεθρον καὶ ἀθάνατον εἶναι] Hoc loco et post paulo in illis: ἀθάνατον .. εἶναι καὶ ἀνόλεθρον .. τὴν ψυχήν, ex ed. Basil. Atticam repone formam ἀνώλεθρος, quae exstat p. 278 (542). Vid. *Lobeck.* Parerg. ad *Phrynich* p. 705.

P. 310 (560). τίς μηχανὴ καὶ ἐκ τοῦ κλιθέντος μὴ οὐχὶ προσδοκᾶν τὸ ἀναστήσεσθαι καὶ ἐκ θανόντος τὸ ἀναστήσεσθαι;] Offendor repetito ἀναστήσεσθαι et posterius in ἀναβιώσκεσθαι commutari malim, collatis proximis: καὶ γὰρ ἡμεῖς ταῦτα οὐκ ἐξαπατώμενοι ὁμολογοῦμεν, ἐκ τῶν τεθνεώτων σωμάτων τὸ ἀναβιώσκεσθαι συμβαίνειν. Ante θανόντος articulum τοῦ excidisse puto.

P. 312 (560. 570). Ὁ θεὸς γὰρ αὐτῷ .. τὰς ψυχὰς .. ὡς εἰς παγίδα τὴν σάρκα δίκην ὑφέξουσαν τῶν ἡμαρτημένων ἐμβιβάζει] Quo oratio, antea misere discerpta, nunc ope codicis Ven. resarta, prorsus sarta et tecta sit, pro ὑφέξουσαν scribendum est ὑφεξούσας, quod ad τὰς ψυχὰς refertur.

P. 312 (570). ἐξημάρτοσαν] Ocius repone ἐξημάρτησαν. Recte post paulo ἡμάρτησαν, ubi ed. Basil. et Petav. male item ἡμάρτοσαν.

P. 312 (571). ἢ χωρὶς σώματος ἡμάρτομεν διαγόντες] Διαγαγόντες rescribe.

P. 314 (571). τοῖς οὕτω ὑπ' αὐτῶν προπετῶς εἰρημένοις] Οὕτως ante consonam ferri potest (vid. annot. ad p. 306, 556); neque vero vice versa οὕτω, ut hoc loco, ante vocalem ponitur. Quare οὕτως scribendum.

P. 314 (572). ἐπειδήπερ ἐν φλογὶ τοσαύτῃ καὶ ὑγρασίᾳ καταγίγνεται] Ad verba ἐν φλογὶ τοσαύτῃ confer *Alexandrum Aphrodis.* Problem. Med. et Phys. I. 63. ubi causam reddit, cur recens nata pereant: ἀπὸ γὰρ θερμῶν σωμάτων .. τῆς μήτρας εἰς ἄγαν ψυχρὸν ἔξεισιν.

P. 316 (572). Τερετισμὸς οὖν ἐστι καὶ τραγικολογία τὸ καταβάλλεσθαι λέγειν τὰς ψυχὰς ἐκ τῶν οὐρανῶν] *Hemsterhusius* in Addendis ad *Thom. Mag.* p. 908, 3. ubi de voce τερέτισμα praeclare disputat, hunc locum minime neglexit, in eo tamen falsus, quod tanquam Epiphaniana excitat, quae sunt *S Methodii* apud *Epiphanium*. Nomen τραγικολογία explicari potest translato vocis τραγικὸς usu, de quo vide *Menag.* Dictionar. Etymolog. Linguae Francogall. T. II. p. 187. *Uster.* ad *Plutarch.* Consol. ad Apollon. p. 12. meque Symbol. ad *Philostr.* De Vit. Sophist. p. 62. sq. 106. a.

Λόγοι τραγικῶς κεκοσμημένοι notantur a *Methodio* ap. *Epiphan.* p. 262 (563). Nostro tamen loco fortasse legendum est: τερατολογία.

P. 316 (573). οὐδ' αὐτὸ σῶμα παγὶς τοῦτο] Lego: οὐδ' αὖ τὸ σῶμα παγὶς τοῦτο. Τὸ σῶμα τοῦτο est *corpus, quod digito demonstrari potest.* Conf. p. 346 (589) εἰ τὸ σῶμα θάνατον τοῦτο . . ἔλεγεν (ubi θάνατον traiectione interpositum, ut παγὶς nostro loco). ibid. οὐ τὸ σῶμα τοῦτο . . θάνατον . . λέγει. p. 328 (579). Pluralem cum traiectione habes p. 308 (558) τὰ σώματα διὰ τοῦτο ταῦτα μὴ ἀνίστασθαι. Similiter ἡ σὰρξ αὕτη dicitur p. 286 (547) ὁ ὁριζόμενος τὴν σάρκα μὴ εἶναι ταύτην ἀθανασίας δεκτικήν —. quibus traiectio item inest, pariter ac verbis infra enotatis p. 330 (580) ὁ Παῦλος cet.

P. 316 (573). τὸν ἀληθῶς Ὀλυμπιακὸν ἀγῶνα νικῆσαι προσθείς.] Scribendum: προθείς. Quemadmodum enim προκεῖσθαι et passivum προτίθεσθαι in usu sunt de certaminibus et certaminum praemiis (conf. *Xenoph.* Cyrop. I. 2. 12. εἰσὶ δὲ καὶ δημόσιοι τούτων ἀγῶνες καὶ ἆθλα προτίθεται, et vid. *Creuzer.* ad *Plotin.* De Pulcrit. p. 324. sq.), ita qui ea proponunt, προτιθέναι vel media forma προτίθεσθαι dicuntur. *Thucyd.* II. 46. ἡ πόλις . . . στέφανον τοῖσδέ τε τῶν τοιῶνδε ἀγώνων προτιθεῖσα. *Aelian.* Var. Hist. II. 41. οἰνοποσίας γοῦν ἀγωνίαν (leg. ἀγῶνα) προὔθηκε.

P. 318 (574). Εἰς δὲ ἐκεῖνο διασκεπτέον —] Scribendum: Ἔτι δὲ ἐκεῖνο διασκεπτέον —, quum in usu sit διασκέπτεσθαί τι, non — εἴς τι. Conf. p. 258 (561). 298 (553). Pari mendo par medela adhibenda est ap. *Epiphan.* T. III. p. 68 (844) παρελεύσομαι καὶ τοῦτον καὶ εἰς τὰς ἑξῆς διασκοπήσομαι. Εἰς uncis notavit *Petavius;* sed hic quoque ἔτι pro εἰς scribi oportet.

P. 320 (575). Τὰ γὰρ δὴ σώματα κατασκευάζουσιν αὐταῖς ὕστερον ἐπὶ τιμωρίᾳ] Qui aliquid fieri docent, id facere argute et interdum, ut hoc loco, leni irrisione dicuntur. Quo ex genere sunt illa *Platonis* Phaed. p. 99. B. ὁ μέν τις δίνην περιτιθεὶς τῇ γῇ ὑπὸ τοῦ οὐρανοῦ μένειν δὴ ποιεῖ τὴν γῆν, ὁ δὲ ὥςπερ καρδόπῳ πλατείᾳ βάθρον τὸν ἀέρα ὑπερείδει. ubi vid. *Ast.* Annot. p. 742. Ex posterioris aetatis scriptoribus *Gregorius Nyssenus* eiusmodi eleganter dictis impense delectatus est. Conf. Dialog. de Anima et Resurrect. p. 212. C. εἰς ἀναίρεσιν καὶ ἀνυπαρξίαν τὴν ψυχὴν μετὰ τὴν διάλυσιν τῶν σωμάτων ἄγειν. p. 232. B. οἱ πρὸς διαφόρους φύσεις τὴν ψυχὴν μετοικίζοντες. p. 235. A. φύρουσι τὰ ἄμικτα καὶ ἑνοῦσι τὰ ἀκοινώνητα. — B. — ὅθεν τὴν ψυχὴν διὰ κακίας ἀπώκισαν, ἐκεῖσε πάλιν αὐτὴν . . ἀνοικίζουσιν. p. 240. D. τὰς ἀτόπους ἐκείνας δογματοποιίας . . τῶν διὰ κακίας τὰς ψυχὰς εἰςοικιζόντων τοῖς σώμασιν. Alia ex aliis scriptoribus consignavi Animadvers. in *S. Basil.* I. p. 62.

P. 320 (575). ἐπειδὴ ἄληπτος οὖσα ἡ ψυχὴ cet.] Ἐπεὶ [ἡ] *Petavius;* sed praestat ἐπειδή, quod receptum est, quamquam ex particulis causam indicantibus ἐπεὶ et ἐπειδὴ rarius ἐπεὶ *Methodio* usitatum est et nonnunquam in ἐπειδὴ abiit. Conf. annot. ad p. 340 (586) inf.

P. 322 (576). Κἂν ὁ γενναῖος οὗτος ἰατρὸς τῶν ῥητῶν . . . τὸν νοῦν ἐβιάσατο μεταπλάσαι τοῦ ἀποστόλου, ἀνόητόν τι παθὼν λίαν καὶ παιδικόν.] Primum, deleto ante Κἂν puncto, virgulam pone et scribe: — μηνύει, κἂν —. Deinde pro vulg. ἀνίατόν τι scribendum, quod *Petavio* visum, ἀνιατρόν τι, id est: *rem medico indignam.* Conf. quae in praegressis cum ironia dicuntur: ὁ γενναῖος οὗτος ἰατρὸς τῶν ῥητῶν,

et quae post verba: ἀνίατρόν τι παθὼν λίαν καὶ παιδικὸν, deinceps inferuntur: Ἀντὶ γὰρ — — κατατέμνων τὰ μέλη.

P. 322 (576). Ἐὰν δέ τις — — διαβάλλειν αὐτὸν τὴν σάρκα νομίζει καὶ παραιτεῖσθαι, παραφέρητε ὅσα τοιαῦτα ἄλλα εἴρηται — —. Λεκτέον αὐτῷ cet.] Rescribe: νομίζῃ — — παραφέρῃ τε, et ante λεκτέον virgula interpunge.

P. 324 (576). Ἕτος γὰρ αὐτῷ σαρκικῶς τὸν οὕτως ζῶντα ἄνθρωπον λέγειν] Repone: σαρκικὸν, collatis proximis: καθάπερ καὶ ψυχικὸν ἄνθρωπον τὸν ἀπηλγηκότα πρὸς τὴν ἀλήθειαν ἀτενίσαι.

P. 330 (580). ὁ Παῦλος καὶ οἱ προφῆται σῶμα γινώσκουσι τὴν σάρκα ὀνομάζεσθαι ταύτην] Ὀνομάζεσθαι salva sententia omitti poterat. Conf. illa in seqq.: ἰατροὶ .. σῶμα γινώσκουσι τοῦτο τὸ βλεπόμενον. et illa: ὁ ἀπόστολος .. σῶμα γινώσκειν τοῦτο ὃ περικείμεθα συνίστησι. Non minus otiosa sunt verba ὀνομάζεσθαι et καλεῖν, in seqq. voci ἐπίσταται, sic adiecta: Ὁ γάρ τοι Μωϋσῆς .. οὐ σῶμα τοῦτο ὀνομάζεσθαι ἐπίσταται, ὃ λέγομεν —. Τί δὲ καὶ ὁ Ἰώβ; οὐ σῶμα ἐπίσταται καὶ αὐτὸς τὸ νεκρούμενον καλεῖν; Mihi haec verba de interpolatione suspecta sunt. Vid. annot. in T. I. p. 48 (14). De traiectis verbis: τὴν σάρκα .. ταύτην, supra dixi ad p. 316 (573).

P. 330 (580). Ἆρα μὴ —;] Scribendum: Ἆρα μὴ —; ut est apud *Platonem* Phaed. p. 64. C. Omisit Noster τὴν ante τῆς ψυχῆς, τὸ ante τεθνάναι et ἀπὸ ante τοῦ σώματος, nisi forte haec exciderunt.

P. 332 (581). Ἴδωμεν δὴ οὖν — — P. 348 (590) — βασιλεύουσαν τῆς σαρκός.] Haec omnia, multis tamen partibus in brevius contracta, *Photius* in excerpta sua retulit cod. 234. p. 294. a. 24. — p. 297. a. 4. quem *Combefisius* in Methodio suo (apud *Gallandium* Biblioth. Patrum T. III. p. 785. A. — p. 789. D.) secutus est. Ea, in quibus *Photius* a lectione vulgata vel recens recepta discrepat, haec sunt:

Ἴδωμεν] Lectionem, ex cod. Ven. receptam, habet *Photius*, ex quo eam reponi iusserunt *Combefisius* ap. *Galland.* p. 786. et *Galakerus*, ab *Oehlero* laudatus. Sed lectio olim vulgata ἴωμεν recte habebit, si modo, quod *Petavius* suasit, ἐφ' ante ἃ adiiciatur. Respiciuntur enim hoc loco supra dicta: εἰς τὸ προκείμενον πάλιν ἐπανελεύσομαι, et ἴέναι ἐπί τι dicuntur, qui disputationem de aliqua re aggrediuntur. Cf. *Epiphan.* T. II. p. 702 (792). T. III. p. 188 (912). 328 (993). 462 (1067) ἐπὶ τὴν ἔτι μίαν περιλειφθεῖσαν ἴωμεν πάλιν. — δὴ οὖν] δέ. — ἃ τό] τί ἦν ὅπερ. — χωρὶς νόμου ποτὲ, λεχθὲν αὐτῷ ἄνω, τὴν] λεχθὲν αὐτῷ χωρὶς νόμου ποτὲ, τὴν ἄνω *Photius* cum cod. Ven., melius, ut *Oehlero* visum. — καθάπερ] Ita *Phot.* cum cod. Ven. pro vulg. καθάπαξ. — ἐκτός τε] ἐκτὸς δὲ, omissis praegressis ἐπειδὴ ... ἄνθρωπον. — ἀλόγου] Omissum, male, quum ἐπιθυμία ἄλογος *Methodio* usitata sit formula. — προσβολάς] Confirmat *Photius* lectionem, loco vulgatae προσβολαῖς ex cod. Ven. repositam, quam *Petavius* coniectura assecutus est. — βιαζομένης ... ἀκρασίαν] Omissa, brevitatis gratia, ut plurima alia. — ἔχον] ἔχειν, male. — λογισμοῦ] λογίου, male. — ποίῳ χρῆσθαι αἱρεῖται πολιτεύματι] ποίῳ δεῖ χρῆσθαι πολιτεύματι, recte sublato αἱρεῖται, quod sententiam turbat. Conf. praegressa: καθ' ὃν δεῖ πολιτεύεσθαι. — ἵνα δικαίως ᾖ τιμηθῇ] Ita *Oehlerus* cum *Photio* pro vulg. ἵνα ἰδίως ᾖ τιμηθῇ. — λεκτέον] λέλεκται, quod opitulatur scripturae λεκτέον, ex cod. Ven. receptae; male vulgo δεικτέον. — P. 332 (582) τούτων ἐπιθυμῆσαι] τού-

των τις ἐπιθυμῆσαι, recte; conf. illa in seqq.: Πῶς γὰρ οὐ μὴ κεκώλυται τις — τούτου ἐπιθυμεῖ —; — ἐπιθυμήσει] ἐπιθυμήσῃ, quod praestat. — οὐχ[ί] οὐκ. — ἀλλ' ἐπί] Ita *Photius Bekkeri*; ἀλλὰ ἐπὶ *Combefisius*. — δὲ ἐν] δ' ἐν. — ἐπιθυμεῖ καὶ] Omissa. — Διὰ τοῦτο] ὅθεν διὰ τοῦτο. Conf. p. 386 (583) ὅθεν ἐντεῦθεν. —

P. 334 (582). Ἀκούσαντες] Ita *Oehlerus* cum *Photio* pro vulg. Ἀκούσας. — ἐνεκίσησαν] ἐκίσησαν *Photius* p. 294. *b.* unde *Combefisius Petavii* lectionem ἐνεκίσησα in ἐνεκίσησαν mutari recte iussit. Conf. *Epiphan.* T. III. p. 202 (920) διαβολικὴν ἐνέργειαν ἐν ἑαυτοῖς ἐγκισσήσαντες. p. 480 (1048) ἐκτρέψω τὸν ζόφον τῶν τὰ δεινὰ ἐγκισσησάντων. Nova voce ἐγκίσσημα idem utitur T. III. p. 458 (1065) ἀμαυρούσθω ἐξ ὀφθαλμῶν τὸ ἐγκίσσημα τοῦ ξύλου. — Οὐ γὰρ ... οὐκ ἔχει] Omissa. — Διὸ δὴ καλῶς, Τὴν ἐπιθυμίαν οὐκ ἤδειν, ἐλέχθη] Διὸ δὴ τὴν ἐπιθυμίαν καλῶς οὐκ ἤδειν ἐλέχθη, traiectione paulo audaciore — ὃ δή ἐστιν] οὐδὲ ἐσθίειν, εἰ μὴ εἴρητο· recte, ut videtur. — Οὐ φάγεσθε] Μὴ φάγεσθε *Combefisius*; sed οὐ φάγεσθε *Photius Bekkeri*. — τόπον καὶ ἀφορμήν] τόπον καὶ omissa; deinceps εἰς pro εἰσελθεῖν πρός. — καὶ παρατρέψασθαι] Omissa. — διὰ τῆς ἐντολῆς] Omissa. — παρορμήσας με .. κεκωλυμένων] Omissa. — οὐδὲ οὖσης οὐδέπω] Omissa. — ἀμέμπτως πρὸ τῆς ἐντολῆς] πρὸ τῆς ἐντολῆς ἀμέμπτως. *Combefisius*: „*Al.* ἄμεμπτον βίον," quae est lectio codicis B. apud *Bekkerum*. — διορισμὸν καὶ διαταγήν] ἐπιταγήν, omissis διορισμὸν καί. — πολιτεύσασθαι] πολιτεύεσθαι. — ἧς καὶ ὁλισθήσας ἁμαρτήσομαι] Omissa. — καὶ εὑρέθη μοι ἡ ἐντολὴ εἰς ζωὴν αὕτη εἰς θάνατον] μοι, apud *Photium* vulgo omissum, *Bekkerus* ex cod. A. adiecit. Deinde *Photius* ἡ ante εἰς ζωὴν infert. Αὕτη, ut est apud *Epiphanium*, *Bekkerus*; vulgo αὐτή. — διαστείλασθαι, ὃ] διαστείλασθαί μοι ἃ, recte, ut videtur. — Ἡ γὰρ παραίνεσις τοῦ θεοῦ καὶ παραγγελία] Ἡ γὰρ ἐπαγγελία τοῦ θεοῦ, omisso καί. — καὶ κατ' αὐτὴν ... δι' αἰῶνος καί] Omissa. — ἀεὶ θάλλοντα] Ita *Bekkerus*; ἀειθάλλοντα *Combefisius* p. 786. perperam. Ἀειθαλὴς in usu est, non item ἀειθάλλειν, quod est nihili verbum. — ἀθετήσαντι δὲ καὶ αὐτήν] δὲ καὶ omissa, ut mox καὶ καταδίκην. — Ἐπειδή] ἐπειδή, antecedente virgula, recte. — καὶ εὑρετήν] Omissa. — P. 334 (583). ἐξηπάτησέ με καὶ ἀπατήσας ἀπέκτεινεν] ἀπατῆσαί με, ἀπατήσας ἀπέκτεινε, proxima voce ὑπεύθυνον post longius dissitum κατακρίματι transposita. — δικαία καὶ ἁγία] ἁγία καὶ δίκαια. — μὴ ἐπὶ τῷ βλάψαι, ἀλλὰ ἐπὶ τῷ σῶσαι] τῷ utrobique *Bekkerus* cum cod. B.; τὸ *Combefisius*. Prius ἐπί, pro vulg. ἐν, *Oehler.* ap. *Epiph.* ex *Photio* reposuit. Ἀλλ' ἐπὶ *Phot.*, ἀλλὰ ἐπὶ *Combefisius*. — Μὴ γὰρ οἰώμεθα ὅλως ἀνωφελές τι ποιεῖν ἢ βλαβερόν τὸν θεόν.] ὅλως omissum; deinde ἀνωφελές τι ἢ βλαβερὸν ποιεῖν τὸν θεόν, quod non praetulerim. — Τί οὖν τὸ ἀγαθόν —;] Τί οὖν; τὸ ἀγαθόν —; recte. — ὁμοίως] μοι ὡς recte, ut videtur. — καὶ ἐναπομάξασθαι κῆρας ὀλέθρου] Omissa, et deinceps αἰτία pro αἰτίας. Prius, quod *Combefisio* placuit, receptum nollem; nam εἴς τι γίνεσθαι αἴτιον insolitum est, κῆρες autem recte dicuntur ὀλέθρου αἰτίαι. — ἀλλὰ ὁ διάβολος] ἀλλ' ὁ διάβολος, melius. —

P. 336 (583). τὸ κακὸν ἐμοὶ κατασκευάσας] ἐμοὶ omisit *Combefisius*; habet *Bekkerus*, hac adiecta notula: μοι *add. A.* — καὶ τέκτων] omissum, brevitatis gratia. Nam diabolus recte vocatur τέκτων τῆς ἁμαρτίας.

Ἀρχιτέκτονα eundem eodem sensu nuncupat *Gregorius Naz.* Orat. XXVI. p. 473. C. ubi vid. *Elias Cret.* Comment. col. 885 (fol. 307. r. s.). Δημιουργὸν eundem usurpat *Methodius* p. 334 (582) δημιουργὸν αὐτὸν ἁμαρτίας ὑπάρχειν καὶ εὑρετήν. — καὶ διορισθῇ ... ἐπιτροπεύσας] Omissa. — κατ' οὐδέν] κατ' omissum, salva sententia. — ἐσκήνωται] ἐσκήνηται *Combefisius*, qua de διττογραφίᾳ vid. *Schneider.* ad *Plat.* Civit. X. p. 610. E. T. III. p. 257. a.; ἐσκήνηνται *Bekkerus*, male. — τοῦ πονηροῦ καὶ ἀγαθοῦ] τοῦ ἀγαθοῦ καὶ πονηροῦ. — ἵν' ἐπ' ἐμοί] ἵνα ἐπ' ἐμοί, quod displicet. — φησί, πρὸ προσώπου σου] Ita *Bekkerus* p. 295. a. 1.; πρὸ προσώπου σοῦ, φησί, *Combefisius*, perperam. — οἷον τῆς ἐντολῆς] Ita Bekkerus; οἷα τῆς ἐντολῆς *Combefisius*. — ὑπαχοῦσαι δὲ τοῦ ὑλικοῦ, οἷον τοῦ ὄφεως, τὴν συμβουλίαν] ἐπακοῦσαι δὲ τοῦ ὑλικοῦ, οἷον (οἷα *Combefis.*) τοῦ ὄφεως τῆς συμβουλίας. — ὑπὸ ἁμαρτίαν] ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν. — εἰσοικεῖσθαι] Ita vulgo apud *Phot.*; εἰσοικίσθαι *Combefis*, mendose; εἰσοικῆσαν *Bekk.* ex corr. A.; ἐνοικῆσαν cod. B. Εἰσοικισθὲν recte *Scalig.* ap. *Hoesch.* p. 969, a. — καθάπερ ... βομβῶν] Omissa. — ἐπιτειθείσης] Ita *Bekk.*; ἐντεθείσης. *Combefisius.* — Διὸ καὶ] τὸ additum, omissis proximis λογιζόμενος ... γνώσκω. — ἐπὶ τοῦ τελεσιουργῆσαι τὸ φαῦλον καὶ δρᾶσαι] ἐπὶ τοῦ δρᾶσαι τὸ φαῦλον. — λογισμῶν ... περιαγομένης] Omissa. — ὅλως] Omissum. — μὴ ἐμπίπτειν] πίπτειν. Sed κωλύειν μὴ cum infinit. recte habet, et *Photius* brevitati studet. — πρὸς δοκιμήν] προσδεχομένων, quod *Combefisius* ex *Epiphanio* corrigi voluit, recte, ut opinor. Conf. p. 340 (586) ἵνα γὰρ ἐγκριθῶμεν cet. et Ὁρᾷς γὰρ cet. p. 342 (586) δεῖ γὰρ ἡμᾶς δοκιμάζεσθαι, ὡς ἔφην. — μέν τοι] μέντοι, recte. — αὐτοῖς] omissum. — Ἐπεὶ πῶς ... (p. 338, 584) ... φιλοπραγμοσύνης ἀλόγου ἐμπιπλάντα] Omissa. Ceterum in hisce περὶ ante φιλοπραγμοσύνης delendum esse pulcre vidit *Petavius*, qui eam vocem uncis inclusit. —

P. 338 (584). τὸ μὲν θέλειν αὐτὰ μηδὲ ἐνθυμεῖσθαι παράκειται] μὴ ἐνθυμηθῆναι *Photius* pro μηδὲ ἐνθυμεῖσθαι. Tu confer verba, a *Petavio* correcta, p. 336 (584) ἃ μὴ θέμις μηδ' ἐνθυμεῖσθαι, in quibus male item μὴ ἐνθυμεῖσθαι scribi solebat. Ἐνθυμηθῆναι et in seqq. κατεργάσασθαι, quam ἐνθυμεῖσθαι et κατεργάζεσθαι, *Photius* scribere maluit propter πεισθῆναι, quod apud eum praecedit. Pro παραχεῖσθαι, quod est apud *Photium*, παράκειται recte *Combefisius*, idque *Bekkerus* coniectura assecutus est. — καὶ αὖθις] καὶ omissum. — ὅτι], οὖ, ὅτι, et est sane οὐ necessarium ad sententiam. Conf. p. 336 (584). — ἀλλὰ ... χρήσασθαι] Omissa. — τοῦτο ἀγαθὸν καὶ ἄμωμον] τοῦτο τὸ ἀγαθὸν καὶ πανάμωμον. Optime. — κατὰ τὸ ... τετράγωνον] Omissa. — θέλω] θέλων, et deinceps ἐννοούμενος ἃ pro ἐννοοῦμαι, ὅσα —. — ἐπισκέψασθε] Vulgo ἐπισκέψασθαι apud *Photium*, ut apud *Epiphanium*. Ἐπισκέψασθαι apud *Photium Combefisius* p. 787. coniecit et tacite reposuit *Bekkerus*. — ἑτέρῳ] ἑτέρᾳ *Combefisius*, adiecta nota: *Al.* ἑτέρῳ, et recte sic *Bekkerus*. — P. 338 (585). ὃ μισοῦμεν] ὃ male omissum; contra in seqq. πράττομεν recte adiectum post θέλομεν. — ποιεῖν αὐτὸ καί] Omissa, voce αὐτὸ post κατεργάζεσθαι illata. — διὰ τοῦ] διὰ τό. — λελέχθαι .. κακόν] Omissa. — ἀξιώσωμέν που] Ita *Combefisius* et vulgata; sed recte *Bekkerus* ἀξιώσομέν που. — ἀληθῆ] ἀληθῶς vulg. et *Combefisius*, adiecta nota: *Al.* ἀληθῆ. et recte sic *Bekkerus*. — ἐμίσει] *Photius* p. 295. b. ἐμίσει μὲν, voce μὲν post ἐβούλετο omissa. — ἀγαθόν] τὸ ἀγαθὸν, recte. — ὃ ἐβούλετο] Ita vulg. et *Combefisius*, hac

adiecta nota: *Al.* ὁ βεβούλετο, quod soloecum. — ἀλλὰ ἀντιστρόφως] ἀλλ' ἀντιστρόφως melius. — ὃ ἤθελεν] ἐποίει additum, praeter necessitatem. — Ἄρα γὰρ . . . (P. 340, 585) . . . Καὶ τὸ κορυφαιότατον] Omissa; est autem ἀλλὰ post κραιπαλᾶν delendum.

P. 340 (585). εἰς τὸ παντάπασιν] *Photius* ista, de suo adiecta, praemittit: Πῶς δὲ καὶ ἡμᾶς, omissis proximis ἡμᾶς ἐκ παντὸς ἀποδρᾶναι καί. — προτρέπων] προτρεπόμενος. — καθάπερ] καθώς. — οὐ τῷ ποιεῖν . . . ἀλλὰ τῷ μόνον λογίζεσθαι] Pro τῷ utrobique τὸ *Bekkerus*, priore loco ex margine, posteriore cum cod. A., recte; sunt enim haec breviter dicta et sic explicanda: οὐ τὸ ποιεῖν ὑπέθετο ἐν τοῖς προειρημένοις, ἀλλὰ τὸ μόνον λογίζεσθαι. — ἤθελε] ἤθελεν, omissis verbis καὶ πράττειν. — P. 340 (586). ἦ] ἦν, obliterato Atticismo. — μιμητὴς ἀκριβὴς τοῦ Χριστοῦ;] μιμητὴς Χριστοῦ ἀκριβής; — Νυνὶ δὲ . . . . . τῆς ψυχῆς αὐτοῦ;] Haec omnia *Photius* omisit. Sed absque eius ope nonnulla emendabimus. Primum pro vulg. περιεργασίας rescribe περιεργίας, collatis hisce p. 338 (584) μυρία τε περὶ μυρίων περιεργίας ἡμᾶς . . . ἐμπιπλάντα. Deinde, quo ratio grammatica sibi constet, in verbis εἰ μὴ μεταβαλλοίμεθα, ἀλλὰ . . . οὐκ ἐξιστάμεθα τῆς οἰκείας ἀρετῆς, oportet scribatur ἐξισταίμεθα. Ceterum inde a verbis: Ὅθεν δὴ γενναίως — usque ad illa p. 342 (587) κατὰ τῆς γνώσεως τοῦ θεοῦ, partim per se, partim cum *Photio* aliquam emendandi opem praestant *Leontius* et *Ioannes*, qui haec Rer. SS. libro II. (in *Mai* Collect. Nov. Vett. Scriptt. T. VII. p. 104) inseruerunt. — Ὅθεν δή] Δεῖ *Leontius* de suo, omisso proximo δεῖ. — ἀντιπαρατάσσεσθαι] ἀντιπαρατάττεσθαι *Leontius*, quod praestat. — οἷ ἐπειδάν] Horum loco *Leontius* ista de suo dedit: τοῖς ἐχθροῖς· ἐκεῖνοι γὰρ ἐπεὶ δ' ἄν (leg. ἐπειδάν). — ἀπό] ὑπὸ *Leontius*, recte. — τοξείας] τοξίας *Leontius*, deteriore forma. — ἕνεται] Ita *Leontius* quoque; tu rescribe: ἕνεται. — ἕστ' ἄν] ἕως ἄν *Leontius*, quod est interpretamentum rarioris formulae ἕστ' ἄν, quam *Methodius* frequentavit. — ἔξωθεν] Fuit, quum ἔσωθεν coniicerem propter adiecta verba διὰ τὴν οἰκοῦσαν ἁμαρτίαν ἐν ἡμῖν. Sed ἔξωθεν reliqua *Methodii* disputatione se tuetur. — καθαπερεί] καθάπερ ἡ *Leontius*; sed ἡ . . . ἡ excludendi vim habet, quae ab hoc loco aliena est. Quod autem *Methodius* pravas cogitationes, quae a diabolo nobis immittuntur, canibus assimilat: genii maligni cum canibus nonnunquam comparantur. *Synes.* Hymn. III. 90 — 94. Δαίμων ὕλας, | νεφέλα ψυχᾶς, | εἰδωλοχαρὴς, | εὐχαῖς σκύλακας | ἐπιθωΰσσων. Idem sibi volunt χθόνιοι κύνες *Orac. Chald.* ed. Opsop. p. 21. in quibus *Psellus* Schol. p. 90. plus vidit, quam *Pletho* p. 41. De diabolo ipso *Synesius* Hymn. IV. 245—248. Σεῦε δ' ἀναιδῆ | κύνα τὸν χθόνιον, | δαίμονα γαίας, | ψυχᾶς ἀπ' ἐμᾶς. — δοκιμάζοντες] δοκιμάζοντος *Leontius*, optime; nam per pravas cogitationes nos exagitat et examinat, qui eas, Deo admittente, nobis immittit diabolus. Conf. supra annotata ad p. 336 (583) πρὸς δοκιμήν. — ἁρπασθῆς, ὦ ψυχή] ὦ ψυχή, ἁρπασθῆς *Leontius*, quod non praetulerim. — οὐκ ἔξομεν] οὐχ ἕξομεν scribendum cum *Leontio*. Mendum peperit οὐκ ἔξωμεν, quod habet ed. Basil. — Καλὸν μὲν οὖν] ἦν addit *Leontius*, qui omissis verbis εἰ μὴ εἴχομεν . . . καὶ μαχομένους haec substituit: αὐτοὺς ἀντιπαρατάσσοντας ἡμῖν καὶ μαχομένους ἐπέχεσθαι. In quibus quod pro vulg. ἀντιπράσσοντας scribitur ἀντιπαρατάσσοντας: haec scriptura ferenda non est. Debebat saltem ἀντιπαρατασσομένους scribi. Adde, quod ἀντιπράσσοντας *Photius* confirmat, qui hoc loco in excerpendo pergit. Ceterum post οὖν virgula interpungendum cum

Photio. — ἦν ἄρα] ἦν ἂν *Photius;* sed ἂν in imperfecto conditionali saepe omitti notum est. Conf. p. 342 (586) ἦν γὰρ ἀνιδρωτὶ σωθῆναι. ubi *Photius* ἂν ἀνιδρωτὶ, praeter necessitatem. Ceterum delenda post ἄρα virgula, quae apud *Photium* recte deest. — χαρμότατον] χαρμιώτατον *Photius.* Sed utraque nihili vox est; scribendum: χαρτότατον. — Ἐπεί] ἐπειδὴ *Leontius;* tu vid. annot. ad p. 320 (575).

P. 342 (586). Θέλομεν γάρ] δὲ pro γὰρ *Leontius.* — ἡμᾶς] Omissum *Photio* et *Leontio*, salva sententia. — ἀνιδρωτί] ἂν ἀνιδρωτὶ *Photius*, voce ἂν a *Bekkero* ex cod. A. adiecta. Tu v. supra dicta. *Leontius* ἂν ἰδρῶτι, perverse. Ἀνιδιτὶ optime *Hoesch.* Not. p. 969. *a.* — γίγνεται] γίνεται *Phot.* et *Leont.*, vulgari forma pro Attica. — δ οὐ θέλομεν] μὴ pro οὐ *Leontius* perperam. — ὡς ἔφην] ὡς ἐχρῆν *Photius;* ἔχρην mendose *Combefisius*, qui tamen ἔφην ex *Epiphanio* reponi recte iussit. Conf. p. 336 (583) πρὸς δοκιμήν, et quae ibi annotavimus. — οὖν] Vocem, a *Combefisio* apud *Photium* uncis inclusam, *Bekkerus* delevit, verbis θέλομεν γὰρ μὴ ἔχειν . . . ὡς ἐχρῆν parenthesi ita seclusis, ut verba μὴ ἐνδιδῶμεν cet. apodosin faciant illorum: Ἐπὶ δὲ . . . οὐ δυνάμεθα. Quam rationem illud confirmat, quod *Leontius*, qui οὖν item omisit, ante μὴ ἐνδιδῶμεν nonnisi virgula distinxit. Ceterum *Leontius* omissis verbis ὦ ψυχὴ, μὴ ἐνδιδῶμεν pulcram conduplicationem delevit. Vid. annot. ad p. 262 (563). — τῷ πονηρῷ] ἐν τῷ πονηρῷ *Photius* ex vulg. lectione; sed ἐν *Bekkerus* iuxta cod. A. recte omisit. — ἀλλὰ ἀναλαβόντες] ἀλλ' ἀναλαβόντες *Photius*, melius. — καὶ προαγωνιζομένην] Omissa apud *Photium.* — ὑποδυσώμεθα] ὑποδησώμεθα *Photius* et *Leontius*, ut est Ephes. VI. 16.; ante *Bekkerum* apud *Photium* ὑποδυσώμεθα item male legebatur. — τῆς εἰρήνης] Voces, quae exstant Ephes. VI. 15., a *Photio* et *Leontio* absunt. — ἐν πᾶσιν ἀναλαβόντες] ἐπὶ πᾶσί τε ἀναλάβωμεν *Photius*, ἐν πᾶσί τε ἀναλαβόντες *Leontius.* Ἐπὶ πᾶσιν ἀναλαβόντες exstat Ephes. VI. 16. — P. 342 (587). ἐν ᾧ] Sic Ephes. VI. 16; ἐν ᾗ *Photius.* — δέξασθε] Sic Ephes. VI. 17.; sed non habent *Photius* et *Leontius*, et fortasse *Methodius* in Apostoli verbis memoriter pronunciatis τὴν περικεφαλαίαν ad ἀναλαβόντες retulit. — ὅ ἐστι] Sic Ephes. VI. 17.; ἥ ἐστι *Leontius*, ad sensum recte (conf. Hebr. IV. 12. Apocal. I. 16.), sed neglecta attractione, qua pronomen relativum non ad nomen μάχαιρα, sed ad insequens ῥῆμα θεοῦ refertur. Vid. *Winer.* Gramm. Idiom. Novi Test. §. 24. annot. 1. et §. 63. 1. *Ast.* Annot. in *Plat.* Phaedr. p. 489. sq. De Latinis vid. *Ochsner.* ad *Cicer.* Eclog. ed. III. p. 387. — πρὸς τὸ δύνασθαι στῆναι] πρὸς τὸ δύνασθαι ὑμᾶς στῆναι Ephes. VI. 13.; εἰς τὸ δύνασθαι στῆναι *Leontius.* — καθαιρεῖν] καθελεῖν *Photius*, quod cum στῆναι melius concinit. Respicitur II Cor. 10, 5. — θεοῦ] Sic II Cor. l. c.; χριστοῦ *Photius*, ex quo uno in seqq. scripturae discrepantia annotatur, *Leontii* excerptis hoc loco deficientibus. — Τούτου δὲ ἕνεκα . . . προῄρημαι νῦν.] Omissa sunt haec omnia, in quibus legendum: Τὸν γὰρ τύπον αὐτοῦ δεῖξαι μόνον καὶ τὴν βούλησιν προῄρημαι. Male vulgo: Τὸ γὰρ cet. — τοῦτο πράσσω] τοῦτο omissum. Tu confer Rom. VII. 15. — Σύμφημι] Ante hanc vocem ista adiiciuntur: εἰ δὲ ὃ οὐ θέλω, τοῦτο ποιῶ, virgula post ποιῶ posita. Recte; conf. Rom. VII. 16. Librarius a priore ποιῶ ad posterius aberravit, in medio posita omisit. — τοῦ θεοῦ] Omissa non exstant Rom. VII. 16. — καλός] Ita *Photius*, ad quem *Combefisius: Al.* καλὸν, eamque scripturam *Bekkerus* ex cod. A. annotavit. Ac fortasse *Methodius* neutro γνωμικῷ uti, quam καλός, ut est Rom. VII. 16., dicere maluit. —

οὐκέτι] Recte ita *Bekkerus*; οὐκ ἔτι *Combefisius*. — τουτέστιν] Recte ita *Bekkerus*; τουτέστι *Combefisius*. — Ὀρθῶς λέγων] Haec verba apud *Bekkerum* Apostoli verbis, nulla adiecta interpunctione, annectuntur. Recte, siquidem ad subaudita verba ὁ ἀπόστολός φησιν referuntur. — ἐν τοῖς ἔμπροσθεν ὡς ὁριζόμεθα] ὡς ἐν τοῖς ἔμπροσθεν διωριζόμεθα, qua in lectione praemissum ὡς displicet; nam *Methodius* transpositionibus mirum in modum indulget. Optime vero διωριζόμεθα, quod apud *Epiphanium* repone. — Εἰ καὶ σπεύδων ... ἐπὶ τέλος.] Haec omnia omissa. Est autem ante εἰ virgula, non puncto distinguendum. Pro διανύσαι fortasse legendum διανεῦσαι. — Οὐκοῦν ἐλέγομεν.] Haec, ut proxima εἰ μνημονεύετε, *Photius* omisit, qui verba ἀφ' οὗ cet. antegressis Οὐκοῦν ... διωριζόμεθα annexit. — Οὕτως] οὕτω. Sed οὕτως ante consonam apud *Methodium* frequens est. Conf. annot. ad p. 306 (558). — πρῶτον] Omissum. — σφαδαῖσμῶν] σφαδασμῶν: σφαδαϊσμῶν cod. A. apud *Bekkerum*, mendose, ut apud *Epiphanium*, quem corrige, collata annotatione in *Eliam Cret.* col. 757 (4). — πολύπλοκος] πολύτροπος *Photius* p. 296. *a.* 1. Tu vide Animadvers. in *S. Basil.* I. p. 122. — ἐνέπνευσεν] ἐνεφύσησεν, quod non praetulerim. Vid. annot. ad p. 344 (588). — βραχυπορησάντων ... τὸν κύκλον] Omissa. — εὕρατο] ἀνεύρατο, quod praestat. — τὸ ἀγαθόν] τὸν ἀγαθὸν *Combefisius* p. 788. operae typographici errore, ut videtur. — ἤδη] omissum; ac videtur sane haec vox magis ex mendose repetitis proximis ἧς δὴ orta, quam iisdem hausta esse. —

P. 344 (587). βλαστήματα] Ita *Combefisius* et *Bekkerus*; βλάστημα vulgo. — καὶ κλῶνες] Omissa. — P. 344 (588). ὁ μὲν — συνιστάμενος —, ὁ δὲ —] τὸ μὲν — συνιστάμενον —, τὸ δὲ — speciosius, quam verius. — ἐνθωπευούσης] ἐμφωλευούσης, optime; vid. annot. ad p. 290 (549). — ἐπινοίας] Ita *Photius* quoque; sed ἐπιπνοίας *Scaliger* perbene coniecit. Conf. p. 342 (587) πληρωθέντες ... ἐπιθυμίας ὑλικῆς, ἣν ὁ πολύπλοκος ἐνέπνευσεν εἰς ἡμᾶς ὄφις. quae verbis ὡς ἔφην nostro loco respiciuntur. Adde p. 344 (588) ὁ ἔξωθεν εἰσπνεόμενος ἀπὸ τοῦ πονηροῦ νόμος. Notandus autem est iste loquendi usus, quo voces, alias afflatum divinum declarantes (vid. Basil. Plotin. p. 30), de diaboli incentivis usurpantur. — ἐγενήθη] συνέστη, putide, propter praegressum συνιστάμενος. — καὶ ἐπανορθούμενον] Omissum; sed ἐπανορθοῦσθαι etiam de moribus corrigendis usurpari solet. — τῇ νομοθεσίᾳ τοῦ θεοῦ] τῇ μὲν νομοθεσίᾳ τοῦ θεοῦ, recte et congruenter proximis: τῇ δὲ νομοθεσίᾳ τοῦ διαβόλου. — ἁμαρτίαν] ἐπιθυμίαν. Tu confer, quae post paulo sequuntur: ἕτερον τὸν κατὰ τὴν ἁμαρτίαν ἐκ τῆς ἐπιθυμίας ἐνσκιρρώσαντα ἐν τῇ σαρκὶ, ὃν ἁμαρτίας νόμον οἰκοῦντα ἐν τοῖς μέλεσιν ἐκάλεσεν, nimirum Apostolus Rom. VII. 17. 23. Adde p. 346. supr. (589). — νόμος] Omissum; atqui vide Rom. VII. 23. — ὁ ἐν τῇ ἐπιθυμίᾳ τοῦ νοός] οἷον τῇ πρὸς τὸ ἀγαθὸν ὁρμῇ τοῦ νοὸς, quae ad praegressa τῷ νόμῳ τοῦ θεοῦ referuntur, quum vulg. scriptura ὁ ἐν τῇ ἐπιθυμίᾳ τοῦ νοὸς ad superiora ὁ γὰρ νόμος cet. spectet. Sed ἐπιθυμία τοῦ νοὸς secum ipsum pugnat, quoniam ὁ νόμος τοῦ θεοῦ, non ἐπιθυμία, est τοῦ νοός. Itaque scriptura Photiana *Methodio* restituenda est. Vulgatam ab Antipelagiano genuinae substitutam fuisse suspicor. — οὗτός ἐστιν] αὐτός ἐστιν. Verum οὗτος, non αὐτὸς, cum ἐστὶν et participio post subiectum (hoc loco ὁ νόμος) cum vi inferri solet. — παντάπασι ... ἑλκτικός] Omissa, brevitatis gratia. — ἀναφανδὸν ὁ Παῦλος] ὁ Παῦλος ἀναφανδὸν, traiectione

praeter necessitatem mutata. — ὅ] ὃν, recte; conf. proxima: ἕνα δὲ —, ὃν — ἔφη. — νοὸς ἐκάλεσεν] ἐκάλεσε νοὸς, traiectione neglecta. — ἐνιστάμενον] συνιστάμενον νόμον. Atqui ἐνιστάμενον, *qui urget*, cum praegressis ἐκ προσβολῆς, *ex appulsu*, aptius coniungitur, et νόμον putide repetitur. — ἕτερον] τρίτον. Atqui ἕτερον idem quod τρίτον post praegressa ἕνα μὲν —, ἕνα δὲ — . — ἐνσκιρώσαντα] σκιρώσαντα *Combefisius*, *Bekkerus* et vulg. scriptura; σκιῤῥώσαντα *Combefisius* in annotatione, paulo melius. Sed *Epiphanii* lectio praestat, si modo ἐνσκιῤῥώσαντα scribatur. Σκίῤῥος quid sit medicis, te docebit *Foesius* Oeconom. Hippocrat. h. v. Translate vox de inveteratis vitiis usurpatur, velut a *Galeno* Opp. ed. Basil. T. I. p. 362. Idem valet de verbis σκιῤῥόω, ἀποσκιῤῥόω, ἐνσκιῤῥόω. *Melet.* De Nat. Hom. ed. Cramer. p. 47. ἔστι δὲ ψυχῆς ἦθος ποιότης τοιάδε ἀπεσκιῤῥωμένη καὶ δυσαπόβλητος, τουτέστι παγία καὶ εἰς ἕξιν ἐλθοῦσα. Corrige *Hoeschel.* ad *Phot.* p. 969. a. — ἐπιβαίνων ὁ πονηρὸς καί] Omissa, brevitatis studio, sed cum detrimento sententiae. — ἡμᾶς] Omissum, salva sententia, ut supra p. 342 (586), et sublata molestia, quam repetitum pronomen hoc loco habet. — Ὁ γὰρ ἔξωθεν ... κρατοῦνται νόμου] Omissa, brevitatis studio. — ἐν ἡμῖν αὐτοῖς] ἑαυτοῖς ἡμῖν, minus bene. — μὲν ... γενηθῇ] μᾶλλον γενηθῆναι, quod idem valere *Combefisius* temere statuit. Atqui ὅταν μὲν ..., ὅταν δέ — sibi invicem apte respondent. — ὃ ἀντιστρατεύεσθαι ... λογισμοὺς χείρονας.] Haec *Photius* in brevius ita contraxit: ἄγεται πάλιν ἀντιστρόφως πρὸς λογισμοὺς χείρους ὁ ἄνθρωπος. Χείρους *Bekkerus* pro vulg. χείρονας, et sic apud *Methodium* quoque scribi malim. Cum verbis φαντασίας παντοδαπὰς, a *Photio* brevitatis causa omissis, conf. p. 344 (588) εἰς τὰς ἐμπαθεῖς ἐξέλκοντα πολλάκις φαντασίας τὴν ψυχήν. Ceterum initio nostri loci ὃ pro vulg. τὸ reponi *Petavius* recte iussit. — εἶναι] Omissum, et facile hac voce caremus. In seqq. apud *Photium* ante ὥςπερ virgula, non puncto, recte distinguitur. — P. 344 (589). λέγων, καθάρισόν με] καθάρισόν με, λέγων, traiectione neglecta. — γάρ] οὖν. Fortasse: γοῦν. — παρίστησιν] συνιστῶσι, male. —

P. 346 (589). ἄνθρωπον, λέγοντος] λέγοντος, ἄνθρωπον *Photius* p. 296. b. 1. quod placet. — βλέπω δέ] βλέπω δ'. Sed βλέπω δὲ exstat Rom. VII. 23. — νόμον] τοῖς μέλεσί μου *Photius* adiicit, recte, si ex Rom. VII. 23. rescribatur: ἐν τοῖς μέλεσί μου. Eodem respicitur in proximis: τὸν νόμον τῆς ἁμαρτίας, τὸν ἐν τοῖς μέλεσι διὰ τῆς παραβάσεως ἐν ἡμῖν ἐμφωλεύοντα. — ἀποφηνάμενος] ἀποφαινόμενος, quod praestat. — τὸν τῆς ἀδικίας] τὸν *Bekkerus* ex cod. A. adiecit; uncis temere inclusit *Combefisius* p. 789. — ἀμέλει] Virgulam, apud *Epiphanium* et vulgo apud *Photium* voci ἀμέλει praepositam, *Bekkerus* recte postposuit. Notandum autem est ἀμέλει, quarto loco positum. Voce ἀμέλει enunciationem ordiuntur *Method.* ap. *Epiph.* p. 286 (546) et *Athanas.* ap. *Epiph.* T. III. p. 346 (1002) quibus locis *Petavius* male vertit *quocirca* et *quamobrem*, quum ἀμέλει sit *utique*, *profecto*. — διαλυόμενος] Ita cum *Photio* cl. editor. Vulgatum διαλεγόμενος in idem redire *Combefisius* temere opinatur. — Χάρις τῷ θεῷ] Χάρις δὲ τῷ θεῷ. Sed particula deest Rom. VII. 25. Εὐχαριστῶ τῷ θεῷ. — διὰ Ἰησοῦ] διὰ τοῦ Ἰησοῦ. Sed articulus deest Rom. VII. 25. — γάρ] δέ. Sed γὰρ praegresso γοῦν rite respondet. — ὅτι εἰ] εἰ. Quod *Bekkerus* coniecit ὅτι εἰ, ex *Epiphanio* repone. — παραδοξότερον] παράδοξον, quod cum πλέον minus congruit. — τῆς τοῦ Χριστοῦ παρουσίας] τοῦ Χριστοῦ τῆς παρουσίας,

traiectione, quae vim verbis addit. — δυνάμενος] δυναμούμενος. Atqui ab hoc loco alienum est δυναμοῦσθαι, quod in Novo Foedere est ἅπαξ λεγόμενον Coloss. I. 11. — ἐκ τοῦ θανάτου] ἐκ omissum. Sed ἐκ verbo ἐλευθερωθῆναι non minus recte adiicitur, quam ἀπὸ p. 346 extr. (589) in loco ex Rom. VIII. 11. — ὑπὸ θεοῦ] ὑπὸ τοῦ θεοῦ, melius. Conf. p. 346 extr. (589) ἧς ὁ θεὸς αὐτὸν ... ἐῤῥύσατο. — ὑπεφθέγγετο] ἐφθέγγετο, vulgari verbo in locum rarioris substituto. — Ἐῤῥύοντο ... τῆς ψυχῆς ὑπετίθετο;] Omnia omissa. — λέγει] Ita *Bekkerus* cum cod. B. pro vulgato λέγειν. — τοῦ πνεύματος τῆς ζωῆς] τῆς ζωῆς τοῦ πνεύματος, traiectione, quae vim verbis addit et gemina est illi p. 346 (589) ἀπὸ Χριστοῦ τῆς παρουσίας, ubi vulgo apud *Epiphanium* minus bene: ἀπὸ παρουσίας τοῦ Χριστοῦ. Absque traiectione tamen *Methodius* p. 348 (590) ὁ .. νόμος τοῦ πνεύματος τῆς ζωῆς. — Ἰησοῦν ἐκ νεκρῶν] Ita vulgo; sed ἐκ νεκρῶν Ἰησοῦν *Combefisius* et *Bekkerus*. — ἐνοικοῦν] Ita *Bekkerus*; ἐνοικοῦντα *Combefisius* pessime. — P. 346 (590) ἡμῶν] omissum propter praegressa ἡμᾶς — ἡμῖν — et ἡμῶν, recte, ut videtur. — ἀφελκομένου] Praestat ἐφελκομένου apud *Bekkerum*; ἐφελκουμένου *Combefisius* pessime. — ἐξαφθέν] Ita *Photius* quoque, qui proxima τὸ ἀσθενῆσαν ... ἐπιχωννύμενον brevitatis studio omisit. Vocem ἐξαφθέν, a *Petavio* non intellectam et ideo uncis temere inclusam, *Combefisius* recte tuetur et sic interpretatur: (iustificatio) *ceu recens accensa novoque aucta lumine*. Idem tamen a se dissentiens αὖθις pro ἐξαφθέν legendum coniicit. Verum enimvero optime habet ἐξαφθέν. Conf. *Irenae*. I. 7. 1. τὸ ἐμφωλεῦον τῷ κόσμῳ πῦρ καὶ ἐξαφθὲν cet. Voci ἐξαφθὲν in seqq. opponuntur ἀσθενῆσαν (conf. Rom. VIII. 3. τὸ .. ἀδύνατον τοῦ νόμου, ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς σαρκός) et ἐπιχωννύμενον, quorum participiorum prius posteriore explicatur, unde copula recte deest. Vid. annot. ad p. 284 (545) ἐνδοὺς cet. Ἐπιχωννυμένου prava est *Petavii* coniectura. Voci ἐπιχωννύμενον, id est *obrutum*, simile ignis obruti subest, id quod miror *Gatakerum*, ab *Oehlero* laudatum, non advertisse. Tu vide Animadvers. in *S. Basil*. I. p. 124. sq. — ἀγαθοῦ] Ita *Photius* quoque. Ad quem quod *Combefisius* haec annotavit: „Lege, ut apud *Epiphanium* n. LXII. νόμου", respexit praegressa: τὸ δικαίωμα τοῦ φυσικοῦ νόμου. Verumtamen qui supra dicitur ὁ πρὸς τὸ ἀγαθὸν ἡμᾶς ἐφελκόμενος φυσικὸς νόμος, hoc loco brevius vocatur τὸ ἐν ἡμῖν φυσικὸν ἀγαθόν, estque *Methodio* τὸ ἀδύνατον τοῦ ἐν ἡμῖν φυσικοῦ ἀγαθοῦ idem, quod τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου Rom. VIII. 3.

P. 348 (590). ὁ θεός] Ita *Photius*; male vulgo apud *Epiphanium* ὃ ὁ θεός, quod cl. editor ex *Photio* correxit. Conf. Rom. VIII. 3. — ἑαυτοῦ] αὐτοῦ. Tu conf. Rom. l. c. — τῇ σαρκί] τῆς σαρκὸς τῆς ἁμαρτίας, iuxta Rom. VIII. 3. ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας. — ἀλήθεια ... ἐφάνη] Haec omnia brevitatis causa omissa, nisi forte ab interpolatore profecta sunt. — δικαίωμα] ἴδίωμα, quod *Combefisius* ex *Epiphanio* corrigi recte iussit; nam hoc loco, uti p. 346 (590) ἵνα τὸ δικαίωμα τοῦ .. νόμου .. φανερωθῇ, Rom. VIII. 4. respicitur. — πρὸς ὑπακοήν] εἰς ὑπακοήν, frequentata in N. F. dictione. — τῆς σαρκός] Ita *Bekkerus* pro vulg. καὶ τῆς σαρκός. *Combefisius* καὶ uncis inclusit.

P. 348 (590). αὖρα] Aὔρα melius scribitur. Vid. *Schaef.* ad *Long*. Pastor. p. 378. Vox in parili similitudine ap. *Epiph*. T. III. p. 482 (1078) exstat.

P. 352 (593). Ἔδειξε γὰρ τύπον ἥλων καὶ τόπον λόγχης] Τύπον λόγχης *Petavius*, optime. Conf. p. 702 (791) δεικνύων τύπον λόγχης καὶ

τύπον ἥλων. Τύπος ἥλων in eadem re per se ponitur p. 652 (763) et in epistola *Athanasii* ap. *Epiph.* T. III. p. 346 (1002). 348 (1003). 354 (1005), nimirum auctore *Ioanne* Ev. XX. 25. ubi codd. nonnulli male item τόπων pro τύπων scriptum exhibent. Vid. *Schleusner.* Lexic. in Nov. Test. T. II. p. 1172. Mendose rursus τόπον λόγχης pro τύπον λ. ap. *Epiphan.* T. III. p. 520 (1100) ubi Anaceph. p. 588 (155) genuinam exhibet scripturam.

P. 368 (601). Ὡς καὶ ὁ καλλίων μακαρίτης Μεθόδιος εἶπε] Ὡς καὶ κάλλιον ὁ μακαρίτης Μεθόδιος εἶπε scribi iussit *Petavius* Animadvers. p. 262. Ego vero ἡμῶν post καλλίων excidisse suspicor, coll. annot. in T. I. p. 324 (173).

P. 368 (601). Ἔστιν ἰδεῖν τὰ ἐπίχειρα] Ἐπὶ χεῖρα *Petavius* Animadvers. p. 262. coniecit; sed τὰ ἐπίχειρα reapse sunt τὰ ἐπὶ χεῖρα, id est *quae in promtu sunt*, ut cl. editor bene monet.

P. 388 (611). πρὸ οὐρανοῦ καὶ γῆς οὐδὲν ἦν τῶν κεκτισμένων] Ἐκτισμένων cod. ms. uterque, teste *Oehlero*, recte et grammatices praeceptis congruenter, sed praeter soloecam *Epiphanii* consuetudinem. Cf. v. c. T. II. p. 484 (664). 642 (757). 688 (783). T. III. p. 44 (831) κέκτισται: T. II. p. 672 (774). T. III. p. 4 (809) κεκτίσθαι: T. II. p. 474 (658) κεκτισμένη: T. III. p. 192 (915) τῷ κεκτικότι, quod p. 230 (935) recurrit, et τῷ κεκτισμένῳ: p. 206 (922) τῶν κεκτισμένων. p. 242 (942. 943). 256 (951). 258 (952). 264 (955). quibus locis omnibus nihil discrepantiae ex codd. mss. annotatum est, nisi quod T. III. p. 242 (942) codd. mss. et ed. Basil. mendosum κεκτῆσθαι pro κεκτίσθαι exhibent, quae discrepantia subinde deprehenditur. Quo magis mireris, in cod. Ven. ἐκτίσθαι pro κεκτίσθαι T. I. p. 118 (53) scribi, et vulgari ἐκτισμένων T. III. p. 250 (947), ἐκτίσθαι T. III. p. 560 (140). 580 (151. inf). Sed pari vitiositate Noster T. III. p. 324 (991) πέφθαρται, p. 326 (991) πεφθαρμένος, et T. II. p. 234 (528) πεψύχθαι.

P. 388 (612). ἀποστελεῖς γάρ, φησὶ ὁ προφήτης, τὸν λόγον, καὶ τήξει αὐτά· πνεύσει τὸ πνεῦμα αὐτοῦ, καὶ ῥυήσεται ὕδατα.] *Petavius* Animadvers. p. 263. *Epiphanium* reprehendit, quod locum ex Psalmo 147. 18. ad Dei Verbum retulerit. Atqui, eadem usi licentia, Patres Eccl. supparem locum e Psalmo 103. 29. 30., quem *Epiphanius* T. III. p. 152 (892) cum altero illo in eadem re affert, ad Spiritum sanctum retulerunt. In quibus est *Eusebius*, qui Praep. Evang. XI. 18. p. 537. D. eo cum loco ista *Numenii* comparat: βλέποντος μὲν οὖν καὶ ἐπεστραμμένου πρὸς ἡμῶν ἕκαστον τοῦ θεοῦ, συμβαίνει ζῆν τε καὶ βιώσκεσθαι τότε τὰ σώματα κηδεύοντος (ita hoc loco et p. 538. R. legendum pro vulg. κηδεύοντα) τοῦ θεοῦ τοῖς ἀκροβολισμοῖς, μεταστρέφοντος δὲ εἰς τὴν ἑαυτοῦ περιωπήν, ταῦτα μὲν ἀποσβέννυσθαι, τὸν δὲ νοῦν ζῆν βίου ἐπαυρόμενον εὐδαίμονος. In doctrina de anima mundi similia profert *Plotinus*. Vid. Basil. Plotiniz. p. 19. Neque tamen audiendi sunt *Pansa* et *Stechus*, qui locum e Psalmo 103. ad animam mundi, id est, si ipsos audias, ad gentilium Spiritum sanctum, pertraxerunt. Quam ob rem eos merito notavit *Iacob. Thomasius* Dissert. p. 355.

P. 400 (619). ἀνελόμενός τε τοῦτο ἀπὸ τοῦ στέγους] Στέγους, cuius loco *Ios. Scaliger* τέγους scribi iussit, ferri posse, te docebit *Casaubon.* ad *Sueton.* Caesares IV. 57.

P. 400 (619). ἐν παντὶ τῷ ὁριζομένῳ τῆς κτίσεως κύτει] Profecto legendum: ἐν παντὶ τῷ ὡρωμένῳ τῆς κτίσεως κύτει. Conf. T. I. p. 44 (12) παντὸς τοῦ ὡρωμένου κύτους. T. III. p. 488 (1082) τοῦ παντὸς ὡρω-

μένου κύτους. Κτίστως recte cl. editor pro vulg. κτήσεως. Vid. annot. in T. I. p. 20.

P. 400 (619). ὁ διάβολος, ἐπὶ πλεῖον στρατεύσας κατὰ τῆς ἀνθρωπείας φύσεως] Στραγγεύσας legendum coniecit *Ios. Scaliger.* Tu confer I Petr. 1, 11. ἀπέχεσθαι τῶν σαρκικῶν ἐπιθυμιῶν, αἵτινες στρατεύονται κατὰ τῆς ψυχῆς.

P. 420 (630). τοῖς πᾶσιν ἄκρως ἐναντία] Recte *Petavius* ἄκρως (*extreme Cornar.*) pro vulg. ἄκρος. Conf. infra p. 420 (630) τοῖς πᾶσιν ἄκρως ἐστὶ ταῦτα ἐναντία. et p. 286 (547) (θεὸς) ἄκρως ἀγαθός.

P. 420 (630). Καὶ γνωστέον τοῦτο ἔσται παντὶ τῷ σύνεσιν κεκτημένῳ] Legendum: Καὶ γνωστὸν cet. Γνωστὸν idem valet ac δῆλον in similibus apud Nostrum dictionibus. Vid. annot. in T. I. p. 156 (74) et in T. II. p. 152 (482).

P. 420 (630). οὐδὲ κἂν τῷ ὀνόματι διήλλακται] Κἂν apud posterioris aetatis scriptores est *vel*, *saltem*. Sic *Epiphan.* p. 630 (751) καὶ ἔσται κἂν ῥοπὴ χρόνου. p. 664 (770) κἂν τὸ κατὰ σάρκα ἀληθὲς κατέχοντες. T. III. p. 204 (921) κἂν ἐνὶ λόγῳ. p. 240 (941) κἂν διὰ τοῦ ὀνόματος. p. 254 (950) κἂν διὰ ψιλῆς λέξεως. p. 322 (989) κἂν ἐν μιᾷ λέξει. et saepe alibi. Qui coniunctionis usus ad recentiores Graecos transiit. Vid. *David.* in Συνοπτικῷ Παραλληλισμῷ p. 128. Itaque nostro loco οὐδὲ κἂν est *ne — quidem*. Conf. T. III. p. 376 (1018) οὐδὲ κἂν ἐν τῷ τυχόντι, *ne in levissima quidem re.*

P. 426 (633). εἰ ἔστι φθορά, τινὸς ἄρα εἴη φθορά.] Noli legere: τίνος ἄρα εἴη φθορά; Vid. annot. in T. II. p. 152 (482).

P. 426 (633). ἀπόλλουσα, ἀπολλυμένη ἐστί] Ἀπόλλουσα vulgata est lectio; sed corrigo: ἀπολλύουσα, donec certis exemplis edocear, monstrosam verbi ἀπόλλυμι formam *Epiphanio* placuisse. Nam quod T. III. p. 442 (1056) ἀπόλλει vulgatur, cod. Paris. teste Petavio ἀπολλύει exhibet.

P. 428 (635). πᾶσα πηγὴ ἀγαθωσύνης] Ἀγαθωσύνης mendosa est scriptura codicis utriusque et editionis Basil.; ἀγαθοσύνης, quod p. 728 (806) recurrit, *Petavius* optimo iure scripsit. In N.T. et apud LXX. ἀγαθοσύνη plerumque cum var. lect. ἀγαθωσύνη exstat. Miror, *Sylburgium* Indice in *Clem. Alex.* v. ἀγαθωσύνη veram scripturam ἀγαθοσύνη ex ed. Florent. annotasse, non revocasse. Alia enim ratio vocis ἀγαθοσύνη, alia vocis ἱερωσύνη et similium, quae a verbis, ut ἱερωσύνη ab ἱερόω, formantur. Itaque T. III. p. 154 (893) scripturam ἁγιωσύνης, quam habent edd. Basil. et Petav., in ἁγιοσύνης mutatam nollem, quamquam ita etiam in N.T. variatur. Recte vero *Phavorinus:* ἁγιοσύνη ἢ κάλλιον ἁγιωσύνη καὶ ἁγιότης ταὐτόν. *Fischer.* ad *Weller.* P. II. p. 40. sq. haec non satis distinxit. Adde annot. in T. III. p. 516 (1097). 526 (1103).

P. 436 (638). Ἐξελήλεγκται] Mendose vulgo ἐξελήλεκται, ut p. 484 (664). Sic 494 (669). 706 (794). T. III. p. 188 (912) ἐλήλεγκται pro vulg. ἐλήλεκται reponi oportet. Idem mendum in *Iamblicho* notavit *Iacobs.* ad *Achill. Tat.* p. 738. Adde annot. in T. I. p. 86 (34).

P. 438 (640). ἀποκτέννεται Ἄβελ] De forma ἀποκτέννεται, ex codd. mss. loco vulgatae ἀποκτείνεται reposita, vid. *Winer.* Grammat. Idiom. N.T. § 15. p. 76. ed. III. Pro vulg. ἀποκτείνουσα ap. *Matth.* 23, 37. Noster ἀποκτέννουσα vel potius ἀποκτέννουσα p. 468 (655) et 470 (655). Adde cl. editoris annot. crit. p. 526 (693).

P. 442. 444 (642). τοῦ δὲ σκότους τὸ σῶμα καὶ τὸ τῆς ὕλης

δημιούργημα] Conf. *Gregor. Naz.* Orat. XXXIII. p. 614. C. Μάνου (Μανῆ cod. Basil.) τὴν ὕλην μετὰ τοῦ σκότους. ubi vide *Eliam Cret.* Comment. col. 902. Doctrinam tenebrarum, id est mali, *Maneti* exprobrat *Basilius Magn.* Opp. ed. Garn. T. I. p. 15. C. D. E. qui eodem nomine *Marcionem* et *Valentinum* notat. Vid. Animadvers. in *S. Basil.* I. p. 10. sq. *Gregorio Nysseno*, De Anima et Resurrect. p. 239. C. contra *Manichaeos* de materia disputanti, *Krabingerus* Annot. p. 313. hunc Nostri locum adhibuit. Similia apud *Platonicos* reperiri, Animadvers. in *Basil.* l. c. docui. Adde *Proclum* Comment. in Alcib. I. p. 34. ed. Creuzer. ἀφίστανται δὲ τοῦ θείου παντὸς καὶ εἰς τὸ ἄθεον ὑποφέρονται καὶ σκοτεινὸν τῆς ὕλης. quibus verbis respicitur Alcib. I. p. 134. E. εἰς τὸ σκοτεινὸν καὶ ἄθεον βλέποντες.

P. 444 (642). τὸν ἀγαθὸν πατέρα ... προβάλλειν ἐξ αὐτοῦ δύναμιν λεγομένην μητέρα τῆς ζωῆς] Προβάλλειν recte *Petavius*; προςβάλλειν uterque cod. ms. ap. *Oehler.* et ed. Basil. Tu confer proxima ἀπέστειλεν ἑτέραν δύναμιν προβληθεῖσαν ὑπ' αὐτοῦ. et vide annot. in T. I. p. 146 (69).

P. 446 (643). Ὅτε δὲ εἶδεν ὁ πατὴρ ὁ ζῶν θλιβομένην τὴν ψυχήν cet.] Ὅτι pro ὅτε legitur p. 482 (662). Atqui illis: εὔσπλαγχνος ὢν καὶ ἐλεήμων, ratio subiicitur, cur Pater Filium coelo demiserit.

P. 448 (644). Τὸ γὰρ σῶμα τοῦτο κόσμος καλεῖται πρὸς τὸν μέγαν κόσμος cet.] Nondum poenitet coniecturae, quam proposui ad *Eliam Cret.* col. 786 (10), ubi μικρὸς κόσμος legi volui. Ibidem attigi proxima: καὶ οἱ ἄνθρωποι πάντες ῥίζας ἔχουσι κάτω συνδεθείσας τοῖς ἄνω. quibuscum ante omnia comparandum illud *Platonis* Tim. p. 90. A. B. ἐκεῖθεν γὰρ ὅθεν ἡ πρώτη τῆς ψυχῆς γένεσις ἔφυ, τὸ θεῖον τὴν κεφαλὴν καὶ ῥίζαν ἡμῶν ἀναχρεμαννὺν ὀρθοῖ πᾶν τὸ σῶμα. Ceterum etiam Orientales hominem tanquam mundum parvum celebrant. Vid. *Tholuck.* de Sufismo p. 231. qui Graeca haud neglexit.

P. 456 (648). Αἰσχρὸν μὲν γὰρ παροινεῖν τὸ ἄνδρα θηλιεύεσθαι] Petavius vertit, quasi legisset: παροινεῖν εἰς τὸ ἄνδρα θηλιεύεσθαι. Sed παροινεῖν et ἐμπαροινεῖν εἴς τινα dicitur, qui alicui insultat (cf. v. c. T. III. p. 422, 1044. ἐμπαροινεῖν εἰς τὴν ἁγίαν παρθένον), quod ab hoc loco alienum est. Ne multa, legendum παρανοεῖν, id est *perversa cogitatione sibi fingere*. Ceterum neque θηλιεύεσθαι, quod uterque librorum mss. et ed. Basil. habent, neque θηλεύεσθαι, quod *Petavius* coniecit, ferri potest. Scribendum videlicet θηλυκεύεσθαι, cui in seqq. opponitur ἀνδρίζεσθαι: ita enim vulgatum ἀνδραίζεσθαι corrigi oportet. Vid. *Iacobs.* ad *Achill. Tat.* p. 516. 689. In θηλεύεσθαι abiit verbum θηλυκεύεσθαι T. III. p. 506 (1091) ubi legendum θηλυκευόμενοι pro θηλευόμενοι.

P. 474 (658. sq.). Ὅμως ὡς πολλὰ τῶν ἐπιγείων λέλεκται, ποσῷ μᾶλλον τὰ ὑπεράνω τῶν οὐρανῶν ποθεν δύναται τοῖς ἐπιγείοις ἀπεικάζεσθαι —;] Ὅμως ὡς cl. editor loco vulgati ὁμῶς recte reposuit; sed πόσῳ . . οὐρανῶν; πόθεν cet. in ποσῷ ... οὐρανῶν ποθεν mutatum nollem, quum interrogandi formula πόσῳ μᾶλλον; in apodosi, praesertim praegresso εἰ in protasi, Nostro usitata sit. Conf. p. 178 (496) sq. 562 (714). Εἰ γὰρ οἱ κατ' αὐτοὺς βασιλεύειν ἔχουσι, πόσῳ γε μᾶλλον οἱ ἀρχέτυποι τῶν κατ' αὐτούς ὑπαρχόντων; p. 490 (667) Καὶ εἰ ὅλως σῶμα ἕτερον ἀνθ' ἑτέρου ἀπὸ σώματος οὐ γίνεται, πόσῳ γε μᾶλλον ψυχὴ ἀνθρώπου εἰς ἕτερον σῶμα οὐ μεταβήσεται; p. 610 (739). 672 (774). T. III. p. 22 (819). 28 (823), ubi cl. editor εἰ de *Petavii* coniectura recte adiecit, p. 170 (901). 326 (992). 384 (1023) ubi male

interpungitur, p. 396 (1029) et saepe alibi. Nostro loco verbum λέλεκται cogitatione repetendum ad τὰ ὑπεράνω τῶν οὐρανῶν. Πόθεν est negantis, ut T. III. p. 210 (925) ubi vid. annot. Neque in integris tantum enunciationibus πόθεν — ; negandi vim habet, sed interdum etiam per se hac vi ponitur. Vid. annot. in *Eliam Cret.* col. 828 (15). sq. Si qua adhuc opus est emendatione, ἃ ante πόθεν adiici velim.

P. 478 (660). Εἰς σωτηρίαν ἀπεσταλμένος ἐκινδύνευσε —. Πόσῳ γε μᾶλλον ἡ ψυχὴ κινδυνεύσειε — —;] Rescribo: *Εἰ δ' εἰς σωτηρίαν ἐκινδύνευσε — —, πόσῳ γε μᾶλλον ἡ ψυχὴ κινδυνεύσειε — —;* Conf. quae modo annotavi ad p. 474 (659).

P. 482 (662). φρενητιῶντες] Legendum: φρενιτιῶντες. Verbum φρενητιᾶν, quod p. 522 (691) recurrit, referendum in rarioribus verbis, in —ιᾶν exeuntibus, quorum nonnulla *Casaubonus* Exercit. I. ad Apparat. Annal. Baron. p. 22. b. sq. consignavit, in his nostro ex loco mendosum φρενητιᾶν, quod T. III. p. 320 (988) recurrit. Idem praeterea annotavit φανητιᾶν ex *Africano*, βασιλειᾶν ex *Iosepho* B. Iud. II. 6. et ἐπιδεικτιᾶν ex *Theodoreto* H. E. I. 4. Φανητιᾶν habet etiam *Procop.* Comment. in Proverb. p. 98. ed. Mai. Eodem ex genere est τρυφητιᾶν ap. *Clem. Alex.* Paedag. p. 325. ed. Potter. Vide *Lobeck.* ad *Phrynich.* p. 79. sq. meque in Annal. Philol. Supplem. T. X. Fasc. II. p. 231.

P. 486 (664). εἰ μὴ ἡ σελήνη ἐπληροῦτο καὶ ἐφθίνει] Nollem loco vulgati ἔφθινε receptum ἐφθίνει. In usu quidem sunt φθινήσω et similia; inauditum vero φθινέω.

P. 486 (665). Ἐκεῖνοι γὰρ καθεζόμενοι κηφῆνες καὶ μηδὲν ἐργαζόμενοι cet.] Vid. *Ruhnken.* ad *Tim.* Lex. Voc. Plat. p. 157. sq. et conf. *Epiphan.* T. III. p. 468 (1070) μὴ ἀργὸν, μήτε ἀεργὸν καὶ ἀκαιροφάγον, μηδὲ τῷ κηφῆνι τῶν μελισσῶν [supplendum εἰκάζεσθαι], ἐργάζεσθαι δὲ ταῖς ἰδίαις χερσίν.

P. 494 (669). τὸ ἀπερίσπαστον τοῦ εὐαγγελίου] Τὸ ἀπερίσπαστον est *tranquillitas animi*, quam evangelium iis parat, qui anxia cura legis observandae liberati sunt. Conf. seqq. Ἐκείνοις μὲν γὰρ cet. De verbo περισπᾶν, deque vocabulis inde profectis vid. annot. in *Eliam Cret.* col. 761 (5). Adiectivum ἀπερίσπαστος Noster etiam T. II. p. 178 (496) habet.

P. 564 (714). Περὶ δὲ τῆς ἀναλογῆς, ἧς ἦλθεν ὁ σωτὴρ ἀναλέξασθαι παρθενίαν cet.] Noli cogitare de voce ἧς in ᾗ mutanda. Vid. *Winer.* Gramm. Idiom. Novi Foed. §. 24. 1. annot. et conf. *Epiphan.* T. III. p. 22 (819) κατὰ χάριν δυνάμεως, ἧς ἐνεδυνάμωσεν ὁ δυνατὸς ἐν ἅπασι. 48 (834) Παραθήσομαι δὲ αὖθις καὶ τὴν ἔκθεσιν τοῦ λόγου, οὗ πεποίηται Ἰουλίῳ .. ὁ αὐτὸς Μάρκελλος. quibus ex locis intelligitur, non solum dativum pronominis relativi, ut nostro loco, sed etiam accusativum a genitivo nominis praegressi attrahi. Adde annot. in T. III. p. 96 (859). 252 (948).

P. 568 (717). Σχίσμα ἐποίησεν, οὐ μὴν μετηλλαγμένος τὴν πίστιν γεγένηται.] Μετηλλαγμένως libri omnes. Quae lectio optime habebit, si post τὴν πίστιν puncto distinxeris et γεγένηται ad insequentia: οὗτος .. συλληφθείς, retuleris. Periphrasis in verbis: γεγένηται συλληφθείς, id est συνελήφθη, nullam offensionem habet. Vid. *Ast.* Animadvers. in *Plat.* Leg. p. 130. coll. annot. in Epiphan. T. II. p. 280 (544). Adverbium μετηλλαγμένως, *immutatione facta*, cui adiicitur τὴν πίστιν, *in fide*, se tuetur analogia aliorum id genus adverbiorum, quae, licet in Lexicis vulgaribus fere neglecta, tamen cum apud alios scriptores, praesertim posterioris aetatis, tum apud *Epiphanium* haud raro occurrunt. Videsis mea ad *Eliam Cret.* col. 798 (11). sq. Ex No-

stro suppetunt παρηλλαγμένως T. I. p. 568 (311): ἐρράδιουργημένως p. 570 (312): πεφυλαγμένως T. II. p. 262 (564): ἠλαττωμένως p. 610 (740). T. III. p. 226 (932): ἠσφαλισμένως T. II. p. 652 (763): πεπληρωμένως, sicuti *Oehlerus* de *Cornarii* et *Petavii* coniectura pro vulg. πεπληρωμένος scripsit p. 680 (779): τετελειωμένως, sicuti pro vulg. τελειωμένως scribendum p. 692 (786): ἐσχηματισμένως T. III. p. 10 (813): παραπεποιημένως p. 40 (829). 138 (884): συννηωμένως p. 230 (936): ἐνηλλαγμένως p. 232 (937): βεβιασμένως p. 252 (948): ἀποκεκρυμμένως p. 254 (949): διηλλαγμένως p. 282 (966): μεταμεμελημένως, prout vulg. μεταμελημένως corrigendum p. 304 (979), collato μεμελημένως ap. Plat. Prot. p. 344. B.: ἠσφαλισμένως p. 314 (984): συμπεριειλημμένως p. 318 (987). Apud *Gregorium Palam.* in Theophane (Lectt. Mosqq. T. II. p. 10) συνεπτυγμένως, *compendiose*, exstat in formula ἐκφῆναι συνεπτυγμένως, *compendiose declarare.* Rariora sunt adverbia, a praesente derivata, ut ὁμολογουμένως *Epiph.* T. III. p. 310 (982), προηγουμένως *Athanas.* ap. *Epiph.* T. III. p. 356 (1007).

P. 570 (717). ἀκρέμονες] Constans fere est, quae hoc loco, p. 576 (720) et p. 580 (723) deprehenditur, confusio vocum ἀκρέμων et ἀκραίμων, diphthongo αι literae ε temere substituta. Idem mendum tollendum in *Gregorio Nyss.* ap. *Procop.* Comment. in C. C. ed. Mai. p. 304 (ubi ἀκραιμόνων pro ἀκρεμόνων) et p. 306. Quid? quod ap. *Epiphan.* T. III. p. 370 (1014) hodie quoque ἀκραίμοσιν pro ἀκρέμοσιν mendose scribitur. Recte vero T. III. p. 532 (1107) παρὰ τοῖς ἀκρέμοσι.

P. 578 (722). ἢ αὐτὸν ἐπᾶραι] Ἢ αὐτὲν ἀπᾶραι, *ut ipse de vita decederet*, speciosa est *Ios. Scaligeri* coniectura, quae haud parum confirmatur verbis *Eliae Cretensis*, haec ita narrantis Comment. in *Gregor. Naz.* Cod. Basil. fol. 327. rect. δι' ὅλης τῆς νυκτὸς ἐκείνης ἐδεῖτο τοῦ Θεοῦ μετὰ θερμῶν δακρύων, ἢ τὸν ἄρειον ἀπαλλαγῆναι τῆς παρούσης ζωῆς, ἢ ἑαυτὸν cet. Est enim ἀπᾶραι id ipsum, ἀπαλλαγῆναι τῆς ζωῆς. Quo sensu alias plenius dicitur ἀπαίρειν ἐντεῦθεν, — τῶν κάτω. *Procop.* Comment. in Proverb. ed. Mai. p. 168. τοῦ μὲν . . τὸν ἀπέριττον καὶ ἀφανῆ (πλοῦτον) ἑλομένου τῶν ἐντεῦθεν ἀπαίροντος ἐξάγεται ἐκ φυλακῆς ἡ ψυχή. Vide *Krabinger.* meque ad *Gregor. Nyss.* De Anima et Resurrect. p. 255. 364. *a.* Erit tamen fortasse, qui, collatis verbis p. 600 (735) ἢ αὐτοῦ τὴν ψυχὴν παραλαβεῖν, ἐπαίρειν tueatur et cum *Petavio* vertat: *de vita tollere.*

P. 578 (722). ἐν γενεᾷ καὶ γενεᾷ] Id est: *variis temporibus.* Conf. T. III. p. 224 (932) κατὰ γενεὰν καὶ γενεάν. Quo ex genere etiam illud est p. 660 (768) Οἶδε γὰρ ἡ γραφὴ εἴδησιν καὶ εἴδησιν, id est: *varia scientiae genera.* Vide cl. editorem ad T. II. p. 663. not. 14. Adde *Epiphan.* T. III. p. 42 (830) Ἄνθρωπον γὰρ καὶ ἄνθρωπον ἔφη ὁ ἅγιος ἀπόστολος. p. 104 (865) καθὰ μὲν σὰρξ καὶ σὰρξ ταὐτὸν, ὥσπερ καθὸ πνεῦμα καὶ πνεῦμα ταὐτόν. p. 174 (904) ἐν καιρῷ καὶ καιρῷ. p. 206 (922) εἰς καὶ εἰς θεὸς ὁ πατήρ. p. 278 (960) παρὰ τὸ φύσιν καὶ φύσιν ἡμᾶς ἀκούειν καὶ οὐσίαν καὶ οὐσίαν.

P. 578 (722). ἐλάκησε, καθάπερ καὶ Ἰούδας ποτέ.] Quod pro vulg. ἐλάκισε ex cod. Ien. repositum est ἐλάκησε, confirmat *Epiphanius* p. 602 (735) ἔνδον ἐν τοῖς ἀβάτοις καθεζόμενος εὑρέθη λακήσας καὶ ἔκπνους γεγονώς. Respicitur illud Act. I. 18. καὶ πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος. De verbo λακεῖν vid. *Schleusner.* Lexic. in Nov. Test. T. II. p. 2. Apposite ad rem *Gregorius Naz.* Orat. XXI. p. 393. C. (Ἄρειος) δίκην ἔδωκεν ἀκολάστου γλώσσης, τὴν ἐν βεβήλοις τόποις κατάλυσιν, εὐχῆς ἔργον, οὐ νόσου γενόμενος καὶ

τὴν Ἰούδα ῥῆξιν ὑποστὰς ἐπ' ἴσῃ προδοσίᾳ τοῦ λόγου. Orat. XXV. p. 460. C. οὗ δεινὴ μὲν ἡ ἐγχείρησις, δεινοτέρα δὲ ἡ τελευτὴ καὶ τῆς Ἰούδα προδοσίας ἀξία. ἣν ἐκεῖνος κατὰ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἐτόλμησεν. Alexandri preces et Arii mortem, inde consecutam, idem tangit Orat. XXXVI. p. 635. B. εἴπερ ὑμεῖς Ἀλεξάνδρου μαθηταὶ τοῦ πάνυ, τοῦ μεγάλου τῆς τριάδος ἀγωνιστοῦ τε καὶ κήρυκος, καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ τὴν ἀσέβειαν ἐξορίσαντος. μέμνησθε γὰρ τῆς ἀποστολικῆς ἐκείνης εὐχῆς, ἣ τὸν ἀρχηγὸν τῆς ἀσεβείας κατέλυσεν ἐν τόποις ἀξίοις τῶν τῆς γλώσσης ἁμαρτημάτων. ubi rem ita narrat *Elias Cret.* Comment. Cod. Basil. fol. 327. rect. τίς ἡ ἔμπρακτος καὶ ἀποστολικὴ εὐχή, ἐροῦμεν. ἄρειος δ' ὄχλου γεγονὼς κωνσταντίῳ τῷ βασιλεῖ, πείθει αὐτὸν ὁμωμοκώς, μηκέτι τὰ πρότερον φρονεῖν, ἐντείλασθαι ἀλεξάνδρῳ δέξασθαι αὐτὸν εἰς κοινωνίαν. ὁ δὲ κελευσθεὶς δέξασθαι αὐτὸν καὶ περιαλγὴς ἐπὶ τούτῳ γεγονώς, θεῷ τὴν κρίσιν δι' εὐχῆς ἀνατίθησι καὶ ὑπὸ τὴν ἱερὰν τοῦ θυσιαστηρίου τράπεζαν πεσὼν δι' ὅλης (sequuntur, quae habes annot. ad p. 578, 722. ἢ αὐτὸν ἁπάραι: deinde ita pergit Elias) ἵνα μὴ ᾖ τὸν δόλιον τοῦτον εἰς τὴν καθολικὴν εἰσερχόμενον ἐκκλησίαν. ἔργον οὖν ταύτην εἶπεν, ὡς εἰς ἔργον ἐκβεβηκυῖαν. ἄρειος γὰρ ἐρχόμενος τῇ ἐπαύριον ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν, νυξάσης αὐτὸν τῆς γαστρὸς κατὰ τὴν ὁδὸν, εἰς δημόσιον εἰσέρχεται ἀφεδρῶνα, καὶ τοῖς κόπροις τῶν ἐγκάτων συνεκρυέντων, καθήμενος ἐπὶ τοῦ ἀφεδρῶνος ἀπέψυξε, τὴν παμβέβηλον καὶ μυσαρὰν αὐτοῖς δόγμασι καὶ βλασφημίαις ἐν κοπρῶνι καὶ βεβήλοις τόποις ἀποῤῥήξας ζωὴν καὶ ἀξίοις τῶν τῆς γλώττης ὀχετῶν· ῥυπαρὰ γὰρ καὶ τὰ τούτου δόγματα. Quorum novissima, ut illa *Gregorii:* ἐν τόποις ἀξίοις τῶν τῆς γλώσσης ἁμαρευμάτων, comparanda sunt cum *Epiphanii* verbis proximis: Καὶ οὕτως τὸ τέλος αὐτοῦ γέγονεν ἐν τόπῳ δυςώδει τῆς ἀκαθαρσίας. et cum hisce p. 602 (735) Ὡς δὲ οὕτω (leg. ὥστε οὗτος) κατείληπται ἐν τῷ δυςώδει τόπῳ ἀποδοὺς αὐτοῦ τὰ τέλη, καθάπερ καὶ ἐξήμεσεν ἀκάθαρτον κακοπιστίαν.

P. 580 (722). Ἐντεῦθεν ἄρχεται Ἀθανάσιος βιοφορεῖσθαί τε καὶ λυπεῖσθαι] Βιοφορεῖσθαι, *exagitari*, recurrit p. 600 (734) βιοφορουμένου καὶ στένοντος. Verbum, in Lexicis vulgo neglectum, interpreteris βίᾳ φέρεσθαι, *vi ferri* (*Plat.* Phaedr. p. 254. B.), quemadmodum ἀνοίᾳ φέρεσθαι (p. 714, 798) et similia in usu sunt.

P. 580 (723). τετυπτῆσθαι] Vid. Schol. *Aristoph.* Plut. v. 21. *Etymol. Magn.* p. 463, 56. *Lobeck.* Addend. ad *Phrynich.* p. 784.

P. 582 (724). ὑπέσχου ... τὸ ἀθέμιτον πρᾶξαι, ἢ ἔπραξας] Quod *Ios. Scaliger.* verissime coniecit ἢ ἔπραξας (id est *indignissimum in modum*), ad antiquum pertinet euphemismi genus. Conf. *Epiphan.* p. 626 (748). Καὶ ὅ τι μὲν πέπονθεν ὁ Χριστὸς, πέπονθεν. id est: *indignissima passus est. Io. Chrysostom.* Opp. ed. Eton. T. II. p. 393. οἱ Φαρισαῖοι οὐδαμόθεν ἄλλοθεν ἀλλ' ἢ ἀπὸ πανουργίας καὶ ἀπονοίας ἔπραττον, ἅπερ ἔπραττον. *Basil. Magn.* Opp. ed. Garn. T. I. p. 617. A. ὁ Μωὰβ ... φαντασίᾳ μισθῶν καὶ ἐλπίδι οἰκείας ὠφελείας, οὐχὶ δὲ τῇ πρὸς τὸ γιγνόμενον διαθέσει ἔπραττεν, ἃ ἔπραττεν. *Theodoret* Dissert. Therap. XII. p. 1015. ed. Schulz. ἔπαθεν, ἅπερ ἔπαθεν. *Sozom.* Hist. Eccl. Lib. IV. cap. 18. p. 156, 40. εἴπερ τι δάτερον γένηται, ἔσται τοῖς ἐχθροῖς ἄδεια ποιεῖν, ἅπερ βούλονται. id est: *pessima quaeque perpetrandi facultas illis dabitur.* Ex scriptoribus sacris conf. *Io.* Evang. XIII, 27. ὃ ποιεῖς, ποίησον τάχιον XIX, 23. ὃ γέγραφα, γέγραφα. Apud Tragicos omnia plena exemplorum huius euphemismi. Vid. *Abresch.* et *Blomf.* ad *Aeschyl.* Agam. v. 66 (67). *Schaefer.* et *Heller.* ad *Sophocl.* Oed. Col. v. 266 (273). *Reisig.* Comm. Crit. in Oed. Col. v. 325. p. 235. *Markland.* ad *Eurip.* Iphig. Aul. v. 649,

Hermann. ad Viger. p. 709. Solutae orationis exempla dederunt *Abresch.* l. c. et Lect. Aristaen. p. 200. *Leisner.* ad *Herodian.* ed. Irmisch. T. II. p. 861. *Wakefield.* Silv. Crit. IV. 130. p. 104. sq. *Iacobs.* ad Aelian. Hist. Anim. p. 50. *Fritzsch.* Quaest. Lucian. p. 159. sq.

P. 586 (726). συνεσκευάσθη ... καὶ ἐξεώσθη] Ne quis hoc loco ἐξεώσθη pro ἐξεώθη et in seqq. ἐξῶσαι pro ἐξεῶσαι legendum coniiciat, vid. annot. in T. II. p. 554 (302).

P. 586 (726). τοῖς κληρικοῖς τοῖς ὑπὸ Ἀθανασίου οὖσι] Scribendum: ὑπὸ Ἀθανάσιον. Confer modo p. 588 (727) ἐκκλησίαι ὑπὸ ἕνα ἀρχιεπίσκοπον οὖσαι. Longius dissita sunt, attamen ex eadem vi praepositionis ὑπὸ haec fluxerunt T. III. p. 418 (1042) ἀνετράφη .. ὑπὸ τὸν Ἰωσήφ. Vid. *Winer.* Gramm. Idiom. N. T. p. 344.

P. 588 (727). καὶ ἀμφόδων ἤτοι λαυρῶν] Δαβῶν in ed. Petav. merum est vitium operae typographici; nam in Animadvers. p. 282. vulgatum λαβρῶν exstat. Λαυρῶν autem scribi *Petavius* recte iussit tum in margine contextus, tum Animadvers. l. c. De perpetua, quam idem in Animadvers. attigit, confusione literarum β et υ vid. annot. in *Eliam Cret.* col. 772 (9). Apud *Epiphanium* T. III. p. 482 (1078) ἄβρας mendose scribi solebat ante *Oehlerum*, qui αὔρας *Petavii* suasu reposuit.

P. 594 (731). οὔτ' ἐπινοίᾳ, οὔτ' ἀτόμῳ τινὶ προάγει ὁ Θεὸς τοῦ υἱοῦ] Ne quis fortasse de προέχει reponendo cogitet: προάγειν hoc loco est *tempore praecedere.* Cf. p. 596 (731) προϋπάρχει ὁ Θεὸς τοῦ υἱοῦ. Id quod est *ordine ac dignitate praecedere* προάγειν valet T. III. p. 476 (1075). Eadem vis verbi ὑπεράγειν T. III. p. 218 (928).

P. 596 (731). τὸν υἱὸν λεγόντων οἱ μὲν ἐρυγήν, οἱ δὲ προβολὴν ἀγέννητον] Haec *Arii* verba ex *Theodoreti* Hist. Eccl. I. 4., quae autem p. 598 (732) ab *Ario* de *Valentino* dicta exstant, ex *Athanasio* De Synod. cap. 16. attuli ad *Marc. Eugenic.* p. 48. ubi illustravi theologicum vocis προβολή usum, quem *Arius* p. 598 (733) iterum notat. Adde annot. in T. I. p. 146 (69). De voce ἐρυγή conf. *Theophil.* ad Autolyc. II. 14. ἔχων .. ὁ Θεὸς τὸν λόγον ἐνδιάθετον ἐν τοῖς ἰδίοις σπλάγχνοις, ἐγέννησεν αὐτὸν, μετὰ τῆς αὐτοῦ σοφίας ἐξερευξάμενος πρὸ τῶν ὅλων. *Origen.* in *Ioann.* I. 42. ubi de loco Ps. 44, 2. ἐξηρεύξατο ἡ καρδία μου λόγον ἀγαθόν. Vid. *Thomas.* in Origene p. 112. Teste *Sozomeno*, *Alexander*, Episcopus Alexandriae, in epistola de *Arii* haeresi verbis ex Ps. 44, 2. item abusus est, ut Filium divinum et aeternum esse demonstraret. Adde *Marcellum Ancyranum* apud *Epiphan.* T. III. p. 52 (836). Est autem ἐρυγὴ nostro loco *sermo ore pronunciatus*, sicut ἐξερεύγεσθαι Psalm. l. c. idem valet ac *pronunciare*, loquendi usu Iudaeis Alexandriuis familiari. Vid. *Lobeck.* ad *Phrynich.* p. 63. sq. *Effutiendi* vim, de qua idem V. D. monuit, verbum habet ap. *Epiph.* T. III. p. 340 (998) binis locis in epistola *Athanasii.* Adde annot. in T. I. p. 162 (78). Non erat igitur, quod *Daniel* in Tatiano p. 155. illud ἐξερεύγεσθαι apud *Theophilum* l. c. pro gnostico vel cabbalistico maiore iure, quam προπηδᾶν ap. *Tatian.* cap. 7., haberi posse statueret.

P. 598 (733). οὐδ' ὡς Ἱέρακας λύχνον ἀπὸ λύχνου ἢ ὡς λαμπάδα εἰς δύο] Similiter alii de Filio et vero etiam de Spiritu sancto locuti sunt. Conf. *Iustin. Mart.* Dial. c. Tryph. p. 284. et 358. *Tatian.* Orat. c. Graec. cap. 8. et vid. *Semisch.* in Iustino Mart. T. II. p. 283. sq. qui illustrat sententiam *Iustini*, docentis, Spiritum a Deo non separari, sed, ut ignem ab igni, nullo eius detrimento proficisci. Quod autem idem V. D. T. II. p. 304. opina-

tur, *Numenium* ex Patribus Eccl. in eo profecisse, quod ap. *Euseb.* Praep. Ev. XI. 18. p. 538. D. processum secundae naturae ex primaria facis accensae similitudine illustret: *Numenius* ea similitudine non processum secundae naturae, sed communionem scientiae divinae declarat. Facis ab rogo abstractae similitudinem *Sabellio*, de Filio docenti, exprobrat *Gregor. Naz.* Orat. XXX. p. 544. B. ἔσται δὲ ὁ θεὸς τὰ πάντα ἐν πᾶσιν —, οὐχ ὁ πατὴρ, πάντως εἰς αὐτὸν ἀναλυθέντος τοῦ υἱοῦ, ὥςπερ εἰς πυρὰν μεγάλην λαμπάδος πρὸς καιρὸν ἀποσπασθείσης, εἶτα συναφθείσης (μηδὲ γὰρ Σαβέλλιοι τῷ ῥητῷ τούτῳ παρειςφθειρέσθωσαν), ἀλλ' ὅλος ὁ θεός. ad quae *Elias Cret.* Comment. Cod. Basil. fol. 127. rect. ἀνάλυσιν δὲ ἐνταῦθα λέγει (conf. ἀναλυθέντος) τὴν οἱον ἀνάχυσιν καὶ ἀνάκρασιν. ὃ τῆς σαβελλιανῆς ἐστι ληρωδίας δόγμα. καὶ γὰρ ἐκεῖνοι τὸν υἱὸν καὶ τὸ θεῖον πνεῦμα εἰς τὸν πατέρα συνήρουν, ὀνόματα μόνον τοῦ πατρὸς λέγοντες ἀνούσια τὸν υἱὸν καὶ τὸ θεῖον πνεῦμα. εἰς παράδειγμα δὲ τῆς παρ' αὐτοῖς ἀναλύσεως ἔλαβε τὴν ἀποσπασθεῖσαν λαμπάδα τῆς πυρκαϊᾶς καὶ πάλιν συναφθεῖσαν αὐτῇ. κἀκεῖνοι γὰρ προῆγον μὲν ἐκ τοῦ πατρὸς τὸν υἱὸν καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἀνέλυον δὲ πάλιν αὐτὸν εἰς τὸ αὐτοῦ μόνον πρόςωπον.

P. 598 (733). ἀχρόνως πρὸ πάντων γεννηθεὶς μόνος ὑπὸ μόνου τοῦ πατρὸς ὑπέστη.] Solemni apud Patres Eccl. formula Filius unigenitus μόνος ἐκ μόνου procreari dicitur. Vide *Allat.* Not. in Sympos. X. Virginum *S. Methodii* p. 411. ed. Rom. et confer *Asterium* laudatum ab *Acacio* ap. *Epiphan.* T. III. p. 56 (838) ὁ πατὴρ ὁ γεννήσας ἐξ ἑαυτοῦ τὸν μονογενῆ λόγον ... μόνος μόνον. *Acacium* ap. eund. ibid. ἀρνησάμενος τὸν θεὸν ἐκ θεοῦ λόγον ὄντα τὸν υἱὸν καὶ μόνον ἐκ μόνου. et p. 58 (839). Formula recurrit in Epistola Pseudo-Synodi Ancyranae T. III. p. 80 (851). et ap. *Epiphan.* ipsum T. III. p. 164 (899). 200 (918). ὁ δὲ θεὸς ἀνεκδιηγήτως μόνος μονογενῆ γεγέννηκε. 236 (938). 238 (940). 278 (963).

P. 600 (734). Ἄρες Ἄρειε] Vulgatum ἄδδες Ἄρειε *Petavius* Animadvers. p. 287 ex *Constantini* epistola, a *F. Morello* edita, correxit.

P. 602 (735). Ὡς δὲ οὕτω κατείληπται cet.] Non displicet, quod cl. editor coniecit: ὥστε οὕτω —. Conf. quae in eadem re dicuntur p. 578 (722). Καὶ οὕτως cet. Malim tamen: ὥςτε οὕτος —, quum ὥςτε οὕτω molestius sit dictum.

P. 602 (735). φύρσις] Vid. *Lobeck.* ad *Phrynich.* p. 116 et conf. *Epiphan.* T. III. p. 26 (821). 114 (870).

P. 608 (738). οὐκοῦν ὠγκώθη, ἢ τομὴν ἐδέξατο, ἢ ἐν τῷ γεννᾶν ἐπλατύνθη ἢ συνεστάλη] Ὀγκοῦσθαι est *in molem surgere*, quae verbi vis ab eo fluxit vocis ὄγκος usu, quem illustravi ad *Gregor. Nyss.* De Anima et Resurrect. ed Krabinger. p. 204. sq. Adde *Epiphan.* p. 674 (776). κατὰ ὄγκον; Verbum ὀγκοῦν, *incrementum adferre*, habet auctor dialogi *Hermippi* ed. Bloch. p. 22. ὁ ἥλιος ἐν τῷ κόσμῳ πάντα περιέχων ὀγκοῖ πάντων τὰς γενέσεις καὶ ἰσχυροποιεῖ. quae sumta ex *Herm. Trismeg.* ed. Turneb. p. 93. Τομὴν in divinitate respuit *Alexander* in epistola ad Alexandr. ap. *Theodoret.* Hist. Eccl. I. 4. οὐ .. ταῖς τομαῖς .. ἀλλ' ἀῤῥήτως καὶ ἀνεκδιηγήτως. Eam nonnulli ex Patribus Eccl. ita admiserunt, ut ἄτομον esse et Deum in Trinitate ἀμερίστως μερίζεσθαι, docerent. Conf. *Iustin. Mart.* Dial. cum Tryph. 128. Apolog. II. 6. *Tatian.* Orat. c. Graec. cap. 5. et vid. annot. ad *Eliam Cret.* col. 830 (9). Cum verbis: ἐπλατύνθη ἢ συνεστάλη, conf. *Epiphan.* p. 644 (759) Τὸ δὲ γεγεννημένον ἐκ φύσεως ἢ συστολὴν ἐργάζεται, ἢ πλατυσμὸν, ἢ μείωσιν, ἢ τομὴν, ἤ τι τῶν τοιούτων παθῶν προςάπτει τῷ γεγεν-

νηκότω T. III. p. 200 (918). 308 (980). In Homilia Clement. XVI. 12. monadi divinae ἔκτασις et συστελή, per sapientiam se manifestans, tribuitur. Sed *Sabellius* potissimum, teste *Athanasio* De Synod. cap. 26., ad explicandum Trinitatis dogma verbo πλατύνεσθαι abusus est Deoque expansionem et contractionem inesse voluit. Qua in re *Stoicos* secutus videtur *Bauro* Doctr. de Trinit. T. I. p. 268. qui excitat *Athanas* c. Ar. IV. 14. coll. *Diog. Laërt.* VII. 137.

P. 608 (739). ἡ ἀχώρητος ἐκείνη φύσις] Deum dicit; vid. annot. in *Eliam Cret.* col. 767 (2). Ibi laudato *Gregorii Palamae* dicto de S. Virgine geminum est hoc Nostri T. III. p. 416 (1040) σκεύει χωρήσαντι τὸν ἀχώρητον. Est autem ἀχώρητος Deus, quippe omnium χώρημα (vid. *Baumgarten-Crus.* Hist. Dogm. T. II. p. 934. sq.) vel τόπος τῶν ὅλων, ut ait *Theophil.* ad Autolyc. II. 3. Sic *Arnobio* C. G. I. 31. Deus *locus rerum ac spatium.* Apposite Noster T. III. p. 158 (895) οὐδὲ ἐν μέτρῳ ἢ περιοχῇ θεὸς γινώσκεται. Ἔστι γὰρ ἀπερίγραφος, ἀχώρητος ... πάντα περιεχόμενος τὰ ποιήματα.

P. 608 (739). καί τοί γε ὄντων] Ita *Petav.*; ed. Basil. καίτοιγε. Sed scribendum: καίτοι γε, quod exstat p. 624 (747). Mendosum καί τοί γε tum alibi saepe deprehenditur, tum p. 636 (754. ubi ed. Bas. rursus καίτοιγε). 664 (770. ubi ed. Bas. καί τοι γε). 724 (803. ubi ed. Bas. καί τοιγε). T. III. p. 42 (831). 208 (923). 260 (954). 286 (968). 298 (975). 358 (1007). 360 (1009). 448 (1059 bis). 454 (1062).

P. 610 (740). πῶς ἀρχάγγελοι; πῶς στρατιαί;] Ad vocem στρατιαὶ vid. Animadvers. in *S. Basil.* I. p. 189.

P. 612 (741). ἄγγελοι ὑπερέχουσι τῶν ὁρατῶν] Ὑπερέχουσι loco vulgati ὑπάρχουσι reponi iussit *Petav.* Animadvers. p. 287.

P. 612 (741). ἀθάνατοι κατὰ χάριν ὑπ' αὐτοῦ κτισθέντες] Confer *Eliam Cret.* Comment. in *Gregor. Naz.* col. 825 (fol. 152. rect. med.) et quae ibi annotavi.

P. 616 (743). Τί οὖν ἐστι, φησὶ, ἄλλο τι ἡ θεότης αὐτοῦ ἐπεδέετο;] Fortasse legendum: Τί οὖν ἐστι, φησὶ, ἀλλ' ἢ ὅτι cet. Conf. p. 668 (772). Τί οὖν, φησὶ, ἀλλ' ὅτι (leg. ἀλλ' ἢ ὅτι) τροπικώτερον εἴρηται; Frequens apud *Epiphanium* ἀλλ' ἤ, *nisi, praeterquam*, de quo vid. *Ast.* Annot. in *Plat.* Protag. p. 196. *Krabinger.* ad *Gregor. Nyss.* De Anima et Resurrect. p. 322. coll. annot. in T. II. p. 674 (775). T. III. p. 6 (810). 408 (1037).

P. 616 (743). Νομίζω δὲ ... ἐλεγχθήσονται] Notandum est νομίζω, absolute, ut οἶμαι, positum, nisi forte ὅτι post δὲ excidit.

P. 622 (747). ὡς κατόπιν ἐλθών] Κατόπιν, quod proprie de loco dicitur, ut in seqq. ὡς κατόπιν βαίνων, hic ad tempus transfertur, estque κατόπιν ἐλθεῖν *tempore alicui succedere.* Vid. Praefat. in *Eliam Cret.* col. 745. c.

P. 622 (747). Ποῖ φέρεσθε;] Attende veteris elegantiae dictionem, qua utuntur, qui alios a temeritate cohibent. Conf. *Plat.* Clitoph. p. 407. A. Ποῖ φέρεσθε, ὦνθρωποι —; *Herm. Trismeg.* Poëmand. ed. Turneb. p. 32. et *Hierocl.* ap. *Euseb.* Contra Hierocl. p. 544, B. Vid. *Wyttenbach.* Animadvers. in *Plut.* Mor. p. 92. sq. et *Boissonad.* ad *Aen. Gaz.* p. 201. sq. 519. Immutata formula, *Meletius* in homilia ap. *Epiphan.* T. III. p. 132 (880) ποῖ φερόμεθα —; Similiter Latini: *Quo ruitis?* ut *Horat.* Epod. VII, 1. ubi vid. *Parthen.* p. 163.

P. 624 (747). περὶ τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας] Conf. p. 654 (765). 656 (765. ubi ἔνσαρκος οἰκονομία et ἔνσαρκος παρουσία promiscue ponuntur). 682 (780). Eodem pertinent σωτηρίας οἰκονομία p. 688 (783). 700 (791) et nudum οἰκονομία p. 690 (784. 785). 700 (790). T. III. p. 390 (1026).

392 (1027). 538 (127). Miro pleonasmo *Epiphanius* T. III. p. 412 (1039) ἡ τῆς ἐνσάρκου παρουσίας οἰκονομία ἐπεδήμησεν. et p. 440 (1054) τὴν ... οἰκονομίαν τοῦ κυρίου τῆς ἐνσάρκου αὐτοῦ παρουσίας. Vid. Animadvers. in *S. Basil.* I. p. 118. sq. 140. sq. et Viris Doctis ibi laudatis adde *Baumgart.-Crus.* Hist. Dogm. T. II. p. 829. et *Baur.* Doctr. de Trinit. p. 159. sq.

P. 624 (748). πολῳ ἐργαλίῳ ἐθεμελιώθη.] Apage nihili formam ἐργαλίῳ et citius rescribe ἐργαλείῳ. Ἐργαλεῖον recte scribitur T. III. p. 392 (989). Simile mendum itacismus peperit T. III. p. 68 (845) ubi προςωπείοις pro vulgato προςωπίοις scribendum. et p. 60 (840) ubi πρωτοτοκίων pro πρωτοτοκείων perperam scribitur. Ποῖος hoc loco et in praegressis: ποίᾳ τέχνῃ ἐκτίσθη ἡ σοφία, est ridentis rem parum probabilem. Vid. annot. in T. II. p. 724 (803).

P. 626 (748). τοῦ μὴ λογίζεσθαι εἰς θεόν τι ἐλαττώματος ὑποβεβηκυῖαν νομίζειν αὐτὸν θεότητα παρὰ τὴν τοῦ πατρὸς ἔχειν οὐσίαν.] Haec verba sanequam obscura sunt. In ed. Basil. post ἐλαττώματος virgula interpungitur; sed ἢ ante ὑποβεβηκυῖαν excidisse videtur. Conf. p. 724 (804) εἰ γάρ τι εἰς τὸν υἱὸν λογίζῃ ὑποβεβηκὸς ἢ ἐλάττωμα. Cum verbis τοῦ μὴ λογίζεσθαι εἰς θεόν τι ἐλαττώματος conf. haec in seqq. Οὔτε γὰρ τοῦτο ἡμῖν ἐνσκήψει εἴς τι ἐλαττώματος. Λογίζειν et λογίζεσθαί τι εἴς τι est *alicui attribuere aliquid.* Conf. p. 626 (749) ἵνα τὸ πάθος εἰς τὴν θεότητα λογισθῇ. p. 628 (750) T III. p. 392 (1027). Cognatus est usus formulae ἀναλογεῖν et ἀναλογεῖσθαί τι εἴς τι, *adnumerare alicui aliquid*, p. 648 (761). 668 (772). T. III. p. 40. sq. (830) τὰ μὲν εἰς Χριστὸν τὴν διαίρεσιν προςάπτων, τὰ δὲ εἰς τὸν λόγον ἀνωτάτω ἀναλογούμενος. ubi male vulgo ἀναλογούμενα. Αὐτὸν Christum dicit *Epiphanius*; tangit autem hoc loco placitum de ὑποβάσεσι in divina natura, ab Haereticis in Christologiam introductum. Vid. annot. in T. I. p. 204 (102).

P. 628 (749). ἀλλὰ, εἰ ἄρα, ζητηθήσεται ἄλλος υἱός] Εἰ ἄρα *Petavius* male vertit: *nimirum*; tu verte: *si forte*, quae formula, pariter ac Graeca εἰ ἄρα, cum ellipsi poni solet. Plene dixeris: εἰ ἄρα τοῦτο δυνατόν, *si forte id locum habet.* Conf. T. III. p. 12 (814) ἀλλ', εἰ ἄρα, ἐχυδαίωσε τὸ κατ' εἰκόνα. sicuti haec interpungenda. p. 228 (934) ἀλλ', εἰ ἄρα, καταχρηστικῇ τινι χάριτι καὶ αὐτὸ .. τοῦ πλουσίου χαριζομένου τῷ ἥσσονι.

P. 628. (750). ἐν τοῖς σωματικοῖς πλαστίοις] Rescribo: πλαστοῖς. Τὰ σωματικὰ πλαστὰ sunt *animantia.*

P. 632 (752). ἐν κόσμῳ πολυβλύστως κεκινημένῳ] Πολυβλύστως rarior vox est, quam in Lexicis vulgaribus frustra quaesiveris.

P. 632 (752). Πνεῦμα γὰρ Χριστοῦ πνεῦμα πατρὸς ἐκπορευόμενον καὶ τοῦ υἱοῦ λαμβάνον] Quod *Voemelius* coniecit παρὰ πατρὸς, exstat *Io.* Ev. XV. 26. et ap. Nostrum T. III. p. 168 (900). Poterat eodem iure coniicere ἐκ πατρὸς, qua formula *Epiphanius* p. 642 (757). 672 (774). 682 (780). 698 (788). T. III. p. 46 (838). 144 (887). 204 (921). 246 (945) et alibi huc in sententia utitur. Idem T. III. p. 200 (918) ἀπὸ πατρὸς ἐκπορευόμενον. Sed praepositione in verbis πατρὸς ἐκπορευόμενον aeque facile caremus. atque in seqq. τοῦ υἱοῦ λαμβάνον, quibus respicitur *Io.* Ev. XVI. 14. ἐκ τοῦ υἱοῦ λήψεται. Eodem respiciens, *Epiphanius* praepositionem ἐκ, p. 642 (757). 682 (780) et alibi servatam, p. 672 (774). 698 (788). T. III. p. 46 (838). 168 (901). 200 (918). 204 (921). 246 (945) et alibi, ut nostro loco, omisit.

P. 684 (753). Φέρε γοῦν διὰ ταύτης τῆς λέξεως διαλάβωμεν —] Male *Petavii* versio Latina: *Age igitur nos iterum de his sermonem instituamus.* Nimirum aliud est διαλαμβάνειν περί τινος (v. c. conf. p. 702. 792. περὶ ταύτης τῆς λέξεως .. διαλαβόντες), aliud διαλαμβάνειν διά τινος. Tu verte: — *huius effati ope disputemus.* De verbo διαλαμβάνειν, *disceptare, disputare*, vide eruditum Anglum ad *Origen.* De Orat. p. 206. B. not. p. 913. *b.* ed. Ruae.

P. 684 (753). μέσος ἐστὼς τοῦ κόσμου, ὡς ἐπὶ θεάτρου, ἀθλητοῦ δίκην] Similiter Noster de Christo morti se devovente p. 694 (787) τὸν ἴδιον δεσπότην ἐπὶ τῷ τοιούτῳ σκάμματι .. ἑστῶτα. ubi vocis σκάμμα is obtinet usus, de quo monui ad *Eliam Cret.* col. 766 (11).

P. 684 (754). οὐκ ἔνι φθόνος θεότητος.] Vide *Krabinger.* ad *Gregor. Nyss.* De Precat. p. 136. meque in Basilio Plotiniz. p. 34. et ad *Eliam Cret.* col. 774. (12) ubi in contextus verbis: ἀγαθῷ δὲ οὐδεὶς ἐγγίνεται φθόνος, καθά φησι καὶ Πλάτων, male οὐδεὶς pro οὐθεὶς typis exscriptum est. Adde *Epiphan.* T. III. p. 270 (959) οὐδὲ γὰρ φθονεῖ τῇ ἰδίᾳ ἀγαθότητι cet. Contraria de Deo invido sententia (vid. annot. in T. II. p. 282 [544]) idem in disputatione adversus Diabolum abutitur T. III. p. 334 (995. 996.).

P. 646 (760). τῶν ὑπ' αὐτῶν .. λεγομένων τε καὶ ᾀδομένων] Ἄιδειν est *decantare, celebrare.* Conf. *Method.* ap. *Epiphan.* p. 390 (591). *Epiphan.* p. 692 (785). T. III. p. 362 (1010). 368 (1014). 374 (1017) et saepe alibi. Idem ᾄδειν et λέγειν, ut hoc loco, copulat p. 688 (784). 716 (791).

P. 652 (764). ἀποδιδόναι φωνὴν ἠχήεσσαν] Ecce tibi epicam vocem, ab *Epiphanio* adhibitam et p. 654 (764) repetitam. Conf. *Homer.* Iliad. α. 157. θάλασσά τε ἠχήεσσα. Pari κακοζηλίᾳ Noster T. III. p. 254 (949) βροτείων διανοημάτων. p. 508 (1093) ἀφραίνοντες γελοιώμενοί τε. Sed est hic mos recentioris aetatis scriptorum, de quo dixi ad *Eliam Cret.* col. 758 (5). Quod sequitur ἀπομήκοθεν, ἀπὸ μήκοθεν mendose scribitur T. III. p. 478 (1076). 530 (1106) quibus locis saltem ἀπὸ μηκόθεν poni oportebat. Sed ferri potest ἀπομήκοθεν, quod *Epiphanius* finxit ad exemplum vocum epicarum ἀποτῆλε, ἀποτηλόθι, ἀποτηλοῦ. Poterat etiam dicere ἀπὸ μακρόθεν (vid. *Lobeck.* ad *Phrynich.* p. 46), quemadmodum ἐκ πανταχόθεν dicere est ausus p. 676 (776). T. III. p. 122 (875). 186 (910). 304 (979). 358 (1007). 410 (1037). 412 (1038). 414 (1040) et saepe alibi.

P. 653 (764). αὐτὸ γὰρ ἑαυτῷ τὸ ῥητὸν μηνύει] Αὐτὸ ex codd. mss. recte repositum est; sed restat, ut ἑαυτὸ pro ἑαυτῷ rescribatur.

P. 656 (766). Ἔτι δὲ ὑπερβήσομαι τὸ ῥητὸν ἱκανῶς ἑρμηνευόμενον νομίζων, καὶ ἐπὶ τὰ ἕτερα πρὸς αὐτῶν εἰς ἀνατροπὴν τῶν ἀκουόντων ἐπινενοημένα τοῦ λέγειν ἐπιλάβοιμι.] Ad haec verba intelligenda Oedipo coniectore opus est. Τῆς αὐτῶν et ἐπινενοημένων ed. Basil.: ἐπινενοημένα *Petavius*, adiecta nota: *Pro* τῆς *for.* ὑπ' *vel* τοῖς αὐτοῖς. Πρὸς αὐτῶν cl. *Oehlerus* de coniectura. Sive autem ὑπό, sive πρὸς scribitur, ista: καὶ ἐπὶ τὰ ἕτερα ... τοῦ λέγειν ἐπιλάβοιμι, adeo barbare sunt dicta, ut mihi de vitio suspecta sint. In transitionibus *Epiphanius* formulis utitur huiusmodi: p. 646 (760) ἐφ' ἕτερα δὲ πάλιν ἑαυτοὺς ἐπιδῶμεν. p. 664 (770) ἐπ' ἄλλας .. λέξεις δῶμεν τὸν νοῦν. p. 674 (775) ἐπ' ἄλλας λέξεις ἐφεξῆς ἐλεύσομαι. p. 676 (776) ἐπὶ τὰς ἑξῆς αὐτῶν λέξεις ἴωμεν. p. 680 (778) ἐπὶ δὲ τὰ ἄλλα λοιπὸν ἐπελεύσομαι. p. 682 (780) εἰς τὰς ἄλλας αὐτῶν λέξεις ἑαυτοὺς ἐπιδῶμεν. p. 684 (781) αὖθις πάλιν εἰς τὰς ἑξῆς (leg. τὰ ἑξῆς) παρελεύσομαι. Quorum tamen locorum nullus ad explicandum nostrum expe-

dit. Sed quum p. 686 (782) haec reperiantur: Καὶ ἔτι ὑπερβήσομαι εἰς τὰ ἕτερα, eo adducor, ut credam, nostrum locum ita interpungendum esse: "Ετι δὲ ὑπερβήσομαι, τὸ ῥητὸν ἱκανῶς ἑρμηνευόμενον νομίζων, καὶ ἐπὶ τὰ ἕτερα ... ἐπινενοημένα. Quid vero faciamus istis: τοῦ λέγειν ἐπιλαβοίμι? Exspectaveris: τοῦ λέγειν ἐπιλαβοίμην. Sed ne haec quidem cum reliqua oratione cohaerent. Quo accedit, quod ἐπιλαμβάνεσθαι p. 696 (787). 714 (798) et alibi de hostili dicitur aggressione, cuius notio in verba τοῦ λέγειν ἐπιλαβοίμην minime cadit. Quid multa? Lector pius, sed Graecobarbarus, haec verba, postmodum vitiata et in contextum recepta, margini adscripsisse videtur: τοῦ λέγειν ἀπολαύοιμι, id est: *lectio mihi prosit.*

P. 658 (766). Προϋπαντήσεταί γὰρ αὐτοῖς τὸ ὑπ' αὐτοῦ τοῦ κυρίου εἰρημένον] Προεπαντήσεται cod. Rhedig. male. Προϋπαντᾶν est *praeverlere, in antecessum occurrere s. refutare*, verbi ὑπαντᾶν vi ea, de qua dixi Symbol. ad *Philostr.* Vit. Soph. p. 59. 107. Adde *Suid.* v. Πρόκλος et *Cyrill. Alexandrin.* ap. *Mai.* Collect. Nov. Vet. Script. T. VII. p. 104. *a.*

P. 660 (768). κεκρατυμμένα] De verbis in υνω exeuntibus, quae in perfecto passivo literas μμ adsciscunt, conf. T. I. p. 176 (87) μεμολυμμένας χεῖρας cod. Ven. pro vulg. μεμολυσμένας χ., T. III. p. 40 (829) ὠξυμμένος τὴν γλῶτταν. p. 176 (905). Geminam formam verborum in αινω exeuntium attigimus annot. in T. I. p. 434 (234). Κρατυνόμενος tamen *Epiphanius* quam κεκρατυμμένος dicere maluit T. III. p. 184 (909).

P. 664 (770). Οἱ γεννάδαι ... καὶ εἰς πάντα εὔτολμοι] Γεννάδας, *generosus*, cum ironia dicitur *procax*. Conf. p. 708 (794). Τί γὰρ πάλιν φασὶν οἱ γεννάδαι; p. 724 (804) λέγε μοι, ὦ γεννάδα, τί λέγει; T. III. p. 40 (829) ἑκατὸν μαρτυρίας φέρειν ὁ γεννάδας ἐπηγγείλατο. p. 192 (914) τῷ γεννάδᾳ Ἀετίῳ. p. 308 (981). 312 (983). 322 (989). Eadem ironia voci γενναῖος inest p. 680 (779) Ὦ γενναῖοι σοφισταὶ καὶ τῶν λόγων διαστροφεῖς. et alibi.

P. 668 (771). δίκην πειρατῶν ἀνδρῶν σώματα ὑγιῆ ἀκρωτηριαζόντων] De Origene, sententias ex libris sacris membratim decerpente, similiter loquitur *Methodius* ap. *Epiphan.* T. II. p. 322 (576) καθάπερ Σκύθης ἐχθροῦ τινος ἀφειδῶς πρὸς ἀναίρεσιν κατατέμνων τὰ μέλη.

P. 668 (772). καὶ δῆλον ὅ τι καὶ παντὶ τῷ σύνεσιν κεκτημένῳ σαφὲς εἴη] "Ο τι pro vulgato ὅτι scriptum nollem. Quamquam δῆλον (scil. ἐστί) ὅτι (scil. τοῦτο) σαφὲς εἴη molestus est pleonasmus, quem *Epiphanius* alias vitavit. Vid. annot. in T. II. p. 152 (482).

P. 668 (772). Οὐκέτι δὲ ταὐτὸν περὶ τὸν υἱὸν ἡγητέον.] Non est, quod οὐκ ἔστι scribatur. Οὐκέτι, *iam non*, interdum, ut hoc loco, p. 676 (776) et alibi, συλλογιστικὸν, non χρονικὸν est. Vid. *Ast.* Animadvers. in *Plat.* Leg. p. 582. et Symbol. ad *Philostr.* Vit. Soph. p. 60.

P. 670 (773). φυρτὸν ἔλαβε σῶμα] Φυρτὸς vocabulum est eiusdem farinae, ac φύρσις, de quo vid. annot. in T. II. p. 602 (735). Est autem φυρτὸν σῶμα, *corpus confusum*, in quo singulae partes non distinctae sunt.

P. 670 (773). Εἰς δὲ τὸ περὶ καρδίας πιεζόμενοι οὐ δύνανται ἀρνήσασθαι] Adverte verbum πιέζω, notione dialectica usurpatum de eo, qui aliquem disputando urget. Conf. *Epiphan.* T. III. p. 378 (1019) καθώς τινες πολλάκις ... ἑάλωσαν πιεζόμενοι. Verbum a palaestra translatum est. Vid. *Krebs.* Observat. in N. T. e Flavio Iosepho p. 299. sq. Parem metaphoram verbi κατάγχειν attigi ad *Elian. Cret.* col. 810 (7).

P. 672 (774). οὐδὲ ἀπὸ τοῦ πεποιηκέναι τὸ ἁμαρτές] Notanda est vox barbara ἁμαρτής.

P. 672 (774). καὶ αἴτιος ἑαυτῷ ἕκαστος γίνεται ἁμαρτίας.] Secundum illud *Platonis* Pol. X. p. 617. E. αἰτία ἑλομένου, cui quod adiicitur: Θεὸς ἀναίτιος, Noster in seqq. ita exprimit: Διά τοι τοῦτο ἀναίτιος ὁ δημιουργὸς λόγος. Adde T. II. p. 424 (632) ἵνα αὐτὸς μὲν ἀναίτιος τῶν φαύλων εἴη —. Sed haec ille non tam ex *Platone* hausisse videtur, quam ex *Methodio*, quem vide apud *Epiphan.* p. 543. B. 545. C. 583. A.

P. 674 (775). ἵνα ... καταφαίρετον ποιήσῃ τὴν φθοράν] Adiectivum verbale καταφαίρετος in Lexicis vulgaribus frustra quaesiveris.

P. 674 (775). πάθῃ τῇ θεότητι προσάπτοντες] Προσάπτειν, *attribuere*, plerumque, ut hoc loco, in peiorem partem dicitur. Conf. T. III. p. 4 (809) διὰ .. τὸ μὴ πάθος προσάψαι τῷ πατρί (= Anaceph. T. III. p. 574, 148) p. 262 (954). p. 378 (1018) μὴ σάρκα αὐτῷ προσάπτειν βουλόμενοι. Προσάπτειν εἰς — eodem sensu dicitur p. 40 (830) τὰ μὲν εἰς Χριστὸν τὴν διαίρεσιν προσάπτων. ubi *Petavii* versio claudicat.

P. 674 (775). Τίνι γὰρ πρέπει δοξάζειν πατέρα, ἀλλὰ υἱῷ ἀληθινῷ —] Rescribe: ἀλλ' ἢ υἱῷ ἀληθινῷ, *praeterquam germano filio.* Vid. annot. in T. II. p. 616 (743).

P. 674 (775). εἰς ἡμῶν ὑπογραμμόν] *Petavius: ad nos ipsos informandos*, satis bene. Conf. *Epiphan.* T. III. p. 364 (1011) τὸν ὑπογραμμὸν τῆς σωτηρίας ἡμῖν ὑπολιμπάνων. Ὑπογραμμός est, quam melioris notae scriptores ὑπογραφὴν dicunt. Vid. *Ast.* Animadvers. in *Plat.* Leg. p. 249.

P. 674 (775. 776). Μείζων δὲ κατὰ ποῖον τρόπον οὗτοι λογίζονται;] Repone: Μείζω.

P. 674 (776). ἀλλὰ κατὰ χρόνον; ἀλλὰ κατὰ ὕψωμα; ἀλλὰ κατὰ ἡλικίαν; ἀλλὰ κατὰ ἀξίαν;] Veteris eloquentiae est, plures interrogationes particula ἀλλὰ per anaphoram coniungere. Vid. *Stuller.* Lect. Andocid. p. 187. sq. (p. 124. ed. Schiller.) et conf. *Epiphan.* T. III. p. 382 (1022) ἀλλὰ τὰ δάκρυα; ἀλλὰ μνήματος αἱ θέσεις;

P. 674 (776). ἵνα ὁ μὲν υἱὸς προκόψας μὴ φθάσοι πρὸς τὴν τοῦ πατρὸς μεγαλειότητα] Perfrequens apud *Epiphanium* abusus coniunctionis ἵνα, cum optativo pro ὥστε cum infinitivo positae. Verbi causa conf. p. 712 (797) Τίς γὰρ ἡλίθιος, ἵνα ἀμφιβάλλοι περὶ τούτου;

P. 676 (776). τῶν πάντων ἀγαθῶν μίαν εἶναι τὴν πηγήν, τουτέστι τὸν πατέρα.] Πηγὴ Deus vocari solet, quippe fons omnium bonorum ac, sicuti Noster in seqq. docet, Filii et Spiritus sancti. Vide *Francisc. Scors.* ad *Theophan. Ceram.* Homil. p. 598. *b.* meque Basil. Plotiniz. p. 17.

P. 678 (778). ὁ πατὴρ τῷ υἱῷ Ποιήσωμεν ἄνθρωπον λέγει, συνδημιουργὸν καλῶν τὸν υἱόν] Haec Patrum Eccl. sententia, de qua conf. *Basilii* et *Georgii* Profess. ap. *Epiphan.* T. III. p. 96 (859. 860), in concilio Sirmiensi anathemate aliter sentientium corroborata est. Vid. *Socrat.* Hist. Eccles. II. 30. *Philo* quidem *Iudaeus*, *Platonem* in Timaeo p. 69. C. secutus, verba ex Genes. I. 26. ita interpretatus est, ut Deum in formando homine angelos administros alloqui fingeret. Sed Patres Eccl. hanc sententiam valde exagitarunt. Vid. *Rainold.* Censura Libror. Apocryph. Vet. Test. P. II. p. 962. qui fontem Platonicum sententiae Philonianae indicavit. Verum enimvero confitendum est, Patrum Eccl. rationem a Philoniana longe minus dissidere, quam vulgarem et a Patribus Eccl. item spretam interpretationem, ex qua Deus pro

maiestate sua plurali numero de se loquitur. Vid. Animadvers. in *S. Basil.* I. p. 96. Cum verbis: συνδημιουργὸν καλῶν τὸν υἱόν, conf. *Basilii* et *Georgii* Profess. ap. *Epiphan.* T. III. p. 96 (860) ὑπουργῷ αὐτῷ ἐχρήσατο εἰς τὴν τῶν λοιπῶν δημιουργίαν ὁ Θεός. Ibidem Filius ὑπουργεῖν τῷ πατρὶ dicitur. De eodem *Epiphanius* p. 314 (984) συνυπουργεῖ . . τῷ πατρί. Adde annot. in T. I. p. 140 (66).

P. 680 (779). ἐν τῷ ὄντι τὰ ὄντα πεπληρωμένως ἀεὶ ὁμολογούμενα] Haec nullo modo cohaerent cum praegressis verbis: Ἔδει γὰρ καὶ ἐν τούτῳ πληρωθῆναι τὴν τοῦ ἁγίου Ἰωάννου ἀκολουθίαν. Iunctura ita est restituenda, ut scribatur: ὁμολογουμένου. Πεπληρωμένως pro vulgato πεπληρωμένος recte repositum est de *Cornarii* et *Petavii* coniectura. Vid. annot. in T. II. p. 568 (717). Sed ne sic quidem omnia sarta tectaque sunt; nam ad sententiae integritatem εἶναι post ἀεὶ deest.

P. 680. 681 (779). οἱ βουλόμενοι σὺν τοῖς γεγονόσιν ἀριθμεῖν τὸ ἅγιον πνεῦμα τοῦ Θεοῦ] Spiritum sanctum rebus creatis συναριθμεῖσθαι sive Deo ὑπαριθμεῖσθαι voluere *Arius*, *Eunomius* et *Macedonius*. Quae contra *Epiphanius* cum aliis Patribus orthodoxis in seqq. docet, Spiritum sanctum Patri et Filio συναριθμεῖσθαι. Conf. T. III. p. 206 (922). 320 (988). Alii vero id quod est συναριθμεῖσθαι in divinam naturam omnino non cadere statuerunt. Vide *Eliam Cret.* Comment. in *Gregor Naz.* col. 838. et annot. 4.

P. 682 (780). ὁ τῆς ἀγαθότητος πρύτανις] Similiter Deus mundi et omnium bonorum πρύτανις vocari solet. Vid. *Heinichen.* Ind. in *Eusebii* Vit. Constant. p. 588. b. Verbo πρυτανεύειν similiter translato utuntur *Bardesanes* ap. *Euseb.* P. E. VI. 10. p. 280. B. et *Caesarius* Dialog. I. p. 599. C. (Bibl. PP. Paris. T. XI.) πιστεύων τὴν συνεκτικὴν τοῦ παντὸς θείαν ῥώμην . . πρυτανεύειν τὰ σύμπαντα. Christum beatis πρυτανεύειν dicit *Method.* ap. *Epiph.* p. 588, A.

P. 682 (780). ὁ διδοὺς τροφὴν πᾶσι σαρκί] Legendum: πάσῃ σαρκί, quod *Petavius* Latina versione sic expressit: *Qui dat escam omni carni.*

P. 684 (781). εἰς τὰς ἐξῆς παρελεύσομαι] Repone: εἰς τὰ ἐξῆς. Neque enim ex insequentibus: ἑκάστης λέξεως, λέξεις retro subaudiri potest. Aliter se res habet p. 702 (792) ἱκανῶς δὲ περὶ ταύτης τῆς λέξεως . . διαλαβόντες, ἐπὶ τὰς ἑξῆς ἴωμεν. et T. III. p. 68 (844) ubi *Epiphanius*, absoluta Marcelli haeresi: — καὶ ... τὰς ἑξῆς (nim. αἱρέσεις) διασκοπήσομαι. cuiusmodi formulis ille in transitionibus ad novas haereses uti solet. Vid. annot. in T. III. p. 68 (844). Sed de locutione τὰ ἑξῆς vid. annot. in T. II. p. 246 (533).

P. 686 (782). εὐφρονούντων] Malim εὖ φρονούντων. Vid. annot. in T. I. p. 470 (253).

P. 686 (782). Ὁ δὲ ἐπιδεηθεὶς ... δυνάμεως.] Verba ὁ δὲ ἐπιδεηθεὶς ... νεκρῶν mihi de interpolatione suspecta sunt; mera enim iis contineatur circumscriptio illorum: ὁ ἐγειρόμενος διὰ τῆς τοῦ δυνατοῦ δυνάμεως. Rescribo igitur: Ἄρα ἕτερός ἐστιν ὁ ἐγείρων τῇ δυνάμει, ἕτερος δὲ ὑποβεβηκὼς ὁ ἐγειρόμενος cet.

P. 692 (785). οἱ λεξιθῆρες] Λεξίθηρες *Petavius*; vid. annot. in T. I. p. 282 (149).

P. 692 (786). τὰ πάντα τελειωμένως ἔχει] Τελειωμένως edd. Basil. et Petav.; sed scribendum: τετελειωμένως. Vid. annot. in T. II. p. 568 (717).

P. 694 (787). εὑφημῶν τὸν ἴδιον δεσπότην ἐπὶ τῷ τοιούτῳ σχάμματι .. ἑστῶτα] Vid. annot. in T. II. p. 634 (753).

P. 696 (787). μηδὲν δέ τι ἠλαττωμένον ἐν αὐτῷ διανοηθῶμεν] Ἠλαττωμένον dicit ὑπόβασιν, quam *Arius* Christo inesse voluit. Vid. annot. in T. II. p. 626 (748).

P. 698 (789). μιᾶς οὔσης ἁγιαστίας] *Suidas* v. ἁγίασμα haec habet: ἁγιαστία ἡ ἁγιωσύνη, ἁγιστεία δὲ ἡ ἱεροτελεστία. Exemplum vocis ἁγιαστία, *sanctitas*, ex *Io. Chrysostomo* De Sacerd. III. 4. §. 178. afferunt. Sed male haec vox me habet. Quae quum a voce ἁγιαστὴς, *qui consecrat*, repetenda sit, necesse est, declaret non *sanctitatem*, sed *consecrationem*, quam Theologi vocant *sanctificationem*. Atqui haec significatio ab *Epiphanii* et *Chrysostomi* locis aliena est. Apud *Chrysostomum Hoeschelius* ad vocem ἁγιαστίας: „Augustanus ἁγιστείας, recte utrumque.“ Tu vero vide, ne ἁγιαστία sit corruptum ἁγιστία, qua voce posterioris aetatis scriptores pro veteri ἁγιστεία ita usi sunt, ut, quum ἁγιστεία veteribus esset *cultus divinus* (vid. *Ruhnken.* ad *Timaei* Lex. Voc. Plat. p. 12), ἁγιστίαν *sanctimoniam* nuncuparent. Anecd. Paris. ed. Cramer. T. IV. p. 88, 11. ἁγιστία (leg. ἁγιστεία) καὶ ἁγιστία· ἡ καθαρότης, ἁγιωσύνη, πονηρία δὲ ἡ ἀκαθαρσία. Contra recte habet ἁγιαστία, *sanctificatio*, ap. *Epiphan.* T. III. p. 174 (904). 518 (1098) = 584 (154), quibus locis ἁγιαστείας pro ἁγιαστίας male vulgatur. Ἁγιαστικὸς exstat T. III. p. 328 (992).

P. 708 (795). τὰ μετέωρα ἐμβατευούσης καὶ τὰ ἄνω περιεργαζομένης] Vide, ne ista: τὰ ἄνω περιεργαζομένης, ex margine irrepserint. Certe idem valent, quod praegressa: τὰ μετέωρα ἐμβατευούσης. De verbo ἐμβατεύειν monui ad *Eliam Cret.* col. 762 (6). Conf. *Epiphan.* T. III. p. 236 (939) τὰ ἄνω ἐμβατεύειν πειρώμενος. p. 246 (945) παρὰ σοὶ τῷ Ἀετίῳ, τῷ ἐμβατεύοντι καὶ τὰς κατὰ θεὸν δόξας ἐρευνῶντι. ubi τὰ ἄνω ante ἐμβατεύοντι excidisse videtur. p. 408 (1037) τὰ ἄνω ἐμβατεύσαντες καὶ πολυπραγμονήσαντες.

P. 710 (796). καὶ ἐξ ὑπαρχῆς ἄχρι τοῦ Ἀδὰμ διαληπτέον] Ἐξ ὑπαρχῆς est *a priori* sive *omnino*. Conf. p. 716 (799) οὐκ ἴσασιν ἐξ ὑπαρχῆς τὸν νοῦν τῆς ἀληθείας. T. III. p. 312 (984). Alias ἐξ ὑπαρχῆς simpliciter dicitur, quod est *ab initio*, velut T. III. p. 268 (958) ἐξ ὑπαρχῆς ἄχρι τέλους.

P. 712 (797). μετὰ στενοπῆς τῶν λόγων] Ocius rescribe: στενωπῆς. Vid. *Lobeck* ad *Phrynich.* p. 105. sq.

P. 712 (797). ὑπὲρ ἡμᾶς καὶ ὑπὲρ τὴν ἡμῶν φύσιν τὸ περὶ θεοῦ διαλέγεσθαι] Conf. Epist. personati *Xenophontis* I. 3. ὅτι μὲν γὰρ τὰ θεῖα ὑπὲρ ἡμᾶς παντὶ δῆλον. Hinc τὰ ὑπὲρ ἡμᾶς sunt *divina*, quae captum nostrum fugiunt, velut apud personatum *Dionys. Areopag.* Hier. Eccl. cap. 2. ubi dictio τοῖς ὑπὲρ ἡμᾶς ἐγχειρεῖν. *Meletius* in homilia ap. *Epiphan.* T. III. p. 130 (879) εἴ πως δυνηθείημεν διὰ τῶν καθ' ἡμᾶς τὸ ὑπὲρ ἡμᾶς καταλαβεῖν. ubi lego: τὰ ὑπὲρ ἡμᾶς, coll. seqq. τὰ ἀγνοούμενα et τὰ κεκρυμμένα. Adde eundem p. 134 (881) ἀφέντες περὶ τῶν ἀμφισβητουμένων φιλονεικεῖν καὶ περὶ τῶν ὑπὲρ ἡμᾶς, κρατοῦμεν ἃ παρειλήφαμεν. De Socratico sententiae fonte vid. Animadvers. in *S. Basil.* I. p. 71.

P. 714 (798). εἰ μὴν καὶ μὴ ἦν τὸ Ὁμοούσιον γεγραμμένον] Loco vulgatae lectionis εἰ μὴ καὶ μὴ ἦν reponi malim εἰ δὴ καὶ μὴ ἦν, quum εἰ μὴν inauditum, εἰ δὴ tritum sit.

P. 718 (800). τί ἂν φαίησαν οἱ τῆς ζωτικῆς πραγματείας

ἄγνωστος;] Ζωτικὴ πραγματεία idem sibi vult, quod τὸ τῆς σωτηρίας ἡμῶν Χριστοῦ ζωτικὸν μυστήριον T. III. p. 268 (958). Ἡ ἔνσαρκος παρουσία et ἡ πᾶσα πραγματεία, *totum incarnationis negotium*, ex aequo ponuntur T. III. p. 390 (1026).

P. 718 (800). τὰ πάντα ἔχει τῆς εὐλόγου ἀκολουθίας] Τὰ πάντα est *omnino*, ut paulo antea. Rescribo igitur ἔχεται, scil. ἡ γραφή, coll. annot. in T. I. p. 384 (207). Ἀκολουθία tum de nexu naturali (vid. annot. in *Io. Glyc.* p. XII. et p. 115. b.), tum de orationis et sententiarum nexu dicitur. Vid. annot. in *Etiam Cret.* col. 800 (8) ubi habes hanc ipsam formulam ἔχεσθαι τῆς ἀκολουθίας. Contrarium est ἄλλης ὑποθέσεως ἔχεσθαι, quo utitur *Stephanus Philos.* Schol. in *Aristot.* Rhet. Cram. Anecd. Paris. I. p. 256, 10.

P. 720 (801). τοῖς λεξιθήρεσι] Scribendum: λεξιθηρσι, nisi forte λεξιθηροῦσι magis placet. Vid. annot. in T. I. p. 282 (149).

P. 722 (803). ὁ υἱός .. οὔτε κατὰ ὑπόβασιν, οὔτε κατὰ ἀνάγκην ἢ κατὰ λῆξιν ὑποτάσσεται τῷ πατρί] Ὑπόβασιν *capitis imminutionem* vertit *Petavius*, recte, si *dignitatis decrementum* intellexit. Vide annot. in T. II. p. 696 (787). Λῆξιν (ed. Basil. male λέξιν) *Cornarius* vertit *cessationem*, *Petavius potestatis abrogationem*, uterque perperam. Λῆξις est *sors* vel *conditio*, *quae sorte obtigit*. Vide *Needham.* ad *Hierocl.* Comment. in Aur. Carm. p. 381. sq. *Koen.* ad *Gregor. Corinth.* p. 534. ed. Schaef. meque Animadvers. in *S. Basil.* I. p. 4. sq. Emendationem, illic a me factam in *Nonno*, *Needham.* l. c. occupavit. Apud *Suidam*, qui *Nonnum* v. Πλάτων exscripsit, *Kusterus* vocem λῆξις recte *statum*, non *sortitionem*, uti *Portus*, vertit. Quod autem nostro loco *Cornarius* et *Petavius* in voce λῆξις de verbo λήγειν cogitarunt, eundem errorem *Mingarellius* erravit ad *Didym. Alexandrin.* De Trinit. II. 6. p. 151. ἡ .. ἀσώματος λογικὴ κτίσις τὴν κατὰ προαίρεσιν ἔχει φθοράν, τοῦ μὲν θεοῦ μόνιμον αὐτῇ φύσιν δεδωκότος .. αὐτῆς δὲ αὐτοπροαιρέτως μεταβαλλομένης καὶ εἰς χείρονα ἐκπιπτούσης λῆξιν. Idem tamen, a se dissentiens, λῆξιν recte interpretatus est *statum*, *quem quis sortitus est*.

P. 722 (803). ἀποκλειέσθωσαν] Malim: ἀποκεκλείσθωσαν. Conf. *Epiphan.* T. III. p. 64 (842) Εἰ δὲ ... ἔσφαλταί τινα τὰ οὐκ ὀρθὰ ὑπάρχοντα, πάλιν ὡσαύτως τοῖς φιλομαθέσι τετάχθω. *Aëtius* ap. *Epiphan.* T. III. p. 220 (929) Εἰ διαμένει ἐν φύσει ἀγεννήτου ὁ θεός, τὸ ἐν γενέσει καὶ ἀγεννησίᾳ ἑαυτὸν εἶδέναι ἀφῃρήσθω. quae Epiphanius ita perstringit p. 308 (981) Διὸ ἀφῃρήσθω τὸ τούτου τοῦ Ἀετίου ἀποφαντικὸν κέλευσμα.

P. 724 (803). Ποῖον γὰρ οὐρανὸν ἐποίησε καθ' ἑαυτὸν ὁ πατήρ, ἵνα ἀπὸ τοῦ τύπου τοῦ πρώτου οὐρανοῦ λαβὼν τὸ ὁμοίωμα ὁ υἱὸς οὕτως ἐργάσηται;] Ποῖος hoc loco est eius, qui quod interrogatur absurdum esse cum ironia significat. Conf. p. 624 (748) λεγέτωσαν ἡμῖν οἱ μηχανικοὶ, οἱ τῶν ἄνω κατοπτευταὶ, ποίᾳ τέχνῃ ἐκτίσθη ἡ σοφία, ποίῳ ἐργαλείῳ (vulg. ἐργαλίῳ) ἐθεμελιώθη. p. 712 (797) τίς γὰρ ἠλίθιος, ἵνα ἀμφιβάλλοι περὶ τούτου; παῖος δὲ ἐμβρόντητος λογίσασθαι μὴ εἶναι ἄκτιστον τὸν θεόν —; T. III. p. 454 (1062). *Gregor. Naz.* Orat. XXXII. p. 590. B. ed. Maur. σὺ δὲ τίνας εἶδρεψας ἐξ οὐρανοῦ; ποῖον ὕδωρ ἐκ πέτρας δέδωκας; ποίαν ἔῤῥηξας θάλασσαν ῥάβδῳ; *Basil. M.* Opp. ed. Garn. T. II. p. 58. B. ποίους συνηγόρους μισθώσῃ; ποίους μάρτυρας παραστήσεις; πῶς παραπείσεις τὸν ἀπαραλόγιστον δικαστήν; Vide *Reisig.* Coniect. in *Aristophan.* Lib. I. p. 74. sq. meque Animadvers. in *S. Basil.* I. p. 102. sq. Ex Latinis conf. *Cic.* De Nat. Deor. I. 8. *Quibus enim oculis animi intueri potuit vester Plato fabricam illam tanti operis —?*

quae molitio? quae ferramenta? qui vectes? quae machinae? qui ministri tanti muneris fuerunt? Ex quibus illa: *qui vectes?* comparanda cum Plotinianis, quae Animadvers. in *S. Basil.* l. c. attuli: ποῖος γὰρ ὠθισμὸς ἢ τίς μοχλεία σχήματα ποιεῖ; — Οὕτως, post λαβὼν illatum, *Petavius* vertendo neglexit; sed vim habet estque *sic demum*. Vid. *Krabinger.* ad *Gregor. Nyss.* De Precat. p. 138. 161. — Ad loci sententiam egregie faciunt, quae *Gregorius Naz.* Orat. XXX. p. 547. B. C. adversus Haereticos disputat: βλέπει δὲ τὸν πατέρα ποιοῦντα πῶς καὶ οὕτω ποιεῖ; ἆρα ὡς (ἆρ' ὡς cod. Basil. melius) οἱ τὰς μορφὰς γράφοντες καὶ τὰ γράμματα, διὰ τὸ μὴ εἶναι τῆς ἀληθείας ἄλλως ἐπιτυχεῖν, εἰ μὴ πρὸς τὸ ἀρχέτυπον βλέποντας κἀκεῖθεν χειραγωγουμένους; καὶ πῶς ἡ σοφία δεῖται τοῦ διδάξοντος, ἢ οὐ ποιήσει τι μὴ διδασκομένη; ποιεῖ δὲ πῶς ὁ πατὴρ ἢ πεποίηκεν; ἆρα ἄλλον προϋπέστησε κόσμον ἀντὶ τοῦ παρόντος καὶ ὑποστήσα τὸν μέλλοντα, καὶ πρὸς ἐκεῖνα βλέπων ὁ υἱὸς τὸν μὲν ὑπέστησε, τὸν δὲ ὑποστήσει; τέσσαρες οὖν κόσμοι κατὰ τὸν λόγον τοῦτον, οἱ μὲν πατρὸς, οἱ δὲ υἱοῦ ποιήματα. Ad quae *Elias Cret.* Comment. Cod. Basil. fol. 131. vers., indicato loco *Ioann.* V. 19., quem *Gregorius* pariter atque *Epiphanius* respexit: ἆρα ὥςπερ οἱ τὰς εἰκόνας ἀπὸ τῶν ἀρχετύπων γράφοντες ἢ καὶ οἱ γράφειν ἄρτι μανθάνοντες, ἐὰν μὴ οἱ μὲν πρὸς τὰ ἀρχέτυπα, οἱ δὲ πρὸς τὰ προκεχαραγμένα γράμματα ὡς πρὸς ἔξεμπλά τινα ἀποβλέψωσιν, ἐξακριβοῦν οὐ δύνανται· οὕτω δὴ καὶ τὴν τοῦ θεοῦ σοφίαν οἰεσθε μὴ δύνασθαι ἄλλως ἐργάσασθαί τι, εἰ μὴ ὡς πρὸς ἀρχέτυπά τινα παραδείγματα ἢ καὶ ἔξεμπλα τὰ πατρικὰ διαβλέψειε δημιουργήματα; ἀλλ' εἰ τοῦτο, πολλά τινα ἐπακολουθήσει τὰ ἄτοπα, ὧν ὀλίγα παραθήσομαι. ἢ (leg. ἡ) γὰρ οὐκ ἄτοπον τὸ τὴν τοῦ θεοῦ σοφίαν καὶ δύναμιν, ἐν ᾧ (Christum dicit) πάντες οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας καὶ τῆς γνώσεως οἱ ἀπόκρυφοι, τῆς κατὰ μέρος ἐπιστασίας προσδεῖσθαι, τὸν τρόπον αὐτοῦ καὶ τὸ μέτρον τῶν ἐνεργειῶν ὁριζούσης. (scrib.;) ἢ που (leg. ἡ που) καὶ παιδαγωγεῖν καθ' ὑμᾶς αὐτοῦ ὑπανοίξομεν καὶ τὸν μὲν προκαθήσθαι ἐν διδασκάλου τάξει δώσομεν, τὸν δὲ παρεστάναι ἐν μαθητοῦ ἀπειρίᾳ. ταῦτα μὲν οὖν ἐκ τῶν πολλῶν ὀλίγα, πρὸς δὲ τούτοις ἀπὸ τῆς διεστραμμένης ταύτης διδασκαλίας ὑμῶν ἀνάγκη διπλήν τινα (leg. διπλῆν τινα) ἐπεισάγεσθαι κτίσιν, καὶ εἶναι μὲν ἔργα τοῦ πατρὸς ἀπηρτισμένα, εἶναι δὲ τοῦ υἱοῦ ἕτερα, ἅπερ πρὸς ἐκεῖνα βλέπων καὶ αὐτὸς καθ' ὑμᾶς κατεσκεύασεν. ὥςτε δύο μὲν ἔσονται ἥλιοι, ὁ μὲν τοῦ πατρὸς, ὁ δὲ τοῦ υἱοῦ, καὶ σελῆναι δύο, γῆ τε καὶ θάλασσα διπλῆ καὶ τἆλλα ὡςαύτως, καὶ τέσσαρες κόσμοι κατὰ τὸν λόγον τοῦτον, οἱ μὲν πατρὸς, οἱ δὲ υἱοῦ. et paucis interiectis: καὶ τὰ ἑξῆς δὲ (nim. quae ap. Gregor. insequuntur) εἰς κατασκευὴν εἴληπται τοῦ μὴ δεῖσθαι ὅλως τὸν υἱὸν ἐξέμπλων τινῶν ἢ παραδειγμάτων, ἵνα πρὸς ταῦτα βλέπων ἐργάζηται. Haec, licet paulo uberiora, tamen integra dedi, quod non minus quam *Gregorii* verba ad Nostri disputationem accommodata sunt. Ut autem dicam, quod sentio, videntur mihi *Ariani* in interpretando *Ioanne* l. c. haud immemores fuisse eius rationis, qua *Plato* fingit, rerum opificem ad aeternum παράδειγμα mundum formasse (Tim. p. 28. C. 29. A.), deos autem patris exemplum secutos esse (Tim. p. 41. A. sqq.). Certe quae Noster post paulo de loco Gen. I, 26. monet: καὶ οὐκ εἶπε· Ἐποίησε καὶ ἔδειξε τῷ υἱῷ, πῶς δεῖ ποιεῖν τὸν ἄνθρωπον, haec adversus *Arianos* ita pronuntiantur, quasi illi Christo id munus detulerint, quod *Plato* diis inferioribus attribuit Tim. p. 42. D. sqq. ubi docet, eos summi dei iussu et exemplo mortalia, in his hominem, creasse. Conf. annot. in T. II. p. 724 (803).

P. 724 (804). εἰ γάρ τι εἰς τὸν υἱὸν λογίζῃ ὑποβεβηκὸς ἢ ἐλάττωμα διανοεῖσθαι cet.] Διανοεῖσθαι, quippe insiticium, expungen-

dum puto. Etenim λογίζεσθαί τι εἴς τι per se est *aliquid attribuere alicui*. Vide, quae annotavi ad locum, etiam propter sententiam comparandum, T. II. p. 626 (748).

P. 726 (805). Καὶ τῇ ὀγδόῃ ἡμέρᾳ ... ὀγδόη αὕτη ἐκαλεῖτο] Haec ita interpungenda sunt: Καὶ τῇ ὀγδόῃ ἡμέρᾳ ... μετὰ ἓξ ἡμέρας (οὐ τῶν εὐαγγελιστῶν ... ἐπιμελῶς· διὰ τοῦτο ... εἶπεν· ἦν γὰρ .. δεκάτην) καὶ πάλιν ... ἐκαλεῖτο.

P. 726 (805). Καὶ τὰ ἱμάτια αὐτοῦ λευκὰ ὡς χιών, δηλονότι ἡ σὰρξ ἀπὸ Μαρίας οὖσα] Allegorica, quam *Epiphanius* hic profert, interpretatio loci ap. *Marcum* IX, 3. ex *Platonicorum* ducta est placito, de quo confer *Aeneam Gazae*. p. 60. ed. Boissonad. πᾶν σῶμά φησιν ὁ Θεόφραστος ἁρμόδιον εἶναι ψυχῇ καθάπερ ἱμάτιον. *Caesarium* et *Palladium*, locis a me allatis Animadvers. in *S. Basil.* I. p. 135. sq. Eodem pertinet dictio σάρκα ἐνδύεσθαι, qua Noster utitur p. 724 (804) ὁ κύριος ἡμῶν τὴν σάρκα ἐνεδύσατο καὶ ἄνθρωπος ἐγένετο T. III. p. 22 (820) Μόνος δὲ ὁ μονογενὴς ἐνεδύσατο ἀληθῶν σάρκα. p. 266 (957). 516 (1097) et saepe alibi. *Athanas.* ap. eund. T. III. p. 340 (998) τὴν σάρκα ἣν ἐνεδύσατο ἐκ Μαρίας ὁ σωτήρ. p. 354 (1006) τὸ σῶμα ... ἔνδυμα .. γέγονε τοῦ λόγου· ἐνδυσάμενον δὲ τὸν ὑπὲρ ἄνθρωπον λόγον γέγονεν ἄφθαρτον. *Orac. Sibyll.* VII. 70. σάρκ' ἐνδυσάμενος, ταχὺς ἵπτατο πατρὸς ἐς οἴκους. Ex eodem genere est, quod Christus τὸν Ἀδὰμ vel ἄνθρωπον ἐνδύεσθαι dicitur T. III. p. 560 (140).

Tom. III. p. 3 (808). οὐ μέν τοι] Rescribe: οὐ μέντοι. Prava, quae hoc loco comparet, scriptura μέν τοι cum alibi saepe deprehenditur, tum T. I. p. 16. inf. 446 (240). T. III. p. 4 (809) οὐ μέν τοί γε (scribe οὐ μέντοι γε). p. 18 (817) 34 (826) 88 (855) μὴ μέν τοι (scribe μὴ μέντοι). p. 272 (960). ubi bis peccatum, 490 (1083) 544 (131) ubi ed. Basil. μέντοιγε una voce, ed. Petav. μέν τοί γε, uti solet.

P. 4 (809). Ἐκ συλλογισμῶν γὰρ καὶ Ἀριστοτελικῶν καὶ γεωμετρικῶν τὸν θεὸν παριστᾶν βούλονται] Prius καὶ recte omissum in Anaceph. p. 576 (149). Eunomianos non tam Aristotelis, quam Platonicorum recentiorum doctrinam sectatos esse, pulcre vidit *Ritterus* Hist. Philos. T. VI. p. 65. sqq. p. 79. et diu ante illum *Elias Cretensis* Comment. in Gregor. Naz. Vide, quae in eum praefatus sum col. 750.

P. 6 (810). οὐδὲν γὰρ ζητεῖ θεός, ἀλλὰ τὸ εἶναι ἐν ταύτῃ μόνῃ τῇ αὐτῶν νομιζομένῃ πίστει.] Scribendum: οὐδὲν —, ἀλλ' ἢ —. Pari mendo eadem Aëtii sententia laborat T. III. p. 196 (917), ubi leg. οὐδὲν ἕτερον —, ἀλλ' ἢ ἵνα —, et p. 576 (149). Vid. annot. in T. II. p. 616 (743).

P. 10 (813). οὗτος καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ .. βούλεται] Vid. *Matthiae.* Gramm. Graec. Ampl. §. 304. et conf. *Epiph.* p. 34 (836) Καὶ περιλείπεται ἀπὸ τῶν ἐπακτῶν ἡμέραι ἓξ καὶ ὥραι ιη' (ubi tamen, collata reliqua oratione, περιλείπονται scribi malim). p. 36 (827) ἀφ' οὗπερ καὶ μοναστήρια ἐν τῇ αὐτῇ Γοτθίᾳ ἐγένετο καὶ πολιτεία καὶ παρθενία τε καὶ ἄσκησις οὐχ ἡ τυχοῦσα. Verbum duplici numero ponitur p. 196 (916) οὕτω καὶ οὗτος ὁ Ἀέτιος καὶ οἱ ἐξ αὐτοῦ Ἀνόμοιοι ... σφάλλεται καὶ σφάλλονται.

P. 12 (814). ἐν ἀδιαφόροις πράγμασι] In argumento de moribus ἀδιάφορον alias dicitur, quod neque virtus est, neque gravius peccatum. *Elias Cret.* Comment. in *Gregor. Naz.* cod. Basil. fol. 187. r. inf. ἐλάχιστα δὲ (πταίσματα) τὰ παρ' ἡμῖν (fort. ἡμῶν) ἀδιαφόρως τελούμενα, οἷον γέλως ἄτακτος, λόγος ἀργὸς, τῆς τῶν οἰκείων φροντίδος ἀμέλεια καὶ τὰ τοιαῦτα. qua in re idem ibid. ἀδιαφόρως ἁμαρτάνειν. Sed ab hoc loquendi usu probe distinguendus est alter, quo ἀδιάφορον, ut hoc loco, vocatur, cui *negligentia morum* et *licentia cupiditatis* insunt. Ratio patet ex *Clem. Alex.* Strom. III. p. 529. Potter. εἰ .. ἐπιθυμίᾳ χαριστέον καὶ τὸν ἐπονείδιστον βίον ἀδιάφορον ἡγητέον. Hinc ἀδιαφόρως βιοῦν *dissolute vivere*, ἀδιαφορία *dissolute vivendi ratio.* *Clem. Alex.* Strom. III. p. 530. οὐκ ἔτι ἀδιαφόρως βιωτέον οὐδὲ ἀναίδην δουλευτέον τοῖς ἀτιμοτάτοις μέρεσιν ἡμῶν, γαστρὶ καὶ αἰδοίοις. ibid. οὐκ ἀδιαφόρως βιωτέον, ἀλλὰ καθαρευτέον εἰς δύναμιν τῶν ἡδονῶν καὶ τῶν ἐπιθυμιῶν. Idem p. 539. ἀδιαφορίαν castigat.

P. 16 (816). Πάντα γὰρ τὰ ὑπ' αὐτοῦ γενόμενα ὑποβέβηκε τὴν αὐτοῦ δόξαν.] Ὑποβεβηκέναι, *gradu inferiore constitutum esse*, accusativum, ut hoc loco, p. 270 (959). 296 (974) et alibi, vel ὑπὸ c. gen. (conf. T. I. p. 204, 102.), vel denique simplicem genitivum (conf. T. II. p. 216, 517. T. III. p. 236, 939. 252, 948.) adsciscit. De re vid. annot. in T. I. p. 204 (102).

P. 16 (816). Τῶν δὲ πάλιν λεγόντων τὴν ἀρετὴν εἶναι κατ' εἰκόνα, ἀρετὴ δὲ ἄνευ φυλακῆς ἐνταλμάτων οὐ δύναται εἶναι —] Ἀρετή γε cl. *Oehlerus* suspicatur. Sed videntur nonnulla post εἰκόνα excidisse. Conf. p. 16 (815) Καὶ τῶν πάλιν λεγόντων τὸ σῶμα εἶναι κατ' εἰκόνα διαπίπτει ὁ λόγος. p. 16 (816) Τῶν δὲ πάλιν λεγόντων τὸ βάπτισμα εἶναι κατ' εἰκόνα πολύ τι διαπίπτει ὁ λόγος. Neque haec tantum: διαπίπτει ὁ λόγος, sed plura etiam post εἰκόνα ad sententiae integritatem desunt.

P. 16 (816). Τί οὖν εἴπομεν;] Rescribe: Τί οὖν εἴπωμεν; quod cl. editor reposuit p. 20 (818) ubi male item legebatur: Τί οὖν εἴπομεν;

P. 18 (817). καί εἰσι κἂν τούτῳ ἀντιπίπτοντες .. κἂν τῷ· Ὥφθη cet.] Prius κἂν habet ed. Basil.; κᾆν peius etiam *Petavius*. Deinde vulgo καὶ τό, cl. *Oehlerus* κἂν τῷ. Ego priore loco scribo κάν, id est καὶ ἐν, posteriore καὶ τῷ, quum ἐν ad τῷ cogitatione facile repetatur. Ἀντιπίπτειν, *adversari*, hoc loco absolute ponitur, intellecto ἡμῖν: nam alias dativum adsciscit, ut p. 20 (818). Ἀντιπίπτειν ἔν τινι est adversari *in aliquo loco interpretando*. De circumlocutione εἰσὶ ... ἀντιπίπτοντες vid. annot. in T. II. p. 280. sq. (544).

P. 22 (819). εἴτις θεάσοιτο .. τὸν οὐρανὸν καὶ εἴποι ..., καὶ οὐκ ἂν ψεύσοιτο ὁ τοιοῦτος .., εἴποι δέ τις αὐτῷ .. καὶ οὐκ ἂν ψεύσοιτο ὁ τοιοῦτος] Malim θεάσαιτο et utrobique ψεύσαιτο, quas formas librarius imperitus propter adiecta εἴποι in θεάσοιτο et ψεύσοιτο commutasse videtur.

P. 36 (827). μοναστήρια ἐν τῇ αὐτῇ Γοτθίᾳ ἐγένετο καὶ πολιτεία καὶ παρθενία τε καὶ ἄσκησις οὐχ ἡ τυχοῦσα.] Πολιτείαν *Petavius* recte interpretatur *religiosam vivendi rationem*. Conf. *Epiphan.* p. 472 (1073) ἁγίων νηστειῶν τε καὶ ἁγνείας καὶ πολιτείας, ubi verba καὶ πολιτείας in cod. Rhedig. male omissa sunt, p. 530 (1106, bis) 578 (150, bis). De ecclesiastico vocis usu vid. *Krabinger.* ad *Gregor. Nyss.* De Precat. p. 130. Sic οἱ πολιτευόμενοι dicuntur *religioni deservientes*, sacerdotes et monachi, ut monui ad Schol. in *Gregor. Naz.* col. 906 (9). De verbi numero singulari cum pluribus nominibus copulato vide annot. in T. III. p. 10 (813).

P. 36 (827). εἰ καὶ ἐπὶ τὸ ἀκραιφνὲς εἴη τῷ βίῳ, καὶ πάσῃ δικαιοσύνῃ τὸ τάγμα σεμνυνόμενον] *Petavius* vertit: *quamvis aliquis integerrimus sit hominum ille conventus, atque omni se probitate iustitiaque venditet.* Τα, sublata post βίῳ virgula, εἴη cum σεμνυνόμενον coniunge et locum sic verte: *quamvis ille conventus vitae ratione et omni probitate ad morum integritatem ornatus sit.* Σεμνύνεσθαι hoc loco est passivum, *ornari*, non medium, *gloriari*; alioquin dicendum erat: ἐπὶ τῷ βίῳ καὶ ἐπὶ πάσῃ δικαιοσύνῃ σεμνυνόμενον. De circumlocutione εἴη σεμνυνόμενον, pro σεμνύνοιτο, vid. annot. in T. II. p. 280 (544).

P. 38 (828). εἰ δοκοῦσι πάντες ἀπηλάσθαι] Ἀπηλάσθαι, pro ἀπεληλάσθαι positum, adiiciatur exemplis neglectae reduplicationis, collectis a *Lobechio* ad *Phrynich.* p. 33.

P. 40 (829). ὥςπερ παρατετριμμένης φαύλης γυναικὸς τὸ

χρῶμα] *Petavius* vertit: *nequissimae mulierculae more, quae fucis colorem adulterat*, quasi scriptum esset: ὥςπερ φαύλη γυνὴ παρατετριμμένη τὸ χρῶμα. Sed legendum: ὥςπερ παρατετριμμένος φαύλης γυναικὸς τὸ χρῶμα, *tanquam perfricatus fuco mulieris nequam*, id est fucum faciens in disputando. Simili comparatione utitur *Methodius* ap. *Epiphan.* T. II. p. 262 (563) loco a me emendato. Audacius etiam *Epiphanius* T. III. p. 460 (1065) πᾶσα ... αἵρεσις φαύλη γυνή.

P. 40 (829). μαρτυρίας φέρειν ὁ γεννάδας ἐπηγγείλατο κατὰ τῶν ἀεὶ πολλάκις πρὸς αὐτὸν ἀντιβαλλόντων] *Petavii* emendationem, qui κατὰ τῶν pro vulgato καὶ γὰρ τῶν reponi iussit, confirmant annotata in T. II. p. 242 (532).

P. 40 (830). ὡς τὰ τῆς αὐτοῦ ὑπονοίας βεβεβηλωμένα] Βεβεβηλωμένα cl. editor de suo dedit pro vulg. βεβλημένα. Exstant quidem apud *Suidam* v. βέβηλος ista: βεβηλοῦνται, μαίνονται. Sed magnopere displicet inauditum βεβεβήλωμαι. Legere malim: ὡς τὰ τῇ αὐτοῦ ὑπονοίᾳ βεβλαμμένα, collatis supra dictis: ὄντα δὲ αὐτοῦ τῇ ἐννοίᾳ παραπεποιημένως νοούμενα. Βεβλαμμένα enim idem valet ac παραπεποιημένως νοούμενα. De confusis τ̄ adscripto et ς̄ vid. annot. in T. II. p. 266 (566).

P. 40. sq. (830). τὰ μὲν εἰς Χριστὸν τὴν διαίρεσιν προσάπτων, τὰ δὲ εἰς τὸν λόγον ἀνωτάτω ἀναλογούμενα] Legendum: ἀναλογούμενος, scil. τὴν διαίρεσιν. De locutione ἀναλογεῖσθαί τι εἴς τι, *adnumerare cui quid*, vid. annot. in T. II. p. 626 (748). Non multum differt iuxta positum προσάπτειν τι εἴς τι, *attribuere cui quid*, de quo vid. annot. in T. II. p. 674 (775).

P. 42 (831). καὶ τὸν μὲν πρῶτον ἄνθρωπον τὸν Ἀδὰμ ἐκ γῆς εἶναι χοϊκόν, τὸν δὲ δεύτερον ἀπ' οὐρανοῦ. Καί τοί γε ἄνθρωπον λέγων, οὐκ ἐξ οὐρανοῦ δὲ ἡ σὰρξ καταβέβηκεν —] Interpungendum: καὶ τὸν μὲν — — ἀπ' οὐρανοῦ, καίτοι γε ἄνθρωπον λέγων. Οὐκ ἐξ οὐρανοῦ δὲ ἡ σὰρξ καταβέβηκεν —. Καίτοι γε pro vulg. καί τοί γε scribo, coll. annot. in T. II. p. 608 (789).

P. 44 (831). Ὡς φησιν αὐτὸς ὁ ἀγύρτης. Καὶ αὐτός φημι εἶναι τὸν λόγον ἀπ' ἀρχῆς —] Haec ita puto refingenda esse: Ὡς φησιν οὗτος ὁ ἀγύρτης, καὶ αὐτός φημι cet. Ὡς —, καὶ breviter dictum pro ὡς —, οὕτω καὶ —. Ἀπ' ἀρχῆς hoc loco, p. 176 (905) et alibi, recte; plerumque una voce ἀπαρχῆς negligentius scribitur, etiam iis locis, quibus ἀπ' ἀρχῆς unice verum est. Sic p. 178 (906) ἀπαρχῆς ἕως τέλους. p. 222 (931) ἀπαρχῆς ἄχρι τέλους: at recte p. 176 (905) ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους. Neque ferri potest p. 254 (949) ἀπαρχῆς τοῦ λόγου. Adde annot. in T. III. p. 542 (129).

P. 44 (832). οὕτως διὰ τοῦ ἰδίου λόγου ὁ πατὴρ διὰ τοῦ ὄντος ἐν αὐτῷ λόγῳ ἐποίησε τὰ πάντα.] Λόγῳ ed. Basil., λόγου ed. Petav. Sed λόγῳ cum praegressis διὰ τοῦ ἰδίου λόγου minime concinit, et λόγου otiose repetitur, quoniam verbis διὰ τοῦ ὄντος ἐν αὐτῷ epexegesis priorum διὰ τοῦ ἰδίου λόγου continetur. Itaque λόγῳ deleatur.

P. 46 (833). μειζότερον] Vid. *Winer.* Gramm. Idiom. N. T. §. 11. 2. b.

P. 46 (833). Ἐλέγχει σε δὲ ὁ αὐτὸς ἅγιος λόγος, ὡς φάσκει κύριος περὶ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου· ὁμολογῶν αὐτὸ γνήσιον τῆς αὐτοῦ θεότητός φησι —] Orationi claudicanti ita succur-

rendam puto, ut virgula pro μέσῃ post ἁγίου ponatur et φησι deleatur, ὡς autem de ratione causaque (ut Lat. *quia*, *quippe*, *utpote*) dictum accipiatur.

P. 46. sq. (833). ἐπειδὴ δὲ — — καταλείψω.] Haec multis modis corrupta sunt et sic refingenda esse videntur: Ἐπειδὴ δὲ — ἀληθείας, φωραθήσεται δὲ — ἀνατροπῆς· εὐάλωτον — κακοπιστία· διὸ ἀρκετῶς — εἰρημένα, ὃν ὡς ἀπὸ γῆς ἀναφύσαν κνώδαλον ἄτονόν τε καὶ ἀδύναμον — καταλείψω. Longior protasis ἐπειδὴ δὲ — κακοπιστία voce διὸ colligitur. Particula δὲ, post ἐπειδὴ repetita, neminem Graece doctum male habebit. Vid. *Stallbaum.* ad *Plat.* Rempubl. VI. p. 505. A. Pro ἔχει male vulgo ἔχειν legunt. Ὃν ὡς scribendum esse, cl. *Oehlerus* recte suspicatus est. Nihil *Epiphanio* usitatius, quam in haeresium clausulis formulas τοῦτον καταλείψω, τοῦτον παρελεύσομαι et similes ponere, similitudine plerumque adiecta, qua haereticus cum bestia comparatur. Verbi causa conf. p. 188 (912) Καὶ τοῦτον δὲ παρελθόντες ὥςπερ κάνθαρον, ἢ κανθαρίδα, ἢ τὸν καλούμενον βούπρηστιν κνώδαλον, καταθλάσαντες τῷ ἐκκλησιαστικῷ ἑδραιώματι καὶ τῇ τοῦ θεοῦ δυνάμει, ἐπὶ τὰς ἑξῆς πάλιν ἴωμεν. Quum vero verbis ἢ ὡς ἔλμιγγα ἢ ὡς ἐντεριώνην priora respiciantur, necesse est, scribatur ὡς ἀπὸ γῆς ἀναφύσαν κνώδαλον ἄτονόν τε καὶ ἀδύναμον pro vulg. ὡς ἀπὸ γῆς ἀναφύσαντος κνωδάλου ἀτόνου (ita *Oehler.* pro vulg. ἀτόμου) τε καὶ ἀδυνάμου. Vel hoc uno exemplo, cuiusmodi sexcenta alia reperiantur, satis edocemur, quam corruptum *Epiphanii* opus ad nos pervenerit.

P. 54 (837). Παραθήσομαι δὲ — — τοῖς τι παρὰ τὸ ἀληθινὸν ἐπιχειροῦσι.] In loco corruptissimo ideoque obscurissimo illud saltem patet, verba Παραθήσομαι δὲ — — ἵνα ἐν πᾶσιν ἡμεῖς τῆς ἀληθείας μηδὲν παραλείψαντες δείξωμεν ὅτι cet. unius periodi ambitu contineri, ista autem: οὗτος γὰρ ἦν ὁ — — εἰπὼν, nonnisi per parenthesin poni. Itaque totus locus sic est emendandus et interpungendus, ut iunctura periodi restituatur. Qua de re nondum satis liquet. Ne quem vero illud male habeat, quod post numerum singularem παραθήσομαι pluralis in eodem subiecto ponitur: haec licentia *Epiphanio* cum optimae notae scriptoribus communis est. Vid. annot. in *Io. Glyc.* De V. S. R. p. 78. sq. 131, *b.* et conf. *Epiphan.* T. III. p. 68 (844) Ὡς οὖν τῶν προειρημένων πάντων τὴν ὑφήγησιν διεξήλθομεν περὶ τοῦ αὐτοῦ Μαρκέλλου, παρελεύσομαι καὶ τοῦτον. p. 176 (904) Διὸ ὑπερβήσομαι καὶ ταύτην, δεόμενος θεοῦ ἡμῖν συνήθως ἀντιλαβέσθαι πρὸς τὴν τούτων ἀνατροπὴν ἁπάντων, ὅπως ἐν τῇ αὐτῇ δυνάμει τὸ ἐπάγγελμα τελειώσαντες κατὰ πάντα αὐτῷ εὐχαριστήσωμεν.

P. 56 (838). δυσχεραίνων πρὸς τὴν εἰκόνα τὴν ἀπαράλλακτον, τουτέστι τὸ ἔκτυπον καὶ τρανὲς ἐκμαγεῖον τοῦ θεοῦ τῆς οὐσίας] *Asterius* Filium εἰκόνα Dei vocat, secutus Apostolum II. Cor. IV, 4. Coloss. I, 15. Apposite *Gregorius Naz.* Orat. XXX. p. 554. C. Εἰκὼν δὲ (δοκεῖ μοι λέγεσθαι ὁ υἱός), ὡς ὁμοούσιον, καὶ ὅτι τοῦτο ἐκεῖθεν, ἀλλ' οὐκ ἐκ τούτου πατὴρ cet. et ad eum *Elias Cret.* Comm. Cod. Basil. fol. 143. r. τοῦτο τὸ ὄνομα (nim. εἰκών) ἐστὶ μὲν ἀπὸ τῆς λεγομένης σοφίας σολομῶντος. ἡ εἰκὼν γάρ φησι τῆς ἀγαθότητος. ἐχρήσατο δὲ τούτῳ τῷ ὀνόματι καὶ ὁ μέγας ἀπόστολος ἐπὶ χριστὸν αὐτὸν (f. l. χριστῷ αὐτῷ), ἐναργῶς ἐν τῇ πρὸς κορινθίους αὐτοῦ δευτέρᾳ ἐπιστολῇ οὕτωσὶ λέγων· — ὅς ἐστιν εἰκὼν τοῦ θεοῦ. εἰκόνα δὲ νῦν οὐ τὴν μιμητικὴν, ἀλλὰ τὴν φυσικὴν λέγει. Quod autem Filium *Asterius* hoc loco et p. 60 (840) Dei εἰκόνα ἀπαράλλακτον vocat: in eadem re voce ἀπαράλλακτος utitur *Gregorius Naz.* Orat. XXX. p. 554. C. ἐνταῦθα δὲ ζῶντος καὶ ζῶσα (εἰκών) καὶ πλέον ἔχουσα τὸ ἀπαράλ-

λακτον ἢ τοῦ Ἀδὰμ ὁ Σὴθ καὶ τοῦ γεννῶντος παντὸς τὸ γεννώμενον. Adverbium ἀπαραλλάκτως in eadem re ponit *Acacius* ap. *Epiph.* p. 58 (839). Frequens usus vocis ἀπαράλλακτος in disputatione de Deo ap. *Aëtium Epiph.* T. III. p. 216 (928). 218 (929). 220 (930) et ap. *Epiphanium* ipsum p. 238 (940). 288 (969). 312 (984). 314 (984) et saepe alibi. Praeivit *Iacobus* Epist. I, 17. docens, Deo nullam παραλλαγὴν inesse. In reliquis, quae sunt *Acacii* contra *Marcellum* disputantis, adverte adiectivum ἔκτυπος, de quo dixi ad *Eliam Cret.* col. 768 (11). Adverbio ἐκτύπως utitur *Acacius* p. 58 (839) Τὸ δὲ ἀπαραλλάκτως εἰπεῖν οὐχ οἷόν τι καὶ ἀγεννήτως, ἀλλ' ὅτι ἐκτύπως (male vulgo ἐκτυπῶς) καὶ ἀκριβῶς ὡμοιωμένην (leg. ὡμοιωμένη, scil. ἐστί) πρὸς πατρικὴν ἀγαθότητα. Vocem τρανὴς attigi ad *Eliam Cret.* col. 774 (15). Ἐκμαγεῖον. hoc loco et p. 60 (841). 62 (842) est *imago expressa.* Vid. *Wyttenbach.* ad *Plutarch.* De Is. et Os. p. 373. A. Consimilis est ecclesiasticus et a *Ioanne* Ev. VI, 27. profectus loquendi usus, quo Filius Dei σφραγὶς vocatur. Conf. *Gregor. Naz.* loco cit. ibique *Eliam Cret.* Comm. ed. Paris. col. 822. A. B. *Synes.* Hymn. V, 61. Χαίροις, ὦ πατρὸς σφρηγίς.

P. 56 (838). Τοῦ γὰρ βασιλέως τοῦ μεγάλου τὴν εἰκόνα λαβὼν ἀζωΐᾳ καὶ ἀθεότητι cet.] Attende rari usus formulam λαμβάνειν τί τινι, *aliquid rei alicuius notione comprehendere.* Verbo λαμβάνειν respondet περιγράφειν in sequentibus: Τὴν γὰρ εἰκόνα τοῦ θεοῦ ἀζωΐᾳ περιγράψας cet.

P. 60 (840). χωρῶν τῇ ἀρνήσει τῆς τοῦ σωτῆρος ἡμῶν εἰκόνος καὶ οὐσίας καὶ τῆς μονογενοῦς υἱότητος ἐκ πατρὸς καὶ τῶν πρωτοτοκίων πάσης κτίσεως καὶ τῆς ἐκ μονογενοῦς μονότητος] *Petavius* χωρῶν Latine interpretatur *longius progressus.* Sed vide, ne κατὰ post τῇ ἀρνήσει exciderit. Χωρεῖν κατά τινος est *invadere aliquid.* Similis est locutio φέρεσθαι κατά τινος, quae extat p. 264 (955) εἴπερ καὶ αὐτοὶ κατὰ τῶν αὐτῶν ἐνεχθῶμεν. p. 276 (963) κατὰ τῶν ἀμφοτέρων φέρεσθαι. p. 280 (964) κατὰ τῶν αὐτῶν φέρεσθαι. et saepe alibi. Ista vero: τῆς ἐκ μονογενοῦς μονότητος, referuntur ad illa p. 56 (838) ὁ πατὴρ ὁ γεννήσας ἐξ ἑαυτοῦ τὸν μονογενῆ λόγον ... μόνος μόνον. et ibid. ἀρνησάμενος τὸν θεὸν ἐκ θεοῦ λόγον ὄντα τὸν υἱὸν καὶ μόνον ἐκ μόνου. de quibus dixi ad T. II. p. 598 (733). Quamquam nostro loco singulare est illud, quod citra consuetudinem Pater, non Filius, μονογενὴς vocatur. Deinde verbis τῶν πρωτοτοκίων πάσης κτίσεως respiciuntur illa, ex Col. I, 15. sumta, p. 56 (838) τὸν μονογενῆ λόγον καὶ πρωτότοκον πάσης κτίσεως. Sed πρωτοτοκείων quam πρωτοτοκίων scribi malim. Τὰ πρωτοτοκεῖα enim, id est *ius* vel *dignitas primogeniti,* formatur ad normam vocabulorum πρωτεῖον, ἀριστεῖον, πρεσβεῖον et similium, neque ad illud genus pertinet, ex quo est ὀξυτόκιον cum similibus. Itacismo vero πρωτοτόκια pro πρωτοτοκεῖα scribitur, quemadmodum ἐργαλίῳ pro ἐργαλείῳ, προςωπίοις pro προςωπείοις perperam scribi vidimus annot. in T. II. p. 624 (748). Eodem mendo in Epist. ad Hebr. XII, 16. τὰ πρωτοτόκια vulgo scribitur. Et mendosa et genuina vocis scriptura in Alexandrina Versione Vet. Test. deprehenditur. Vid. *Schleusner.* Lexic. in Nov. Test. T. II. p. 785. sq. qui tamen πρωτοτόκεια pro πρωτοτοκεῖα perperam scribit.

P. 60 (841). καὶ δόξης αὐτοδοξίαν] Legendum: αὐτοδόξαν, coll. p. 58 (840) καὶ δόξα οὐκ ἀδοξίαν γεννᾷ, ἀλλ' αὐτοδόξαν. De mendo monui ad T. I. p. 410 (222) ubi id genus vocabula attigi.

P. 62 (841). οὐδὲ τρίτον ζωγράφον εἰςάγει] Τρίτον ζωγράφον

eum, opinor, dicit, qui est τρίτος ἀπὸ τῆς ἀληθείας, secundum *Platonem* Repub. X. p. 597. E.

P. 66 (843). κατὰ πρόςληψιν πάσης τῆς ἀνθρωπείας φύσεως] Πρόςληψιν loco vulgati πρόληψιν reponendum esse, pulcre viderunt *Cornarius* et *Petavius*. In declaranda Christi ἐνανθρωπήσει vox πρόςληψις solemnis est apud Patres Eccl., qui Christi corpus πρόςλημμα nuncupant, idque eum προςλαμβάνειν docent. Vid. *Elias Cret.* Comment. in *Gregor. Naz.* col. 818. B. C. In Vita Barlaami et Ioasaphi (Boissonad. Anecd. T. IV. p. 164) haec exstant: τῷ προςλήμματι γινώσκομεν αὐτὸν (sc. Christum) παθόντα καὶ ταφέντα. Ibi glossa ad τῷ προςλήμματι recte: ἤτοι τῇ σαρκί.

P. 68 (844). εἰς τὰς ἑξῆς διασκοπήσομαι] De voce εἰς in ἔτι mutanda monui ad T. II. p. 318 (574). Τὰς ἑξῆς intellige τὰς ἑξῆς αἱρέσεις. Vid. annot. in T. II. p. 684 (781) et conf. p. 142 (886) ἐπὶ τὰς ἑξῆς ὁρμήσωμεν. p. 188 (912) ἐπὶ τὰς ἑξῆς πάλιν ἴωμεν. p. 328 (993).

P. 68 (845). διασκοπήσωμεν πῶς τινες ἡμιαρείζουσιν] Quemadmodum Semiariani, Ἡμιαρειανοὶ vulgo vocati, interdum etiam Ἡμιάρειοι audiunt (conf. T. I. p. 12. T. III. p. 2, 808. 68, 845. 540, 128. 547, 148), ita iidem non solum ἡμιαρειανίζειν, sed etiam ἡμιαρείζειν recte dicuntur. Arii vero sectatores, quippe Ἀρειανοὶ nuncupati, ἀρειανίζειν dicuntur, ut ap. *Epiph.* T. II. p. 4 (809) = T. III. p. 576 (149).

P. 68 (845). ὥςτε προςωπίοις τὰς ἑαυτῶν ὄψεις ἐπικρύπτειν] Pravam scripturam προςωπίοις notavi ad T. II. p. 624 (748).

P. 68 (845). τῆς Ἡμιαρείων ταύτης τῆς αἱρέσεως προστάται] De delendo repetito articulo τῆς obiter monui ad T. I. p. 392 (211) ubi tralatam vocem προστάτης illustravi.

P. 72 (847). ἐμποδῶν γενέσθαι] Apage mendosum ἐμποδῶν: rescribe ἐμποδών, de quo videsis *Lobeck.* ad *Phrynich.* p. 414. Ἐκποδῶν γίνεσθαι, pro ἐκποδὼν γίνεσθαι mendose scriptum, notavi ad *Eliam Cret.* col. 892 (9).

P. 80 (851). οὓς οὐδὲ λόγου ἀξιοῖ ὁ μακάριος Παῦλος. Διότι cet.] Virgula pro puncto posita, διότι — scribe.

P. 88 (855). κατὰ τὴν θεότητα καὶ ἀσωματότητα] Θεότης et ἀσωματότης sunt ex eo nominum genere, quod, his quidem neglectis, *Lobeck.* ad *Phrynich.* p. 349. sqq. illustravit. Nominis ἀσωματότης exemplum afferunt ex *Origene* Comm. in cap. I. Ioann. p. 39. Eiusdem notae sunt Theologorum vocabula, in Lexicis omissa, ἀγγελότης, ἀνθρωπότης, πατρότης, υἱότης, ὁμοουσιότης, quae *Lobeck.* item neglexit. *Elias Cret.* Comm. in *Gregor. Naz.* Cod. Basil. fol. 249. r. ἐπινοίᾳ .. μόνον νοοῦμεν τὴν ἀγγελότητα τυχὸν καὶ τὴν ἀνθρωπότητα. Ibid. οὔτε .. προςωπικὴν περιγραφὴν ἐννοῆσαι τολμῶμεν, οὔτε τοπικὴν διάστασιν, οὔτε τι τῶν ἄλλων ἀφοριστικῶν ἰδιοτήτων, πλὴν πατρότητος καὶ υἱότητος καὶ ἐκπορεύσεως. Id. fol. 74. vs. ἀπόδειξις .. ἐναργὴς τῆς τοῦ πατρὸς ὁμοουσιότητος ἡ τοῦ υἱοῦ προςηγορία πιστεύεται. Praeter haec vocabula Lexicis addatur νεανιότης ap. *Epiphan.* T. III. p. 578 (150).

P. 94 (859). ὁ μή τε ἔκ τινος ὤν, καὶ τοῖς οὖσιν αἴτιος ὤν.] Μή τε male vulgo; scribendum μήτε, siquidem μήτε — καὶ non minus recte dicitur, quam μήτε — τε, de quo vid. *S tallbaum* ad *Plat.* Rempubl. VII. p. 538. E. Simili mendo οὔτε in οὔ τε dividitur p. 172 (903) ubi vid. annot.

P. 94 (859). ἐπὶ τῷ τοιούτῳ ἐρωτισμῷ] Ἐρωτισμὸς nihili vox

est; scribendum ἐρωτηματισμῷ aut ἐρωτησμῷ, quae nova quidem vox est, attamen analogia se tuetur. Vid. *Lobeck.* Parergv ad *Phrynich.* p. 510. sq. ubi advertas *Menandri* vocem ἀγαπησμός.

P. 96 (859). Ὁ δὲ υἱός .. μετὰ τῶν ἄλλων εὐσεβῶς καλεῖται ἄρτος καὶ ζωὴ καὶ ἀνάστασις, ἔτι καὶ λόγος ὀνομάζεται, ἐπειδὴ ἑρμηνεύς ἐστι τῶν τοῦ Θεοῦ βουλημάτων.] Oratio parum cohaeret. Nisi forte δὲ post ἔτι excidit, scribendum: μετὰ τῶν ἄλλων, ὧν εὐσεβῶς καλεῖται ἄρτος καὶ ζωὴ καὶ ἀνάστασις, ἔτι καὶ λόγος ὀνομάζεται. Ὧν post ἄλλων facillime intercidit; de attractione pronominis relativi, qua ὧν pro οἷς ponitur, vid. annot. in T. II. p. 564 (714). Nominis λόγος, ad Christum translati, parem rationem reddit *Elias Cret.* Comment. in *Gregor. Naz.* Cod. Basil. fol. 142. r. (ὁ υἱός) λέγεται λόγος .. καὶ διὰ τὸ ἐξαγγελτικόν, τὰ πατρικὰ ἡμῖν ἐξαγγέλλας βουλήματα. Fontis ap. *Ioann.* Ev. I, 1. idem Comment. col. 821. C. ed. Paris. nos commonefacit.

P. 98 (861). Τούτων διευκρινημένων] Augmentum omissum est, ut in εὐδοκεῖν, v. c. T. III. p. 450 (1059) εὐδόκησεν. Vid. *Winer.* Gramm. Idiom. N. T. p. 66. Alii ευ in διευκρινεῖν augere solent, in quibus est *Elias Cretensis*, qui idem facit in dupliciter composito προδιευκρινεῖν inque adverbio διηυκρινημένως. Vid. in eum annot. col. 782 (10) ubi typis perperam exscriptum προηυκρινημένα pro προδιηυκρινημένα. Ibidem de verbi usu in re dialectica dixi. De praepositione in verbo διευκρινεῖν vid. annot. in T. II. p. 300 (554).

P. 100 (862). τὴν κατὰ τῆς ἐκκλησιαστικῆς πίστεως μεθοδίαν] Μεθοδίαν codd. mss. et ed. Basil. tum hoc loco, tum p. 108 (867) exhibent. Μεθοδείαν *Petavius* hoc loco; μεθοδίαν tamen idem p. 108 (867). Verum enimvero scriptura μεθοδία itacismum olet, cuius vestigia plurima in *Epiphanii* libris mss. reperiuntur. Conf. modo annot. in T. II. p. 624 (748).

P. 100 (862). Εἰ γὰρ κατὰ πάντα .. ἔστιν ὅμοιος, ὡςπερουῦν ἔστιν ὁ υἱὸς τῷ πατρὶ ὅμοιος] Libri vulgo ὥςπερ οὖν, quod in ὡςπερουῦν commutatum nollem. Nimirum voces ὥςπερ οὖν, ὥςπερ οὖν καὶ et ὥςπερ καὶ inserviunt interponendis enuntiationibus iis, quibus praegressae hypotheses, particula εἰ introductae, confirmantur, sive enuntiato conditionali repetito, sive eius verbo tantum posito. Prior ratio hoc loco usu venit, ac satis erat dicere ὥςπερ οὖν ἔστιν. Adde *Athanas.* ap. *Epiphan.* T. III. p. 344 (1001). Posterior ratio obtinet ap. *Epiph.* T. I. p. 236 (122) ubi verba ὥςπερ οὖν καὶ ἦσαν in cod. Ven. male omissa sunt, et in *Aëtii* verbis ap. *Epiphan.* T. III. p. 222 (930) = 314 (985) Εἰ δὲ τὸ πρὸ τοῦ Θεοῦ μηδὲν εἴη, ὥςπερ οὐκ ἔστι, τὸ Θεὸς καὶ τὸ ἀγέννητον ταὐτὸν δηλοῖ. ubi οὖν ante οὐκ excidisse suspicor. Adde *Epiphan.* p. 318 (987) Εἰ γὰρ σὺν Θεῷ τὸ Θεὸς, ὡς καὶ ἔστι, καὶ τὸ ἀγέννητον προςίσταται τὸν γεννητὸν υἱόν. p. 320 (988). Vide *Iacobs.* Praefat. in *Aelian.* Hist. Animal. p. XXV. not. meque annot. in *Io. Glyc.* De V. S. R p. 78. 135. ubi parem usum particularum *ut* et *sicut* comparavi. Adde *Cic.* De Republ. III. 3. *sint — isti — magni homines, ut sunt: — sit haec quaedam sive — inventa, sive — tractata res, sicut est.* Ceterum particulae ὥςπερ οὖν p. 98 (861). 104 (865) non magis recte, quam nostro loco, in unum conflatae sunt. Vid. *Iacobs.* Praef. in *Aelian.* H. A. p. XXIV. sqq.

P. 102 (863). Ὡς ὁ παράκλητος — — ἐώρακε τὸν πατέρα.] Interpunctio ita refingenda est: Ὡς ὁ παράκλητος — — ὁ υἱός· οὐδεὶς γὰρ — ἁγίῳ· οὕτω καὶ — ἑώρακε τὸν πατέρα.

P. 104 (865). ἀμαρτητικῶς οὐκ ἐκινεῖτο] Adiectivum ἁμαρτητικός, quod occurrit p. 164 (898), in Lexicis consignatum est; abest vero ab iisdem adverbium ἁμαρτητικῶς.

P. 106 (865). Εἰ γὰρ — — πατρί. Ὥστε — — προκεῖσθαι.] Virgulam pro puncto post πατρὶ pone et ὥστε scribe.

P. 108 (866. 867). Ἐπειδὴ τοίνυν — — χρησόμεθα. Πρῶτον μὲν οὖν — — υἱόν. Ἔπειτα — — ἀκούοντες αὐτοῦ λέγοντος cet.] Orationis misere discerptae nexus ita restituendus est, ut interpungatur: Ἐπειδὴ τοίνυν — — χρησόμεθα· πρῶτον μὲν οὖν — — υἱόν, ἔπειτα — — ἀκούοντες αὐτοῦ λέγοντος cet. Sic ἀκούοντες, quod non habet, quo referatur, ex verbo χρησόμεθα apte suspensum erit. Oratio longius excurrens postmodum colligitur verbis: Καὶ διὰ τοῦτο — — τούτοις καὶ ἀεὶ χρησόμεθα cet.

P. 108 (867). καὶ ἀπάξει τῆς κοινότητος τῆς πρὸς τὰ ποιήματα (τοῖς) τὸν υἱὸν τοῦ πατρός] Parenthesis cum uncis commutanda, quibus *Petavius* τοῖς recte inclusit.

P. 116 (871). καὶ ἔχοντας πρὸς ἀλλήλους ἐχθρίαν] Lexicis adiiciatur nomen ἐχθρία, quod post paulo et p. 402 (1083) recurrit. Pluralem ἐχθρίαι habes p. 140 (885). Vid. *Lobeck.* ad *Phrynich.* p. 343. qui tamen hanc vocem, ut sexcentas alias apud Epiphanium, neglexit.

P. 118 (872). οὐκέτι οὔτε αἰδοῖ τινι κατεχόμενοι, οὔτε ἐνδαλλόμενοι ἀπό τινος προστάγματος] Ἐνδάλλεσθαι alias idem valet ac φαντάζεσθαι. Vid. *Tim.* Lex. Voc. Plat. p. 150. et *Ruhnken.* Hoc loco verbum insolita notione et structura ponitur. *Petavius* vertit *coërcere*, cumque ista verbi notione, ab ipso ficta, vulgarem infeliciter ita copulat: *neque mandato ullo coërciti simulationem quandam ac speciem prae se ferre coguntur.* Tu vero mecum scribe: οὔτε ἀνθελκόμενοι ὑπό τινος προστάγματος. Translatum ἀνθέλκειν *Creuzer.* ad *Plotin.* De Pulcr. p. 254. illustravit. Ceterum *Petavius* proxima: εἰς τὸ μὴ ... φέρεσθαι, quae ad illa: ἐνταῦθα παραθήσομαι, pertinent, cum verbis: οὐκέτι ... προστάγματος, interpretando temere conflavit.

P. 120 (874). Ἀπολλώνιος ἐπίσκοπος Ὀξυρίγχου] Mendosa est scriptura Ὀξυρίγχου editionis Basil. et librorum mss. Recte *Petavius* Ὀξυρύγχου. Conf. *Stephanus Byz.* Ὀξύρυγχος, πόλις Αἰγύπτου, τιμῶσα τὸν ὁμώνυμον ἰχθῦν. ὁ πολίτης Ὀξυρυγχίτης. *Aelian.* Hist. Animal. X, 46. et *Iacobsii* ad eum annot. p. 366.

P. 122 (875). ἔσται αὐτοῖς αὕτη ἡ ἔχθεσις ἐπαμφοτερίζουσα τὰς πρὸς δύο σχέσεις] Adiecta verba τὰς πρὸς δύο σχέσεις salva sententia omitti poterant, quoniam ἐπαμφοτερίζειν per se dicitur, quod in utramque partem accipi potest. Vid. *Ruhnken* ad *Tim.* p. 108.

P. 124 (876). παύεσθαι τῆς περὶ τὸ λέγειν ἀγωνίας] Ἀγωνία hoc loco est *peroratio*, in qua declaranda ἀγὼν magis usitatum. Vid. *Ast.* Annot. in *Plat.* Phaedr. p. 567. Voce ἀγωνία pariter usus est *Himerius*, a *Wyttenbachio* Ind. Graecit. Plut. h. v. laudatus, Orat. IV, 3. p. 460. ὥςπερ τι μέλος προνόμιον πρὸ τῆς ἀγωνίας αὐτῆς, Ἀττικὸν ὑμῖν ἀποτείνω διήγημα.

P. 128 (878). Πλατυνθῆναι δεῖ τὴν καρδίαν, ἢ μέλλοι τις Χριστὸν ἐμπεριπατοῦντα χωρεῖν] Hi cl. editor cum *Cornario* pro vulg. ἧς. Magis placet εἰ, quod *Petavius* scribi iussit; sed μέλλει pro μέλλοι insuper reponi velim. Videsis mea in Nov. Annal. Philol. Vol. XLIX. Fasc. II. p. 391. sq.

P. 130 (879). εἴ πως δυνηθείημεν διὰ τῶν καθ' ἡμᾶς τὰ

ὑπὲρ ἡμᾶς καταλαβεῖν καὶ διὰ τῶν γινωσκομένων φαντασθῆναι τὰ ἀγνοούμενα, ἡρέμα καὶ κατὰ μικρὸν ἀπὸ τῶν φανερῶν πρὸς τὰ κεκρυμμένα προβιβαζόμενοι.] Τὰ ὑπὲρ ἡμᾶς pro vulg. τὸ ὑπὲρ ἡ. legendum esse docui annot. in T. II. p. 712 (797). Sic τὰ καθ' ἡμᾶς, *res humanae et sensibus subiectae*, et τὰ ὑπὲρ ἡμᾶς, *divina*, sibi opponi solent. Vid. annot. in *Eliam Cret.* col. 835 (2). Φαντάζεσθαι *Petavius* recte interpretatur *informare notitiam*. Vid. *Creuzer.* ad *Plotin.* De Pulcr. p. 136. Illa. ἡρέμα καὶ κατὰ μικρὸν ἀπὸ τῶν φανερῶν πρὸς τὰ κεκρυμμένα προβιβαζόμενοι, aliquem colorem traxerunt ex *Plat.* Reipubl. Lib. VII. p. 533. D. τὸ τῆς ψυχῆς ὄμμα ... ἡρέμα ἕλκει καὶ ἀνάγει ἄνω. Ceterum pro vulg. προβιβαζόμενοι legi malim προςβιβαζόμενοι, collata annotatione in *Eliam Cret.* col. 837 (6).

P. 132 (880). Δέος γάρ ἐστι, μή πως ἐκ τῆς τῶν ἀκαταλήπτων φιλονεικίας καὶ τῆς τῶν ἀνεφίκτων ζητήσεως εἰς βυθὸν ἀσεβείας ἐμπέσωμεν.] Hisce verbis aperta inest imitatio *Platonis* Parm. p. 130. D. δείσας μή ποτε εἴς τινα βυθὸν φλυαρίας ἐμπεσών διαφθαρῶ. Ita enim hunc locum olim lectum fuisse, tum ex *Meletii*, tum ex aliorum imitatione intelligitur. Videsis mea in edit. Turic. altera, p. VII. sq.

P. 132 (881). Ὅταν οὖν ... περιεργαζώμεθα, καὶ φιλονεικεῖν ἐπιχειρῶμεν cet.] Virgula delenda est, ut sexcenties alibi.

P. 134 (881). Τίς γάρ ἐστιν ὁ τολμῶν ἐπιγνώσει φυσιωθῆναι —;] Scribendum: ἐπὶ γνώσει. Φυσιοῦσθαι ἐπί τινι est *aliqua re superbire*. De verbo φυσιόω vid. *Schleusner.* Lexic. in Nov. Test. T. II. p. 1309. sq. Par vis et structura verbi φαντάζεσθαι p. 322 (989) οὗτος γὰρ ἐφαντάσθη ... οὐκ ἐπὶ τῷ εἰδέναι τὸν θεὸν κατὰ πίστιν, ἀλλὰ φύσει κατὰ εἴδησιν. ubi φαντάζεσθαι fraudi fuit *Petavio*.

P. 136 (883). ἐπιλήψιμοι δύο ἢ τρεῖς λόγοι] Ἐπιλήψιμος est adiectivum ex eo genere, quod *Lobeck.* ad *Phrynich.* p. 227. tractavit.

P. 138 (883). ἡ ὑμῶν ἐπιτετηδευμένη καὶ τετορνευμένη μυθοπλαστία] Τετορνευμένη est *artificiose elaborata*, non *fraudulenter conficta*, ut *Petavius* vertit. Vid. Animadvers. in *S. Basil.* I. p. 47.

P. 138 (884). πτύρειν τοὺς ... παραδεχομένους] Recurrit p. 246 (945). 368 (1013) et alibi usus activus verbi πτύρειν, quod plerumque vi passiva ponitur. Vid. *Schleusner.* Lexic. in Nov. Test. T. II. p. 790. sq. Ex activo πτύρειν *Epiphanius* nomen πτύρτης formavit, de quo vid. annot. ad p. 360 (1009).

P. 144 (887). καὶ τὸ υἱοῦ λαμβάνον] Τοῦ υἱοῦ legendum esse (id quod cl. editor vidit), te docebit annotatio in T. II. p. 632 (752).

P. 144 (888). ἦρκεν ἐκ μέσου προσηλώσας αὐτὸ τῷ σταυρῷ] Sive ἦρκεν retinetur, sive ἆρας ... καὶ προσηλώσας scribitur, ut est in Ancorato, haec nonnisi virgula a praegressis seiungenda sunt. Mox poëticum πύλας, quod habet Ancoratus, magis placet quam vulgatum et vulgare θύρας. Vid. *Valckenar.* ad *Eurip.* Hippol. vs. 1445. et quae *Schleusner.* Lex. in Nov. Test. T. II. p. 798. in *Matth.* XVI, 18. annotavit. De sententia verborum: πύλας χαλκᾶς συντρίψας καὶ μοχλοὺς σιδηροῦς συνθλάσας, vid. annot. in T. I. p. 156 (75).

P. 148 (890). Καὶ Μαρία μὲν — — ἀνητοῦ φύσιν, οὗτος ἦν cet.] Interpunge: Καὶ Μαρία μὲν — ὡς ὑετὸν ἡ γῆ· ἑαυτὸν δὲ — ἀνητοῦ φύσιν. Οὗτος ἦν cet., collatis sequentibus verbis: Οὗτος ὁ ἄρτος cet. et Οὗτος τὸ ὕδωρ cet. Cum verbis καρπὸν ἅγιον confer haec in seqq. ὁ τῆς ἀληθοῦς ἐλπί-

δος καρπὸς, et ὁ τῆς ἀληθοῦς ἐλαίας καρπός. *Valentiniani* Christum tanquam καρπὸν τοῦ πληρώματος celebrarunt. Vid. *Epiphan.* T. I. p. 334 (179). 368 (197). 440 (237). Metaphora vocis καρπὸς *Marcus* item utitur p 446 (240) ἵνα τῆς αὐτοβουλήτου βουλῆς φανερωθῇ ὁ καρπός. Translato verbo ἀνιμᾶν, quod hoc loco bis occurrit, *Manes* utitur ap. *Epiphan.* T. I. p. 446 (643. 644). Vid. *Creuzer.* ad *Plotin.* De Pulcr. p. 255. et *Ast.* Annot. in Plat. Phaedr. p. 481.

P. 150 (891). συνίω] Vid. *Winer.* Gramm. Idiom. N. T. §. 14. annot.

P. 154 (893). κατὰ πνεῦμα ἁγιοσύνης] Ἁγιωσύνης edd. Basil. et Petav., quod repone, collata annotatione in T. II. p. 428 (635).

P. 158 (894). πανοικί] Conferatur παμψηφὶ p. 338 (997). Aliis formae πανοικεὶ, παμψηφεὶ magis placuerunt, quemadmodum adverbia in τ exeuntia in ει fere variari solent. Vid. *Lobeck.* ad *Phrynich.* p. 515. qui vocem παμψηφὶ neglexit. Ἀκμητὶ, quod nonnulli ἀκμητεὶ scribunt, exstat ap. *Epiphan.* T. III. p. 470 (1071). De reponendo ἀνιδιτὶ monui ad T. II. p. 342 (586).

P. 158 (895). ἀπερίγραφος] Melior est altera forma ἀπερίγραπτος, qua praeter alios *Gregorius Naz.* Orat. XXVI. p. 481. D. utitur. Vid. annot. in *Eliam Cret.* col. 888 (14). Apud *Epiphan.* T. II. p. 424 (632) ἐμπερίγραπτον *Petavius*, ubi ed. Basil. mendose ἐμπερίγραφον: ἐμπερίγραφον tamen uterque cod. ms. — De proximis: ἀχώρητος ... πάντα περιεχόμενος τὰ ποιήματα, vid. annot. in T. II. p. 608 (739). Ista: τοῦ θεοῦ, putide adiecta sunt. Mox notabis adiectivum verbale λατρευτέος, quod a Lexicis abest.

P. 160 (896). μενοῦνγε] De hac voce, initio periodi posita, vid. *Winer.* Gramm. Idiom. N. T. §. 65. 5. p. 460.

P. 160 (896). φωτεινά, φωτοδότα] Scribe: φωτόδοτα, et vocem φωτόδοτος in Lexica refer.

P. 164 (898). κἂν ἁμαρτητικὰ ἦν] Malim ᾖ, collata annotatione in T. II. p. 246 (534).

P. 166 (899). ἅπαξ ἁπλῶς] Praestat scribere ἁπαξαπλῶς, ut est in Ancorato et p. 412 (1038). 444 (1056). Vocem ex *Hierocle* ap. *Stob.* 462. annotavit *Wyttenbach.* Ind. Graecit. Plutarch.

P. 166 (899). μάρτυρας ἑαυτῆς διεγείρουσα] Magis placet ἑαυτῇ, quod habet Ancoratus. Est enim, ubi ἐγείρειν accusativum et dativum simul secum habet. Confer locos, a *Schleusnero* Lex. in N. T. v. ἐγείρω, num. 6., annotatos.

P. 170 (901). ἵνα μὴ ἀπολλώμεθα] Ἀπολλώμεθα, quod habent codd. mss. et ed. Basil., est merum mendum ex eo genere, quod notavi ad T. II. p. 110 (457). Recte *Petavius* ἀπολώμεθα.

P. 172 (902). ἵνα μὴ ἀμάρτυρον ... παρελεύσομαι τὴν ὑφήγησιν] Ne quis fortasse παρελεύσωμαι legendum coniiciat, vid. *Winer.* Gramm. Idiom. N. T. p. 238. sq. qui citat *Epiphan.* Opp. T. II. p. 332. B.

P. 172 (902). Εἰ δὲ ὁ μονογενὴς cet.] Aut Ἔτι δὲ — scribendum, aut, immutata interpunctione, longior protasis hinc ordienda, quae colligitur illis: εἰ τοίνυν ναὸς θεοῦ καλούμεθα cet. et absolvitur verbis: τίς τολμήσειε παραιτήσασθαι —;

P. 172 (903). Οὔ τε γὰρ —. Οὔ τε γὰρ —] Οὔτε γὰρ —. Οὔτε γὰρ — edd. Basil. et Petav. recte. Et simplex οὔτε γὰρ, de quo cf. p. 256 (951). 266 (957). 270[b] (959). 288 (969), et repetitum frequentatur ab *Epiphanio*, qui omnino cumulare solet enuntiationes particula γὰρ expressas. Sic γὰρ ter deinceps ponitur p. 236 (939). 256 (951). 270 (959) itemque οὔτε

γὰρ p. 296 (973). Mendosum οὔ τε γὰρ recurrit p. 262 (954), ubi οὔτε γὰρ —, οὐδὲ — scribendum, et p. 266 (957).

P. 174 (903). κἄν τε ἐν βραχεῖ, κἄν τε ἐν πολλῷ] Κἄν τε —, κἄν τε —, quod est *sive* — *sive* —, hoc loco ad praegressum participium refertur. Sicubi autem hae voculae verbum finitum, sive simplex sive duplex, secum habent, indicativus vel coniunctivus ponitur. Verbi causa indicativum habes p. 312 (983), coniunctivos p. 226 (932), indicativum cum coniunctivo p. 276 (932). Simplex κἄν τε, *tametsi*, adsciscit indicativum, p. 200 (918). 234 (938). 266 (957) et saepe alibi, vel coniunctivum, p. 188 (911). 242 (942). 244 (943). 256 (950). 258 (952). 266 (956) et saepe al., vel optativum, p. 174 (904). 194 (915). 234 (938). 258 (952). 266 (957). 274 (961). 296 (973) et saepe al., vel denique participium, p. 266 (957). 280 (964). al.

P. 174 (904). ἀλλότριοι τῆς αὐτοῦ δωρεᾶς καὶ ἁγιαστείας] Equidem lego: ἁγιαστίας. Vid. annot. in T. II. p. 698 (789).

P. 176 (904. 905). Πᾶσαν γὰρ αἵρεσιν κακοβουλία τῶν γενομένων ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους ἢ κενοδοξίας ἢ ἐπάρσεως ταῦτα εἰργάσατο] Ingenue fateor, me ista non intelligere, nisi ταῦτα deleatur. Fortasse etiam legendum: κενοδοξία ἢ ἔπαρσις, nisi genitivos κενοδοξίας et ἐπάρσεως ad τῶν γενομένων referre mavis. Assolet enim *Epiphanius* genitivos cumulare.

P. 176 (905). Ἄλλως γὰρ οὐ φρονεῖ, ἀλλ' ὡς Ἄρειος] Legendum: Ἄλλως—, ἀλλ' ἢ ὡς Ἄρειος, *aliter — atque Arius*. Vid. annot. in T. II. p. 616 (743).

P. 178 (905). ἐνεβριμεῖτο] Repone ἐνεβριμᾶτο, collato *Schleusnero* Lexic. in N. Test. T. I. p. 794.

P. 178 (905). Τὸ γὰρ ἐξ ἀρχῆς καταβληθὲν εἰς μέγα κακὸν τὸ ἔργον ἠλαννε.] Verba τὸ ἔργον tanquam insiticia delenda esse censeo.

P. 178 (906). καὶ ἦν πειθανὰ τὰ ὑπὸ τοῦ Ἀερίου λεγόμενα.] Falsas lectiones πειθανὸς et πειθανῶς nollem reductas locis a cl. *Oehlero* indicatis, ubi *Petavius* πιθανὸς et πιθανῶς. Secundum *Petavium* recte scribitur πιθανῶς p. 204 (920). 238 (939) et alibi, πιθανότητα T. I. p. 134 (63) ubi ed. Bas. πειθανότητα, et πιθανολογίαις p. 222 (113) pro πειθανολογίαις ed. Basil.

P. 178 (906). Ἀπηλαύνετο δὲ αὐτὸς μετὰ τῆς αὐτοῦ] *Petavius* verba μετὰ τῆς αὐτοῦ in versione neglexit. Verte: *cum uxore sua*. Vid. *Bos.* Ellips. Graec. ed Schaef. p. 92. sq.

P. 178. 180 (906). Καὶ, φησὶ, τί ἐστιν ἐπίσκοπος πρὸς πρεσβύτερον; Οὐδὲν διαλλάττει οὗτος τούτου·] Haec noster refutatum it p. 182 (908). Neque tamen apud rectae fidei scriptores ecclesiasticos eiusdem sententiae vestigia desunt. *Elias Cret.* ad *Gregor. Naz.* Orat. VI. p. 184. B. Comment. Cod. Basil. fol. 233. v. ἔθος τῷ μεγάλῳ τούτῳ ὡς ἐπισκόπους πολλαχοῦ τῶν λόγων αὐτοῦ ἀδιαφόρως τοὺς πρεσβυτέρους ἐξυμνεῖν. καὶ παρεσημειωσάμεθα τοῦτο καὶ ἡμεῖς ἐν πολλοῖς. καθ' ὃ δὴ καὶ ἐνταῦθα ποιμένας τούτους ἐκάλεσεν. εἰσὶ γὰρ οἱ πρεσβύτεροι κατὰ τὸν ἱερὸν διονύσιον τῆς φωτιστικῆς τάξεως, καὶ λόγοις διδασκαλίας καὶ πράγμασι τοὺς προϊόντας φωτίζοντες. Idem ad Orat. IX. p. 237. A. fol. 340. r. ποιμένας δὲ (καλεῖ) τοὺς ἐπισκόπους ἢ καὶ πρεσβυτέρους, ἐπειδὴ καὶ οὗτοι κἀκεῖνοι ... ἀδιαφόρως πάλαι ὠνομάζοντο.

P. 180 (907). Εἰ δὲ ὅλως εὐχὴ τῶν ἐνταῦθα τοὺς ἐκεῖσε

ὦνησεν ..... ἵνα μή τι ἐκεῖ πάθῃ, μηδὲ τὰ ὑπ' αὐτοῦ γενόμενα τῶν ἀνηκέστων ἁμαρτημάτων ἐκζητηθῇ.] Quae *Aërius*, ab *Epiphanio* p. 186. sq. (911) argumentis paulo infirmioribus exagitata, adversus preces, susceptas pro levandis mortuorum poenis, disputat, comparanda sunt cum egregio loco in *Platonis* Republ. Lib. II. p. 364. B. — 365. A. ubi perstringuntur sacrificuli, delicta et vivorum et mortuorum se expiare profitentes. Deprecationem peccatorum, pro aliis susceptam, item notat *Simplicius* Comment. in *Epict.* Enchir. ed. Salmas. p. 246. ubi οἱ νῦν intelliguntur Christiani. *Platonis* loco adversus sacrificulos catholicos utitur *Calvinus* Instit. Fidei Christ.

P. 180 (907). αὐτοὶ ἀπέωθεν ὀψωνοῦσι κρέα τε καὶ οἶνον] Nihili vox est ἀπέωθεν. Rescribe ἀφέωθεν vel ἀφ' ἕωθεν, sicut T. III. p. 528 (1105) vulgo scribitur. Conf. annot. in T. II. p. 652 (764).

P. 182 (908). Καὶ ὅτι μὲν ἀφροσύνης ἐστὶ τὸ πᾶν ἔμπλεων, τοῖς σύνεσιν κεκτημένοις τοῦτο δῆλον. Τὸ λέγειν αὐτὸν ἐπίσκοπον καὶ πρεσβύτερον ἴσον εἶναι.] Virgula pro puncto post δῆλον posita, insequentia praegressis annectenda sunt. Τὸ πᾶν enim est *omnino*, non *totum illud*, uti *Petavius* perperam vertit. Subiectum, quod vocant, (τὸ λέγειν) a praedicato (ἐστὶ ἔμπλεων) diremtum est verbis τοῖς σύνεσιν κεκτημένοις τοῦτο δῆλον, quae audacius traiecta sunt.

P. 198 (917). Σωματικὴ γάρ ἐστιν ἡ χρεία ... καὶ εἴ τις ἐπιτελέσειεν, οὐχ ἁμαρτάνει.] Haec *Aërii* sententia veterem κυνισμὸν olet. Confer dictum *Diogenis*, χειρουργίαν excusantis, ap. *Diog. Laërt.* VI, 46.

P. 200 (918). οὐ κατά τινα ῥύσιν] Pro vulg. ῥῆσιν recte ita cl. editor secundum versionem *Cornarii* (*defluxionem*) et *Petavii* (*profluvio*). Vid. annot. in T. I. p. 192 (95) et conf. p. 260 (954) τῆς ἡμετέρας φύσεως καὶ τῆς τῶν ἄλλων τῶν γεννωμένων καὶ γεννώντων τομὴν ὑποδεχομένης καὶ ῥύσιν ἐπεχούσης.

P. 204 (920). ὁ ὁριγνώμων τῶν ἐπουρανίων] Vulgo: ὁριγνώμων. Sed legendum: ὁριογνώμων, quod a Lexicis abest, neque tamen idcirco respuatur, quum ad normam nominum ὁριοδείκτης, ὁριοκράτωρ et similium rite formatum sit. In eadem re p. 254 (949) nomen ὁροθέτης ponitur.

P. 210 (924). ὑπὸ τῶν χρονιτῶν] *Petavio* χρονίτης hoc loco et in seqq. est *homo temporarius*, incertum, quo sensu. Nomen Lexicis deest.

P. 210 (924). ἀθληταί τε καὶ ἀθλήτριαι] Ἀθλήτρια, quod p. 318 (987) recurrit, Lexicis adiiciatur. Alia huiusmodi nomina *Lobeck.* ad *Phryn.* p. 256. recensuit, quibus accedat κοσμήτρια p. 296 (973). Γεννήτρια, quod *Lobeck.* annotavit, exstat ap. *Epiph.* T. III. p. 526 (1103).

P. 210 (924). ἐπ' ἀπόρησιν ἀπορήσεως] Recte infra ἐκαπόρησεν una voce legitur.

P. 210 (924). διὰ τὸ εὐπερίδρακτον καὶ σαφὲς τῶν ἐπιχειρημάτων] Lexicis adiiciatur εὐπερίδρακτος, *facilis ad comprehendendum*, quae vox in Refutat. p. 224 (931). 226 (933) recurrit.

P. 210 (925). πόθεν ἄν τις τὴν ὑποστᾶσαν πρὸς τὴν ὑποστήσασαν φύσιν τὸ ἀπαράλλακτον εἰς οὐσίαν ἔχειν συγχωρήσειε —.] Pro puncto interrogationis notam pone, sicut recte interpungitur p. 236 (938. sq.). Πόθεν — ; est negantis. Vid. annot. in T. II. p. 474 (659).

P. 212 (925). ἡ τοῦ ὁμοουσίου καὶ τοῦ ὁμοιουσίου κακοδοξία παρεισφθαρήσεται] Male infra παραφανισθήσεται. Tu vide annot. in *Eliae Cret.* col. 817 (2) et Indic. v. εἰσφθείρεσθαι.

P. 212 (926). τοῦ ἀνομοίου μέρους ἐπὶ θεοῦ βλασφημίας τύπον καὶ ὕβριν ἐπέχοντος] Exspectaveris ὕβρεως pro ὕβριν, coll. annot. in T. I. p. 452 (244) ubi formulam τύπον τινὸς ἐπέχειν attigi. Exstat tamen formula ὕβριν ἐπέχειν etiam in Refutatione p. 250 (948). 252 (948). Utramque formulam *Epiphanius* p. 252 (948) insolenter ita commiscet: Τὸ γοῦν ἀδυνάτως παρ' αὐτῷ τῷ Ἀετίῳ ταχθὲν ἐξ ὑπαρχῆς, καὶ εἰς ὕβριν ἐπέχον τύπον βλασφημίας cet. nisi forte virgula post καὶ εἰς ὕβριν, non post ἐξ ὑπαρχῆς ponenda est. Cum locutione ὕβριν ἐπέχειν conferatur ῥύσιν ἐπέχειν, in quo eadem verbi ἐπέχειν vis cernitur, p. 260 (954) τῆς ἡμετέρας φύσεως ... τομὴν ὑποδεχομένης καὶ ῥύσιν ἐπεχούσης.

P. 218 (928). Εἰ ὑπεράγει πάσης φύσεως ὁ παντοκράτωρ, διὰ τὸ ἀγέννητον ὑπεράγει] Pro ὑπερέχειν ponitur ὑπεράγειν, quod in Refut. p. 302 (977) recurrit. Conf. annot. in T. II. p. 594 (731).

P. 220 (930). Πῶς οὖν ἄν τις φαίη τὴν μὲν μεταβάλλεσθαι, τὴν δὲ μεταβάλλειν, οὐκ ἐπιτρεπόντων τῷ θεῷ ὑφιστᾶν ἐκ μὴ ὑποκειμένης οὐσίας;] Ita etiam in Refut. p. 310 (982) scriptum est; sed liquido apparet, scribendum esse: οὐκ ἐπιτρέπων τῷ θεῷ.

P. 222 (931). Ἐνταῦθα δὲ — — — οὗ ἡ ἀρχὴ οὕτως.] Locus subobscurus paulo facilior ad intelligendum erit, si ἦν ante καυχᾶται deleveris et sic interpunxeris: Ἐνταῦθα δὲ, ὡς — — τινῶν, καυχᾶται ἐπιβουλὴν πεποιηκέναι cet. Manet tamen genitivi absoluti insolens usus in verbis: ὡς — ἀναλεξαμένου — τὰ ὀστέα, quae *Petavius* ita interpretatur: *perinde ac si quis emortui cuiusdam ac putrefacti serpentis perilus ac studiosus artifex reliquias atque ossa legerit.* Ceterum respui oportet variam lectionem ἐπιβόλου, a Petavio ad ἐπηβόλου in margine annotatam. Vid. *Lobeck.* Parerg. ad *Phrynich.* p. 699.

P. 224 (931). τῆς διαλεκτικῆς σου κομπίας] Neque κομπία, neque, quod malim, κομπεία in Lexicis consignatum est.

P. 226 (933). οὐδὲ ἐξ ἀνδρὸς πεπλανημένου ὀρθὸς ἂν ὑπολειφθείη λόγος] Fortasse legendum: ὑπολη<u>φ</u>θείη, quod praegresso συλλέγουσι respondet.

P. 226 (933). περὶ θεοῦ εὐσεβῶς τοῦτο νοεῖν καὶ λέγειν ἀραρότως ἔχει] Ἀραρότως ἔχει vertatur: *ratum atque firmum est*, id quod *Petavium* fefellit. Adverbium ἀραρότως, *constanter, firme*, quod est ἅπαξ λεγόμενον apud *Platonem* Phaedr. p. 240. D., posterioris aetatis scriptoribus impense placuit. *Origenes* Opp. T. I. p. 208. A. αὐτὸ τοῦτο τῷ θεῷ ἔγνωσται ἀραρότως, τὸ μὴ ἀραρότως τόνδε τινὰ τὸν ἄνθρωπον καὶ βεβαίως βούλεσθαι τὰ κρείττονα. *Caesar.* Quaest. ed. Ehinger. p. 60. ἄμφω δὲ τὸ μέλλον ὡς ἤδη πραχθὲν ἐξεβόησαι (leg. ἐξεβόησαν) ἀραῤῥότως, (leg. ἀραρότως, virgula praeposita) τὴν ἔκβασιν τῆς σφῶν προῤῥήσεως ἐπιστάμενοι. *Cyrillus Alex.* Opp. T. II. p. 561. A. θαῤῥεῖν ἀραρότως, de firma in Deum fide. *Nilus* Opp. ed. Suares. p. 52. *Christus* ἀραρότως ἔκλειψιν τῶν συγγενικῶν ὑποτίθεται δεσμῶν. *Theophanes Ceram.* Homil. ed. Scors. p. 15. A. ὑπὲρ τὸ πᾶν οὕτως ἔχειν πιστεύειν ἀραρότως, θεοσεβές. p. 101. A. τοὺς ἀραρότως μείναντας ἐν ταῖς ἐντολαῖς τοῦ θεοῦ. p. 127. A. ἀραρότως τῇ εὐσεβείᾳ ἐμμένειν ἐπιστάμενοι. p. 422. C. *Nicetas* Laudat. Archang. ed. Possin. p. 18. de natura divina: νοητέον .. τὴν ἀραρότως καὶ ἀμεταθέτως ἐπὶ τῆς οἰκείας αὐτοῦ δόξης ἵδρυσιν καὶ μονήν. Id. p. 53. ὁ λόγος .. εἰκῇ ῥέων εἰς ἀέρα καὶ τὸν ἐν αὐτῷ κομπάζοντα κενὸν ἀφιεὶς, εἴγε μὴ τῇ πράξει βεβαιωθεὶς ἀραρότως ἐνιδρυνθείη. *Theodorus Rhaet.* De Incarn. Dom. p. 229. B. ἀραρότως καὶ ἐδρασμένως ἐχομένοις τῆς εὐσεβείας. *Theophylact.* Instit. Reg.

cap. 15. p. 70. ὅπως ἀραρότως ἕξει τῇ βασιλείᾳ τὰ πράγματα. Vid. *Ruhnken.* ad *Timae.* Lex. Voc. Plat. v. ἀραρός. ed. I., et *Matthaei.* ad Nov. Test. Tom. XI. p. 186.

P. 226 (933). τῆς ἡμῶν βραχυτῆτος] Ita cl. *Oehlerus* cum codd. mss. et ed. Basil. Βραχύτητος ed. Petav. Sed βραχυτὴς est oxytonum, ut βραδυτὴς, τραχυτὴς et alia, de quibus vide *Buttmann.* Gr. Gr. Ampl. §. 119. 41. b. et *Ast.* Annot. in Plat. Phaed. p. 796.

P. 230 (936). ἴσος ἐξ ἴσου ἡμῖν ὁ βλαστὸς ... τῇ πίστει κατειλῆπται] Sic *Methodius* Verbum nuncupat τὸ πρωτόγονον — τοῦ Θεοῦ καὶ πρῶτον βλάστημα, Conviv. X. Virg. p. 33. ed. Possin. ubi vid. *Vales.* Not. p. 183.

P. 232 (936). ἵνα μή τις νομίσῃ διαφόραν εἶναι τὴν εἰκόνα τῆς ταυτότητος] Διαφόραν *Petavius* quoque. Suspiceris: διάφορον. Sed διαφορὰν ed. Basil., recte, si vertas: *ne quis autumet, discrepantiam a personae congruentia imaginis notione contineri.*

P. 234 (937). τὸ διανοηθῆναι περὶ Θεοῦ τὸν τοσοῦτον βυθὸν τῆς διανοίας] Non erat, cur *Petavius* ἀνοίας pro διανοίας legendum coniiceret; ipse recte sic vertit: *in tam altas de deo cogitationes sese committere.*

P. 234 (937). ἐν δυσὶν ὑπονοίαις καχαῖς σεαυτὸν περιέπειρας] Ἐν ex praegresso παρέσχεν repetitum videtur. Nam verbum περιπείρειν, et propria, et translata positum potestate, plerumque dativum secum habet. Vid. *Matthaei.* ad *Chrysost.* Homil. IV. Vol. I. p. 15. Exstat tamen περιπείρειν εἰς ap. *Epiphan.* p. 304 (979) εἰς συλλογισμοὺς καὶ συζητήσεις ἑαυτὰς περιπείρουσαι. Ceterum in superioribus verbis malim Τῷ γὰρ εἰπεῖν — ἢ τῷ —, quam Τὸ γὰρ εἰπεῖν — ἢ τὸ —.

P. 238 (939). διὰ τὸ αὐτόθεος καὶ αὐτοαΐδιον] Suspiceris, scribendum esse: διὰ τὸ αὐτόθεον, collatis eiusmodi adiectivis, de quibus dixi ad T. I. p. 410 (222). Sed τὸ θεὸς, id est *notio Dei*, bis reperitur p. 318 (987), et αὐτόθεος non minus recte habet, quam alia eius generis nomina, quae loco cit. consignavi.

P. 242 (942). ἀδύνατόν ἐστι τὴν ἀγέννητον καὶ ἄκτιστον κτίσιν κτιστὴν ποτε γενέσθαι] De voce κτίσιν ex *Petavii* emendatione in φύσιν commutanda cl. editori adsentior. — Pneumatomachos, de divinitate aliter sentientes, ei attribuere, quod sit κτιστοάκτιστον, nova voce exprobrat *Elias Cret.* ad *Gregor. Naz.* Or. XXXI. p. 558. C. Comment. Cod. Basil. fol. 152. r. εὑρεθήσεται .. κατὰ τὸν λῆρον ὑμῶν ἡ τοῦ Θεοῦ φύσις κτιστοάκτιστος.

P. 244 (944). ὁ πατὴρ .. ἀνομβρητικὸς πνεύματος ἁγίου] Lexicis adiiciatur vox ἀνομβρητικὸς, quae illustranda est ex metaphorico usu vocabulorum ὄμβρος, ὀμβρέω et compositorum in declaranda vi spiritus divini in animos redundantis. Vid. Basil. Plotiniz. p. 36. sq.

P. 246 (945). παρὰ σοὶ τῷ Ἀετίῳ, τῷ ἐμβατεύοντι καὶ τὰς κατὰ Θεὸν δόξας ἐρευνῶντι] Nolim scribi: τῷ ἐν ἀερίῳ ἐμβατεύοντι. Vid. annot. in T. II. p. 708 (795).

P. 248 (945). ἀδρυντικὴν οὐσίαν] Cod. Rhedig. ἀνδρυντικήν. Tu repone ἀδρυντικήν, collata annotatione in T. I. p. 202 (102).

P. 250 (947). οὐ γὰρ ἐνέσκηπτον τῇ διανοίᾳ τοῦ ἀνθρώπου εἰς ἐπιβουλὴν καὶ τῦφον κενοδοξίας] Petavius haec minus accurate ita vertit: *Neque enim humanae mentes damni ex iis aliquid capere poterant, aut ad arroganliam excilari.* Vertendum est: *Neque enim mentem humanam adoriun-*

tur, quo insidias parent et fastum inanis gloriae excitent. Ἐνσκήπτειν τινὶ εἴς τι interdum, ut hoc loco, est *alicui ingruere ad damnum parandum.* Conf. *Epiph.* T. II. p. 626 (748) Οὔτε γὰρ τοῦτο ἡμῖν ἐνσκήψει εἴς τι ἐλαττώματος. Alias ἐνσκήπτειν τινὶ vel εἴς τινα (τι) vel πρός τινα (τι) per se est *alicui ingruere* vel *vim ac damnum inferre.* Rarior est usus gemini ἀποσκήπτειν εἴς τινα. Conf. *Epiph.* T. I. p. 330 (177) πάθος .. ὃ .. ἀπέσκηψε εἰς τοῦτον τὸν παρατραπέντα. id est: *affectionem .. quae .. in .. aberrantem incubuit*, ut *Petavius* poëtice vertit. T. II. p. 630 (751) οὔτε ἐν τῷ κτίζειν εἰς τὸν υἱὸν πάθος ἐνσκήψει. p. 640 (757) οὐδὲν δὲ ἐνσκήψουσιν εἰς τοὺς υἱοὺς τῆς ἀληθείας. p. 642 (758) οὐδὲ εἰς τὴν θεότητα τοῦ υἱοῦ ἐνσκήπτοντα. T. III. p. 382 (1022) Τί δὲ τοῦτο πρὸς τὴν τοῦ κυρίου ἡμῶν δύναμιν τῆς θεότητος ἐνσκήψει; p. 392 (1027) τὸ πάθος τῇ θεότητι .. οὐκ ἐνέσκηψεν. Est etiam, ubi ἐνσκήπτειν idem valet ac *nocere, officere*, velut T. III. p. 304 (979), ubi *Petavius* nihil vidit, p. 384 (1022). Raro ἐνσκήπτειν vi transitiva est *immittere, infligere.* Conf. T. III. p. 410 (1037) τολμᾶν βλάσφημόν τινα ὑπόνοιαν ἐπ' αὐτὴν ἐνσκήπτειν. p. 422 (1044). De translato usu verborum ἐνσκήπτειν et ἀποσκήπτειν vid. *Valckenar.* ad *Eurip.* Hippol. vs. 438.

P. 252 (948). λέξιν λέξει ἀνατροπικῶς παρενθείς] Collatis praegressis ἀνόμοιον ἀνομοίῳ συγκρούσας, fortasse legendum παραθείς, id quod monui ad T. II. p. 258 (562) ubi adverbium ἀνατροπικῶς attigi.

P. 252 (948). Ἐξ αὐτῶν γὰρ, ὡς ἐδίδαξε τὸν κόσμον, συλλογισμῶν καὶ αὐτὸς συλλογισθήσεται.] Legendum: ὧν ἐδίδαξε —, coll. annot. in T. II. p. 564 (714).

P. 258 (952). Ἀμείνων οὐδεὶς θεοῦ, πρὸς Ἀέτιόν μοι ἡ λέξις, τὸν οὕτως ἐπινενοηκότα. Ὡς ἔχει ἡ ἀλήθεια.] Haec ita sunt distinguenda: Ἀμείνων οὐδεὶς θεοῦ (πρὸς ... ἐπινενοηκότα), ὡς ἔχει ἡ ἀλήθεια, prout *Petavius* vertit.

P. 260 (953). Ἀνωτάτω δὲ ὄντος τῶν τοιούτων, —, κατὰ πάντα τρόπον ὁ Ἀετίου λόγος ἀνατραπήσεται.] Soloecum ὄν, cuius loco *Petavius* ὄντος reponi iussit, *Epiphanio* fortasse condonandum est. Vid. *Io. Glyc.* De Vera Syntaxeos Ratione p. 35, 15. sqq. editionis principis Bernensis, et annot. p. 84. Ceterum pro formula ἀνωτάτω εἶναί τινος infra p. 262 (954. 955) ἀνώτατον εἶναί τινος ponitur, nisi forte illic ἀνωτάτω scribi oportet.

P. 262 (954). Οὔ τε γὰρ —. Οὐδὲ πάλιν —.] Scribendum: Οὔτε γὰρ —· οὐδὲ πάλιν —. Vid. annot. in T. III. p. 172 (903).

P. 262 (955). Ἕως πότε ἥκει φέρων ἡμῖν οὗτος τὸ αὐτὸ λέγειν καὶ μηδὲν ὑπερβαίνειν τῶν ἐγκειμένων;] Aut pingui Minerva *Epiphanius* haec scripsit, aut eius oratio ita est refingenda, ut λέγειν tanquam insiticium eiiciatur, et ὑπερβαίνει scribatur. Neque enim ἥκει φέρων τὸ αὐτὸ λέγειν Graece dici potest. Melius Noster p. 284 (967) συλλογισμοὺς ἥκει φέρων ἡμῖν Ἀέτιος μεταρσιολεκτῶν. p. 298 (975) Καὶ τοῦτο πάλιν Ἀέτιος ἥκει φέρων ἡμῖν. p. 304 (978) Πολλῶν γὰρ ἀοράτων ἥκει φέρων ἡμῖν τὰς ὀνομασίας. Extra formulam ἥκειν φέροντα verba ἥκειν et φέρειν eadem potestate ponuntur, prius p. 326 (991) καὶ οὗτος ἥκει ἡμῖν λέγων περὶ θεοῦ. posterius p. 324 (990) οὗτος ὁ τὴν καινὴν διαλεκτικὴν ἡμῖν φέρων. Adde annot. in T. I. p. 216 (110).

P. 264 (955). ἀπροσληπτικῶς] Vocem, quae p. 304 (979) recurrit, Lexicis adiice, in quibus non magis comparet, quam προσληπτικῶς, quod exstat p. 282 (966).

P. 264 (956). οἱ ἐκθαμβεῖν τὴν διάνοιαν τῶν ἀπείρων μεμαθηκότες] Verbi ἐκθαμβεῖν notio activa a Lexicis vulgo abest. Ex activo ἐκθαμβεῖν *Epiphanius* nomen ἐκθαμβητὴς efformavit p. 360 (1009).

P. 266 (957). Οὔτε γὰρ κατὰ προφορὰν λόγου ἴσασι τὸ γέννημα καλεῖν] De reponendo οὔτε monui ad T. III. p. 172 (903). Καλεῖν salva sententia omitti poterat. Vid. annot in T. II. p. 330 (580).

P. 266 (957). Οὔτε γὰρ —. Πῶς γὰρ —; Οὔτε —.] Haec ita distingui debent: Οὔτε γὰρ — (πῶς γὰρ —;), οὔτε —. Sic οὔτε γὰρ —, οὔτε — inter se connexa sunt p. 210 (924). 274 (961) et sexcenties alibi.

P. 270 (959). ὡς ἂν εἴποι τις μελλητικῶς] Adverbium μελλητικῶς Lexicis accedat, in quibus nonnisi adiectivum μελλητικὸς exstat.

P. 270 (959). Πέφυκε γὰρ αὐτοάγαθον cet.] Αὐτοάγαθος vere coniecit *Petavius*; neque enim sermo est de virtute Deo attributa, quae in superioribus τὸ αὐτοάγαθον et αὐτοαγαθότης vocatur. Alioqui dicendum erat: πέφυκε γὰρ τὸ αὐτοάγαθον, quemadmodum *Platoni* Deus τἀγαθὸν audit.

P. 270 (959). οὐκ ἀποπρεποῦντα πατρί] Verbo ἀποπρεπεῖν Lexica augeantur.

P. 272 (960). ὡς πρὸς τὸν Ἀέτιον ἀποτεινομένου τοῦ λόγου καὶ ἐρωτικῶς ἐξετάζοντος] Loco vulgati ἐρωτικῶς exspectaveris ἐρωτητικῶς, coll. p. 312 (983) ubi haec vox bis occurrit. Verum enimvero tum illic, tum hoc loco ἐρωτηματικῶς scribendum esse coniicio, praesertim quum p. 312. vox ἐρώτημα post ἐρωτητικῶς bis ponatur. Neque ἐρωτητικῶς, neque ἐρωτηματικῶς in Lexicis comparet; vocem ἐρωτηματικὸς eadem habent, non item vocem ἐρωτητικὸς, quae non minus quam ἐρωτητικῶς suspectae fidei est. Ἐρωτικῶς autem nemo unquam Graecorum pro ἐρωτηματικῶς dixit, non magis quam ἐρωτισμὸς, de quo ad p. 94 (859), pro ἐρωτηματισμός.

P. 274 (961). αὐτοαγαθὸν ἀπὸ τοῦ αὐτοαγαθοῦ ὄντος] Rescribe: αὐτοάγαθον et αὐτοαγάθου, coll. annot. in T. I. p. 410 (222). Sed ne αὐτοάγαθον quidem satis placet. Christus enim, quippe τοῦ αὐτοαγάθου sive Dei filius, melius ipse αὐτοάγαθος, quam nomen eius αὐτοάγαθον vocatur. In voce αὐτοάγαθος similiter peccatum vidimus p. 270 (959).

P. 276 (963). τοιούτως ἢ τοιούτως] Habent Lexica formatum a τοιοῦτος adiectivum τοιουτώδης, non item adverbium τοιούτως.

P. 276 (963). Ὅσα γὰρ ἂν ἐπαναβῇ ἡ καρδία σου πρὸς θεὸν ἀποτίθεσθαι cet.] *Petavius* haec ita vertit: *Etenim quantavis se contentione animus tuus ad deum erigat* —. Atqui *sese erigere* inaudita est notio verbi ἀποτίθεσθαι. Repone ὑποτίθεσθαι, quod respondet praegresso τοπάζειν. Πρὸς θεὸν est *adversus deum*.

P. 280 (965). Διὸ καὶ τὸ γέννημα οὐκ ἀπὸ χρόνου νοεῖσθαι εὐσεβὴς χωρεῖ λόγος] Notabis χωρεῖν, pro συγχωρεῖν positum. Solent autem recentioris aetatis scriptores verbis simplicibus pro compositis interdum uti.

P. 282 (966). ἐπισυνεισφορά] Hoc nomine Lexica augenda sunt.

P. 282 (966). ὡς κατ' ἔννοιαν καὶ μετάβολον] Μεταβολὴν *Cornarius* et *Petavius* coniecere; sed scribendum μετάμελον, collatis istis p. 270 (959) ἢ κατὰ μετάμελον ἢ συμβουλευτικὸν λόγον, et in eum locum annotatis a cl. editore.

P. 290 (970). κτιστικῶς] Istud adverbium in Lexicis frustra quaesiveris.

P. 290 (970). ἀπειρομεγέθως] Adiectivum ἀπειρομεγέθης in Lexicis exstat, non item adverbium ἀπειρομεγέθως.

P. 290 (971). κατὰ τοὺς ἀνωτάτω ὑπὸ σοῦ λεχθέντας λόγους] Ἀνωτάτω hoc loco et p. 318 (987). 320 (988) ex male intellecto compendio vocis ἀνώτερον ortum puto. Recte vero habet ἀνωτάτω p. 480 (1077) ubi *Epiphanius* a principio dicta respicit. Neque ἀνωτάτω dubitationem habet p. 292 (971) ὑπερβαινούσης ἀεὶ πάντα νοῦν τῆς ἀνωτάτω οὐσίας. Est enim ἡ ἀνωτάτω οὐσία sive φύσις solemnis formula in declaranda divinitate. Vid. annot. in *Eliam Cret.* col. 831 (3).

P. 298 (975). ἵνα φανῇ διαλεκτικῆς ἐφευρετὴς εἶναι συλλογιστίας] Nomen συλλογιστία in Lexica referatur.

P. 304 (979). μεταμελημένως] De reponendo μεταμεμελημένως monui ad T. II. p. 568 (717).

P. 308 (981). Προῦλαβε γὰρ ὁ μονογενὴς παραγράψαι τὴν δικαστικὴν αὐτοῦ ταύτην φωνήν] *Petavius* vertit: *Etenim illius decreto iam pridem unici dei filii auctoritas praescripsit*, optime, siquidem παραγράφειν, ut Lat. *praescribere*, proprie de παραγραφῇ sive exceptione in iudiciis dicitur (vid. *Schoemann.* Antiq. Iur. Publ. Graec. p. 377), deinde ad reiiciendum omne falsum transfertur. Vid. annot. in *Eliam Cret.* col. 823 (6).

P. 310 (982). ἀδημιούργητος] Notanda rari usus vox ἀδημιούργητος, cuius hoc exemplum Lexicis adiiciatur.

P. 312 (983). ἐρωτητικῶς] De reponendo ἐρωτηματικῶς vid. annot. in T. III. p. 272 (960).

P. 312 (984). ὕλην τινὰ σύγχρονον τῷ θεῷ ἐπιφημίζοντες] Vid. annot. in T. I. p. 48 (14).

P. 314 (984). Ἐποίησε γὰρ — — συμπροσκυνεῖται] Interpunctio, male, ut alias saepissime, administrata, ita est refingenda: Ἐποίησε γὰρ .. τὸν υἱόν· οὐ γὰρ ἔστι σὺν πᾶσι, συνυπουργεῖ γὰρ τῷ πατρὶ καὶ συμπροσκυνεῖται· οὔτε τὸ ἅγιον πνεῦμα· οὐ γὰρ ἀριθμεῖται cet. De verbis: συνυπουργεῖ γὰρ τῷ πατρὶ, vid. annot. in T. II. p. 678 (778).

P. 314 (984). Τῶν δὲ πάντων ὑπὸ τὴν τοῦ ἑνὸς προνοησίαν ἐπιτεταγμένων —] Malim ὑποτεταγμένων, quam ἐπιτεταγμένων. Vocem προνοησία, Lexicographis ignotam, neglexit *Lobeck.* Parerg. ad *Phryn.* p. 506. sq. ubi de parili nomine ἀνοησία disputatur, quod exstat ap. *Epiphan.* p. 476 (1075).

P. 320 (988). ὡς οἱ τὴν παραπληξίαν κεκτημένοι νομίζουσι μὲν ἑαυτοὺς ἐν φρονήσει εἶναι, τοὺς δὲ ἄλλους φρενητιῶντας] Scribendum: φρενιτιῶντας. Vid. annot. in T. II. p. 482 (662).

P. 320 (988). Ταῦτα δὲ πάντα διαλαβόντες . . . ἐν κεφαλαίοις λζ'. Οἷς νουνεχῶς ὑμᾶς ἐντυχεῖν παρακαλοῦμεν —] *Epiphanium*, licet ἰδιωτικῷ λόγῳ usum (quod ipse p. 322, 989. ingenue fatetur), nunquam tamen credam participio pro verbo finito abusum esse. Itaque, deleto οἷς et virgula pro puncto post λζ' posita, ista: διαλαβόντες — παρακαλοῦμεν, coniungenda censeo. Ad ἐντυχεῖν subaudiendum αὐτοῖς, quod quum sciolum falleret, οἷς inculcavit.

P. 322 (989). Ὀλίγα δὲ — — συντόμως λέξω.] Orationi misere claudicanti ita succurrendum puto, ut ἐξ ὧν pro ἐκ τούτων οἷς insolentius dictum accipiatur (vid. annot. in T. II. p. 564, 14.), ὅσα autem, καὶ ante ἐν θράσει et alterum τὴν διάνοιαν deleantur. Quo facto, oratio ita procedet:

Ὀλίγα δὲ πάλιν ἐκ τούτων, οἷς ... ἐτόλμησε τὸ .. στόμα .. ἆραι .. καὶ βλασφημῆσαι, αὖθις ἐπιλαβόμενος (nim. αὐτῶν) συντόμως λέξω.

P. 322 (989). Οὕτως οἶδα τὸν θεὸν, ὥςπερ ἐμαυτὸν, καὶ οὐ τοσοῦτον οἶδα ἐμαυτὸν ὡς τὸν θεόν.] Ecce tibi ab Aëtio iam prolatum, quod novitii sophistae celebrant decretum.

P. 324 (990). ἐπισκωμματικῶς καὶ κωτίλως] Adverbium κωτίλως, *cum derisu*, Lexicis addendum, in quibus nonnisi adiectivum κωτίλος, *blandus*, *fallax*, comparet. Κωτίλος, *derisor*, exstat ap. *Method.* Conviv. X. Virg. p. 167. D. ed. Possin. Κωτίλος τις, ὡς ἔοικεν, ἄνθρωπος εἶναι δοκεῖς, ὦ Εὐβούλιε. quo loco ap. *Allat.* p. 294 ed. Rom. vox nihili σκωπτίλος reperitur.

P. 326 (991). οὐ μὴν δὲ γινώσκει τί τὸ εἶδος] Οὐ μὴν δὲ, quod post paulo recurrit, melioris notae scriptoribus inusitatum est.

P. 326 (991). πορφύρεόν τε κοκκηρόν τε] Κοκκηρὸς, quod in Lexicis non exstat, idem est ac κόκκινος.

P. 326 (991). σκωπτηλῶς] Scribendum: σκωπτικῶς, sublato monstro vocis σκωπτηλῶς.

P. 326 (992). ὅταν ἐλεγχόμενοι ὑπό τινων ὑποπιάζωνται] Recte habet lectio codicis Ien. et ed. Basil. ὑποπιάζωνται, neque est, quod ὑποπιέζονται (vel potius ὑποπιέζωνται) cum *Petavio* coniicias, quum πιάζω in κοινῇ idem sit ac πιέζω. Ὑποπιάζειν autem, sive ὑποπιέζειν, id est *subigere*, a re athletica ad dialecticam non minus recte transfertur, quam simplex πιέζειν, de quo dixi ad T. II. p. 670 (773). Scripturam ὑπωπιάζωνται, quam habet ed. Petav., quispiam fortasse excusabit translato usu verbi ὑπωπιάζειν ap. Apostolum I. Cor. IX, 27. ubi ὑπωπιάζειν est *domare*, *obtundere*. Sed illic quoque discrepans lectio ὑποπιέζω exstat. Vide *Schleusner.* Lex. in Nov. Test. T. II. p. 1229. meque ad *Eliam Cret.* col. 763 (4). 932.

P. 326 (992). ψευδονύμως] Ita mendose vulgo; tu rescribe ψευδωνύμως.

P. 326 (992). μέγα κακὸν τόλμημα] Sive μέγα καὶ κακὸν τόλμημα cum *Cornario* scribitur, sive μέγα κακῶν τόλμημα, quod *Petavio* placuit, praefertur, sive denique *Epiphanius*, ut mihi videtur, μέγα κάκιστον Homerice scripsit: τόλμημα de homine eleganter dicitur eo loquendi usu, de quo vid. *Bernhardy.* Synt. Gr. p. 46.

P. 336 (996). μὴ νοοῦντας τὰ βαθέως ὑπὸ τοῦ τοιούτου λογίου ἀνδρός] Liquido apparet, εἰρημένα vel tale quidpiam post τὰ βαθέως excidisse. Conf. p. 400 (1031) τοῦτο βαθέως εἴρηται. Βαθέως est *sensu recondito*, quemadmodum βαθύτης p. 398. sq. (1031) *sensus reconditus* vocatur.

P. 338 (997). ὁσοιδηποτοῦν] Ὅσοι δηποτοῦν separatim edd. Basil. et Petav. Sed scribendum ad normam antiquam ὅσοι δή ποτ' οὖν, aut ὁσοιδηποτοῦν, quod magis placet in serioris aetatis scriptore. Vid. *Lobeck.* ad *Phryn.* p. 373. sq.

P. 338 (998). ἐντυχὼν τοῖς παρὰ τῆς σῆς θεοσεβείας πραχθεῖσιν ὑπομνήμασιν] Πραχθεῖσιν codd. mss. et ed. Basil., quod *Cornarius* recte vertit: *cum adeptus sim commentarios a pietate tua factos.* Conf. p. 336 (997) Ἀλλὰ καὶ ὑπομνήματα πέπρακται. *quinetiam commentarii quidam perscripti sunt.* Itaque neque cum Petavio προσαχθεῖσιν scribendum, neque πράσσειν est interpretandum *exigere.*

P. 340 (998). ποῖος ᾧδης ἐξερεύξατο, ὁμοούσιον εἰπεῖν ἐκ Μαρίας σῶμα τῇ τοῦ λόγου θεότητι;] Ἐξερεύξατο edd. Basil. et

Petav., augmento neglecto. Recte post paulo: Πόθεν δὲ πάλιν ἠρεύξαντό τινες ἴσην ἀσέβειαν τοῖς προειρημένοις, ὥστε εἰπεῖν —; *Effutiendi* vim, quae verbo ἐρεύγεσθαι his locis inest, ad T. II. p. 596 (731) attigi.

P. 340 (998). θέσει, καὶ οὐ φύσει σῶμα πεφόρηκεν ὁ υἱός] Θέσει est *specie ac fictione*, sicut *Petavius* recte vertit. Conf. p. 348 (1003) τὸ .. θέσει λεγόμενον φαντασία ἐστίν. Dispari ratione in doctrina de sanctificatione θέσει, *gratia et adoptione*, et φύσει, *natura*, sibi invicem opponi solent. Vid. annot. in *Eliam Cret.* col. 841 (2).

P. 358 (1007). ἐκπανταχόθεν] Scribendum: ἐκ πανταχόθεν. Vid. annot. in T. II. p. 652 (764).

P. 360 (1009). μή τι γε κυρίῳ Χριστῷ] Scribendum: μήτι γε. Vid. *Ast.* Lex. Plat. T. II. p. 343.

P. 360 (1009). οἱ ἐκθαμβηταὶ τῶν προβάτων καὶ πτύρται τῶν περιστερῶν] Neque ἐκθαμβητής, neque πτύρτης in Lexicis comparet. Conf. annot. in T. III. p. 138 (884). 264 (956).

P. 362 (1010). χαριστικῶς] Adiectivum χαριστικός in Lexicis ex Symmacho affertur; abest vero ab iisdem adverbium χαριστικῶς.

P. 362 (1011). ὑπὸ θέξιν] Vid. annot. in T. I. p. 134 (62).

P. 364 (1011). περὶ ὧν οὐδεμία χρεία γεγέννηται πώποτε πρὸς διαλογήν] Ex edd. Basil. et Petav. repone γεγένηται. Idem mendum recurrit p. 434, 3. Similiter peccatur p. 422, 3. 4. p. 432, 9. ante fin. p. 434, 8. quibus locis pro vulg. γένηται mendose γέννηται scribitur. Γεγεννημένος ed. Petav. p. 434, 9. ubi ed. Basil. recte γεγενημένος.

P. 364 (1012). ἀνυστερήτως] Istud adverbium non magis, quam adiectivum ἀνυστέρητος, in Lexicis exstat.

P. 366 (1013). ἢ κατὰ ἰδιωτίαν, ἢ κατ' ἀπαρακολουθησίαν] Pro vulg. ἰδιωτίαν malim scribi ἰδιωτείαν, quod iotacismo in ἰδιωτίαν abiit. Lexicis accedat nomen ἀπαρακολουθησία, a *Petavio* repositum. Vulgo: κατὰ παρακολουθησίαν. Exemplum rarioris nominis cl. editor ex *Epiphanio* T. II. p. 178 (495) attulit. Eiusdem notae nomina sunt ἀνοησία, προνοησία et alia, de quibus *Lobeckius*, ad p. 314 (984) laudatus, disputavit.

P. 370 (1014). ἀκραίμοσιν] Ocius rescribe: ἀκρέμοσιν, coll. annot. in T. II. p. 570 (717).

P. 374 (1017). Τῆς οὖν φιλονεικίας γνωσθείσης — — καὶ βασιλείας. Λοιπὸν ἀνέστημεν cet.] Pro puncto, quod habet ed. Basil., semicolon cum *Petavio* ponito. Ne quis autem in protasi ᾠκονομηκέναι pro vulg. οἰκονομηκέναι scribendum coniiciat, vid. *Lobeck.* ad *Phryn.* p. 153. et conf. οἰκοδομήθη p. 428 (1047), ubi paulo ante κατῳκίσθη rite scribitur. Ceterum ex verbis ἐν τῇ ἐνσάρκῳ παρουσίᾳ ad ταύτην cogitatione facile repetas τὴν σάρκα, neque est, quod ἐν σαρκὶ scribatur, immutata formula ἔνσαρκος παρουσία, quae in hoc argumento solemnis est. Vid. annot. in T. I. p. 105 (46).

P. 378 (1019). κατὰ τὴν αὐτῆς διακυβερνητικὴν σοφίαν] Adiectivo διακυβερνητικός Lexica ditanda sunt.

P. 382 (1022). τί δὲ ἠμαύρωσε τὴν αὐτοῦ δύναμιν — — ἀλλὰ μνήματος αἱ θέσεις;] Haec male interpunguntur. Primum distinguendum: τί δὲ ἠμαύρωσε τὴν αὐτοῦ δύναμιν; deinde, sicut in edd. Basil. et Petav. legitur: τῆς ἁγίας γυναικὸς γαστήρ; μήτρα παρθένου; τοκετῶν πόροι; ἀγκάλαι Συμεῶνος; Ἄννης ὑποδοχή; Μαρίας βασταγμός; τῆς πόρνης ἁφαί; τρίχες γυναικὸς ποδῶν ἁπτόμεναι; ἀλλὰ τὰ δάκρυα; ἀλλὰ μνήματος αἱ θέσεις; Τοκετῶν

πόροι dicuntur, qui p. 396 (1029) sunt τοκετικοὶ πόροι. Non est autem, quod idcirco nostro loco τοκετικῶν pro τοκετῶν scribatur. Nam illic quidem *Epiphanius* adiectivo uti, quam διὰ τῶν τοκετῶν πόρων vel διὰ τῶν πόρων τῶν τοκετῶν scribere, maluit. Nostro loco verba τοκετῶν πόροι nullam offensionem habent. Adiectivum τοκετικὸς Lexicographi neglexerunt. Novissima nostri loci: ἀλλὰ —; ἀλλὰ —; attigi annot. in T. II. p. 674 (776).

P. 384 (1022). προσχύνησίς τε καὶ δορυφορία] Rei unice accommodatum est δωροφορία, quod *Petavius* coniecit. Δορυφορία hic eo minus ferendum est, quod angeli Christi natum δορυφορεῖν, id est *satellitum instar tueri* vel *comitari*, paulo ante ita dicuntur: Παρεμβολαὶ δὲ ἐπὶ τῇ τοῦ βασιλέως τοῦ αἰῶνος εἰςόδῳ δορυφορεῖν ἀπεστέλλοντο. Translatum δορυφορεῖν, de quo vid. annot. in *Eliam Cret.* col. 786 (9), eodem in argumento recurrit p. 426 (1047) ἀγγέλους τὴν γέννησιν τοῦ υἱοῦ δορυφοροῦντας.

P. 384 (1022). Καὶ πολλά μοι ἔστι τοῦ λέγειν·] Nolim scribi: που λέγειν. Vid. *Winer.* Gramm. Idiom. N. T. §. 45. extr. p. 270. sq. ed. III.

P. 384 (1023). Εἰ τὸ ἡμέτερον σπείρεται ἐν φθορᾷ, ἐγείρεται ἐν ἀφθαρσίᾳ. Σπείρεται σῶμα ψυχικόν, ἐγείρεται σῶμα πνευματικόν, πόσῳ γε μᾶλλον τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ τοῦ θεοῦ;] Apostoli verbis, praemisso εἰ, ex I Cor. XV, 42. 44. allatis, protasis continetur; apodosin faciunt insequentia: πόσῳ γε μᾶλλον — θεοῦ; Vid. annot. in T. II. p. 474 (659). Itaque ante alterum σπείρεται pro τελείᾳ μέσην pone. Verum vidit *Petavius* in versione Latina. Eadem Apostoli sententia *Epiphanius* utitur p. 520 (1100), quo ex loco nonnulla in Anaceph. p. 588 (156) emendanda sunt.

P. 386 (1023). Εἰ δὲ οὐδεὶς νοεῖ περὶ αὐτοῦ τὰ τῆς σαρκὸς ἄλογα πεπραχέναι, οὔτε τὰ τοῦ νοῦ ἄλογα αὐτὸν πεποιηκέναι νοήσειεν.] Aut οὐδὲ scripsit *Epiphanius*, aut οὔτε pro οὐδὲ per soloecismum usurpavit.

P. 388 (1005). Φέρουσι δὲ ἡμῖν καὶ λέξεις τινὰς, ὅτι, φησὶ, Ἡμεῖς δὲ νοῦν Χριστοῦ ἔχομεν· καὶ, φασὶν, Ὁρᾷς ὅτι cet.] Tametsi φασὶν subsequitur, noli cogitare de φησὶ in φασὶ mutando. Vid. annot. in T. I. p. 488 (264).

P. 390 (1026). ἐπὶ τὸ αὐτὸ τῆς πάσης πραγματείας εἰς μίαν οἰκονομίαν καὶ μίαν τελειότητα ἡμῖν συνηνωμένης] Recte hoc loco, ut T. II. p. 4 (397). T. III. p. 568 (144), ἐπὶ τὸ αὐτὸ scribitur, quod apud *Epiphanium* vulgo una voce ἐπιτοαυτὸ negligentius efferunt. Conf. v. c. T. III. p. 258 (952). 440 (1054). 466 (1069, bis). 468 (1070), ubi tamen cod. Rhed. ἐπὶ τὸ αὐτὸ, uti assolet, testante *Oehlero*. Vocem πραγματεία, qua *incarnationis negotium* declaratur, attigi ad T. II. p. 718 (800). Voce οἰκονομία administratio divina, quae in incarnatione cernitur, et haec ipsa declarari solet. Vid. annot. in T. II. p. 624 (747).

P. 392 (1027). λεξίθηρ ὤν τις] Δεξιθηρῶν τις legendum conieci ad T. I. p. 282 (149).

P. 392 (1027). διὰ τὸ ἰσχυρότερον τοῦ ζώου καὶ βασιλικώτατον] In promtu est rescribere ἰσχυρότατον. Tametsi enim comparativus pro superlativo, superlativus pro comparativo interdum ponitur, uterque gradus in eadem re vix ac ne vix quidem copulatur. Proclive autem librario fuit, superlativi compendium pro comparativo habere.

P. 394 (1028). τοῦ Χριστοῦ ἐμφορούμενος νοῦν] Repono νοῦ.

Sic statim post: τὸν μὲν ἴδιον (νοῦν) εἶχε, τοῦ τε (leg. δὲ) Χριστοῦ (nim. νοῦ) ἐνεφορεῖτο. et p. 394 (1029) ἐνεφοροῦντο τοῦ Χριστοῦ νοῦ. Pariter post paulo peccatur: Χριστοῦ ἐνεφορεῖτο νοῦν, ubi rursus νοῦ scribendum. Translatum ἐμφορεῖσθαι, *repleri aliqua re*, genitivum, non accusativum adsciscit. Vid. Animadvers. in *S. Basil.* I. p. 81. sq.

P. 396 (1029). διὰ τῶν τοχετικῶν πόρων] Vid. annot. in T. III. p. 382 (1022) et conf. T. III. p. 516 (1097) = Anaceph. p. 584 (153). κυοφορηθεὶς διὰ γεννητικῶν πόρων ἀνεπαισχύντως.

P. 400 (1031). τοῦ μικροῦ καὶ βραχέως λόγου] Βραχέους ed. Basil., βραχέως ed. Petav., utrumque pessime. Rescribe βραχέος.

P. 402 (1033). ἐπὶ τὰ ἐξῆς ἴωμεν] Τὰς ἑξῆς scribendum esse suspiceris, coll. annot. in T. III. p. 68 (844). Neque tamen τὰ ἐξῆς stare non potest. Vid. annot. in T. II. p. 246 (533).

P. 404 (1034). ποθηνοτάτοις τέκνοις] Scriptura ποθηνοτάτοις librario Graecobarbaro debetur. Repone ποθεινοτάτοις.

P. 406 (1036). διὰ τὸ νωδοὺς ἀποτέλεῖσθαι] Νωδοὺς *edentulos* male interpretatur *Petavius;* vertendum erat: *attonitos.* Voce νωδὸς, hoc significatu posita, Grammatici vocem ἐνεὸς, de qua vid. annot. in T. I. p. 192 (96), reddere solent. Vid. *Ruhnken.* ad *Tim.* Lex. Voc. Plat. p. 102.

P. 408 (1036). Αὐτίκα —] Αὐτίκα in initio enuntiationis positum, probandis sententiis inservit, ut Lat. *statim.* Vid. *Ruhnken.* ad *Tim.* L. V. Pl. p. 56. Petavius insolenter interpretatur: *ecce tibi.*

P. 408 (1036). Μετὰ τούτους δὲ ὡςαύτως οἱ νέοι Ἰουδαῖοι ἀλλεπαλλήλως τῇ αὐτῇ κεχρημένοι ἀγωγῇ οἱ μὲν φυσικοὶ Ἰουδαῖοι κατὰ σάρκα μὲν ἠρνήσαντο, οἱ δὲ νῦν ἀρνούμενοι τὴν τοῦ υἱοῦ .. γνησιότητα, κτίσμα αὐτὸν .. διισχυρίζονται.] Post ἀγωγῇ adde ἧ. Verbis οἱ δὲ νῦν cet. priora οἱ νέοι Ἰουδαῖοι cet. per anacoluthiam ita repetuntur, ut referantur ad interposita: ἧ οἱ μὲν φυσικοὶ Ἰουδαῖοι .. ἠρνήσαντο Coniunctionem μὲν etiam optimae notae scriptores interdum repetunt in eodem enuntiato. Conf. v. c. *Ast.* Lex. Plat. T. II. p. 303.

P. 408 (1037). καθὼς εἰπεῖν] Id est: *ut ita dicam*, quod Graece melius dicitur ὡς εἰπεῖν. Sic Noster p. 422 (1044). 454 (1062). 462 (1067, bis). 476 (1074, bis) et alibi.

P. 408. sq. (1037). Τί γὰρ ἀλλ' ἢ — — ἢπερ κελεύεσθαι;] Noli quidquam mutare. Ἀλλ' ἢ est *praeterquam*, *nisi* (vid. annot. in T. II. p. 616, 743.), et verba τί γὰρ ἀλλ' ἢ — βούλονται — κελεύει μᾶλλον θεῷ ἢπερ κελεύεσθαι; hoc sibi volunt: *Quid enim aliud faciunt, nisi — deo praescribere quam eius praeceptis obtemperare malunt?* sicut Petavius recte vertit. Quamquam, ellipsi servata, vertere poterat: *Quid enim aliud nisi — malunt?* Vid. *Ast.* Annot. in *Plat.* Phaed. p. 527.

P. 422 (1044). Τὸ ζῶον μέν ἐστι τραγότατον] Τραχύτατον, id est *asperrimo animo*, legendum coniicio. Minus placet γοργότατον. *Petavius* vertit *voracissimum*, quasi scriptum esset βορώτατον.

P. 426 (1046). Τὰ δὲ γόνατα αὐτοῦ ἐσκληκίασαν δίκην καμήλων] Respuo nihili verbum ἐσκληκίασαν et repono ἐσκληρίασαν. Nota sunt vocabula σκληριάω et σκληρίασις, quorum prius eo est ex verborum genere, de quo vid. *Lobeck.* ad *Phrym.* p. 79. sq. quem id verbum neglexisse miror.

P. 428 (1048). τεκνοκυΐσκει] In Lexica refer verbum τεκνοκυΐσκειν, pro τεκνογονεῖν vel τεκνοποιεῖν usurpatum.

P. 428 (1048). Σχολιαίτερον γὰρ τὸν βίον ἔσχε πρὸς τὸν δεσπότην.] Sublato monstro vocis σχολιαίτερον, reponito σχολαίτερον.

P. 434 (1050). Ἀλλὰ καὶ ἕτερον περὶ τούτων διανοεῖσθαί ἐστι θαυμαστόν] Ed. Basil. διανοεῖσθαι ἐστὶ, non magis recte. Corrige: διανοεῖσθαι ἔστι. Conf. modo p. 434 (1051) Ἀλλὰ καὶ ἀπ' αὐτῆς τῆς ὑποθέσεως ἔστιν ἰδεῖν. ibid. καὶ περὶ τῆς ἐκκλησίας ἔσται μοι τοῦτο λέγειν.

P. 434 (1050). εὐαγγελισθείσης τῆς ἀπ' οὐρανοῦ καθόδου ἐνσάρκου παρουσίας καὶ ζωῆς αἰωνίου.] Suspicor, τῆς excidisse ante verba ἐνσάρκου παρουσίας, de quibus vid. annot. in T. I. p. 105 (46).

P. 436 (1052). τὸ τοῦ θεοῦ οἰκονομηθὲν μυστήριον] *Incarnationis mysterium* optime vertit *Petavius*. Οἰκονομεῖν explicandum est usu vocis οἰκονομία eo, de quo vid. annot. in T. II. p. 624 (747).

P. 436 (1052). ἀρκούμενοι ὅτι οὐδ' ὅλως γεγένηται —] Repone ἀρκουμένοις et subaudi ἡμῖν.

P. 436 (1052). διὰ τὸ θαυμαστὸν τῆς περὶ τὴν παρθένον γνώσεως πρὸς θεὸν τετιμημένης] Legendum: πρὸς θεοῦ.

P. 438 (1053). ἐπὶ τὸ λαγνιαίτερον τρεπόμενοι] De reponendo λαγνίστερον monui ad T. I. p. 208 (105).

P. 440 (1054). μετὰ τὴν μεγίστην ἐκείνην καὶ ἀκραιφνῆ οἰκονομίαν τοῦ κυρίου, τῆς ἐνσάρκου αὐτοῦ παρουσίας] Tolle virgulam, coll. annot. in T. II. p. 624 (747).

P. 440 (1054). ῥᾴστως ἐπιδοῦναι ἑαυτοὺς τῇ ἁμαρτίᾳ] Lexicis adiiciatur ῥᾴστως, pro ῥᾷστα usurpatum.

P. 442 (1055). Ἤτοι γὰρ ἀπέθανεν — —, ἐν τιμῇ αὐτῆς ἡ κοίμησις —. Ἤτοι ἀνῃρέθη —· ἐν μάρτυσιν αὐτῆς τὸ κλέος —.] Sive virgula, sive semicolon ponitur (quod minus placet), non opus est ante ἐν τιμῇ et ἐν μάρτυσιν copulam καὶ inseri, siquidem Epiphanius repetita coniunctione ἤτοι pro εἴτε —, εἴτε vel pro εἴτε —, ἐάν τε vitiose utitur. Conf. p. 462 supr. (1066), ubi post κάρπωσιν nonnisi μέσῃ distinguendum, p. 466 inf. (1069). Proxima ita refingenda sunt: Ἤτοι δὲ ἔμεινε (καὶ γὰρ οὐκ ἀδυνατεῖ τῷ θεῷ πάντα ποιεῖν ὅσαπερ βούλεται· τὸ τέλος γὰρ αὐτῆς οὐδεὶς ἔγνω), πέρα τοῦ δέοντος οὐ χρὴ τιμᾶν τοὺς ἁγίους —.

P. 442 (1056). ἑαυτοῦ γὰρ τὴν ψυχὴν ἀπόλλει] Suspectam formam ἀπόλλει notavi ad T. II. p. 426 (633).

P. 444 (1056). Εἰ δὲ βούλονταί τινες ἀνέχεσθαι —] Cod. Ien. a prima manu habet ἀντέχεσθαι, quod *Petavius* coniecit et verbo *refragari* Latine reddidit. Recte; conf. *Plato* Rep. IX. p. 574. B. ἀντεχομένων ... καὶ μαχομένων.

P. 446 (1058). τὸ παράτισι τῶν ἔξωθεν φιλοσόφων ᾀδόμενον ... ἀκρότητες ἰσότητες] Ἀκρότητες pro vulg. μακρότητος scribendum esse, *Cornarius*, qui *Extremitates* vertit, et *Petavius* pulcre viderunt. Idem sibi vult proverbium Gallorum, a Nostratibus adoptatum: *les extrémes se touchent*. Sententiae fons est ap. *Platonem*, qui Rep. VIII. p. 563. E. docet, omnia nimia contrariis vicina esse inque ea facile converti, velut nimiam libertatem in servitutem. Eodem pertinet illud Romanorum argute dictum: *summum ius summa iniuria*.

P. 452 (1060). τὰς ἔτι γραοτέρας πρεσβύτιδας] Nisi forte γεραιτέρας scripsit Epiphanius, inaudita forma γραὸς pro vulgari γεραιὸς vel pro

poëtica γραῖος usus est. In proximis nomen ἱέρισσα, pro ἱέρεια positum, *Hoeschelius* ad *Phrynichum* (ed. Lob. p. 456) notavit.

P. 452 (1061). Πόθεν γυναικῶν τῦφος καὶ μανία γυναικωνῖτις;] Nemo a me impetrabit, ut cum *Petavio* credam, *Epiphanium* nomine γυναικωνῖτις pro adiectivo usum esse. Malim scribere γυναικωνίτιδος.

P. 452 (1061). ἀνδροείκελα ἀγάλματα διὰ ποικιλίας τεχνῶν διέγραψε] Notanda est rarior forma ἀνδροίκελος, pro vulgari ἀνδρείκελος posita. Vid. *Lobeck.* Parerg. ad *Phrynich.* p. 676. et conf. *Method.* Conviv. X. Virgin. ed. Allat. p. 47. τοὺς χειροτέχνας τούτους .. ἐπὶ λύμῃ τῶν ἀνθρώπων τὰ ἀνδροείκελα κατασκευάζοντας ἀγάλματα. *Ignat.* Vita S. Nicephori Patriarchae in Act. SS. Mart. T. II. p. 714. B. C. τὴν ἄκτιστόν τε καὶ ἄϋλον τοῦ δεσπότου δόξαν καταγαγόντες εἰς ὕλην καὶ εἶδος, ἀνδροείκελόν τε ταύτην καὶ ἀνθρωποειδῆ τετιμήκασι. Idem tamen, paucis interpositis: ἵνα μὴ ἀνθρωποειδὲς καὶ ἀνδρείκελον ἡγῶνται τὸ θεῖον.

P. 454 (1062). ἵνα μή τινες .. εἰς τοῦτο ὑποπέσωσι τῆς αἱρέσεως τὸ ληρολόγημα] Ληρολόγημα in Lexica referatur.

P. 456 (1063). τὸ τοιοῦτον ἔκθαμβον καὶ ἔκπληκτον μυστήριον] Ἔκθαμβος alias dicitur *attonitus*; hoc loco est *admirandus*, quae vocis significatio in Lexicis haud comparet. Idem valet de voce ἔκπληκτος, quam attigi ad T. I. p. 330 (177).

P. 458 (1064). Πόθεν τοίνυν πάλιν ἡμῖν κυκλοδράκων —;] Inaudita Lexicographis vox est κυκλοδράκων, *draco volubilis*, ut recte interpretatur *Petavius*.

P. 458 (1065). ἀμαυρούσθω ἐξ ὀφθαλμῶν τὸ ἐγκίσσημα τοῦ ξύλου] De voce ἐγκίσσημα conf. annot. in T. II. p. 334 (582).

P. 464 (1068). καταλεγμάτιά τινα ... καὶ εὐφημίας τινὰς δῆθεν εἰς τὸν θεὸν ποιούμενοι] Καταλεγμάτια hoc loco edd. Basil. et Petav.; καταλεγματιῶν in seqq. ed. Basil. mendose, καταλεγματίων Pet. recte. Καταλεγμάτια *lectiones* interpretatur *Cornarius*, *hymnos Petavius*, qui in Animadv. καταληγμάτια scribi iubet eamque emendationem docte adstruit.

P. 468 (1070). Τινὲς γὰρ τῶν ἡμετέρων ἀδελφῶν — —. Τινὲς δὲ τῶν προειρημένων ἀδελφῶν — —. Πεπλάνηκε γάρ τινων τὴν οἴησιν ὁ λόγος — —. Νομίζουσι δὲ τὴν ἀπολλυμένην εἶναι τὴν καλὴν ἐργασίαν cet.] Quo oratio misere discerpta resarciatur, necesse est, ita legas et interpungas: Τινὲς γὰρ τῶν ἡμετέρων ἀδελφῶν — —· τινὲς δὴ τῶν προειρημένων ἀδελφῶν — —· πεπλάνηκε γάρ τινων τὴν οἴησιν ὁ λόγος — —· νομίζουσι δὴ τὴν ἀπολλυμένην εἶναι τὴν καλὴν ἐργασίαν cet. Per parenthesin adiecta sunt verba: ὥςπερ καὶ ὁ ἅγιος ἀπόστολος .... μηδὲ ἐσθιέτω, et illa: σκοπεῖν δὲ μᾶλλον .... εἰς ζωὴν αἰώνιον. Sed ne sic quidem omnia plana sunt, ac nonnulla emendanda restant. Et id quidem liquido apparet, post illa: μηδὲ τῷ κηφῆνι τῶν μελισσῶν, de quibus vid. annot. in T. II. p. 486 (665), verbum excidisse. Ἔοικέναι *Petavius*, ὁμοιοῦσθαι *Ios. Scaliger* suppleri voluit. Ego malim εἰκάζεσθαι, quod librarius festinans propter similitudinem cum proximo ἐργάζεσθαι facillime omisit. Ceterum miror, quid discriminis *Epiphanius* inter ἀργὸς et ἀεργὸς interesse voluerit.

P. 468 (1071). ἰδίαις χερσὶ τὰς λεπτὰς αὐτῶν ἐργασίας ἐργάζονται κατὰ τὴν ἑκάστου τέχνην] Conf. *Epiph.* p. 530. sq. (1106) καί τινες ἀπετάξαντο τῷ βίῳ, τέχνας λεπτὰς καὶ ἀπράγμονας ἑαυτοῖς ἐπινοήσαντες, ἵνα μὴ ἀργὸν βίον διατελῶσι, μηδὲ τὸν ἄρτον βεβαρημένον ἐσθίω-

πν. Haec anachoretarum opificia tangit *Synesius* in Dione p. 46. C. τί αὐτοῖς οἱ κάλαθοι βούλονται καὶ τὸ πλεγμάτια ἄττα μεταχειρίζεσθαι —; p. 48. B. ἐπὶ ῥῶπας καὶ λύγους ἑστράφθαι.

P. 472 (1072). οἷαν δ' ἀναλόγως συμπρέπουσαν τῷ ἀξιώματι καὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς φροντίδος ἐνδελεχείᾳ εὕροιεν τέχνην] Ex ed. Basil. repone ἄν ante ἀναλόγως. Praeterea τῇ ante τῆς excidisse videtur.

P. 474 (1073). μὴ τέμνειν τρίχας γενείου, μηδὲ ἑταιρισμῷ κατακομεῖσθαι] Placet κατακοσμεῖσθαι, quod *Petavius* coniecit. *Cornarius* vertit, quasi scriptum esset κατακομᾶν. Neque enim κατακομᾶσθαι in usu fuit. Comae tamen alendae studium verbis ἑταιρισμῷ κατακοσμεῖσθαι significari, intelligitur ex praegressis verbis: οἱ μὲν τὸ γένειον, τὴν μορφὴν τοῦ ἀνδρός, ἀποτέμνουσι, τρίχας δὲ τῆς κεφαλῆς πολλάκις κομῶσι. Viro autem illud studium indignum esse, *Epiphanius* hoc loco ex Constitutionibus Apostolorum et paulo post ex Apostolo I Cor. 11, 14. sq. docet. Conf. *Epiphan.* p. 530 (1106) et quae *Synesius* Calvit. Encom. cap. 21. sqq. eandem in sententiam contra Dionem Chrysostomum disputat.

P. 474 (1074). ἐξώκειλαν τῇ ἀληθείᾳ] Scribendum: τῆς ἀληθείας. Conf. *Method.* Conviv. X. Virg. ed. Allat. p. 161. τῆς φρονήσεως ἐξώκειλεν. p. 240. τῆς ἐλπίδος τῶν μελλόντων ἐξώκειλαν ἀγαθῶν. Ἐξοκέλλειν τινὸς dicuntur, qui aliqua re excidunt. Alias ἐξοκέλλειν εἴς τι vel πρός τι est *in aliquid impingere*, metaphora a navibus sumta. Vide *Segaar.* ad Clem. Alex. Q. D. S. p. 356. sq. meque Animadv. in *S. Basil.* I. p. 14.

P. 478 (1076). Ὡς οὖν περὶ τῶν παλλακῶν τούτων τῶν ὀγδοήκοντα εἰρηκότες ἀπαρχῆς — —.] Haec quo pertineant, non dispicio, nisi ὡς scribatur et verba: περιλειφθήσεται ἡμῖν ἡ περὶ ἀληθείας ἀπόδειξις p. 480 (1077), praegressis: Φύσει μὲν γάρ εἰσιν — — μόνον δὲ τὸ ὄνομα ἐπικεκλημένων Χριστοῦ, parenthesi inclusis, ἀνακολούθως dicta accipiantur, quasi ὡς — — εἰρηκόσι praecedat. In ed. Basil. ante φύσει virgula, in ed. Petav. semicolon ponitur. Posterior ratio ferri poterit, si semicolon post Χριστοῦ repetatur et parenthesin efficiat. Ceterum mendosam scripturam ἀπὸ μήκοθεν notavi ad T. II. p. 652 (764).

P. 480 (1077). Ὅμου γὰρ ἐν πᾶσι θεὸν ἐπικαλούμενοι —] Corrige: Ὁμοῦ —. Mendosa scriptura ὅμου recurrit p. 520 (1100) ubi edd. Basil. et Petav. ὁμοῦ recte.

P. 482 (1078). Τὰ μὲν πολυειδῆ καὶ πολύτροπα καὶ πολυσχεδῆ ... διαλαβόντες προπετῆ διδάγματα —] De voce πολυσχεδῆ in πολυσχιδῆ mutanda monui ad T. I. p. 410 (222).

P. 482 (1078). τόν τε ἄπειρον ... βλασφημιῶν καὶ αἰσχρολογιῶν καὶ ἀηδεστάτων αὐτῶν μυστηρίων κλύδωνα διανηξάμενοι] Eadem figura Epiphanius p. 482 (1079). τὸν τοιοῦτον ὄγκον τῶν προειρημένων μοχθηρῶν διδασκαλιῶν διανηξάμενοι. Vid. *Ruhnken.* ad *Tim.* p. 79.

P. 482 (1078). μάλα μόλις τῶν ζητημάτων πάντη ἐπιλυσάμενοι] Mendosum est ἐπιλυσάμενοι, siquidem ἐπιλύεσθαι, *dissolvere*, *extricare*, genitivum respuit. Suspicor, *Epiphanium* ἐπιλελησμένοι scripsisse. De copulatis vocibus μάλα μόλις conf. T. II. p. 728 (806) μάλα μόλις διεδράσαμεν τὸ δυσθαλάττιον τοῦτο χωρίον.

P. 482 (1078). κυμάτων κύρτασιν ὑπομεμενηκότες] Κύρτασιν mendose codd. mss. et ed. Basil.; κύρτωσιν recte ed. Petav. A verbo κυρτόω

rite formantur κύρτωσις et κύρτωμα, quorum posterius exstat T. II. p. 728 (806) eo loco, quem cl. editor apte comparavit.

P. 482 (1078). παντὸς φόβου καὶ θορύβου καὶ ναυτιάσεως ὑπολωφῶντες] Ὑπολωφᾶν τινος est *respirare ab aliqua re*, sicut λωφᾶν τινος p. 484 (1079) Ἵνα ἐν σοὶ γενόμενοι λωφήσωμεν τῶν προδιελθόντων στυγερῶν .. πραγμάτων. In re positum λωφᾶν valet *intermittere*. *Methodius* ap. *Epiphan.* T. II. p. 258 (562) τοῦ κύματος ἤδη λωφῶντος. Vid. *Ast.* Annot. in *Plat.* Phaedr. p. 453.

P. 482 (1078). τὰς ἀπὸ τῆς στερεᾶς αὔρας ἐμπνεόμενοι] De mendo in lectione olim vulgata ἄβρας vid. annot. in T. II. p. 588 (727). Voce αὔρα in suppari imagine utitur *Methodius* ap. *Epiph.* T. II. p. 348 (590).

P. 484 (1079). νυνὶ δὲ καλὴ καὶ λευκανθισμένη] Ex Cant. Cant. 1, 5. si lectio genuina est. Supra λελευκανθισμένη *Epiphanius*, de suo, ut videtur, certe melius.

P. 490 (1083). Ὅσον ... ἦκεν εἰς τὸν κύριον] Videsis mea ad *Eliam Cret.* col. 825 (1).

P. 496 (1086). ἀρχὰς τῶν πάντων τὰς ὁμοιομερίας ἔφησεν εἶναι] Merus est iotacismus ὁμοιομερίας: repone ὁμοιομερείας. Vid. *Menag.* ad *Diog. Laërt.* II. 8. et *Preller.* Histor. Philos. Graeco-Rom. p. 33. Adfinis est Anaxagorae sententia, quae statuit, omnia omnibus immixta esse. Qua de sententia docte exponit scholium in *Gregor. Naz.* col. 911. B. C. cui adhibeas annot. in *Gregor. Nyss.* De Anima et Resurr. p. 292. sq. et Animadvers. in *S. Basil.* I. p. 6.

P. 496 (1087). μηδὲ μὴν ἐσθίειν τι τῶν ἐμψύχων, μήτε κυάμους] De fabis non edendis *Epiphanius* T. I. p. 20. 50 (14) et in Anaceph. T. III. p. 546 (132) tacet. Hoc Pythagorae praeceptum erudite illustrat *Karsten.* Comment. in Empedocl. p. 284. sq. In scriptoribus, qui id praeceptum ab Orpheo sumtum tradiderunt, *Karsten.* laudat *Gregor. Naz.* Or. XXIII. p. 535. C. Sed locus exstat in Or. XXXIII. ed. Bill. = Or. XXVII. p. 494. D. ed. Clemencet. *Elias Cret.* Comm. col. 897. C. sq. id praeceptum διαιτητικῶς dictum cum *Epiphanio* et aliis accipit. Vid. *Karsten.* p. 286.

P. 496 (1087). Ἔλεγε δὲ τὰ ἀπὸ σελήνης κάτω παθητὰ εἶναι πάντα, τὰ δὲ ὑπεράνω τῆς σελήνης ἀπαθῆ εἶναι.] Eadem sententia verbis inversis ita exprimitur T. I. p. 20. Διώριζε δὲ ἅμα τὰ ἀπὸ σελήνης καὶ τὰ ἄνω ἀθάνατα λέγων, τὰ δὲ ὑποκάτω θνητά. et in Anaceph. T. III. p. 546 (132) Διώριζον δὲ ἅμα ἀπὸ σελήνης καὶ ἄνω ἀθάνατα λέγοντες, τὰ δὲ ὑποκάτω θνητά. Sed utrobique legendum: τὰ ἀπὸ σελήνης ἄνω, comparatis nostri loci verbis: τὰ ἀπὸ σελήνης κάτω. De sententia, post Pythagoram a multis celebrata, conf. *Diog. Laërt.* VIII. 26. ubi *Menagii* eruditionem desidero. Sed videas VV. DD., a me laudatos Animadv. in *S. Basil.* I. p. 52. supr. Eandem sententiam, quippe pronuntiatam ab auctore libri De Mundo, Aristoteli adscripserunt *Plutarchus* De Placit. Philos. II. 4. 2. *Stob.* Eclog. Phys. p. 416. ed. Heeren. et alii, unde fluxit vulgaris opinio de providentia divina, ab Aristotele ex loco sublunari proscripta. Vid. infra annot. ad p. 502 (1089).

P. 498 (1087). οὕτως τὸ ἀτρεκὲς ἡμῖν ἄδηλον, δόκησις δὲ ἐπὶ πᾶσι τέτυκται, μάλιστα τῶν ἀφανέων.] In medio posita: δόκησις δὲ ἐπὶ πᾶσι τέτυκται, expressa sunt e *Xenophanis* verbis: δοκὸς δ' ἐπὶ πᾶσι τέτυκται, in quibus δοκὸς idem valet ac δόκησις vel δόξα, ut docet *Sextus Empir.* Adv. Matth. p. 380. ed. Fabric. ubi tamen δόκος perperam scribi-

tur. Vid. *Preller.* Hist. Philos. Graeco-Rom. p. 89. Pro τὸ ἀτρεκὲς ap. *Xenophan.* est τὸ σαφές, quod *Sextus* interpretatur ταληθές. Voce ἀτρεκὲς in simili sententia utitur *Democrit.* ap. *Sext. Empir.* Adv. Math. VII. 136.

P. 498 (1087). κατὰ φαντασίαν δὲ καὶ δόκησιν τὰ πάντα γίνεσθαι καὶ μηδὲν κατὰ ἀλήθειαν, ἀλλ' οὕτω φαίνεσθαι κατὰ τὴν ἐν τῷ ὕδατι κώπην.] Exemplum remi quid sibi velit, te docebunt *Davis.* ad *Cic.* Acad. II, 7. et *Bak.* ad *Cleomed.* p. 391. Adde Animadv. in *S. Basil.* I. p. 183. supr. et quae in Supplem. Annal. Philol. Vol. X. Fasc. II. p. 169. ex *Philone Iudaeo* ad *Pseudo-Herennium Philonem* annotavi. Qui exemplum, a Scepticis frequentatum, Leucippo adscripserit, praeter Epiphanium novi neminem.

P. 498 (1088). Ἔφη δὲ ... εὐθυμίαν τὸ κράτιστον εἶναι] Vid. *Menag.* ad *Diog. Laërt.* IX. 45. et 46. Quae *Epiphanius* subiicit: καὶ τὸ δοκοῦν δίκαιον οὐκ εἶναι δίκαιον, non Democriti sunt, sed potius Pyrrhoniorum, quibus Archelaus in hac sententia praeivit. Vid. *Menag.* ad *Diog. Laërt.* II. 16. IX. 101. et *Preller.* Hist. Philos. Graeco-Rom. p. 40. Nec magis Democriteae sunt sententiae, quae apud Epiphanium sequuntur: Ἐπίνοιαν γὰρ κακὴν ... ἐλευθερίως ζῆν. Quas sententias ei affinxisse videntur, qui ad doctrinam de moribus perperam pertraherent verba Democriti docentis, qualitates rerum νόμῳ tantum esse, id est *opinione*, non *lege*, ut illi opinabantur. Vid. *Menag.* ad *Diog. Laërt.* IX. 44.

P. 500 (1088). Κεχώριστο γάρ, φησι, τὸ πρότερον, νῦν δὲ συνήνωται, ὡς λέγει, φιλωθέντα ἀλλήλοις] Corrige: φιλιωθέντα, coll. annot. in T. I. p. 258 (185). Mendum fugit *Karstenium* Empedocl. p. 527. Respondent autem verba φιλιωθέντα ἀλλήλοις Empedocleis vs. 94. ap. Karsten. p. 98. — φιλότητι συνερχόμεν' εἰς ἓν ἅπαντα

P. 500 (1089). —. Ὡς τινας ἐκ τούτου Πεισιθάνατον αὐτὸν καλέσαι.] Edd. Basil. et Petav. —. ὡς τινὰς —. Sed scribendum —, ὥς τινας —., virgula pro puncto posita.

P. 502 (1089). Κράτης ... ἔλεγεν ἐλευθερίας εἶναι τὴν ἀκτημοσύνην] Interpretari possis: *Crates ... libertatis esse omnium rerum inopiam dixit*; sed malim scribere ἐλευθερίαν. Respicitur notissima de Cratete narratio, de qua videas Schol. Monac. in *Gregor. Naz.* col. 907. A. B. praeter alia testimonia, excitata *Menagio* ad *Diog. Laërt.* VI. 87.

P. 502 (1089). τὰ μὲν ὑπεράνω τῆς σελήνης θείας προνοίας τυγχάνειν, τὰ δὲ κάτωθεν τῆς σελήνης ἀπρονόητα ὑπάρχειν καὶ φορᾷ τινι ἀλόγῳ φέρεσθαι, ὡς ἔτυχεν.] Conf. *Euseb.* Praep. Ev. XV, 5. p. 798, C. Ἀριστοτέλης μέχρι σελήνης στήσας τὸ θεῖον, τὰ λοιπὰ τοῦ κόσμου περιγράφει τῆς τοῦ θεοῦ προνοίας. et *Atticus* ap. eund. p. 798, C. sqq. *Gregor. Naz.* Orat. XXVII. p. 495. A. ibique *El. Cret.* col. 765. A. De fonte sententiae, Aristoteli vulgo affictae, vid. Animadv. in *S. Basil.* I. p. 149., annot. in *Eliam Cret.* l. c. et quae supra dixi ad p. 496 (1087).

P. 502 (1090). Ἔλεγε δὲ πάντα διοικεῖν τὸ θεῖον.] Διηκεῖν cod. Rhedig. recte, modo διήκειν scribatur et ante πάντα adiiciatur ἐπὶ, quod inter δὲ et πάντα facillime excidit. Διήκειν et διοικεῖν saepe confunduntur; vid. annot. in *Gregor. Nyss.* De Anima et Resurr. p. 177. et in *Eliam Cret.* col. 765 (4). Διήκειν autem et similia Stoicis usitata fuere in declaranda natura divina omnia permeante. *Chrysippus* ap. *Diog. Laërt.* VII. 88. ὁ ὀρθὸς λόγος διὰ πάντων ἐρχόμενος, ὁ αὐτὸς ὢν τῷ Διΐ. De Cleanthe *Hermias* Irris. Philos. Gentil. cap. 14. — τὴν δὲ ψυχὴν δι' ὅλου τοῦ κόσμου διήκειν. ubi *Worth.*

comparat *Tertull.* Apolog. cap. 21. „Haec Cleanthes in spiritum congerit, quem *permeatorem universitatis* affirmat.“ A Stoicis hic loquendi usus ad alios scriptores, etiam sacros et ecclesiasticos, transiit. Formula διήκειν καὶ χωρεῖν διὰ πάντων similiter utitur auctor libri Sap. VII. 24. quem ad locum vid. *Grimm.* in *Theol. Stud. u. Krit.* a. 1834. p. 900. *Athenagoras* De Resurrect. cap. 18. ἐπὶ πᾶν ... διήκουσαν γνωσκειν τὴν παρὰ τοῦ ποιήσαντος ἐπιμέλειαν. Apud *Origen.* in Ioann. II. 29. verbum διήκειν in verbis: ὑπόστασιν — διήκουσαν ἐπὶ πάντα τὸν κόσμον, Stoicam doctrinam prodere, *Ritterus* Hist. Philos. T. V. p. 495. recte docet. Idem valet de istis, a *Rittero* ex *Orig.* in Ioann. VI. 122. ibidem allatis: οὗτος γὰρ δι' ὅλης πεφοίτηκε τῆς κτίσεως, ἵνα ἀεὶ τὰ γενόμενα δι' αὐτοῦ γίνηται. Stoae adversatur *Tatian.* Orat. ad Graec. cap. 6. πνεῦμα ὁ Θεός, οὐ διῆκον διὰ τῆς ὕλης. ubi *Worth.* p. 18. scholium eruditum ex cod. reg. 1. affert et praeter illud *Virgilii*: *Spiritus intus alit* cet. *Clementem Alex.* Protr. cap. 5. p. 58. Pott. comparat. Vide *Menag.* ad *Diog. Laërt.* VII. 138. meaque ad *Gregor. Nyss.* et ad *Elian. Cret.* ll. citt.

P. 502 (1090). Ἔλεγε δὲ καὶ μετὰ χωρισμὸν τοῦ σώματος, καὶ ἐκάλει τὴν ψυχὴν πολυχρόνιον πνεῦμα.] Graviori vulneri, quod hic locus concepit, vehementior medicina adhibenda est. Censeo autem ita legendum esse: Ἔλεγε δὲ καὶ μετὰ τὸν χωρισμὸν ἀπὸ τοῦ σώματος ἐπιδαμίνειν τὴν ψυχὴν cet. Mortem Stoici, praeeunte Platone Phaed. p. 67. D., χωρισμὸν ψυχῆς ἀπὸ σώματος definierunt (cf. Chrysipp. ap. *Nemes.* De Nat. Hom. cap. 2. p. 81. ed. Matth.), cui animam superstitem fieri ita censebant, ut eandem immortalem esse negarent, sicut *Epiphanius* in seqq. docet. Vid. *Menag.* ad *Diog. Laërt.* VII. 157.

P. 504 (1090). καὶ τὸν κόσμον μύστας καὶ τοὺς κατόχους τῶν Θείων τελετὰς ἔλεγε.] Ad integritatem sententiae nonnulla deesse videntur. Quo autem comparatio, praegressis verbis instituta, absolvatur, locum ita redintegrandum et emendandum censeo: καὶ τὸν κόσμον ἱερὸν (i. e. *templum*) καὶ τοὺς ἀνθρώπους μύστας καὶ τοὺς κατόχους τῶν Θείων τελεστὰς ἔλεγε. Conf. *Plutarch.* De Tranquill. Animi, cap. 20. et *Dio Chrysost.* Orat. XII. p. 387. sq. ed. Reisk. T. I. qui ex Cleanthe hausisse videntur, quamquam nonnulla eorum propria sunt.

P. 504 (1090). Παναίτιος ὁ Ῥόδιος τὸν κόσμον ἔλεγεν ἀθάνατον καὶ ἀγήρω] Pro voce nihili ἀτρήρῳ, quam codd. mss. uterque et ed. Basil. exhibent, *Petavius* ἀγήρω de suo dedit, sicut etiam *Ios. Scaliger* emendavit. Displicet ἄτρεπτον, quod *Cornarius* coniecisse videtur. Tu confer *Platonem* Polit. p. 273. E. ubi sermo de Deo mundum restaurante: ἀθάνατον αὐτὸν καὶ ἀγήρων ἀπεργάζεται. Timae. p. 33. A. ἀγήρων καὶ ἄνοσον αὐτὸν ἐτεκτήνατο (nim. Deus mundum). Scilicet Panaetius, spreto commento de mundi exustione, ad Platonis sententiam de mundi aeternitate rediit. Vid. *Preller.* Hist. Philos. Graeco-Rom. p. 398. supr.

P. 504 (1091). Ἐπίκουρος ... οὐκ ἠρυθρία γυναιξὶ συνὼν δημοσίᾳ ἀκολάστοις] Cum Leontio eum palam consuevisse, *Athenaeus* XIII. 6. p. 588. B. refert.

P. 506 (1091). μυριζόμενοί τε καὶ θηλευόμενοι] De reponendo θηλυκευόμενοι monui ad T. I. p. 456 (648).

P. 506 (1092). κυκεὼν ἐκπώματι κατεσκευασμένος] Legen-

dum: ἐν ἐκπώματι vel ἐν πώματι. Rem quod attinet, vid. *Ruhnken.* ad *Homer.* Hymn. in Cer. v. 211.

P. 508 (1092). κατὰ τὰς ἐναγεῖς τῆς πανδήμου τῶν πεπλανημένων συνελεύσεως τελετὰς, καὶ τῶν παταλιζόντων καὶ ὀργιούντων ἐμμανεῖς δῆθεν ἱεροφαντίας σχηματιζόντων] Πανδήμου συνελεύσεως τελετὰς intellige *publici concubitus sacra*, in honorem Saturni celebrata ab hominibus perditis, quos ἐξώλεις post paulo vocat. Deinde, virgula transposita post ὀργ., verba τῶν πεπλανημένων — καὶ τῶν παταλιζόντων καὶ ὀργιούντων copulanda et ita emendanda sunt: — καὶ τῶν σκιταλιζόντων καὶ ὀργώντων Παταλιζόντων ex cod. Ien. recepit *Oehlerus*; ipse mavult παταγιζόντων, quod pro παταγούντων positum autumat. Πατταλιζόντων codd. Rhedig. et Paris. Καταλιζόντων edd. Basil. et Petav., quae est depravata scriptura codicis Ien. Sed librariis fraudi fuit verbum rarissimum σκιταλίζειν, de quo vid. *Toup.* Emend. in Suid. et Hesych. T. II. p. 172. sq. qui id verbum restituit *Longo* Pastor. Lib III. p. 106. ed. Iungerm. (p. 83. Schaef.) πρός τε τὰ φιλήματα ὦργα καὶ πρὸς τὰς περιβολὰς ἐσκιτάλισε (vulg. ἐσκυτάλισε). Ὀργιούντων pessime vulgo, quod *Petavius* perperam vertit *orgia celebrantes*; neque ferri potest ὀργιώντων, quod *Oehlerus* coniecit, quasi pro ὀργιαζόντων id ponneretur. Mea ex emendatione verbum ὀργᾶν hoc loco non minus apte ponitur quam p. 508 (1093) in istis: Τὰς ... Μεμφίτιδας Ἡλιουπολίτιδας ὀργώσας —, ubi neque ὀργώσας cum *Petavio orgia celebrantes* interpretaberis, neque de rescribendo ὀργιώσας cogitabis. Tu vide *Ruhnken.* ad Tim. p. 193. sq. et confer *Longum* l. c., ubi ὀργᾶν et σκιταλίζειν pariter ac nostro loco copulantur.

P. 508 (1093). ἐμμανεῖς τε καὶ ἀφραίνοντες γελοιώμενοί τε] Verbis ἀφραίνω et γελοιάω in pedestrem orationem translatis κακοζηλία inest, quam notavi ad T. II. p. 652 (764).

P. 514 (1096). ἡ εὐφρασία ἡ πνέουσα τὴν κύπριν τῆς ἀμπέλου] Ex Cant. Cant. 1, 14. — *Petavii* coniecturam κύπρον, ex Anaceph. p. 582 (152) captam, merito respuit cl. editor, qui in Anaceph. nostro ex loco κύπρον reponi recte iubet. Vid. annot. in T. II. p. 186 (501).

P. 516 (1097). σκεύους ἁγιωσύνης καὶ δικαιοσύνης] Ἁγιοσύνης hoc loco et p. 520 (1100) *Petavius* male. Idem tamen ἁγιωσύνης geminis locis in Anaceph. p. 582 (153). Vid. annot. in T. II. p. 428 (635). Mox nonnisi μέσῃ distinguendum ante verba: τὰ πάντα δὲ μὴ χρανθέντα cet., siquidem haec ex praegressis: τὰ πάντα τελείως ἔχων cet. suspensa sunt. Recte interpungitur in Anaceph. p. 582 inf. (153).

P. 516 (1098). Ἐνταῦθα δὲ ἐν Χριστῷ ἰσχυροποιουμένων τῆς δυνάμεως τοῦ ἄρτου καὶ τῆς τοῦ ὕδατος ἰσχύος] Haec verba referuntur ad priora: πληρουμένου τοῦ ἐν τῷ προφήτῃ ῥητοῦ. Itaque μέσην pro τελείᾳ ante ἐνταῦθα pone. *Petavius*, non contentus puncto, peius etiam rem gessit, quod intercapedinem orationis fecit. Haec de gemino loco in Anaceph. p. 584 (154) simul dicta accipito.

P. 518 (1098). διὰ τῆς ... ὀνομασίας τῆς ἁγιαστείας] Scribo: ἁγιαστίας, coll. annot. in T. II. p. 698 (789). Mox ante verba: ἀνελθὼν ἀπὸ τοῦ Ἰορδάνου cet. μέσῃ, non τελείᾳ distingue, siquidem haec ad supra dicta: ἐλθὼν ἐπὶ τὸν Ἰορδάνην, referuntur. Idem valet de gemino loco in Anaceph. p. 586 (154). Deinde συναλιφῇ ed. Basil. et Oehl. iuxta codd. mss.; συναλοιφῇ *Petavius* recte, atque ita *Oehlerus* in Anac. p. 586 (154) cum cod. Ien. et edd. Vid. annot. ad T. I. p. 154 (483) et infra ad p. 522 (1101).

P. 518 (1098). Καὶ ἐπιλεξάμενος μαθητὰς cet.] Haec non minus quam praegressa: ἀνελθὼν ... παρουσίας, ad initium periodi: Καὶ μετὰ ταῦτα ... συνανεστράφη, referuntur. Itaque μέση pro τελείᾳ iterum ponatur. In Anaceph. p. 586 (154) recte distinguitur.

P. 520 (1099). Αὐτὸ τὸ σῶμα cet.] Intercapedinem orationis tolle et μέσην pro τελείᾳ ante αὐτὸ pone; continuantur enim supra dicta: αὐτὸ τὸ σῶμα πνευματικὸν ὑπάρξαν. Idem valet de gemino loco in Anaceph. p. 588 (155).

P. 520 (1100). τύπον ἦλων καὶ τόπον λόγχης] Repone: τύπων λόγχης, ut est in Anaceph. p. 588 (155). Vid. annot. in T. II. p. 352 (593).

P. 520 (1100). Τοῦτον ὅμου θεὸν ἔχουσα] Ὁμοῦ, ut est in Anac. p. 590 (156), recte *Oehlerus* in annot. Vid. annot. in T. III. p. 480 (1077).

P. 522 (1101). μή τις συναλιφὴ οὖσα ἡ θεότης] Συναλιφὴ ed. Basil. et Oehler. iuxta codd. mss.; συναλοιφὴ *Petavius* recte, atque ita *Oehlerus* in Anac. p. 590 (157) cum libris mss. et edd. Vid. annot. ad p. 518 (1098).

P. 522 (1101). τοῦ ἀπὸ πολλοῦ τῶν αἱρέσεων ἰοῦ ἀποναρκήσαντος καὶ ἀποσιγχάνοντος] De reponendo ἀποσιχαίνοντος cl. editori adsentior. Vid. VV. DD. ad *Phrynich.* p. 226. ubi attende iocum in Grammatici verbis: Σιχαίνομαι: τῷ ὄντι ναυτίας ἄξιον τοὔνομα. Nauseantes enim σιχαίνεσθαι dicuntur. Conf. quae ap. *Epiphan.* insequuntur: ὡς ἀποπτύοντος δίκην καὶ ναυτιῶντος. Ceterum ἀποσιχαίνειν Lexicis adiiciatur.

P. 526 (1103). ἡ ἁγία ἱερωσύνη] Ita *Petavius* iuxta ed. Basil. Quo magis mireris, eundem in seqq. ἱεροσύνην bis scripsisse pro genuino ἱερωσύνην, quod ed. Basil. exhibet. Tu vide annot. in T. II. p. 428 (635).

P. 528 (1104). κοπιαται[] Scribe: κοπιάται, voce κοπιάτης a verbo κοπιάω repetita. Alioquin oportet scribatur κοπιασται, a verbo κοπιάζω deducta voce κοπιαστής, quae tamen non videtur in usu fuisse.

P. 530 (1106). ἀπὸ μήκοθεν] Scribendum: ἀπὸ μηκόθεν vel ἀπομήκοθεν, quod magis placet. Vid. annot. in T. II. p. 652 (764).

P. 530 (1106). Ἄλλοι δὲ οὐδὲ ὑποδέννυνται.] Barbarum ὑποδέννυνται ne in *Epiphanio* quidem ferendum; repone: ὑποδέδενται.

P. 532 (1107). μετὰ πάσης πυκνότητος καὶ ἐκτενίας] Ἐκτενείας ed. Petav. recte. Vid. *Lobeck.* ad *Phrynich.* p. 311. Ἐκτενίας merus est iotacismus.

P. 542 (129). τετάρτῳ δὲ ὄντι κατὰ τὴν ἀπ' ἀρχῆς τοῦ ἀριθμοῦ ἀκολουθίαν] Ἀπ' ἀρχῆς pro vulg. ἀπαρχὴν recte *Oehlerus*. Brevius *Epiphanius* p. 572 (147) πέμπτου δὲ ἀπ' ἀρχῆς τῆς ἀκολουθίας ὄντος. Alias apud eundem ἀπαρχῆς negligentius vulgari solet. Vid. annot. in T. III. p. 44 (831).

P. 544 (131). διὰ .. τῆς εἰδωλολατρίας] Εἰδωλολατρείας recte *Petavius* hoc loco et post paulo, ubi ed. Basil. iterum εἰδωλολατρίας. Idem iotacismus in ed. Basil. deprehenditur T. I. p. 44 (11). 64 (22). 68 (24. 25). 208 (105) et saepe alibi, ubi post Petavium εἰδωλολατρεία recte vulgatur. Idem tamen *Petavius* iotacismum in hac voce cum alibi, tum T. I. p. 16. 18. ed. Oehl. intactum reliquit.

P. 546 (132). Διώριζον δὲ ἅμα ἀπὸ σελήνης καὶ ἄνω ἀθάνατα λέγοντες, τὰ δὲ ὑποκάτω θνητά.] Legendum: Διώριζον δὲ ἅμα τὰ ἀπὸ σελήνης ἄνω cet. Vid. annot. in T. III. p. 496 (1087).

P. 546 (132). Σιωπῶν δὲ ὁ τούτων διδάσκαλος Πυθαγόρας

ἑαυτὸν θεὸν ὠνόμασε] Accuratius Noster T. I. p. 20. Σιωπὴν δὲ ἅμα ἀσκεῖν ἐπὶ χρόνον πέντε ἐτῶν ἐδίδασκε· τὸ τελευταῖον δὲ ἑαυτὸν θεὸν ὠνόμασε. et T. III. p. 498 (1087). Ἐκέλευσε δὲ καὶ τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ σιωπᾶν ἐπὶ πενταετῆ χρόνον cet. Conf. *Gregor. Naz.* Or. XXVII. p. 494. D. Βάλλε μοι Πυθαγόρου τὴν σιωπήν. et *Eliam Cret.* Comment. col. 897. C. Plura videas ap. *Menag.* ad *Diog. Laërt.* VIII. 10.

P. 546 (132). ἀλλὰ τοὺς θέλοντας ταῖς βουλομέναις συνεῖναι] Ἀλλὰ τοὺς pro vulg. ἀλλ' αὐτοὺς cl. editor ex libris mss. reposuit. Vid. annot. in T. I. p. 392 (211).

P. 548 (134). σχήματα ἐθελοθρησκευτικὰ τῆς ἐνδυμενείας] Ἐθελοθρησκοτικὰ codd. mss. et ed. Basil.; ἐθελοθρησκητικὰ ed. Petav. Quod cl. *Oehlerus* recepit ἐθελοθρησκευτικά, exstat ap. *Epiphan.* T. I. p. 22. Vox a Lexicis abest. Deinde ἐνδυμενείας pro ἐνδυμενίας ap. *Epiph.* l. c., quod praestat. Vid. *Phrynich.* et *Lobeck.* p. 548.

P. 558 (139). Ἔδειξε δὲ αἰσχροποιίαν, τὴν μίξιν μολυσμοῦ γυναικῶν ἀδιάφορον.] Hinc emendanda sunt ista T. I. p. 116 (52) Ἐδίδαξε δὲ αἰσχροποιίαν, μίξιν μολυσμοῦ, γυναικῶν ἀδιαφορίαν. quo loco cod. Vat. τὴν μίξιν, cod. Ven. ἀδιάφορον, nimirum virgula post μολυσμοῦ recte omissa.

P. 560 (140). ταύτας ἐθυμία καὶ προσεκύνει] Scribendum: ταύτατις. Nam θυμιᾶν τι dicitur, qui aliqua re ad suffitionem utitur. Nihil autem obstat, quominus προσκυνεῖν cum tertio casu componatur. Vid. *Schleusner.* Lex. in N. Test. T. II. p. 750.

P. 562 (141). καὶ ὡς διὰ σωλῆνος τὴν Μαρίαν πεπερακέναι] De verbis τὴν Μαρίαν in τῆς Μαρίας mutandis monui ad T. I. p. 312 (167). Praepositio non repetita neminem Graece doctum morabitur. Videsis *Matthiae.* Gr. Gr. Ampl. §. 595. 4.

P. 582 (152). ἡ εὐφρασία ἡ πνέουσα τὸν κύπρον τῆς ἀμπέλου] De voce κύπρον in κύπριν mutanda vid. annot. in T. III. p. 514 (1096).

P. 584 (153). ἀνδρωθεὶς τῇ ἡλικίᾳ] Ἀδρυνθεὶς p. 516 (1097). Vid. annot. in T. I. p. 202 (102).

P. 584 (154). —. Ἐνταῦθα δὲ ἰσχυροποιουμένων cet.] De corrigenda interpunctione vidimus ad T. III. p. 516 (1098). Mox ante verba καὶ βρῶσις cet. et καὶ οὐχ ἵνα cet. nonnisi virgula interpungatur, uti fit p. 516. 518 (1098). Deinde ante verba ἀνελθὼν ἀπὸ τοῦ Ἰορδάνου cet. μέσην pro τελείᾳ poni iussi ad p. 518 (1098).

P. 584 (154). διὰ τῆς .. ὀνομασίας τῆς ἁγιαστείας] Scriptura ἁγιαστείας hoc loco non magis recte habet, quam p. 518 (1098) ubi vid. annotata.

P. 586 (154). ἵνα μὴ συναλοιφὴ ἡ τριὰς νομισθῇ] De scriptura συναλοιφὴ vid. annot. ad p. 518 (1098).

P. 586 (154). —. Ὁ ὑπὲρ ἡμῶν τὸ πάθος ὑπομείνας cet.] Pro τελείᾳ pone μέσην, sicut recte distinguitur p. 518 (1099)

P. 588 (155). —. Αὐτὸ τὸ σῶμα cet.] Vid. annot. ad p. 520 (1099).

P. 588 (156). σὺν .. πάσῃ τῇ ἀνθρωπότητι] Pro ἀνθρωπότητι *Petavius* de suo dedit ἐνανθρωπήσει, respiciens, opinor, supra dicta p. 586 (154) ἐν τῇ τελείᾳ ἐνανθρωπήσει. Tu vide annot. in T. III. p. 88 (155).

P. 588 (156). ὡς καὶ τὰ ἡμῶν σώματα μέλλει· —.] Pro vulg. μέλη cl. *Oehlerus* μέλλει ex Panar. p. 520 (1100) optimo iure reposuit. Sed restat, ut indidem ἐγείρεσθαι pro ἐγείρονται ter deinceps rescribatur, μέσῃ post μέλλει sublata.

Corrigenda.

Tom. II. P. I, p. 653. in Addendis lin. 24. pro *ferri non posset* corr. *pati non posset.*

Tom. II. P. I, p. 777. lin. ult. ante verba *P. 2.* exciderunt verba *T. I. P. II.*

Tom. II. P. II, p. 10, lin. 21. Scribe δυνάμεις pro δυν'μεις.

Tom. II. P. II, p. 10, l. 10. ante fin. Scribe *Thomasius* pro *Thomasium.*

Tom. II. P. II, p. 18, l. 3. Scribe *Daniel* pro *Daniel.*

Tom. II. P. II, p. 22, l. 7. Scribe *iste* pro *ille.*

Tom. II. P. II, p. 43, l. 15. ante *facis* adde *similitudine.*

Tom. II. P. II, p. 46, l. 10. ante fin. Dele *et.*

Tom. II. P. II, p. 47, l. 1. Scribe ὑπόμνησιν pro ὑπόμνησιν.

Tom. II. P. II, p. 47, l. 30. 31. Post *Noster* adde *non item Methodius.*

Tom. II. P. II, p. 54, l. 8. Scribe ὅσον pro ὅσων.

Tom. II. P. II, p. 55, l. 11. ante fin. Scribe οὕτω pro priore οὕτως, et οὕτως pro οὕτω.

Tom. II. P. II, p. 56, l. 23. Scribe ἀναβιώσχεσθαι pro 'ναβιώσχεσθαι.

Tom. II. P. II, p. 70, l. 10. ante fin. Scribe χαθὸ pro χαθά.

Acme
Bookbinding Co., Inc.
100 Cambridge St.
Charlestown, MA 02129

3 2044 069 645 521